DECISIONES

S. ROTAE ROMANAE

CORAM

R. P. D. COSMA DE CURSIIS

FLORENTINO

EJUSDEM S. ROTAE OLIM DECANO

MODO S. R. E. CARDINALI EMERITISSIMO

E TITULO SS. JOANNIS ET PAULI

AC PISIS ARCHIEPISCOPO

ARGUMENTIS, SUMMARIIS ET INDICE LOCUPLETISSIMO EXORNATAE

CURA ET STUDIO

ALEXANDRI ADVOCATI CAVALLINI.

TOMUS PRIMUS.

ROMAE MDCCCLV.

EX TYPOGRAPHIA CAJETANI CHIASSI

SUPERIORUM PERMISSU

EMINENTISSIMO ET REVERENDISSIMO PRINCIPI

COSMAE DE CURSIIS

S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO.

ALEXANDER ADVOCATUS CAVALLINI.

Compertum habent omnes qui in Foro versantur, ex innumeris S. Rotae Romanae decisionibus, eas hodie in agendis dirimendisque causis potissimum usui esse, majoremque auctoritatem obtinere, quae post tot rerum publicarum conversiones, et post latas, composito tandem orbe, ab Summis FEL. RECORD. Pontificibus PIO VII, LEONE XII et GREGORIO XVI, novas sapientissimas leges, ab sacro illo augustoque fonte Justitiae triennio proximo, in tanta bonarum artium ac scientiarum omnium luce, manarunt. Cum enim mutata saepius imperia, variatasque toties leges ingens adeo consecuta fuerit jurium omnium confusio, ut neque ulla jurisprudentiae pars ambiguitate, neque ullum civile negotium contentione vacaret: factum hinc est, ut editae per id temporis S. Ordinis decisiones non modo in singulis juris articulis tot quaestiones contineant, vel rerum novitate singulares, vel diversarum legum successione insignes vel casuum frequentia jam quotidianas: sed, quod rei caput est, veram germanamque jurisprudentiam cum aequitate mirifice conjunctam exhibeant. Liceat itaque fateri tantam exemplorum et regularum juris copiam quolibet in genere negotii Illis inesse, ut decisionum omnium, quas superior etas

tulit, solae vice esse possint. Quin immo non alia ratione hujus nostri aevi jurisprudentiam citius aut plenius quemquam assecuturum, quam easdem assidua cura versando. Verum inter has ipsas nedum vulgarium sensu, sed cordatiorum praesertim judicio eximiae habentur, tam ob civilis sapientiae lumina, latinaeque linguae elegantiam non ambitiosam, tam ob longiorem seriem, decisiones quae Coram Te, PRINCEPS EMINENTISSIME, summo Romanae Curiae plausu, in lucem prodierunt. Haec omnia cum, jamdiu animadvertissem saepiusque miratus fuerim, nullum adhuc extitisse, qui decisiones hujusmodi in Forensium commodum collectas typis mandaret: ne optimarum rerum incuria, quo nomine caeteros arguebam, mihi quoque exprobaretur, tandem id ipsum praestare constitui. Ad rem autem perficiendam adeo magis rapiebatur animus, quod intelligerim ex levi labori atque vulgari industria duo consequi maxima: utilitatem scilicet publicam: ac Nominis Tui Clarissimi perpetuitatem. Quam licet supremo Purpurae honore, tantisque tuis in Christianam Rempublicam meritis jam sis adeptus, hoc tamen Sapientiae Tuae Monumentum eam longius producet atque tuebitur.

Quod si, qui tui similes sunt, viri pietate ac religione praestantes de vera aeternaquè gloria tantum anxii caducarum rerum splendorem famaeque sonum despiciant, non idcirco laus, quae ex constanti virtutum exercitio vel ex optimis literis procedit, bonis unquam est repudianda. Minus vero Tibi, quia cum egeris semper, agasque adhuc in summo rerum fastigio publicam vitam, laudis tuae partem sibi vindicant tum Ecclesia, tum Hetruria, tum in primis Corsiorum Gens. Haec enim inter caeteras italicas non sola generis antiquitate insignis fuit, sed et gloria Majorum maxime floruit: quorum nomina non in obscuris familiae aut civitatis aut provinciae commentariis delitescunt, sed immortalibus italarum historiarum monumentis commissa totius orbis literati luce fruuntur. Cuinam porro erudito (ut hic de Mauro episcopo sileam, de Jacobo literatissimo, de Cosma et Thoma magistratu clarissimis, de DOMINICO MARIA S. R. E. Cardinali Amplissimo, deque caeteris minoribus) ignoti sunt vel JOANNES saeculo XVI ex Bardo ortus, vel illi proximus SIMEON, vel JOANNES alter: qui omnes suo aevo inter primarios Florentinae Reipublicae viros claruere? Quod autem difficultatis reliquum erat in eo opere, ut illud facile

superarem Ea, quae in Te maxima est, Humanitas effecit; cum scilicet Editionem hanc Tuo Nomini inscribi, Tuoque Patrocinio committi libenter indulsisti. Quare haud dubito, Vir Eminentissime, quin Tu volumina haec, quorum cum ab te omnis materia processerit, tua plane dici debent, tanta suscepturus sis benignitate, quanta ego religione ac reverentia quod tuum erat, sed amissum quasi atque dispersum, in corpus unum compositum ad Te defero, Tibique tamquam domino restituo.

ANCONITANA PECUNIARIA

Lunae 5 *Junii* 1820.

ARGUMENTUM

Debitor liberatur erga suum creditorem, si solutionem expleverit ejus mandato; et conditionibus obtemperaverit in mandato ipso expressis. Ac in quolibet dubio interpretatio sumitur contra Mandantem.

SUMMARIUM

1. *Exietere non potest creditum, quod per legitimam solutionem a debitore eublatum fuit.*

   Soluta intelligitur pecunia, non solum si ipsi, cui debetur, fuerit tradita, sed et si alteri, sit soluta voluntate ejus - ibidem. -
2. *Non est attendendus testie, qui deponit adversus illa, quae eliciuntur e publicis Commercialibus Codicibus.*

   Nemini licet impugnare propriam confessionem in syngrapha acceptilationie emissam - ibidem. -
3. *Non omnis syngrapha, quae die certa caret, ob id est simulata, si aliae conjecturae ad simulationem evincendam non concurrant.*
4. *Legitime debitor solvit, si in solutione peragenda, conditionibus obtemperat a creditore praescriptie.*
5. *Quisque sibi imputare debet, si dubia, obscuraque oratione euum expresserit mandatum.*

   In qualibet dubietate, omnis interpretatio sumenda est contra mandantem - ibidem. -
6. *Scientia haud non probata, ignorantia praesumitur.*

   Adversus eum, a quo iterata debiti solutio petitur, ineluctabilibus documentis est demonstrandum quod eum dolo solverit - ibidem. -
7. *Non praesumitur scientia de homine extero omnino ignoto, et qui uti mercator nunquam fuit agnitus ab aliie mercatoribus, proxenetie, et incolie.*
8. *Quie mandat euo debitori, quod solvat sub certa conditione, ei conditio adimpleatur, recte ac legitime est facta eolutio.*
9. *Mandans, qui de negocio a mandatario gesto, etiam praeter, vel contra legem mandati, certior est factus, et de mandatario non queritur, hujus factum ratum habuisse censetur.*
10. *Cum quaestio eit de re inter mercatores acta, rei sola veritae spectanda est, remotis subtilitatibus juris.*

DECISIO I.

Cum ex dispunctis inter Petrum Mercatelli, honestissimum Anconæ negociatorem, ac Vitum Micelli, Mercatorem Brundusinum, dati, acceptive utrinque rationibus, Micelli debitor Mercatellius extitisset Scutor. 337, et obul. 10, primum Micellius Mercatellio mandavit, ut ea pecuniæ vi, sibi, die 10 Januarii anni 1816, numeranda, compareret respondentem quantitatem Saliti piscis, quem dicunt = *Stoecopesce* =, et hanc sibi transmitteret per Navarchum Marianum Rotinium, qui cymbam ad eumdem Mercatellium spectantem moderabatur. Cum vero Mercatellius epistola, die 7 Decembris 1815 scripta, Micellio nunciasset Rotinium tum esse Tergesti, brevi tamen Anconam rediturum, et post ejus reditum sese haud defuturum = *andare secolui inteso per lo Stoecopesce* = secus autem, nempe Rotinio reditum differente, seso ad ipsum Micellium remissurum = *per Napoli la somma di sc.* 337 10, *che scade li* 10 *Gennaro* =, Micellius, mutato consilio, die 28 Decembris ejusdem anni 1815, Brundusio Anconam Mercatellio scripsit = *se ancora non abbiate acquistato il Stoceopesce, non state più a comprarlo, e il denaro, che avete di mio conto, se torna il Parone Mariano Rotini ci lo consegnarete al sopradetto, e al caso verrà quì prima il Parone Matteo Baracchi ci lo consegnarete al detto.*

Hoc itaque novo accepto mandato, Mercatellius, cum vidisset Micellium præcipuam Rotinio fidem habere, ita ut ei, si Tergesti Anconam rediret, ea pecuniæ quantitas esset tradenda, et cum præterea nulla ad Anconæ portum navis appulisset, cui præesset ignotus ille ei Mathæus Baracchius, a Micellio designatus = *Parone* = sive navarchus, atque ideo scire haud posset an ignotus hic homo cum cymba, quam moderaretur, Brundusium perventurus esset ante Rotinium, huic solvit quidquid Micellio debebat, die 17 Januarii 1816, sibi consulens pro acceptilationis Syngrapham, qua Rotinius declaravit = *di avere avuto, e ricevuto dal Signor Pietro Mercatelli scudi trecento trentasette, e baj.* 10 *in mo-*

per Mercatellium Rotinio expletæ indubium revocet. Primum namque falsum est merces, non pecuniam, Mercatellium Rotinio tradidisse Ortonam vehendas, ut ex earum pretio Micellii credito satisfieret. Hujuscemodi assertio Rotinii, prorsus spernenda est, quia ab eo prolata in odium Mercatellii, a cujus servitio fuerat expulsus, et a Bergando Micelli procuratore, post annum cum dimidio fere elapsum a solutionis facto, expiscata, ad aliquid parandum, quo super calumniosissimæ actionis adversus Mercatellium fundamenta jaceret, et corruit præterea omninò, quia pugnat cum testimonio elicito e publicis Commercialibus Codicibus, qui in Anconæ Portu exarantur, ut de importatione, et exportatione mercium, de earum qualitate, et pertinentia, et vectorum nominibus perpetua, in commercii commodum, ac utilitatem extet memoria: in hisce namque adnotatum legitur = *che sotto il dì* 18 *Gennajo* 1816 *fu rilasciato in questo Officio il manifesto delle merci caricate in questo porto dal Parone Mariano Rotini diretto per Ortona, e che dette Merci consistenti in diverse Ferrareccie furono caricate soltanto dal Signor Girolamo Pauri di questa Città* = ex quo patet Rotinio nullas merces ad Mercatellium spectantes Ortonam afferendas fuisse traditas. ut ipse affirmare ausus fuit; pugnat etiam prædicta assertio Rotinii cum ejus confessione de pecuniis, non mercibus receptis, quam exhibet ejus acceptilationis Syngrapha diei 17 Januarii 1817, quamve ipse impugnare nequit; quia = *nimis indignum judicamus, ut quod sua quisque voce dilucide protestatus est, id in eumdem casum infirmare, testimonioque proprio resistere* = rescripsit *Justinus Imperator in leg.* 3 *Cod. de non numerata pecunia*; pugnat demum cum dictis proxenetæ Lorii aliorumque testium, qui deponunt sese audivisse Rotinium profitentem = *che il denaro datogli dal Signor Mercatelli per fare l'accennato pagamento lo aveva consegnato al di lui fratello Giovanni Rotini, incaricandolo di tale sborso.*

3 Doin futillima est conjectura simulationis Syngraphæ de recepto a Rotinio conscriptæ, ex eo deducta, quod cum in publicos Codices relata non fuerit, destituta certa temporis epocha, quo fuit exarata, atque ideo ad opportunitatem confingi potuerit; cum præsertim exhibita fuerit die 1 Augusti 1817, atque ideo, post judicium a Micellio contra Mercatellium institutum de mense Julii illius anni. Siquidem hujusce simulationis, atque collusionis inter Rotinium, et Mercatellium quamlibet suspicionem eliminat animadversio, quod Rotinius a mense usque Septembris anni 1816 expulsus a Mercatellio a guberno cymbæ ad hunc spectantis, huic quam maxime infensus esse debebat, ita ut prorsus inverisimile sit in hujus commodum illum voluisse eam acceptilationis Syngrapham conscribere cum proprio damno, quia in vim ejus Syngraphæ, debitor ipse constituebatur de non exigua summa, de qua ratio ab ipso erat reddenda; quæ inverisimilitas augetur ex eo, quod Rotinius eam acceptilationem in odium Mercatellii, et in propriam utilitatem labefactare studuit, emissa die 12 Junii 1817 declaratione de mercibus a Mercatellio pecuniæ loco receptis. Accedit etiam ipsum, ut superius dictum fuit, pluries coram testibus fuisse professum sese pecuniam Micellio afferendam a Mercatellio recepisse. Quod autem Mercatellius illas acceptilationis Syngrapham apud acta exhibuerit non ante judicium contra ipsum a Bergando, Micellii procuratore, inchoatum, inciviliter ei objicitur, quia tum eam produxit, cum calumniosæ Micellii petitioni judicialiter resistere debuit. Nec serotina dici potest hæc productio, die 1 Augusti 1817 expleta, dum Micellii procurator Bergando præcedenti tantum mense Julii instantiam judicialem proposuerat pro jam penitus extincto Micellii credito.

Patet itaque indubium esse Mercatellium Rotinio sc. 337, et ob. 10 quæ Micellio debebat, solvisse. Nec minus evidens est hæc ipsum legitime Rotinio, in illius debiti extinctionem, numerasse. Præcepit quippe Micellius Mercatellio epistola diei 28 Decembris anni 1815 Brundusio Anconam missa, ut si Rotinius, quem Ancona abesse sciebat, huc rediret, ei pecuniam sibi debitam trade- 4

ret; sin vero, ante Rotinii reditum, Brundusium iturus esset Mathæus Barachius, Navarchi qualitate designatus, huic eam pecuniam sibi afferendam daret = *Il denaro, che avete di mio Conto, SE TORNA il Paron Mariano Rotini ce lo consegnerete al sopradetto; e al caso verrà qui* = Brundusium nempe = *prima* = scilicet antequam Rotinius Anconam reversus fuisset = *il Paron Matteo Baracchi ce lo consegnerete al medesimo* = Cum itaque incontroversum sit Rotinium Anconam rediisse, antequam ab ea Baracchius ille discederet, Micellii præcepto obtemperavit religiosissime Mercatellius, dum Rotinio pecuniam ipsi Micellio debitam solvit.

5 Nec audiendus est Micellius, sive ejus procurator Bergando, dum contendit mandatum Mercatellio fuisse, ut pecuniam traderet utri e Rotinio, et Baracchio, qui primus ab Anconæ portu discessisset, Brundusium petiturus; atque ideo male solutum fuisse Rotinio, qui vela solvit post Baracchium, Ortonam, non Brundusium petens. Primum enim longe a veritate abest superius recensitæ Micellii epistolæ, quæ mandatum continet, tenorem talem esse, ut quod suadere vellet Micellius significet; cum ex ea pateat reditum tantum Rotinii Anconam, antequam inde Baracchius discederet, fuisse conditionem præscriptæ solutioni illi a Mercatellio faciendæ appositam: dein Baracchius illo, quem Anconæ fuisse, dum Mercatellius Rotinio solvit, Micellius affirmat, nullius erat, uti in controversiam haud adducitur, cymbæ moderator, et Micellius Mathæum illum Baracchium, in prædicta ejus epistola nominatum, designaverat uti = *Parone* = alicujus nempe cymbæ moderatorem; quare, cum nullus in Anconæ portu extaret Baracchius, qui alicui præesset cymbæ, Rotinio per necesse pecuniam tradere debuit Mercatellius. Quod si ea etiam fuisset Micellii mens, qualem ipse proponit, et si Baracchio, quamvis hic nullius navis moderamen haberet, a Mercatellio sibi debitam pecuniam solvi posse intellexisset, attamen frustra de Mercatellii facto querelas moveret, quia sibi imputare deberet quod dubia, obscuraque oratione suum expresserit mandatum, in qualibet enim dubietate, præsertim cum inter mercatores agatur, omnis interpretatio sumenda est contra mandantem, qui sibi cavere poterat, suam apertius explicando voluntatem *ad Text. in cap. Contra de regulis juris in Sexto leg. Veteribus ff de pactis leg. stipulatio* § *in stipulationibus ff de verborum oblig. et per Card. de Luc. disc.* 6 *num.* 7. *Gratian. discept. Forens.* 2 *num.* 18. *Casareg. de Commerc. disc.* 38 *numer.* 7, *e Rot. in Rec. dec.* 154 *numer.* 45 *par.* 8, *et decis.* 773 *num.* 4 *cor. Riminald.*

Extranea praeterea est quælibet quæstio de voluntate Micellii, ejusque mandati intelligentia, quia non sat esset Micellio probare pecuniam a Mercatellio tradendam fuisse illi, Rotinium inter ac Baracchium, qui primus ab Anconae portu cum navi discendens Brundusium esset perventurus, sed insimul evincere deberet Mercatellium scivisse Barachium fuisse Anconæ post eam reversum Rotinium; scivisse eum inde discessurum ante Rotinium; scivisse demum eum Brundusium esse petiturum; secus enim semper tenendum erit hæc omnia Mercatellium ignorasse, quia scientia haud non probata, ignorantia præsumitur *ad Text. in Cap. Concertationi verb. sciverit de Appellat. in* 6 *Leg. de his ff de Transact. Rot. in Rec. Decis.* 95 *numer.* 2 *p.* 1 *et Dec.* 113 *numer.* 15 *coram Ansaldo*: præsertim vero, cum de re agatur, ex qua nomini, et substantiæ Mercatelli præjudicium oriri potest, quia vel doli, vel culpæ arguitur, et iterata debiti solutio ab eo petitur, quo in themate certis, ac ineluctabilibus documentis, ac probationibus esset illius scientia demonstranda per *Mansium Consult. Forcn.* 338 *num.* 37. *Ciriac. discept.* 36 *num,* 20. *Rocc. disp. jur. select. cap.* 130 *numer.* 10. *Rot. in nuper. dec.* 72 *num.* 16 *Tom.* 1 *dec.* 205 *num.* 4 *coram Bich. dec.* 500 *num.* 47, *et dec.* 917 *num.* 7 *coram Dunozett. Junior. dec.* 436 *num.* 33 *et Dec.* 532 *num.* 2 *cor. Molines dec.* 106 *num.* 14 *cor. Crescent. decis.* 32 *num.* 7 *cor. Tanar. dec.* 221 *num.* 6 *et seq. cor. Eodem, et dec.* 446 *n.* 25 *cor. Olivatio.* 6

7 Quæ scientia vero a Micellio in Mercatellio haud probatur, ab hoc excluditur, *quia* Baracchius Anconæ homo erat ignotus, uti deponunt Anconitani Mercatores, Proxenetæ, et Incolæ, affirmantes = *che per quanti interessi di commercio abbiamo fatti non solo con esteri negozianti ma ancora con Capitani, e Paroni, non abbiamo mai sentito nominare il Parone, o Capitano di Borca Matteo Baracchi* = *quia* in codicibus Portus Anconæ haud adnotatum videtur = *essere nel periodo di tempo dal* 1 *al* 31 *Decembre* 1815; *e* 1 *al* 31 *Gennaro* 1816 *entrato, o sortito alcun legno comandato dal Capitono Matteo Baracchi estero* = *quia*, neque uti simplex viator invenitur Baracchius descriptus in publicis Anconæ tabulis = *de forestieri entrati, e sortiti tanto per la via di mare, quanto per la via di terra dal giorno* 1 *Decembre* 1815 *a tutto Gennoro* 1816 = *quia* demum, ipso fatente Micellio, Baracchius ille, quem Mercatellio designaverat uti = *Parone* = Anconam venit tamquam viator = *nel legno del Capitano Niccola Puliti* = quare nec scire, nec etiam scire potuisse, dicendum est Mercatellium adventum Anconam, atque inde discessum exteri ignoti hominis, qui ab eo quærendus erat uti cymbæ alicujus moderator = *Parone* =, et venit, atque discessit, uti simplex viator.

8 Quin obstet Rotinium Ancona discedentem Ortonam, non Brundusium petiisse, ex quo induci possit Mercatellium, qui Barachium Anconæ invenire non potuit, contra tamen mandati leges prædicto Rotinio pecuniam Micellio debitam tradidisse. Etenim, siculi superius demonstratum fuit ut Mercatellius rite Rotinio solveret, sat erat hunc rediisse Anconam, antequam inde Baracchius ille discederet = *se torna il Parone Moriano Rotini ci lo consegnerete al sopradetto* =; eoque magis fuit satis, dum Baracchium Mercatellius non invenit, nec invenire poterat; et quoad Rotinium inquirere haud debebat quo versus iter esset facturus. Præterea ex epistola a Micellio ad Mercatellium scripta die 23 Maii 1816 patet Micellium jam cum Rotinio convenisse, ut ipse receptam pecuniam Ortonæ solveret = *molto mi duole che il Parone Mariano Rotini non abbia consegnata alcuna somma per mio Conto in Ortona a quella famiglia di questo Signor Salvatore Norvegna* = Non ita quidem Micellius scripsisset, si mandatum Mercatellio dedisset, ut Rotinio pecuniam traderet eo tantum in casu, quo hic eam ipsi Brundusium afferre posset.

Hisce omnibus superaccedit Micellium 9
certiorem a Mercatellio factum de pecunia ab hoc tradita Rotinio, Mercatellii factum haud improbasse, etiamsi Rotinius, a fide data desciscens, pecuniam ei haud attulisset, vel Ortonæ ad eum remittendam haud reliquisset; illi enim tantummodo scripsit die 16 Aprilis 1816 = *vengo impegnarvi sull' oggetto, in cui avete passato per mio conto al Parone Moriano Rotini Ducati* 337 10, *perciò io aspettavo il detto Rotini in breve tempo, ma non ostante non si è veduto più; onde lei si compiacerà ritirare la detta somma dal Rotini nel tempo più breve, che potrete, e consegnarla caso mai si trova costà al Parone Matteo Barocchi, o al Signor Michele Bergondo; su tale oggetto vi resterò grato* = et die 23 Maii ejusdem anni iterum et scripsit = *vi prego di prendere quelle misure, che saprà scegliere la vostra rettitudine onde io venga rimborsato del mio* =. Ita igitur cum scripserit Mercatellio Micellius, probavit pecuniæ solutionem ab illo Rotinio factam secundum Mandatum, et Rotinium, uti a se Procuratorem ad exigendum constitutum, suum illius pecuniæ debitorem evasisse agnovit; in re namque, præsertim mercatoria, mandans, qui de negocio a mandatario gesto, etiam præter, vel contra legem mandati, certior est factus, et de mandatario non quæritur, hujus factum ratum habuisse censetur *ad Text. in leg. si filius famil.* 18 *ff ad Senat. Cons. Macedon. Glossa in Cap. cum Olim.* 32 *de Offic. et Potest. Delegat. verb. Protinus et per Ansald. de Commerc. disc.* 62 *num.* 6 *Casareg. de Commerc. disc.* 176 *num.* 18 *Azzun. Giurispruden. Mercantil. tom.* 1 *Art. Commissione* § 12 *Rota Januen. de Mercatur. dec.* 14 *num.* 4 *Rota in rec. dec.* 202 *num.* 21 *part.* 12 *dec.* 35 *num.* 13 *coram Priolo, et in Æsina locationis* 15

Januarii 1802 § 14 *coram Eminentissimo Archiepiscopo Æsino Cesarei.*

10 Constat itaque loculentissime Mercatellium solvisse Rotinio summam Micellio debitam: constat legitime solvisse; constat ejus factum fuisse a Micellio probatum: ac certum etiam est Mercatellium ab omni erga Micellium obligatione solutum extitisse, post pecuniam Rotinio traditam, quamvis de hujusce traditionis tempore Rotinius cymbæ ipsius Mercatellii præesset; quia hic ei solvit, tamquam Micellii procuratori, non pecuniam afferendam, tamquam suo præposito, dedit, et ideo de ejus facto teneri non potuit. Improbanda igitur est omnino actio Micellii eo spectans, Mutercatellius ad iterandam sui debiti solutionem adigatur, cum præsertim quæstio sit de re inter Mercatores acta in qua definienda bona fides, reique sola veritas spectanda est, remotis subtilitatibus juris, et judicium de bono, et æquo est ferendum per *Text. in leg.* 5 *Cod. de Naufrag. Marquad. de Jure Mercaturæ lib.* 3 *Cap.* 7 *num.* 5 *Strac. de Mercatura part.* 4 *num.* 1 *Kurich. ad jus Marittim. tit.* 2 *art.* 3 *Loccen. de jure Marittim. lib.* 3 *Cap.* 4 *num.* 2 *Targa Ponderaz. Marittim. Cap.* 97 *et* 101 *Jorio Giurisprud. de Commerc. part.* 1 *lib.* 7 *del Proc. Mercant. tom.* 4 *pag.* 12 *Casareg. de Comm. disc.* 1 *num.* 5 *Rota in Recen. dec.* 137 *num.* 6 *part.* 16 *Dec.* 897 *num.* 9 *coram Merlin., et in Romana, seu Liburnen. Pecuniaria* 17 *Martii* 1806 § 5 *coram Resta; et in Romana, seu Januen. Salviani* 26 *Februarii* 1817 § 9 *cor. Rmo P. D. Serlupi Decano.*

Et ita etc. Utraque etc.

FERRARIEN

Lunae 6 *Martii* 1820.

ARGUMENTUM

Ratae commodi retentio non competit emphyteutae, si bonorum valor sit quam maxime auctus, vel si explicite, aut saltem implicite et virtualiter contrarium conventum fuerit. Qua in re perspici praecipue debet indoles, ac nature emphyteusis.

SUMMARIUM

1. *Ubi comperiatur injusta Res-judicata, succumbenti est succurrendum restitutionis in integrum beneficio.*

   Ad assequendam retentionem ratae commodi, perpendi debet indoles, ac natura emphyteusis - ibidem. -

2. *Si bonorum valor sit quam maxime auctus, et ratio canonum sit habita ad antiquum valorem bonorum, iniquum esset dominum directum participem fieri taxae praedialis.*

3. *Quolibet in dubio, retentio ratae commodi est reijcienda.*

   Taxae solutionis haud particeps fieri debet dominus directus, ubi conventum fuit quod - le prestazioni annue debbono farsi libere e franche da ogni tassa imposta, e da imporsi - ibidem. -

4. *Absurdum esset canonis quantitas directi domini damno imminuere, dum illum augeri deberet ab auctum valores capitis.*

5. *A quovis onere immunis esse debet canon. si conventum fuerit, quod praestari deberet - di uso netto senza aggravio. -*

   Retentia ratae commodi non competit, tam si expresse per pactum exclusa fuerit, quam si contrahentes adhibuerit - termini, ed espressioni equivalenti - ibidem. -

DECISIO II.

Quæ bona, ac jura Venerabilis Conventus PP. Excalceatorum Civitatis Ferrariæ possidebat in Territorio = *di Val d'Albero* =, sita, partim *in Villa Foci*, *Morti*, partim *in Villa Quachii*, ad usum, sive Empyteusim concessit Anno 1696 R. P. D. Marco Raspis, statuto annuo Canone scutorum *quatuor*, *et obolum* 33 ⅓ in singula centena scuta valoris dictorum jurium, ac bonorum, quæ communi placito scutis 15000 æstimata fuerunt. Cautum idcirco in Instrumento fuit, quod ea jura, bonaque = *ascendendo alla somma di detti scudi* 15000, *come sopra, detto Signor Raspis usuario pagherà DI USO NETTO SENZA AGGRAVIO a detti Padri Scudi* 650 *l'Anno quando però detto Capitale si trovasse essere o di maggiore, o di minor somma, debbasi allora in tal caso l'uso annuo sudetto accrescersi a proporzione del valore di esso Capitale.*

Novissimis temporibus ex publicarum, privatarumque rerum vicissitudinibus

venit, quod illorum jurium, ac bonorum directum dominium transierit in Jacobum Luzzato. Cum autem vectigalium solvendorum ratio in iis regionibus fuisset immutata, ac fuisset invecta taxa prædialis, quæ dicitur = DATIVA =, ille, qui imperii summam tam in Gallis, quam in maxima Italiæ parte usurpaverat, Decreto, Mediolani edito die 27 Aprilis 1811, Usuariis, sive Livellariis, ac Emphyteutis jus tribuit = *di fare la ritenzione di un quinto, per le contribuzioni dirette, nel pagare i frutti, o livelli* =: sed articulo *tertio* ejusdem Decreti constituit, cam *quintae partis* retentionem prædictis Usuariis, ac Emphyteutis haud competere = *quando siasi stipulato IN QUALUNQUE MODO, che il peso delle contribuzioni debba stare esclusivamente a carico del Livellario* =. Hujusmodi fretus decreto Cajetanus Raspis, qui nunc utilis prædictorum jurium, ac bonorum dominus est, quinti retentionem sibi debitam proponens, de ea judicialiter egit adversus Luzzato, dominum directum, et sibi secundas obtinuit Sententias, tam apud Tribunal Primæ Instantiæ Ferrariæ, quam apud illud Appellationis Bononiæ, quæ Sententiæ vim rejudicatæ nactæ fuerunt. Restitutionem in integrum a Signatura Justitiæ petiit Luzzato, et ei indulta fuit Caussæ remissio ad S. Ordinem cum Rescripto = *De Causis* = Proposui itaque in bodiernis Comitiis Dominis resolvendum Dubium, assueta formula, ad tramites illius Rescripti, conceptum = *An constet de re judicata, seu potius de causis restitutionis in integrum in casu etc.* = et, Raspio, forsan mali, quod fovet, iuris conscio, vadimonium deserente, ipsi mihi responsum dedere pro *Informante* Luzzato, nempe = *Negative ad primam partem: affirmative ad secundam.*

1 Comperta namque Rei judicatæ injustitia, beneficio restitutionis in integrum succumbenti esse omnino succurrendum jubet *Text. in Leg.* 4. §. *condemnandum ff. de rejudicata*, et statuit *Rota in Romana Primogenitura de Sabbatinis super restitutione in integrum* 25 *Junii* 1792 §. 2 *coram Soderino*: *in Senogallien. Census* 27 *Junii* 1803 §. 3. *coram R. P. D. Bussio, et in Romana Transactionis* 13 *Maii ejusdem Anni* 1803 §. 5 *coram Tassoni*. Perspicua vero, ac manifestissima est injustitia utriusque Sententiæ, illius nempe Tribunalis Primæ Instantiæ Ferrariæ, et alterius confirmatoriæ Tribunalis Appellationis Bononiæ quibus constitutum fuit = *Competere la ritenzione del quinto al Sig. Gaetano Raspis* = Etenim, si perpendatur indoles, ac natura actionis, quæ ab Emphyteuta, vel Livellario proponitur ad assequendam retentionem ratæ commodi, et reiiciendam in dominum directum partem taxæ prædialis, sivæ = *Dativa* =, facile dignoscitur quantum hæc actio, cum præsertim agatur de canonibus, seu livellis, antiquis temporibus conventis, acerbitatis habeat.

Quippe post longum temporis cursum 2
ab epoca concessionis bonorum, horum valor quam maxime auctus, et prætium fructuum, qui ex his recolliguntur, magnopere elatum summa cum Empyteutarum utilitate videtur: contra vero pecuniarii canones antiquitus conventi, ratione babita ad antiquum valorem bonorum, et prætium fructum, semper in eadem quantitate permanent; ita et cum abnormi directorum dominorum damno longo minori respondeant fructum bonorum quantitati, ac respondebant, cum bona in empyteusis fuere concessa. Durum hinc directorum dominorum damnum augere, canones, eis debitos in certa, ac constanti pecuniæ summa, imminuendo per vectigalis nuper invecti partem eis impositam, dum æquum est ut hujus onus in totum ferant emphyteutæ, ac Livellarii, qui commodum sentiunt augumenti valoris bonorum, ac prætii frugum. Præterea taxa prædialis non novum omnino vectigal est illis jam existentibus superaccedens; sed potius nova ratio tributorum solvendorum constituta, ita ut hæc taxa diversis tributorum speciebus, pro maxima parte abrogatis, suffecta videatur. Quapropter cum fere omnes Emphyteutæ onus tributorum, saltem de tempore concessionis bonorum existentium, in sé suscepisse videantur, et cum pleraque ea tributa prædialis taxa nunc repræsen-

tet, iniquum est, ipsos, contra susceptam obligationem, solutionis illorum tributorum dominos directos participes quodammodo fieri contendere.

3 Hæc itaque præ oculis habentes, post prædialis taxæ solutionem præscriptam Legum latores, constituerunt ratæ commodi retentionem Empyteusis quolibet in dubio non esse indulgendam, et ad eorum postulationes eliminandas sat esse eos quocumque modo, vel *explicite* nempe, vel *implicite, ac virtualiter*, sese quorumcumque publicorum onerum, vel impositorum, vel imponendorum solutioni subjecisse. Ita Sanctissimus, ac Sapientissimus Pontifex, postquam in Capite 25 Edictalis Legis Anni 1808 *sul sistema Daziale* onus Dativæ realis, ex fundis Emphyteuticis pendendum, dividi jusserat directum inter, et utilem Dominum *pro rata commodi*, pluries declaravit, et præsertim die 21 *Junii* 1805, directos Dominos illius taxæ solutionis participes fieri haud debere = *in tutti i casi, nei quali siasi convenuto, che i Canoni, ed altre simili prestazioni annue debbono farsi libere e franche da ogni tassa imposta, e da imporsi, O CON ALTRI TERMINI, ED ESPRESSIONI EQUIVALENTI* =. Ita, qui Gallicum Imperium, et Italicum tenuit Regnum, Sacratissimi Pontificis, cujus Ditionem usurpaverat, hac in re vestigia sequens, dum decreto diei 27 Aprilis 1811. Livellariis, ac Emphyteutis indulsit = *la ritenzione del quinto* = eam aperte exclusit = *quanto siasi stipulato IN QUALUNQUE MODO, che il peso delle contribuzioni debba stare esclusivamente a carico del Livellario* =. Tribunalia vero, ac præsertim Sacer Noster Ordo utilium Dominorum instantias super retentione *ratae commodi* constantissime rejecerunt, quoties promissioni solutionis Canonum, vel Livellorum quæcumque adjecta fuissent verba, ex quibus quomodocumque argui posset onus omnium vectigalium, ullo absque discrimine inter imposita, vel imponenda, ipsos in se suscepisse. Testes in hac re sunt S. Rotæ Decisiones *in Sutrina Pecuniaria* 3 *Martii, et* 20 *Junii* 1806 *coram R. P. D. Bussi*: in *Romana Pecuniaria* 29 *Martii, et* 2 *Decembris* 1806 *coram Eodem*: in *Fanen. solutionis Canonum* 13 *Junii* 1818 *coram R. P. D. Isoard. et* in *Ferrarien. Reintegrationis super Credito* 22 *Junii ejusdem anni* 1818 *coram Odescalchi*, quibus adhærent plura etiam S. Ordinis Responsa hoc anno 1820 edita, præsertim *in Ferrarien. Canonum super rata Commodi die* 17 *Aprilis* 1820 *coram R. P. D. Meo Spada*

Duo vero momentosissima habet contractus concessionis jurium, bonorumque *di Val d'Albero* in Villis *Foci morti, et Qaachii*, quæ anno 1696 RR. PP. Excalceati Ferrariæ ad usum perpetuum dedere R. D. Marco Raspis, ex quibus manifestum fit illorum jurium, ac honorum hodiernum utilem Dominum Cajetanum Raspis injuria adversus Luzzato, dominum directum, postulare ut sibi jus retinendi commodi ratam tribuatur. *Primum*: canonem conventum fuisse ad rationem scutorum *quatuor*, et obul. 33 ½ in singula centena scuta valoris jurium, bonorumque concessorum, qui constitutus fuit in summa scutorum *quindecim millium*, ita ut hic canon promissus fuerit in annua quantitate scutorum 600 pactum vero fuisse adjectum = *quando però detto Capitale si trovasse essere o di maggiore, o di minor somma, debbasi allora in tal caso l'annuo uso accrescersi, o decrescersi a proporzione del valore di esso Capitale* =. Ex cujus conventionis tenore colligitur quod si partes voluerunt annuum Canonem ab utili domino rependendum valori capiti usque ab initio respondere debuisse, ad rationem *scutorum quatuor cum tertiario* in singula centena scutorum ejusdem capitis, conventioni quam maxime repugnans esset illius canonis imminutio, per tributam emphyteutæ ratæ commodi retentionem; cum præsertim, ob auctum rerum omnium abnormiter prætium a remota illa epocha anni 1696, bona tunc scutis *quindecim millibus* æstimata, ad duplum fere hujusce valoris nunc jam fuisse evecta tenendum sit; ex quo consequitur quam maximum fore absurdum, si canonis quantitas directi domini damno imminueretur, indulta emphyteutæ ratæ com- 4

modi retentione; dum potius justum esset illum augeri ad rationem aucti valoris capitis.

5 Præbet deinde *alterum* excludendæ retentionis ratæ commodi firmissimum fundamentum pacta in superius recensito concessionis contractu solutio, quotannis per usuarium dominis directis explenda, scutorum 650 DI USO NETTO SENZA AGGRAVIO. Etenim, si hic rependendus canon integer semper, et a quovis onere immunis esse, ex conventione, debuit, non implicite tantum, et virtualiter, sed explicite, conceptisque verbis contrahentes pepigisse dicendum est, quod annua illa præstatio repræsentanda esset = *libera, e franca da ogni tassa imposto, e do imporsi* =, et quod = *il peso delle contribuzioni dovesse stare esclusivamente a corico del Livellario* =, cum namquam fieri possit, quod Canon maneat *netto, e senzo oggravio*, nisi sit = *libero, e franco* do *ogni tosso imposto*, *e da imporsi* =, et nisi = *il peso delle contribuzioni stia a carico del Livellario* =. Quare ex præscripto legum nulla debetur Raspio, utili domino, ratæ commodi sive quinti retentio, in perniciem Luzzato, domini directi, quia hæ leges statuerunt hanc esse retentionem excludendam, si de Canonis immunitate a quovis imposito, vel imponendo vectigali, et de horum onere ab emphyteutis suscepto cautum sit = *con termini, ed espressioni equivolenti* = et = *in quolunque modo* =, et quia hujusmodi pactionem manifestissime præsefert promissio canonis, nunc Luzzato a Raspio debiti = *netto senzo aggrovio* =.

Et ita etc. Altera etc.

FERRARIEN EMPHYTEUSIS

Lunae 19 *Junii* 1820.

ARGUMENTUM

Ubi emphyteusia fuit concessa - ad tertiam generationem - primus gradus haud incipit ab Acquirente, sed a primo generato, quod obtinet etiam in emphyteusi ecclesiastica. Ac in concessione emphyteusis normam praebet praecipuam, Beneplacitum Apostolicum.

SUMMARIUM

1. *Actio pro solutione canonum natura sua expedita est, ac exequutiva.*

   Instrumenta publica everti nequeunt ope simplicis exceptionis, sed de nullitate est agendum in distincto ordinario judicio. - ibidem. -
2. *Res-judicata est semper observanda, donec in judicio restitutionis in integrum non est revocata.*

   Ad agnoscendum cui obstat res-judicata, inspici debet contra quem, et quid in sententia definitum fuerit - ibidem. -
3. *Ubi emphyteusis concessa fuit - ad tertiam generationem tantum - computatio haud incipi debet a primo acquirente*
4. *Etiam in emphyteusi ecclesiastica, ubi diserti, verbis cautum fuit - da principiarsi la prima generazione dai figli del primo investito - generatio initium a filiis primi acquirentis sumit.*
5. *Non Aedicta, sed Beneplacitum Apostolicum in concessione emphyteusis normam praebere debet.*

   Iniquum esset primam generationem in homine jam sene, et aetate confecto, constituere - ibidem. -
6. *Nefas est contra Instrumentum insurgere per saecularem temporis cursum observatum.*
7. *Qui se ea persolvere declaravit ad tramites Instrumenti, eo ipso agnovit illum, ac ratum habuit.*

DECISIO III.

Inculta, paludosa, sterpibusque referta praediola quaedam in Territorio Fori Alieni jacentia, et nuncupata = *Vegro* = ac *Volle Doinese* = cum possideret Venerabile Sodalitium Divi Sebastiani illius Civitatis, et vix annuum ex iis perciperet reditum, *trium*, *quatuor*, vel ad summum *sex* scutorum *cum dimidio*, satius duxit ea ad usum, sive emphyteusim concedere. Quare proclamata publicavit ad alliciendos oblatores, qui illa vellent acquirere, eo nomine, ad tertiam generationem, *compreso il primo investito*. Melior repertus fuit oblator Maurelius Dalla Pellegrina, qui annua declaravit sese scuta *viginti quinque* esse pro Canone repensurum, non vero secundum condi-

tiones in propositis Edictis explicitas, sed = *con li patti, e modi da concordarsi* = Placuit hæc oblatio Sodalibus, qui solliciti = *di non lasciarsi fuggire l' occasione* =, post eam oblationem per privatam apocham accepto habitam, Sacræ Congregationi Episcoporum, et Regularium preces porrexerunt, pro obtinendo Beneplacito Apostolico, et S. Congregatio, videns negocium Sodalitio esse perutile, Episcopo Ferrariensi commisit ut rem expediret, quatenus de utilitate, quoad Sodalitium, et de prævia Edictorum affixione constaret, concedendo prædicto oblatori bonorum usum seu Emphyteusim *ad tertiam generationem tantum.*

Hinc die 7 Decembris 1705, Episcopo Ferrariensi auctorante, inter Sodalitium, et Maurelium deventum fuit ad stipulationem publici Instrumenti, per acta Tabellionis Pisani, quo bonorum usus Maurelio concessus fuit usque ad tertiam generationem = *da principiarsi la prima generazione dai figli del sudetto Sig. Dottore Maurelio Dalla Pellegrina, e perciò comprensivamente alli pronipoti del medesimo* = Cautum etiam fuit in eo Instrumento, quia bona, quæ in Emphyteusim dabantur, erant prorsus inculta, atque infæcunda, quod, expleto tempore, Emphyteusis progressui statuto, si nollet sodalitium contractum renovare erga descendentes ultimi investiti, sed bona recipere mallet, obstrictum esset = *rifare agli eredi dell' ultimo investito tutte le spese fatte per il detto uso nei miglioramenti di detti beni* = Hæc itaque Emphyteusis in Maurelli filiis, Nicolao, Sigismundo, Carolo, ac Petro, fere omnibus jam integræ ætatis, incæpit.

Prole destituti Sigismundus, Carolus, ac Petrus, Emphyteuticorum bonorum portiones, ad se spectantes, Sodalitio deinceps retrocessere. Non ita Nicolaus, cui Maurelius junior filius erat. At hic Nicolao Patre defuncto, Brephotrophio Ferrariæ, quod in jura Sodalitii Divi Sebastiani successerat, quartam illorum bonorum partem, quam possidebat, reddere haud recusavit; hinc eum inter ac Brephotrophii Rectores die 13 Septembris anni 1783 retrocessionis Instrumentum hujusce quadrantis bonorum fuit exaratum, eoque fuit conventum, Maurelio, ad melioramentorum valorem pensandum, dando esse = *zecchini romani cento sei* = nti reapse fuerunt dati, ac præterea promissa fuerunt ipsi Maurelio = *e a chi secondo fosse stato di ragione, se fosse continuata detta investitura* = annua scuta *quinquaginta*, quorum solutio prosequi deberet = *di anno in anno avuto riflesso al Chirografo Pontificio, ED ALL'ISTRUMENTO DI USO DI DETTA VALLE DAINESE, ROGATO DAL FU SIGNOR GIOVANNI PISANI NOTARO FERRARESE, AL QUALE ec.*, relatione nempe habita ad superius recensitum Instrumentum anni 1705, quo fuit statutum Emphyteusim progressuram fore usque *ad tertiam generationem* Maurelii Senioris, initio sumpto ab ejus *filiis*, et fine constituto in ejus *pronepotibus.*

Ad annum usque 1797, scuta annua *quinquaginta* Maurelio Juniori Brephotrophium solvit. Dein, eo defuncto, relicta filia, unica superstite ac hærede, Jucunda Dalla Pellegrina in Domo Raspia nupta, quæ Maurelii Senioris proneptis est, renuit primum Brephotrophium eam annuam præstationem huic rependere, causans Maurelii mortem Emphyteusis exitum adduxisse, ac Jucundam in investitura non esse compræhensam, sub prætextu quod trium generationum computum a Maurelio Seniore decendum esset, et quod idcirco ad prædictam Jucundam illius proneptem investitura extendi non potuisset. Sed duplex Sententia, altera in primo gradu Jurisdictionis, altera in gradu appellationis a Tribunalibus Ferrariæ annis 1797. et 1798 prolata, e quibus resjudicata ortum habuit, ejus conatus repulit, et præstationem Jucunda exegit ad annum usque 1816. Hoc anno Brephotrophium a solutione destitit, probante Sententia Vicarii Generalis Fori Alieni, quam Sententiam dein die 24

Aprilis 1818. Sacer Ordo confirmavit. Dubio a R. P. D. Odescalchi, nunc promeritis Sanctissimi Auditore, proposito = *An, et in qua summa constét de credito, ita ut sit relaxandum Mandatum in casu etc.* = respondens = *Negative in omnibus* = At, certamine instaurato die 5 Maii 1819, anceps hæsit Patrum Judicium; postea vero, *sex* suffragantibus Dominis ab eodem R. P. D. Odescalchi rogatis, die 21 Januarii hujusce anni 1820 an in Decisis persistendum esset, seu potius ab iis recedendum, præcedens Decisio fuit revocata. Hoc autem mane, cum ego, prædicto R. P. D. Odescalchi suffectus, quæsiverim = *An sit standum in primo, vel potius in secundo loco Decisis in casu etc.* = responsum audivi = *In secundo loco Decisis* =.

1 Et jure quidem optimo. Jucundæ etenim actio ad exigendam a Brephotrophio annuam præstationem scutorum *quinquaginta*, quousque vivat, probanda est, tam si *extrinseca*, quam si *intrinseca* Caussæ conditio spectetur. *Extrinsecus* enim stat pro Jucunda, dum prædictam postulat præstationem, *exequutiva* ipsius actionis indoles, quia hæc duplici innititur Instrumento: illi nempe anni 1783, quo annua illa prestatio promissa fuit Maurelio Juniori = *ed a chi secondo fosse stato di ragione, se fosse continuata detta investitura, avuto riflesso all' Istromento di uso rogato dal fu Giovanni Pisani, al quale ec.* = et huic Instrumento, confecto per Acta Notarii Pisani anno 1705, quo, intercedente auctoritate Episcopi Ferrariensis, usus, sive Emphyteusis concessa fuit ad tertiam generationem Maurelii Senioris = *da principiarsi la prima generazione dai figli del suddetto Signor Dottore Maurelio, e perciò comprensivamente ai pronipoti del medesimo* = qua in concessione compræhensa procul dubio renuncianda est Jucunda, Maurelii Senioris = *pronepote* = ita ut in ea vigeat adhuc = *l'investitura* = et cum investitura jus exigendi annua scuta *quinquaginta* a Brephotrophio solvenda = *finchè durerà l'investitura a norma dell' Istromento Pisani* = Quare, si *exequutive* agit Jucunda, si bina eam tuentur Instrumenta, quæ paratam habent exequutionem, nil in hoc judicio prodesse valent Brephotrophio exceptiones adversus hæc instrumenta propositæ, et Jucundæ actio semper suum sortiri debet effectum, donec ea Instrumenta, quæ obiter, indirecte, ac incidenter, ope simplicis exceptionis everti nequeunt, nulla declarentur in particulari, ac penitus distincto *ordinario* judicio, ut optime statuit *posterior Decisio in* §. 2 et 4.

Duplicis Instrumenti vis augetur e- 2
tiam auctoritate Reijudicatæ, ortæ ex Sententiæ Judicis Fori Alieni diei 29. Julii 1797, et ex Sententia Tribunalis Civilis ejusdem Civitatis diei 13 Martii 1798, qua Brephotrophium, renuens prosequutionem annuæ præstationis erga Jucundam, post Maurelii Junioris mortem, ad eam exsolvendam fuit damnatum, allata ita judicandi causa, videlicet = *l' obbligo assunto dal Luogo Pio deve durare fino a tanto che dura l' investitura: l' investitura fu concessa fino alla terza generazione di Maurelio, da incominciarsi la prima generazione dai figli del medesimo: l' Attrice ai termini dell' investitura, è in essa compresa: il Luogo Pio, se pretende nulla l'espressione, da incominciarsi la prima generazione dai figli di Maurelio, può proporre la sua azione avanti il Tribunale competente, ma fino a tanto che l'Istromento di uso non è annullato, deve la convenuta corrisposta, nascendo l'azione da un pubblico, e giurato Istromento, che ai termini di ragione ha l'esecuzione* = Hæc vero Resjudicata religiose fuit per Brephotrophium observata; per ipsum namque, ulla absque contradictione, ad annum usque 1816 annua præstatio Jucundæ fuit repensa; quare ea in posterum etiam est observanda, donec in judicio *restitutionis in integrum* sit revocata, ut firmat ultima *Decisio* §. 3. Quin obiici possit eam Remjudicatam ortam fuisse in judicio possessorio, non vero in judicio petitorio exequutivo, primum etenim recensita Sententiæ verba ad petito-

rum exequutivum judicium pertinent: dein quidquid sit de judicii natura, sat est definitum fuisse ea Sententia, a Brephotrophio solvendam esse = *la convenuta risposta fino a tanto che l'Istromento di uso non è annullato* = ex quo et instrumentis, et Rejudicata semper obstrictum manebit Brephotrophium, ni nullitatem Instrumentorum declarari obtineat in congruo judicio, ni restitutionem in integrum a rejudicata assequatur; quorum utrumque nedum haud est consequutum, sed etiam nec postulavit.

3 Verum, si ad *intrinsecam* reiconditionem oculi convertuntur, et si Instrumentum anni 1705, quo investitura extensa fuit ad Maurelii Senioris pronepotes, sive ad tertiam ipsius generationem, initio sumpto ab ipsius filiis examini subiciatur, patet apertissime hoc Instrumentum culpari non posse; nec esse de ejus vi, ac auctoritate dubitandum, cum futilia prorsus sint, quæ adversus illud proponuntur objecta. Dicitur siquidem primum; prædictum Instrumentum adversari Beneplacito Apostolico, sive Rescripto S. Congregationis Episcoporum, ac Regularium, et Decreto Exequutoriali Episcopi Ferrariensis, quia hisce constitutum fuit usum seu Emphyteusim ineundam esse cum Maurelio Seniore = *ad tertiam generationem tantum* = contra vero eo Instrumento fuit inita ad quartam generationem, compræhenso nempe in investitura ipso Maurelio, ejus filiis, ejus Nepotibus, ac demum ejus pronepotibus, ex quo nullius momenti quoad Maurelii pronepotes, et ideo quoad Jucundam, sit illud Instrumentum renunciandum. Inani vero labore hoc suadere conatur Brephotrophium. Nam generalia verba = *ad tertiam generationem tantum* = haud explicant a quo generationum computatio initium sumere deberet, nec præseferre valent ut ea computatio incipienda esset a prædicto Maurelio, immo contrarium ex eorum proprietate depræhenditur, quia cum nemo generat se ipsum, concludendum est Maurelium primum Acquirentem in generationum numero compræhendi nunquam debuisse, et trium generationum computum fuisse incipiendum ab ipsius filiis, quos ipse generavit, ita ut ad ipsius pronepotes progrederetur: ad tradita *per Fulgineum de jure Emphyteutico quæst.* 2 *num.* 3. *Mantic. de Tacitis, et ambig. lib.* 22. *Tit.* 25 *num.* 4, et ad firmata per *Dec.* quæ confirmatur §. 5.

Quo posito, nil prodest Brephotrophio 4
Doctorum sententias, et Tribunalium aucturitatem proferire ut demonstret, Emphyteusim Ecclesiasticam, ad tertiam generationem indultam, a primo investito incipere, et in ejus Nepotibus desinere debere. Hoc enim Juris dogma casui accomodatur, in quo emphyteusis pure ac simpliciter concessa fuerit ad tertiam generationem, ita ut locus sit interpretationi voluntatis concedentis: extraneum vero est a themate, in quo sodalitium Divi Sebastiani Emphyteusim Maurelio Seniori Dalla Pellegrina concessit disertis explicitisque verbis ad tertiam generationem, = *da principiarsi la prima generatione dai figli del suddetto Maurelio, e comprensiramente ai pronipoti del medesimo da terminarsi* =, qua in concessione Sodalitium non fuit prætergressum fines facultatum quoad eam concessionem statutos, uti superius fuit demonstratum; nec quidquam egit quod repugnans esset naturæ ac substantiæ Emphyteusis Ecclesiasticæ, a qua alienum non est generationum initium a filiis primi acquirentis per Rutam in *Verulana Immissionis* 4 *Julii* 1763 §. 3 *coram Riminaldo*, et statuit posterior *Decisio* §. 5.

Spernendum pariter est aliud obje- 5
ctum a Brephotrophio, ad infirmandum sæpius recensitum Instrumentum anni 1705, propositum, nempe quod contrahentes recesserunt a Conditionibus in Ædictis explicitis, dum Emphyteusim in iis Ædictis cohibitam = *ad tertiam generationem compreso l' investito*- ipsi extenderunt ad quatuor generationes, compræhenso Maurelio oblatore. Plura sunt, quæ hoc refellunt objectum. Primum quippe, non ea Ædicta, sed Beneplacitum Apostolicum con-

cessioni Emphyteusis normam præbere debuit; in hoc vero Beneplacito, sive Rescripto Sacræ Congregationis Episcoporum, ac Regularium præscriptum fuit, ut Emphyteusis iniretur cum Maurelio = *ad tertiam generationem* = non vero fuit mandatum; ut in computatione generationum includeretur Maurelius; ab iis itaque Edictis recessisse S. Congregationem dicendum esset, etiamsi consisteret in facto ea Edicta S. Congregationi nota fuisse; eo itaque magis id concludatur oportet, cum ex illius Beneplaciti, sive Rescripti tenore pateat illorum Edictorum affixionem ignotam fuisse S. Congregationi, quia ipsa facultates petitas a Sodalitio tribuit Episcopo Ferrariensi = *quatenus fuerint affixa Ædicta* = quæ verba demonstrant ignorantiam in S. Congregatione Edictorum, ejusque voluntatem ut ea publicarentur ad consulendum utilitati Sodalitii. Præterea ab iis Ædictis pernecesse recedendum fuit, quia Maurelius obtulit pro Emphyteusi scuta 25, Canonis nomine, non ad tramites Ædictorum, sed = *con li patti, e modi da concordarsi* = et iniquum prorsus fuisset, si prima generatio in in ipso Maurelio jam sene, et cui firmæ ætatis filii erant, fuisset constituta; nam binæ tantum, non tres generationes reapse concessorum bonorum fructus percæpissent, Maurelii enim vita ad terminum properabat, et Sodalitium usque ab initio investituræ scuta annua obtinuisset *viginti quinque* pro bonis, quorum redditus vix ad *quatuor*, et ad summum *sex* scuta adscendebant, et in quibus meliorandis non exiqua pecuniæ vis ab Emphyteutis erat impendenda, et otiosa diu relinquenda, scilicet donec meliorationes in iis bonis expletæ fructus gignerent, uti animadvertit posterior Decisio §. 6 *et* 7.

6 Non itaque argui potest Instrumentum prædictum anni 1705, *vel* quod adversetur Beneplacito Apostolico, sive Rescripto S. Congregationis Episcoporum, et Regularium, ac Decreto Exequutoriali Episcopi Ferrariæ, *vel* quod exaratum fuerit, postbabitis conditionibus expressis in Ædictis, quæ ad Oblatores alliciendos fuerant promulgata. Eo autem magis contra illud insurgere Brephotrophio nefas est, postquam per sæcularem temporis cursum fuit observatum, primum a Sodalitio, quod Emphyteusim concessit, dein ab ipso Brephotrophio, quod in Sodalitii jura successit, et postquam fuit anno 1783 a Brephotrophio confirmatum. Notissimæ profecto erant Sodalibus illius Instrumenti conditiones, quoad generationum computationem, et Canonem ipsi quotannis exegerunt, ulla absque reclamatione ac querela adversus has conditiones, et Instrumenti confectionem contra præscriptas Leges; eas itaque conditiones quotannis adprobarunt, quas procul dubio improbassent, ad vertendum damnum, quod in posterum Sodalitio obvenire poterat ex ampliatis investituræ finibus, si eis persuasum haud fuisset Instrumentum rite fuisse exaratum, et illas conditiones omnino fuisse servandas.

Maximum vero agnitionis, et observantiæ monumentum stat in Instrumento anni 1783, quo Brephotrophium, Sodalitio suffectum, ad tramites vetusti illius Instrumenti anni 1705, sese persolvere declaravit Maurelio Juniori, Emphyteusis quartam partem, ad ipsum spectantem, cedenti = *zecchini romani centosei* = ad pensandam quartam partem meliorationum, quas Emphyteutæ Dalla Pellegrina in Emphyteuticis bonis perfecerant, et annua *scuta quinquaginta* sese soluturum spopondit Maurelio, ac eis, quibus de jure ea deberetur præstatio, donec prosequeretur Investitura juxta illud Instrumentum anni 1705. Quæ tam diuturna, tam constans, et tam manifesta observantia quodlibet removere valet dubium, uti statuit superius citata Decisio in *Verulana Immissionis* 4 *Julii* 1763 §. 8 *cor. Riminaldo*. Patet itaque ex hisce omnibus bono juri undique innixam esse Jucundæ actionem ad annuam scutorum *quinquaginta* præstationem, quousque vita fruatur, a Brephotrophio assequendam, et merito album calcu- 7

lum adjectum fuisse postremæ R. P. D. Odescalchi Decisioni, quæ priore revocata, eam probavit actionem.

Et ita, *sex* suffragantibus Dominis, definitum fuit, Utraque parte sua deducente jura etc.

FERRARIEN PECUNIARIA

Lunae 3 *Julii* 1820.

ARGUMENTUM

Bona Mariti, quamvis ab ejus patrimonio fuerint avulsa, et dotis nomine uxori constituta, possunt tamen a creditoribus impeti, si Sententia quae separationem jussit, non servavit ea, quae Codicis Praxeos servari imperat. Quae inter, praecipua sunt, quod vadentur omnes legitimi creditores, ac quod Sententia exequutioni committetur intra quindecim dies a quo prolata fuit.

SUMMARIUM

1. *Bona Mariti quamvis ab ejus patrimonio avulsa atque uxori dotis nomine adjudicata, non semper tamen ob illius debita a mandati exequutione immunia evadunt.*
2. *Viro ad inopiam vergente, uxori jus est super ipsius bonis assecurationem dotis petere, ac haec retinendi loco pignoris.*

   Uxor, ex antiqua juris censura, assecurationem petere non poterat, nisi vadatis omnibus legitimis creditoribus - ibidem. -
3. *Nulla est bonorum separationis postulatio, nisi ad unguem omnia servata sint quae codicis praxeos praescribit.*
4. *In praetio haberi non potest quidquid narratur in Sententia, quae contumacialis fuit.*
5. *Sententia quae imperat bonorum separationem exequutioni debet committi, sub poena nullitatis, intra quindicesimum diem, a quo prolata fuit.*
6. *Praecipuus legis finis quod Sententia separationis exequi deberet intra quindecim dies, fuit ad intercipiendas fraudes, quas conjuges struere possunt ad decipiendos creditores.*
7. *Quidquid actum fuit in vim actus nulli, nullum sortiri haud valuit effectum.*

   Nihil obstat quod causae meritum conscendat ad Tribunal Appellationis, etiam ubi Signatura denegavit circumscriptionem - ibid. -
8. *Injusta est illa separatio bonorum, quum peritus unus tantum bona aestimaverit, nec juramentum praestitit ad tramites Codicis Praxeos.*
9. *Creditum etiamsi dotale, ad effectum ut gaudeat privilegio anterioritatis, debet inscribi in tabulis hypothecariis.*

   Nullum parit effectum transcriptio, si nullus fuit actus, in cujus vim fuit expleta - ibidem. -

DECISIO IV.

E pretio pannorum, linearum telarum, aliarumque id genus mercium, ad vestium ornatumque accomodatarum, quas Michaeli Bernio Canario vendiderat honestissimus Ferrariæ negociator, Anselmus Nagliatus, illius creditor, ad diem usque 28 Julii 1813 evaserat pro summa *bismillium* argenteorum, quæ dicunt *Talleri scutis mille nongentis* monetæ romanæ respondentium. Huic præsenti pecunia dissolvendo debito cum impar esset Bernius, facile a benigno creditore inducias obtinuit. Sic itaque, prædicta die 28 Julii 1813, res eos inter, per apocham privatam, publici tabellionis fide accedente signatam, composita fuit, ut intra quinquennii spatium Bernius Nagliato ea *bismillia* argentea repræsentaret, eorum *quadringenta* solvendo singulis annis, die 15 Augusti, ita ut prima solutio explenda esset anno 1814, postrema anno 1818, semissi usura, usque ad debiti absolutam extinctionem constituta, et ad creditoris securitatem duobus prædiis = *la Superba* = et = *la Marighella* = a debitore subjectis hipothecæ speciali, quam Nagliatus, die 12 Augusti ejusdem anni 1813, in hipothecarios Ferrariæ Codices referri curavit.

Verum hæc, quæ solemniter promisit, nedum implere prorsus neglexit Bernius, cum ipse, nec annales capitis ratas portiones, nec usuras conventas solveret, sed etiam sese omnibus bonis, iis haud exceptis erga Nagliatum hypothecæ subjectis, tacitus expoliari sivit ab uxore Antonia Sicuro. Hæc etenim, innixa dotali Instrumento diei 20 Julii 1804, et virum ad inopiam vergere causans, judicium adversus ipsum instituit, anno 1815, pro separatione bonorum, et ipso contumace, atque insi-

mul pessumdatis illius ævi Legibus ad hujusmodi judicia spectantibus, die 6 Maii illius anni 1815 a Ferrariensi Justitiæ Aula obtinuit tot a viri bonis secerni, ac sibi tribui, quot, juxta trium peritorum æstimationem sat essent ad conficiendam summam scutorum 7944 57. 8 pro ejus dote, et caput par reddendis annuis scutis 96 pro spillatico, una cum fructibus; et post unius tantum periti haud legitime expletam relationem hæc Sententia quæ secundum prædictas leges exequutioni danda fuisset intra quindecim dierum spatium a die, quo fuit emissa, suum sortita fuit effectum anno 1816 Pontificio Imperio, una cum antiquis legibus, in iis Regionibus, jam restituto, per bonorum adjudicationem Antoniæ indultam, Bernio silente, nulloque ex hujus creditoribus Vadato, a Ferrariensi Civili Tribunali die 3 Februarii illius anni 1816; et per stipulationem Instrumenti dationis in solutum omnium bonorum Bernii pro summa scutorum 9874. 85, ex officio ab illius Tribunalis Præside die 25 Aprilis ejusdem anni 1816. Erga predictam Antoniam perfectam, declaratione etiam adjecta, quod Creditrix ipsa adhuc remanebat scutorum 125. 62 et 6, nec non usurarum, atque expensarum, pro quibus ipsi jura servata fuerunt. Hæc autem bonorum translatio, eodem anno 1816 die 11 Julii in Censuales Codices fuit relata.

Horum interim omnium ignarus Nagliatus, cum Bernius in implendis solutionibus, conventis Instrumento anni 1813 defecisset, ad summam usque argenteorum 1440, petiit, Mense Novembris prædicti anni 1816, coram Ferrariensi Tribunali, penes Colonos bonorum sui debitoris sequestre fieri quidquid huic præstandum ab iis esset, ut exinde ipse sibi debitam pecuniam assequeretur, sed inopinato eos renuentes audivit, ob præceptum eis factum agnoscendi uti Dominam prædictorum bonorum Bernii uxorem; Novit deinceps quæ acta fuerant in superius relato judicio separationis bonorum; atque illico vidit spretas omnino fuisse Leges, ad quarum tramites in hoc judicio erat procedendum, et ideo nullam fuisse bonorum illam separationem, et adjudicationem. Quare die 30 Augusti 1817, cum jam cessisset dies solutionis alterius portionis Capitis, et usurarum alterius anni, apud idem Tribunal instituit, postulans, pro summa argenteorum 1960 mandatum contra bona Debitoris Bernii = *ovunque esistenti, onde subastarli, quantunque giudizialmente separati a favore della Moglie del Debitore*=.

Vadimonium Bernius deseruit; sed Nagliati instantiæ sese opposuit Bernii uxor, bonorum adjudicationem erga se se expletam defendens, et suis votis secundos invenit illius Tribunalis Judices, qui, Sententia lata die 1 Decembris anni 1818 mandatum quidem exequutivum Nagliato contra Bernium tribuerunt, sed insimul bonorum separationem erga ejus uxorem rite perfectam dixerunt, et bona huic adjudicata ab eo mandato immunia declararunt. Tum Nagliatus, qui nihil assequi poterat a Bernio, cujus omnia bona in ejus uxorem fuerant translata, ad Signaturæ Tribunal hujusce Sententiæ circumscriptionem, sin minus appellationem petiit et cum nullo ex tribus notoriis nullitatis vitiis, citationis, nempe, jurisdictionis, et mandati ea Sententia infecta dignosceretur, rescriptum tantum obtinuit = *Nihil de Circumscriptione in reliquis de Appellatione* = Commissa itaque S. Nostro Ordini Caussæ definitione, Patribus hodie Dubium proposui = *An, et pro qua summa, sit locus exequutioni Mandati contra bona provenientia a Michaele Berni, et existentia penes ejus uxorem Antoniettam Sicuro, in casu etc.* = cui ipsi responderunt = *Affirmative in omnibus pro summa scutorum* 1960.

Nulla sane quæstio quod veritatem, 1
et quantitatem crediti Nagliati, cum id solemni innitatur apocæ diei 28 Julii 1813, qua Bernius erga ipsum sese obstrinxit ad argentea *bismillia* intra quinquennium, per annales solutiones argenteorum *quadringentorum*, una cum semissi usura, ipsi repræsentanda, quod implere prorsus neglexit, exceptis usuris prioris anni, ita ut mense Augusti anni 1817 jam ipsius Debitor factus

fuerit ad summam usque argenteorum 1960. Jure itaque Ferrariense Tribunal die 1 Becembris 1818 mandatum pro hac summa Nagliato tribuit secundum instantiam ab ipso propositam anno 1817, contra Bernii bona: tribuit etiam rite, ac valide, quia omnia, quæ in eo judicio servanda erant fuerunt religiose rervata. Hinc consequitur hoc mandatum jure riteque relaxatum exequutioni esse committendum contra bona ad Bernium spectantia, et hipothecæ nexu pro ejus debito devincta, ad tradita sparsim per Sacrum Nostrum Tribunal, et præsertim in *Romana Pecuniaria* 27 *Aprilis* 1818 § 4 *coram bon. me. Piccolomini et in Romana Litterarum Cambialium* 3 *Julii* 1818 *coram R. P. D. Odescalchi*. Hæc autem bona, quamvis a Bernii patrimonio avulsa, atque ejus uxori Antoniæ Sicuro, dotis, et spillaticorum nomine fuerint adjudicata, haud tamen a Mandati exequutione immunia renunciari poterant, uti ea Ferrariense Tribunal renunciavit. Ita namque definiendum est, tam si antiquæ spectentur leges jam restitutæ, cum hæc bonorum separatio, et adjudicatio fuit expleta, quam si illæ in prætio habentur a Gallis in Italiam invectæ, quarum sub imperio, non adhuc everso anno 1815 separationis judicium fuit institutum, quia ex utroque Jure illa separatio, et adjudicatio irrita est, et Bernii bona, uti nunquam ab ejus patrimonio secreta, habenda sunt.

2 Juris quippe antiqui, ineunte Julio anni 1815 in Emilia, Piceno, aliisque finitimis Regionibus restituti, sanctio id tantum uxoribus indulgebat, ut, viro ad inopiam vergente, jus eis esset petendi super ipsius bonis dotis assecurationem, ex qua in eas non dominium, sed bonorum custodis, loco pignoris, et hipothecæ transferebatur, itaut bona quodammodo penes eas sequestria fierent, *ad Text. in Leg. Si cum dotem* § 8 *ff. solut. matrim. Voet in Pandect. lib.* 24 *tit.* 3 *num.* 2 *Fontanell. de Pact. Nuptial. Claus.* 7 *Gloss.* 2 *part.* 3 *n.* 44 *De Marin. resolut. Juris Lib.* 1 *Cap.* 20 *num.* 2 *Rota coram Duran. dec.* 708 *n.* 1 *et seq. in Bononien Exequutionis* 17 *Maii* 1816 § 7 *cor. Rmo P. D. Decano Serlupi, et in confirmatoria diei* 4 *Julii* 1817 § 4 *coram Eodem*. Quare nil proficere potuit Antonia, dum postulavit, et obtinuit sibi viri bona assignari, suæ dotis nomine, quia hæc ipothecæ obnoxia erant pro credito Nagliati, quæ quidem hypothece posterior illa, quum Leges Antoniæ, ob ejus dotem tribuebant, hac tamen potior, atque anterior evasit, quia eam Nagliatus opportuno tempore in hypothecarias tabulas referri curavit, quod Antonia, quoad suam dotalem hypothecam fieri neglexit; non itaque quidquid actum fuit de Bernii bonis inter ipsum, ipsiusque uxorem Antoniam, Nagliato, Bernii creditore haud vadato, immo eo prorsus inscio, ullum ejus juribus præjudicium afferre potuit. Eoque magis, quia Municipalis Ferrariæ sanctio *sub Rubric.* 25 *Lib.* 2 vetabat, ne quispiam rem aliquam *in tenutam acceptam penes se retinere posset*, nisi = *citatis legitime citandis, et nulla opposita exceptione* = *et sub Rubric.* 104 *ejus Lib.* 2, loquendo = *de licentiis, et dationibus in solutum, quæ de bonis virorum suorum conceduntur Mulieribus pro cautione, et assecuratione dotium suarum* = præscribebat quod = *impetrans teneatur intra terminum trium dierum continuorum, et proxime futurorum immediate a die impetratæ, et obtentæ licentiæ, se notari, et describi fecisse super tabula: quæ ante officium Sindici in Palatio singulis diebus, et horis juris juridicis affigitur, et apponitur, ita ut omnibus innotescat qui sint, et quibus nominibus, et pro nominibus nuncupentur similes impetrantes, et obtinentes tales licentias, et in solutum dationes, alioquin nihil sibi prosirit, ac si in alias non impetrassent, ac obtinuissent* =. Quæ omnia ab Antonia cum fuerint neglecta, ex antiqui Juris censura viri bonorum adjudicatio nil ei profuit, nil obfuit Nagliato.

Nec melior est Antoniæ conditio, si 3
ad tramites Gallicarum, sive Itali Regni Legum, judicium feratur. Plura namque sunt, quæ, secundum etiam has Leges, illius separationis adjudicationisque bonorum nullitatem revincunt. Et sane bonorum separatio, quæ perficienda erat

= *per via giuridica* = *ex Artic.* 1445 ejusdem Codicis, et ex *Art.* 869 Codicis Praxeos, nisi perfecta fuisset, omnibus ad unguem servatis formis, solemnisque, ab utroque Cedice præscriptis. At, quamvis Codex Civilis *in Art.* 1445 et Codex Praxeos in *Art.* 866 juberent quod = *Il Cancelliere senza alcun ritardo trascriverà in una Tabella da affiggersi a questo effetto nell'Uditorio un estratto della domanda di separazione, il quale conterrà* 1. *la data della domanda* : 2. *i Nomi, e Cognomi, la professione, e domicilio dei Conjugi* 3. *il Nome, e Cognome, e domicilio del Procuratore costituito, il quale sarà tenuto a questo effetto di rimettere al Cancelliere l'estratto surriferito nel termine di tre giorni dalla domanda* = *et in Art.* 867, *et* 868 ejusdem Codicis Praxeos statutum foret quod = *un simile estratto sarà inserito nella Tabella del Tribunale di Commercio, nella Camera dei Procuratori di Prima Istanza, ed in quella dei Notari* = atque = *altro simile estratto sarà inserito ad istanza della Moglie in uno de' Giornali, che si stampano nel luogo ove risiede il Tribunale* = et id eam ob caussam fuisset constitutum, ut ex inde bonorum separationis postulatio innotesceret posset omnibus, quorum interesat, et præsertim viri creditoribus, ut sibi consulerent, sicut animadvertit *Pigeau in Analysi Codicis Praxeos tit.* 8 *tom.* 9 *cap.* 2 *num.* 7 = horum Bernii uxor nil fieri curavit, excepta petitionis insinuatione apud Acta Tribunalis Commercii nulla itaque, usque ab initio fuit ea bonorum separationis postulatio *ad Text. in Leg. qui non facit* 121 *ff. de regulis juris, et cap.* 65 *de regulis juris in* 6, accedente præsertim *Art.* 859 Codicis Praxeos, vetante = *proferire alcuna Sentenza di separazione, se non un mese dopo, che sarà stato adempito alle formalità superiori PRESCRITTE SOTTO PENA DI NULLITA', la quale potrà essere opposta, tanto dal Marito, quanto dai SUOI CREDITORI.*

4 Præterea, post publicationem petitionis separationis bonorum, et post latam de ea Sententiam, præscriptum erat in *Art.* 872 ejusdem Codicis Praxeos, quod = *la Sentenza di Separazione sarà letta pubblicamente nell'Udienza del Tribunale di Commercio* = atque insuper quod = *un estratto di questa Sentenza contenente la data ec. sarà inserito in una tabella a ciò destinata, ed esposta pel corso di un anno nei Tribunali dell'Uditorio di Prima Istanza, e di Commercio, del domicilio del Marito, quando anche non sia Negoziante* =. Quæ etiam implere omnino Antonia neglexit. Nec omnia ea superius recensita solemnia servata fuisse arguere ipsa valet ex eo quod in Sententia Tribunalis Ferrariæ diei 6 Maii 1815 legitur = *Visto il Giornale del Basso Po dei* 6 *Marzo* 1815 *n.* 19 *portante l'iscrizione della domanda dell'Attrice* = *veduti i Certificati comprovanti la seguita publicazione della domanda stessa giusta il prescritto della Legge* = Primum enim hæc quædam tantum essent ex iis solemniis, non omnia, quæ sub pœna nullitatis erant ad implenda. Dein animadvertendum est in prætio haberi non posse quidquid narratur in ea Sententia, quæ contumacialis fuit, quave idcirco probatum facile fuit id omne, quod Bernii uxor exposuit. Demum vero, sit etiam quod petitio separationis bonorum rito fuerit publicata tamen, cum constet ex ejus Tabellionis Tribunalis Cammercii Ferrariæ quod = *non risulta, che sia stata portata al Tribunale di Commercio la Sentenza di separazione, ad esaurimento del disposto dell'Articolo* 872 *del Codice di Procedura Civile* = et cum Editor Ephemeridum Civitatis Ferrariæ testetur = *qualmente da me percorsi, e letti tutti i numeri componenti il Giornale del* 1815 *non che la filza delle respettive inserzioni, non ho trovato l'Estratto della Sentenza di detta separazione di Dote, che assolutamente manca nel Giornale sudetto, perchè non mai presentato per la dovuta iscrizione, e publicazione* =, id satis superque est ad evincendam nullitatem Sententiæ diei 6 Maii 1815, quæ bonorum separationem Antoniæ indulsit, ex quo hec separatio nullum prorsus mulieri præsidium afferre valuit, nullum potuit præjudicium inferre juribus Nagliati super Bernii bonis ejus uxori adjudicatis.

5 Hæc verum non satis. Altera siquidem super accessit nullitas quoad illius Sententiæ exequutionem, nempe quod hæc exequutio expleta fuit contra apertissimam dispositionem *Articuli* 1444 Codicis Civilis. Quamvis enim præscriptum fuisset in eo *Art.* = *La separazione dei beni, ancorchè pronunciata dal Giudice è nulla, se non è stata eseguita colla reale sodisfazione dei dritti, e ragioni di ricupera competenti alla Moglie, fatta per atto autentico fino alla concorrenza dei beni del Marito, o almeno con istanze introdotte entro quindici giorni successivi alla Sentenza, e continuate senza interruzione* = et quamvis Sententia, bonorum separationem indulgens, lata fuisset, uti sæpius jam dictum fuit, die 6 Maii 1815, attamen hæc Sententia exequutioni fuit commissa non ante diem 25 Aprilis 1816, atque ideo post annale tempus fere effluxum, dum ex superius relata Codicis Civilis censura ante exitum Maii anni 1815 suum sortiri debuisset effectum.

6 Probandam vero haud esse censuerunt Patres interpretationem prædicti *Art.* 1444, quam habet Sententia diei 1 Decembris 1818, nempe = *che il vero senso del citato Articolo si è che il termine surriferito di quindici giorni dalla Sentenza, debba correre, non dalla prolazione, ma dal giorno in cui per parte del soccombente non poteva impedirsene l'esecuzione col rimedio ordinario, vale a dire, dopochè pel lasso di tre mesi non era stato appellato, o dopochè appellata, avesse ottenuta la conferma, mentre non è da presumersi, che la Legge volesse un istantanea esecuzione in pregiudizio del diritto di un'appellazione sospensiva* = etenim, cum conceptis verbis, atque ulla absque ambage sancitam a Lege videamus = *la separazione è nulla se non è stata eseguita entro quindici giorni consecutivi alla Sentenza* = et cum hujusce dispositionis præcipuus finis sit occurrere, atque obsistere fraudibus, quas viri uxoresque struere possent ad decipiendos creditores, horumque actiones intercipiendas, uti ad prædictum *Art.* 1444 tradit *Malleville in Analysi Consultationum ad Codicem Civilem*, atque animadvertit, et constituit S. Nostrum Tribunal *in Bononien. Exequutionis* 17 *Maii* 1816 § 11 *coram R. P. D. Decano Serlupi, et in Confirmatoria* 4 *Julii* 1817 § 7 *coram Eodem*, a verborum Legis proprietate recedi non potest, atque secundum ea judicandum est per *Text. in Leg. prospexit ff. qui et a quibus manumis leg. final. Cod. de Compensat. Fachineus Controvers. juris lib.* 1 *cap.* 3 *vers. ego hanc rem Constant. Vot.* 463 *num.* 20 21 *et Rot. in Ferrarien. Exequutionis Contractus* 27 *Aprilis* 1818 *coram R. P. D. Marco*; hinc nullum effectum gignere potuit pro Bernii uxore contra Nagliatum honorum separatio, et adjudicatio intra legitimum tempus non peracta, quæ ex hoc etiam tantum irrita est declaranda, siculi in themate statuunt superius citatæ Decisiones *Bononien. Exequutionis* 17 *Maii* 1816 § 9 *coram R. P. D. Decano Serlupi, et Confirmatoria* 4 *julii* 1817 § 5 *coram Eodem*.

Quæ autem duo obiicit Antonia Nagliato, nullitates superius enucleatas separationis bonorum proponenti, nempe *Art.* 873 Codicis Praxeos, qui statuit = *i Creditori del Marito dopo la spirazione del termine assegnato nell'Articolo precedente* = scilicet annale spatium = *non saranno ulteriormente ammessi a procedere, come terzi opponenti contro la SENTENZA di separazione* = et Rescriptum Tribunalis Signaturæ diei 13 Januarii hujusce anni 1820, quo Nagliato, instanti pro circumscriptione Sententiæ Tribunalis Ferrariæ, diei 1 Decembris anni 1818, quæ prædictam bonorum separationem, et adjudicationem probavit, responsum fuit = *nihil de circumscriptione, in reliquis de Appellatione* = futilia omnino Patribus visa sunt. Nam, *quoad primum*, occurrit objecto dispositio præcedentis Art. 872 = *la Moglie non potrà incominciare ad eseguire la Sentenza, che nel giorno, in cui saranno state adempite le formalità superiormente prescritte* = ex quo contra Nagliatum annalis termini cursus incipere numquam potuit, quia Bernii uxor præscriptas formas, solemniaque in istituto, absolutoque separationis bonorum judicio pror- 7

sus neglexit; ideo irritum fuit quidquid in hoc judicio fuit actum, et nullum præstare potuit impedimentum, quod jure sortiri haud valuit effectum ad *Text. in leg. Juris Gentium* § 7 *et leg. Generaliter* 16 *ff. de Pactis et leg. Non dubium cod. de legibus*, et ad firmata per Rotam in superius relatis Decisionibus *Bononien. Exequutionis* 17 *Maii* 1816 *coram R. P. D. Decano Serlupi*, *et confirmator. diei* 4 *Julii* 1817 § 10 *coram Eodem*. Quo vero ad *secundum*, scilicet Signaturæ Rescriptum denegans circumscriptionem Sententiæ Tribunalis Ferrariæ, hoc nihil Naglialo obest, quia propositæ nullitates cæ non sunt, ob quas tantum Tribunali Signaturæ, ex *Art.* 51 Motus Proprii diei 6 Julii 1816, fas est judicialia acta circumscribere, nempe = *difetto*, o *di citazione*, o *di giurisdizione*, o *di mandato* = sed *ad Caussæ* meritum spectant, ita ut de iis a Sacro Nostro Ordine, ad quem in gradu Appellationis Caussa fuit a Signatura remissa, judicium est ferendum.

8 Ex hisce itaque omnibus irrita declaranda est bonorum separatio, eorumque adjudicatio Antoniæ tributa, et bona nulliter adjudicata habenda sunt uti adhuc ad ejus virum spectantia, atque in hujus patrimonio existentia. Eoque magis, quia nedum nulla, sed etiam injusta ea fuit separatio, atque adjudicatio, cum non tres Periti bona æstimaverint, uti mandaverat Ferrariæ Tribunal Sententia diei 16 Maii 1815, sed unus tantum, Guittius scilicet, a Conjugibus Berniis electus, et numquam a Tribunali probatus, qui ne juramentum quidem præstitit ab *Art.* 505 Codicis Praxeos præscriptum, ex quo facillimum fuit prædictis conjugibus bonorum prætia deprimere, ut ea omnia Bernius, nomine jurium uxoris, ab actionibus creditorum eximeret, et quia separatum fuit prædium *librarum* 10355 40 pro spillatico Antoniæ in annuis scutis 96 dum ex lege separatio indulgebatur pro dote tantum, non vero pro aliis quibuscumque mulierum nominibus, ut firmat *Rota in Bononien. Separationis Bonorum super non resolutis* 6 *Aprilis* 1818 § 3 *coram Odescalchi*.

9 Extranea vero a themate prorsus sunt ea omnia, quæ disserit Antonia de privilegiis, atque anterioritate sui crediti Dotalis. Etenim hoc ejus creditum, etiamsi anterius fuisset illo Nagliati, posterius tamen evasit, ob hypothecæ inscriptionem ab ea neglectam, dum Nagliatus oportuno tempore suam in hypothecarios Codices retulit. Nec ullum præsidium Antoniæ afferre potuit bonorum transcriptio, expleta die 11 Julii 1816, post ea sibi adjudicata: tum quia, cum nulla fuerit separatio, et adjudicatio bonorum, nulla etiam fuit transcriptio in hujus via peracta; tum etiam quia bona sub legitimo hypothecæ nexu jam fuerant a Nagliato constituta, ac servata per hypothecam inscriptam a die usque 12 Augusti 1813. Frustra itaque laborat Antonia, ut a mandato, quod Nagliato tribuit Sententia Tribunalis Ferrariensis diei 1 Decembris 1818 contra Bernii bona, pro Nagliati credito obstricta, ea eximat, ut injuria in ea Sententia fuit constitutum, quæ sibi adjudicata fuerunt dotis, atque spillatici nomine.

Et ita, partibus acriter dimicantibus, resolutum fuit.

FIRMANA DIVISIONIS

QUOAD

FUNDOS BAGNOLO, E LE GRAZIE

Lunae 21 *Februarii* 1820.

ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. Quidquid impenditur in re donata, detrahi debet, antequam bonorum donatorum divisio fiat.

2. Instrumentum, quod confirmat contractum, est res diversa a contractu ipso.

3. Exceptiones in specie sunt proponendae, ubi agitur de liquidatione.

DECISIO V.

Tres jam S. Noster Ordo protulit Sententias, quarum *prima* nulla, irritaque declarata fuit donatio ab Josepho filio Sebastiani Cesanelli, ex oppido Murri Vallium die 2 Julii 1807 erga Jacobum filium emissa. *Altera* constitutum fuit, bona familiæ Cesanelli in ea donatione compræhensa inter Parentem, et filium æquis partibus esse dividenda. *Tertia* demum damnatus fuit Jacobus ad restituendos Josepho, una cum dimidio illorum bonorum, fructus etiam ex illis perceptos a die 28 Settembris 1812, quo tempore lis super nullitate donationis ab Josepho fuerat contestata. Hinc designati fuerunt Periti ad divisionem peragendam, qui duo ex illis bonis prædia deesse viderunt, nempe *Bagnolo, et le Grazie*. Hæc cum deficerent, quia ab Jacobo distracta, pecuniam, quam ipse ex horum alienatione acceperat, esse dividendam plane consequebatur. Id Joseph postulavit, atque idcirco in Comitiis die 15 Maji 1819 interrogati Patres, a R. P. D. meo Odescalchi = *An, et in qua summa sit locus restitutioni pretii fundorum* = Et Jacobo Vandimonium deserente, responderunt = *Pro informante*, nempe = *affirmative in omnibus pro Summa Sc.* 1313.

Iterum quæstio definienda ab eod. R. P. D. meo Odescalchi proposita fuit die 11 Junii ejusdem An. 1819, et quamvis Jacobus acriter obsisteret, assuetæ Dubii formulæ rescriptum fuit = *In decisis, et ad Ponentem ad mentem* = Mens autem fuit *ut per D. Ponentem ad liquidum redigatur id omne, quod ante donationem solutum est ob duos fundos Bagnolo, et le Grazie, ut hujus summæ partem dimidiam Josepho Cesanelli, Jacobi Patri, Ponens ipse attribuat.* = Ad tramites hujusce Rescripti, et R. P. D. Odescalchi Decisionis, Rotalis Sententia obsignata fuit die 29 Augusti prædicti Anni 1819; Appellatione vero ab hac sententia per Jacobum interposita, S. Ordinis judicium *tertio* super hac controversia exquirere oportuit. Quare hoc mane Universam Aulam interrogavi = *An Sententia Rotalis sit confirmanda, vel infirmanda in casu etc.* =, atque, silente Jacobo juxta propositum diuturna lite Parentem defatigandi, responsum accepi: me etiam suffragante = *Sententiam Rotalem esse confirmandam* =.

1 Justitiæ siquidem omnino consona, atque ideo confirmanda est Sententia Rotalis, quæ Josepho dimidium tribuit pecuniæ, quam e Cesanellia substantia impendit Jacobus, ante donationem diei 2 Julii 1707., in acquisitionem fundorum *Bagnolo, et le Grazie*, quos, si extarent, inter ipsos dividendos esse ambigi nequit. Constat enim utrumque fundum pertinuisse ad Patrimonium Cesanelli, ex re judicata inter filium, et Parentem pro virili partiendum. Constat pariter Jacobum distraxisse pendente lite, in Josephum, aliosque Bellesi Anno 1817 fundum Bagnolo, et eodem anno, evicto fundo *le Grazie*, pretium illius Venditori Peruginio solutum, ei restitutum fuisse, judiciali intercedente mandato. Et revera quoad prædium *Bagnolo*, Jacobum confitentem habemus in suis dati, acceptive calculis hoc jam acquisitum fuisse ante donationem pretio scutorum *mille* pro duabus tertiis partibus; reliqua namque pars tertia ad Grisejum spectabat.

2 Quin utiliter adversus suam confessionem Jacobus objecerit illud prædium acquisitum fuisse post donationis Epocam, quia diem 27 Julii 1807 præsefert Instrumentum illius venditionis, a Congregatione Aeconomica expletæ erga Jo: Baptistam Grisejum, quid illud sociali nomine cum ipso Jacobo, juxta præcedentem conventionem diei 31 Januarii 1807, emit. Etenim ex hoc instrumento patet, emptionem venditionem a die usque 23 Junii 1807 perfectam fuisse, atque ideo ante donationis diem; uti patet etiam die illa 23 Junii 1807 prætium fuisse numeratum = *con la cessione di tanti certificati di crediti comunitativi* =. Quare instrumentum diei 27 Julii 1807 compræhendit tantum confirmationem contractus jam die prædicto 23 Junii 1807 absoluti. Ad dimidium igitur hujusce fundi pretium Parenti repræsentandum jure Jacobus fuit condemnatus.

3 Quod vero ad fundum *le Grazie* in dubium revocari nequit, anno 1805. Sebastianum Peruginium hunc fundum vendidisse familiæ Cesanelliæ pretio scutorum 1700, repenso, partim per accollationem binorum censuum ad scuta *mille*; partim præsenti pecunia in scut. 700, id solemni Apoca testante, atque ipso Jacobo fatente in superius enunciatis suis dati, acceptive calculis. Certum pariter est hunc fuisse fundum evictum, et Peruginium recepta scuta 700 Jacobo repræsentasse; Quod vero asserit Jacobus scuta 700. Peruginio ab ipso post donationem fuisse numerata, spernendum plane est, cum nulla fulciatur probatione, et ejus confessioni adversetur. Verum, cum ex Rotali Sententia, quæ confirmatur, obstrictus sit Jacobus ad restituendum Parenti dimidium pretii, tam hujusce fundi *le Grazie*, quam alterius *Bagnolo*, quod liquido constat ante donationem fuisse solutum: dum liquidatio, ad tramites Sententiæ, perficietur, suas proponet exceptiones, si quas contra propriam confessionem proponere poterit. Nunc etenim, ut Sententia executioni mandetur, sat est prædictos fundos *Bagnolo, et le Grazie* ante sæpius recensitam donationem diei 2 Julii 1807, fuisse a Cesanelliis acquisitos apertissime constare.

Et ita VV. OO. DD., meo etiam accedente suffragio, decisum fuit. Unica etc.

FIRMANA NULLITATIS DONATIONIS

SUPER

PROPRIETATE BONORUM QUOAD FRUCTUS

Lunae 21 *Februarii* 1820.

ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. *Fructus, uti dominii accessiones, legitimo domino restituendi sunt.*

A die motae litis, tertius possessor est in mala fide constitutus - ibidem. -

2. *Ad juris apicem, fructus restitui debent a die, quo actus fuit declaratus nullus*

3. *Malae fidei vitium semel contractum, semper permanet, nec longo temporis lapsu purgatur.*

DECISIO VI.

Quam inconsulto erga filium Jacobum universalem donationem die 2 Julii 1807 emisisset septuagenarius senex Joseph Cesanelli ex oppido Murri Vallium in Piceno, anno patuit 1811, quo Jacobus, post omnia paterna bona jamdiu occupata, a Parente secessit, pecuniam omnem, suppellectilem, atque annonariam rem secum abducens, necessaria etiam alimenta familiæ fere omnino denegans. Tanto malo, ut medelam Joseph afferret, cum, nec preces, nec amicorum officia filii duritiem emollire potuissent, de ea rescindenda donatione, subdole extorta, ac omnibus necessariis solemniis destituta, judicio agere coactus fuit, dicto illi Vadimonio, DIE 28 Septembis 1812 apud Tribunal Justitiæ, tum temporis Maceratæ jus dicens. Verum et temporum vices, et inopia, qua premebatur, ad judicii instituti prosequutionem differendam, Josephum coegerunt.

Piceno deinceps sub legittimo SSmi Principis Imperio restituto, ex Decreto Auditoris SSmi rei definitio S. Nostro Ordini commissa fuit cum clausula=*Videntibus omnibus, prævius duabus, et appellatione remota*=, et sententia, quam binæ præcesserunt decisiones, dierum 20 Januarii, et 18 Aprilis 1817 cor. bon. mem. Piccolomini, quem e vivis immaturo fato ereptum adhuc lugemus, emissæ, irrita prorsus ea diei 2 Julii 1807 donatio renunciata fuit. Altera etiam Sententia Rotali, diei 8 Augusti 1817 obsignata, et rei judicatæ vires nacta, dirempta fuit quæstio ab Jacobo proposita super proprietato bonorum, quæ donatio comprælienderat, quævo a se acquisita Jacobus contendebat, licet fere omnia, e re, et substantia Patris dignoscerentur profecta, atque fuit definitum hæc æquis partibus inter Parentem, et filium esse dividenda, ex æquitate potius, quam ex juris præscripto: Nam quidquid Jacobus sub Patria potestate constitutus acquirere potuit, Parenti, non sibi acquisivit. Tum Joseph,

nedum instilit pro redintegratione ad illorum bonorum dimidium assequendum, sed etiam pro fructuum hujusce dimidiæ partis restitutione. Dubium hac de re S. Ordini propositum fuit in Comitiis diei 6 Martii 1818 sub formula=*An, et a quo tempore, et in qua summa sit locus restitutioni fructuum, et relaxationi Mandati in casu etc.* = (cui responsum fuit datum) = *Affirmative in omnibus a die motæ litis,nempe a die* 28 *Septembris* 1812 *pro summa liquidanda* =, ceu patet ex Decisione illius diei *coram prælaudato Piccolomini*.Rotalis Sententia banc etiam Decisionem sequuta fuit. Provocante Jacobo,de hujus Sententiæ viribus, hodie universam Aulam interrogavi, quærens=*An Sententia Rotalis sit confirmanda, vel infirmanda in casu etc.*=,et Jacobo, quamvis ei petitæ induciæ a me datæ fuerint, studio de more litis in ævum producendæ, ab judicio absente, Patres una mecum rescripsere = *Sententiam Rotalem esse confirmandam*.=

1 Manifestissima profecto est justitia Sententiæ, quæ confirmatur. Etenim, si Rejudicata fuit constitutum irritam esse donationem ab Josepho Cesanelli erga Jacobum filium die 2 Julii 1807 emissam: rursus si altera Rejudicata definitum fuit dimidium bonorum, quæ ante prædictam donationem acquisita fuerunt, Parenti ab Jacobo esse restituendum; plane consequitur fructus dimidii horum bonorum, una cum hisce, ab Jacobo esse repræsentandos: Hi enim fructus, uti Dominii accessiones, a detentore ullo absque titulo percepti, legitimo domino restituendi sunt *ad Text. in Lege Julianus* 25 *ff de usuris*: *Rot. cor. Rezzonico decis.* 76 *num.* 1, *et* 2. *Rot. in Tolentina Divisionis super Fructibus* 1 *Julii* 1762 § 2 *coram Zelada, et in Perusina Nullitatis Transactionis super Fructibus* 12 *Januarii* 1769 § 2 *cor. Riminaldo* =. Id vero et ipse Jacobus concedit, ac sese ad fructus restitutionem a die motæ litis obstrictum fatetur. Eo itaque omnis redigitur quæstio, ut videatur a quo tempore litis exordium sit desumendum. Qua in re optime statuit Rotalis Sententia, litem die 28 Septembris 1812 initium habuisse, quia tum Joseph coram Tribunali = *di Giustizia sedente in Macerata* Jacobum interpellavit *a sentirsi dichiarare nulla, e di niun valore, ed efficacia la Donazione all' istante dal citato estorta sotto li* 2 *Luglio* 1807, *come mancante delle solennità volute dalle Leggi allora veglianti, ed appoggiata a false cause, o che almeno sia luogo ad esser revocata per l'inadempimento de'patti, ed ingratitudine del Donatario*; Quare ex eo temporis articulo Jacobus Parentis voluntatem, et viti a Donationis ab ipso proposita rescivit; in mala fide fuit constitutus: et litem tunc motam revera fuisse negare non potest.

Quin recte Jacobus objiciat litem tum 2
temporis inceptam dici baud posse, quia jura ab Josepho haud fuere producta; Ad litis namque contestationem sat, superque fuit malæ auspicatæ donationis Instrumentum fuisse enunciatum, absque ejus productione formali, quia illius scientia in Jacobo denegari non poterat: *ad trad. per Rot. decis.* 561. *n.* 4 *cor. Ansaldo*. Quod eo magis obtineat necesse est, quia Jacobus ante judicium apud Maceratense Tribunal institutum, jam a Parente provocatus fuerat coram Judice Pacis ad effectum conciliandi, juxta illius ævi leges; et quia præterea ex hisce legibus fructus, et interesse deberi incipiebant a die transmissæ citationis, quæ in reo convento moræ initium, et malam fidem constituebat, nec citationis reproductione, atque exhibitione jurium opus erat, nisi cum de intrinsecis causæ meritis disputatio instituebatur. Quod si ad juris apicem respiceretur, fructus ab Jacobo restituendi essent, non tantum a die prædicta, qualis fuit contestata, sed usque a die stipulationis donationis, quæ, uti nullitatis vitio radicitus infecta, nullum Jacobo commodum parere potuit, uti firmat *Rota in decis.* 98 *num.* 3 *cor. Ansaldo*: *Decis.* 63 *num.* 1 *cor. Olivatio, et dec.* 75 *num.* 1, *et* 2 *cor. Eodem*. Quamobrem cum ipso quam mitissime agi agnoscere debet, Jacobus, dum a die tantum contestatæ litis fructuum restitutioni obnoxius renuncialur.

Nec obesse Josepho potest silentium 3
per aliquot annos servatum a die instituti Judicii apud Maceratense Tribunal

ad diem, quo hoc judicium fuit instauratum. Id enim et temporum conditioni, et rei familiaris angustiis, quibus ipse premebatur, tribuendum est. Præterea vero, semel contestata lite, semel inducta in reo convento mala fide, nil actori obest, quoad fructus repetitionem a die illius contestationis, intermissio judicii; quia malæ fidei vitium semel contractum, semper permanet, nec longo temporis lapsu purgatur: per *Rot. cor. Falconerio decis.* 11 *num.* 5 *de usuris, et dec.* 462 *num.* 22 *cor. Olivatio.* Hisce positis, nil dubii, quin, juxta Rotalem Sententiam, merito confirmatam, deveniendum sit ad liquidationem fructuum, quos Jacobus e bonis, Parenti restituendis, perceperit a die 28 Septembris anni 1812, ut accessiones, una cum hisce bonis, legitimo Domino malæ fidei detentor restituat.

Et ita universa Aula mecum suffragia ferente, definitum fuit: Unica etc.

NUCERINA SEU SAXIFERRATI

DOTIS ET SPILLATICORUM

Veneris 28 *Aprilis* 1820.

ARGUMENTUM

Acceptilationis simulatio excluditur ex praesumptionibus sumptae ex conditione personarum; et inverosimile omnino est, quod quis emittat quietaotiam simulatam absque declaratione bonae fidei. Mulieris dotale creditum, respoit exceptiooem non redditae rationis, contra Virum propositam.

SUMMARIUM

1. *Acceptilntinnis syngropha haud potest simulationis vitin argui, ubi extinctionis veritas adstruitur integerrimo teste.*
2. *Delegntio nominis, inscio, vel etiam invito debitore fieri potest.*
3. *Simulationem acceptilationis eliminant praesumptiones, sumptae ex florida conditione debitoris. et inopia creditoris.*
4. *Inverosimile est, quod quis emittat simulatam quietantiam, absque declaratione bonae fidei.*
   Mulier, ubi agitur de dote quantitativa, tam dotantis, quam dotem exigere debentis, bona persequi potest - ibidem -
5. *Dotale mulieris creditum certum et liquidum, respui nequit exceptionibus altioris indaginis.*
   Exceptio non redditae rationis contra virum, nequit remorari judicium pro dote ab uxore institutum - ibidem. -
6. *Filius sub paterna potestate constitutus, non possidet nomine proprio.*
7. *Uxor quae se se spoliat mulieribus jocalibus, inverosimile est quod receperit Spillatica.*
8. *Tribunal non respondet nisi de iis, quae in proposita dubii formula sunt concepta.*

DECISIO VII.

Conciliatis nuptiis inter Joachim, Sa-Sabatucci, lectissimamque Puellam Mathildem e Patricia Gente Frisciotti Stendardi, Sponsalium tabulæ, die 22 Aprilis anni 1808 conscriptæ fuere, quibus Franciscus, Mathildis Frater, dotem ipsi constituit scutor. 8000, solvendam quoad *scuta* 5500 per dationem Fundi, *posto nel Territorio di Monte Cosaro in contrada Pontigliano*, et quoad reliqua scuta 2500 deinceps numerandam, et insuper promisit sese daturum, præter *li abiti, e biancherie, che attualmente hà di proprio suo uso la prelodata Signora sposa, in luogo di conveniente acconcio, ed arredo al detto Signor Sabatucci la somma di scudi* 300. Contra vero Nicolaus Sabatucci, Joachim Pater, qui dotem sibi tradi stipulatus fuerat, hypothecæ nexui pro hac hac Dote obnoxia fecit *tutti e singoli suoi beni*, et Nurui splendidam exhibitionem, annuaque *scuta duo, et septuaginta* pro minutioribus expensis promisit; præterea que, hujusce Matrimonii caussa, Filio Joachim, filiisque ex hoc matrimonio ortum habituris, *scuta decem millia* per irrevocabilem actum inter vivos donavit. Quibus ita compositis conjugii celebritas in faciem Ecclesiæ sequuta fuit, promissæque Dotis, Mundive Muliebris solidum a Francisco Frisciottio Nicolaum recepisse Syngrapha ab hoc exarata luculentissimum præbet Testimonium.

Post hæc Nicolai res familiaris pessum ire cæpit; quare, conjuges Joachim, ac Mathildes suorum jurium conservationi providerunt, ea in hypothecarios Codices, secundum Legum præscripta, referentes. Deinceps vero Nicolaus per-

multis oppressus calamitatibus, ac tristitia confectus, diem obiit supremum, ejusque hæreditatem, cum beneficio legis, et Inventarii adierunt bini ejus filii, Joachim prædictus primo natus, atque Antonius. Verum Joachim paullo post satius duxit Paternæ hæreditati valedicere, atque sua, uxorisque credita adversus hanc proponere. Hinc, post renunciationem huic hæreditati emissam, et rationes de hujus administratione expositas, Antonium Fratrem, unicum tum Patris hæredem coram Collegiali Tribunali A. C. in jus vocavit, tam proprio, quam uxoris nomine, postulans restitutionem uxoriæ dotis in *scutis* 8000, una cum solutione fructuum a die obitus Nicolai, et præterea spillatica decursa, et non soluta in *scutis* 360 cum assignatione Fundi pro spillaticis in posterum decurrendis; ac demum numerationem scut. *decem millium*, quæ Nicolaus ipsi, ipsiusque filiis, sicut superius narratum fuit donaverat.

Probavit Tribunal actionem pro dote, accessionibus, spillaticis, et assignatione fundi institutam, uti etiam illam pro assequutione *scutorum decem millium*, quæ fuerant donata, eo tamen, quoad hanc, adjecto modo, ut legitimam paternæ hæreditatis rationum redditionem Joachim prius exponeret. Ab hujusmodi Sententia Antonio provocante, omnium quæstionum definitio Sacro Nostro Tribunali commissa fuit, et idcirco *tria* concinnata fuere Dubia, primum spectans ad dotem, et spillatica. *Alterum* ad assignationem fundi, *tertium* demum ad donationem. Duo priora in hodiernis Comitiis fuere resoluta, et quoad dotem, spillatica, ad quæ præsens respicit decisio, quærenti mihi = *An, et in qua summa constet de credito dotali, et spillaticorum, ita ut, et in qua summa sit relaxandum mandatum in casu etc.* responderunt Patres = *Affirmative, et constare de credito dotis pro summa scut.* 8000, *et spillaticorum pro summa scut.* 360' *et esse relaxandum mandatum* =.

1 Dotem Mathildi Frisciotti Stendardi in scutis *octo. millibus*, præter scuta *tercentum* pro mundo muliebri, fuisse ab ejus fratre Francisco Frisciotti constitutam, ejusque solutionem fuisse promissam Nicolao Sabatucci, patri Joachimi sponsi Mathildis, evincunt Nuptiales tabulæ, die 22 Aprilis anni 1808 inter prædictos Franciscum, et Nicolaum exaratæ. Eamque dotem Nicolaum, una cum scutis *tercentis* in mundum muliebrem revera accepisse constat ex acceptilationis syngrapha per ipsum die 27 Maii 1809 subsignata, qua declaravit = *di avere ricevuto dal Signor Francesco Frisciotti Stendardi di Civitanova la somma di scudi DUE MILA E CINQUECENTO, quali col prezzo di un Predio in Vocabolo Pontigliano, dal medesimo datomi in solutum, formano il saldo degli scudi ottomila constituiti in dote alla Signora Matilde, con più altri scudi TRECENTO ripromessi per il di Lei acconcio* = Quæ declaratio irrito labore simulationis arguitur ab Antonio Sabatucci. Etenim quoad Prædium *Pontigliano* hujus datio in solutum Nicolao per Franciscum in controversiam haud adducitur, et scuta *octingenta* Franciscum Nicolao solvisse probat extinctio Collybisticæ Schedæ a Francisco erga Nicolaum scriptæ, cujus extinctionis veritas adstruitur integerrimo testimonio equitis Hannibalis Parisani.

Quoad vero ad reliqua scuta *bismillia*, 2
cum Nicolaus horum creditor, dotis prædictæ nomine esset Francisci, sed insimul camdem pecuniæ vim Fratri suo Aloysio, ex transactione cum ipso inita, deberet, et cum Aloysius spopondisset solemniter = *In caso che si combinasse l'accasamento del mio Nepote Sig. Gioacchino Sabatucci con la nobil donzella Sig. Metilde Frisciotti di Civitanova, di rilevare indenne, e garantire il suo Sig. fratello nobil Signor Francesco Frisciotti su la costituzione di dote, che sarà per assegnare alla detta sua Signora sorella per la somma di scudi* 2000, *quali intendo, che non si debbano da esso pagare, ma intendo di sborsarli del proprio* =; hinc consequitur ea scuta *bismillia*, quæ Aloysium a Nicolao numquam recepisse constat, in Dotis Mathildis caussam esse imputanda, uti ipsi Nicolao ab Aloysio remissa in adimplementum obligationis erga Franciscum susceptæ, perinde, ac si Aloysius

suum adversus Nicolaum creditum delegasset Francisco, et hoc creditum cum suo Dotis debito erga Nicolaum Franciscus pensasset: nominis namque delegatio, inscio, vel invito debitore fieri potest. *Alexand. in Leg.* 1 *de Novat., et delegat., Cujac. in paratit. lib.* 8 *Cod. Just. Tit.* 41 *Column.* 1309 *edit., Paris litt. E. Perez. in Cod. tit. de novat. et delegat. numer.* 11. *Brunemann. in Leg.* 1 *Cod. de novat. et delegat. n.* 1, *et seq.*

3 Inutilis itaque prorsus est Academia, in qua sibi admodum placet Antonius de possessione fundi *Pontigliano* ab Joachimo semper retenta, et de simulatione syngraphæ Nicolai de dotis, mundive muliebris Mathildis acceptilatione. Joachim siquidem, vivente patre, cujus potestati suberat, eum fundum possidere haud potuit; et non evincitur illum nunc ab ipso retineri; contrarium immo probatur; qualibet autem in hypothesi sat erit, quod cum fratri, Nicolai Patris hæredi, restituat. Simulationem vero acceptilationis eliminant expletæ solutionis superius recensita munumenta, quibus adstipulatur præsumptio elicita, ex florenti conditione Francisci Dotis Debitoris, et angustia rei familiaris, qua creditor Nicolaus præmebatur, cum onere exhibendi nurum; cujus præsumptionis, quietantia præsertim accedente, quanta sit vis docet *Menoch. de Præsumption. præsumpt.* 105 *num.* 135, *et statuit Rota decis.* 277 *num.* 7 *coram Penia, et in Romana, seu Ferrarien. Dotis* 13 *Maii* 1747 § *Accedentibus, coram Canilliac, in Hortana Dotis* 8 *Junii* 1753 §§ 3 4 *cor. Figueroa, et in Narnien. Nullitatis Contractuum super Simulatione Instrumenti Quietantiæ Dotis* 16 *Januarii* 1818 § 12, *et sequen. cor. Piccolomini.*

4 Præterea inverosimile prorsus est quietantiam de dote a Nicolao fuisse simulatam, absque declaratione a Frisciottio emissa de hujusmodi simulatione ad Nicolai indemnitatem, ad firmata per *Rotam in dec.* 390 *num.* 15 *part.* 17 *rec., dec.* 744 *num.* 5 *coram Emerix jun. dec.* 1076 *num.* 6 *cor. Lancetta.* Demum res dilemmate absolvitur. Aut Dos vere numerata fuit; et tum nulla quæstio de justitia actionis a Mathilde viro cum ea, uti ejus Administratore, judicio adstante, contra Nicolai hæreditatem propositæ. *Aut* numerata non fuit; et tum Mathildis actio contra hæreditatem Nicolai pro Dotis restitutione nihilominus probanda est, quamvis Nicolaus dotem exigere neglexisset, quia, cum de Dote agatur quantitativa, Mulier pro ea, tam dotantis, quam dotem exigere debentis bona persequi potest per *Rotam in decis.* 542 *num.* 14 *part.* 19 *recen., decis.* 694 *num.* 5 *cor. Cerro, et decis.* 552 *num.* 24 *coram Olivatio* =.

Cum itaque constet hæreditatem Ni- 5
colai Sabatucci debitricem esse Mathildi hujus Dotis in scutis *octomillibus*, Mathildis actionem hoc assequendi creditum frustra remorari conatur Antonius exceptione non redditæ per Joachim, Mathildis virum, rationis de Paterna hæreditate, quam ipse per breve temporis spatium administravit. Non etenim res est de credito Joachimi adversus hanc hæreditatem, sed de credito ejus uxoris, quæ hoc repetit, et Joachim cum ea Judicio sistit, non ex persona propria, sed uti ejus Administrator. Quapropter sit etiam Joachimum, qui paternæ hæreditati valedixit, multum hæreditariæ supellectilis Assisiom transtulisse, neque per legitimam rationis redditionem hæredis qualitatem abjecisse; hæc tamen, etsi vera essent, nullum Mathildis actioni præjudicium afferre possent. Etenim, si in jure est exploratissimum dotale mulieris creditum certum, et liquidum respuere exceptiones incertas, altiorisque indaginis ad *Text. in leg. unica* § *exactio Cod. de rei uxoriæ actione, et Rota recen. decis.* 376 *num.* 20 *part.* 19, *et dec.* 527 *num.* 16 *part.* 19 *dec.* 178 *n.* 12 *coram Molines dec.* 341 *num.* 8 *part.* 5 *in nuper. dec.* 766 *num.* 10 *coram Riminaldo, et in Romana Dotis, et Lucri* 28 *Junii* 1771 § 9 *coram Litta* itaut ad dotalem actionem remorandam potius non sit, nec exceptio non redditæ a Muliere rationis administrationis bonorum Viri per ipsam actæ, nec illa amotarum rerum ad *Text. in Eamdem leg. unica* § 5 *Cod. de rei uxoriæ actione, et dec.* 341 *n.* 8 *par.* 5 *in Nuperr.*, eo magis audiendus non est Antonius, dum Mathildi objicit administra-

tionem hæreditatis Nicolai, dotis debitricis, non ab ipsa, sed ab ejus viro exercitam si quæ enim actio Antonio exinde competeret, banc contra fratrem Joachimum in congruo judicio proponere tantum posset. Jure idcirco meritoque mandatum in summa scutorum *octomillium* pro Mathilde, dotalis crediti nomine, adversus Nicolai hæreditatem relaxandum esse Patres constituerunt.

6 Pari autem cum justitia definivit Sac. Tribunal constare de credito Mathildis, ob spillatica ipsi non soluta ad totum annum 1818, in scutis 360, et pro hac etiam summa mandatum, secundum Mathildis instantiam contra eamdem Nicolai hæreditatem relaxandum esse censuit. Spillaticorum nomine Mathildi a Nicolao fuisse promissam annuam præstationem scutorum *duorum* supra *septuaginta* testantur nuptiales tabulæ anni 1808. De hujusce præstationis solutione per quinquennium ad totum annum 1818 nulla ab Antonio Nicolai hærede probatio affertur; ergo Mathildi de hoc etiam particulari credito ipse satisfaciat oportet. Inaniter vero regerit Antonius præsumendum esse eam præstationem fuisse solutam, *quia* Joachim, uti asserit, *fundum Pontigliano*, dotis Mathildis nomine æstimato datum, possedit; et quia Mathildes semper, prout nobilem decebat mulierem, ornata incessit. Possessio sane illius fundi penes Joachimum climinatur potissima illa animadversione, quod ipse sub paterna constitutus potestate eum possidere non poterat. Præterea testis sacerdotali fulgens dignitate, nempe Rev. Felix Papetti, de facto proprio die 9 Januarii 1820 declaravit = *Da dieci anni a questa parte hò percepito i frutti del terreno posto nel territorio di Monte Cosaro nella contrada di Pontigliano, spettante al Signor Nicolò Sabatucci oggi defonto, nella qualità di amministratore, con animo di restituire in seguito a chi sarebbe stato di ragione i frutti medesimi* = Falsum itaque est Fundum prædictum ab Joachimo fuisse possessum, ejusque fructus ab eo unquam fuisse perceptos.

7 Alterum vero, quod nempe præsumendum sit spillatica Mathildi fuisse a Nicolao soluta, quia ipsa semper ornata incessit, exploditur facto præclarissimo, cujus probationem ipsemet Antonius exhibet, quod scilicet, occupata a Gallis ecclesiastica ditione in Piceno, Nicolaus adeo rei familiaris angustia præmi cæpit, ut Mathildes = *con atto di ammirabile generosità s' indusse a spogliarsi di una porzione delle sue proprie gioje di un valore ragguardevole, che passò al detto Sig. Nicolò di lei suocero, per provedere ai proprj bisogni, contentandosi di ritirare una semplice obligazione. Crebbero le angustie del detto Signor Nicolò, allorchè etc.* = Quippe si Nicolaus in adversam lapsus erat fortunam; si, ut ei opem ferret, Mathildes jocalibus etiam sese spoliare voluit, inverosimile omnino est spillatica a Mathilde fuisse petita, et a Nicolao fuisse soluta, ex quo cessat prorsus prædicta præsumptio, ut optime arguit *Rota in Romana Spillatici* 27 *Aprilis* 1801 § 8 *cor. Resta*. Cum vero spillaticorum creditum Mathildis particulare sit, uti illud dotis, de quo superius dictum fuit, adversus hoc etiam creditum inutiliter proponitur exceptio non redditæ ab Joachimo rationis de paterna hæreditate.

Hæc quoad caput dotis Mathildis in scutis *octo millibus*, ejusque creditum, spillaticorum nomine in scutis 360, pro quorum utroque mandati relaxationem patres concessere. Verum quoad dotis fructus, et mundum muliebrem in scutis *tercentis*, quamvis fructus sint capitis accessiones, ejusque sortem sequi debeant, quamvis mundus muliebris, et ipsa dos sit, et scuta *tercentum* pro eo a Francisco Frisciottio soluta Nicolao probentur, tamen cum ad ferendam de iis sententiam proposita dubii formula non vocet, hæc ad congruum judicium amandanda esse patres censuerunt. 8

Et ita etc., utraque etc.

NUCERINA SEU SAXIFERRATI

DONATIONIS

Lunae 8 *Maii* 1820.

ARGUMENTUM

Danatio emissa intuitu certi ac determinati matrimonii, dicitur inter vivos et natura sua irrevocabilis; licet exequutio commissa sit post mortem donantis. Et quia talis donatio reputatur onerosa, non indiget solemniis praescriptis in Constitutione Carpensi.

SUMMARIUM

1 Donatio dicitur propter nuptias, si donator eam emisit, ad intuitum certi, ac determinati matrimonii.

Contracto matrimonio, illico conjugibus jus quaeritur ad compendium in donatione comprachensum, assequendum - ibidem. -

2. Ubi donator compendium rei donatae transfert in donatariam in ipso donationis actu, donatio fit irrevocabilis.

3. Donatio correspectiva, et onerosa, est valida, licet destituta sit solemniis a Carpensi Constitutione praescriptis.

4. Ad evertendam donationem uti inofficiosam, inspici debet tempus quo emissa fuit.

Si patrimonium donatoris tractu temporis imminuit, non ob id licet evertere donationem tamquam inofficiosam - ibidem. -

5. Antequam relaxetur mandatum contra bona, quae fuerunt sub administratione, praemitti debet rationum redditio.

Qui manet sub patria potestate, nequit sistere judicio persona propria - ibidem. -

DECISIO VIII.

Dum opibus affluebat Nicolaus Sabatucci, familiæ decus augere inhians, summo studio curavit Nuptias conciliare inter Joachim suum primo natum, et Nobilem Puellam Mathildem Frisciotti Stendardi, votique compos factus, ut gaudium quo afficiebatur, ostenderet, gratique animi Monumentum familiæ Frisciotti præberet, in solemnibus nuptialibus tabulis, die 22 Aprilis anni 1808 confectis, præter promissam Mathildi splendidam exhibitionem, et annua scuta *septuaginta duo* pro Spillaticis, hæc etiam convenit = *per il gradimento che ha DI TAL CERTO, E DETERMINATO MATRIMONIO in persona della Signora Metilde Frisciotti, con il Signor Gioacchino suo figlio IN CONTEMPLAZIONE DEL MEDESIMO, E DEI FIGLI DA NASCERE da ambedue detti Signori Sposi, ADESSO per quando sarà seguita la sua morte, a titolo di DONAZIONE IRREVOCABILE FRA' VIVI spontaneamente ec. per se, e suoi ec. dà, dona, cede, e concede al detto Signor Gioacchino, e suoi ec., oltre la sua egual porzione con altro Fratello Signor Antonio, per ragione di antiparte la somma DI SCUDI DIECIMILA ROMANI, E TAL DONAZIONE dichiara farla A CONTEMPLAZIONE DI SIMILE CERTO, E DETERMINATO MATRIMONIO* = Matrimonium deinceps Sacrosanto Ecclesiæ Ritu inter Joachimum, et Mathildem fuit contractum; ac Mathildes, viri Socerive, domum ingressa, ridentem primum fortunam experta fuit. Verum, post infelicem Gallicam occupationem, et legitimi Sacratissimi Principis Imperii subversionem, Nicolai conditio quam maxime decrevit, et conjuges per hypotecarias inscriptiones omnia sua jura sarta, tectaque fieri curarunt. Nicolaus autem adversis casibus, ærumnisque pressus, mærore tabescens, die 2 Junii an. 1817, fato cedere debuit.

Bini, tum qui ei superstites fuerunt filii, Joachim, Mathildis vir, et Antonius, legitimo confecto inventario, cum hujus beneficio ejus hæreditatem adierunt. Sed paulo post Paternæ hæreditati Joachim nuncium misit, et de bujus administrationis rationum redditione exhibita, proprio, uxorisve nomine Antonio fratri qui unicus extitit comunis parentis hæres, vadimonium dixit apud juridicum triumviralem A. C. Conventum postulans uxoriæ Dotis in scutis *octomillibus* restitutionem, solutionem scutorum 360 pro Spillaticis uxoris ad totum annum 1818 non numeratis, una cum assignatione fundi, ad cavendum illorum solutioni in posterum, ac demum repræsentationem scutorum DECEM MILLIUM ex superius recensita Nicolai donatione.

Tribunalis Collegialis A. C. Sententia Joachimo, ac Mathildi fere in totum arrisit, et delata, per appellationem ab Antonio interpositam, quæstionum omnium cognitione ad Sacrum nostrum Ordinem, sub tribus congruis Dubiis, quoad Dotem, et Spillatica resolutio prodiit, me requirente, die 28 Aprilis nuper elapsi, eisdem secunda, adversa vero quoad assignationem fundi: quo autem ad donationem, de qua Tribunal Collegiale, *dichiarata la validità di detta donazione*, decrevit = *doversi conseguire l'effetto della medesima dopo un legale rendiconto da farsi da Gioacchino Sabatucci* = Patres hoc mane interrogavi = *An constet de validitate donationis, ita ut, et quomodo sit relaxandam Mand. in casu etc.* = atq. ab ipsis responsum accepi = *Affirmative in omnibus juxta modum, nempe ad formam Sent. A. C.*

1 Validitas donationis, a Nicolao Sabatuccci erga filium Joachim, filiosque nascituros, ex ejus cum Mathilde Frisciotti conjugio in tabulis nuptialibus anni 1808 emissæ, nequit sane in controversiam adduci. Patet enim ex hisce tabulis conceptam fuisse = *per il gradimento che ha il detto Signor Nicolò di TAL CERTO, E DETERMINATO MATRIMONIO* = *a contemplazione del medesimo, e dei figli da nascere da ambedue detti Signori Sposi a titolo di DONAZIONE IRREVOCABILE FRA' VIVI* = *a contemplazione di simile, CERTO, E DETERMINATO MATRIMONIO* = atque ideo manifestissimumest finalem donationis causam fuisse certum illud, et determinatum Matrimonium = *in persona della Signora Metilde Frisciotti con il Signor Gioacchino* = ad tradita *per Roland. consil.* 44 *num.* 9 *Gratian. discept. forens cap.* 924. *Altograd. Consili* 7 *num.* 12 *et firmata per Rot. in recent. Decis.* 226 *num.* 15 *part.* 12 *Dec.* 479 *num.* 11 *coram Molines, et in Spoletana Reintegrationis, et Immissionis* 17 *Januarii* 1755 § 12 *coram Stadion.* = Quare contracto Matrimonio, ex quo Donator finem donationis propositum obtinuit, et hoc Donatarii facto donatione ab ipso accepto habita, *per Rot. in dec.* 740 *num.* 5 *coram Riminaldo, et decis.* 764 *num.* 3 *coram Eodem*, illico conjugibus, eorumque filiis nascituris, irrevocabile jus quæsitum fuit ad compendium in donatione compræhensum ad *Text. in Leg. final. Cod. de revocand. donation. Fontanell. de Pactis nuptialibus Claus.* 4 *Gloss.* 9. *par.* 5 *num.* 7 *Rota in Albanen. Donationis* 23 *Januarii* 1758 § 2 *coram Bussio, et in Verulana Donationis* 16 *Januarii* 1784 § 3 *coram Riminald.*

Quin rem mutet donationis effectum 2 in tempus ejus mortis a donatore collatum fuisse, ex quo arguere liceat donationem haud fuisse irrevocabilem inter vivos, sed revocabilem causa mortis. Donatio namque vere irrevocabilis, atque inter vivos fuit, quia donator in donatarios omnia jura quoad *decem millia* scuta donata transtulit in ipso donationis actu, cum verbis usus fuisset = *adesso per quando sarà seguita la sua morte a titolo di donazione irrevocabile fra vivi dona ec.* atque promisisset = *tale donazione vuole, e dichiara aver sempre rata, grata, valida, e ferma* = ex quibus patet donationem in ipso illius contractus temporis Articulo irrevocabilem extitisse, et tantum ad donantis mortem illius exequutionem fuisse protractam, ut bene ponderat *Rota in Verulana Contractus Nuptialis super quarto dubio* 9 *Februarii* 1818 § 7 *coram R. P. D. Meo Bussio.* Quod constantissime tenendum est, etiamsi eam destitutam videamus solemniis a Carpensi Constitutione præscriptis, quia agitur do donatione correspectiva, et onerosa, utpote contemplatione certi, et determinati Matrimonii emissa, siculi docent *Tiraquel. in Leg. si unquam verb. donat. larg. numer.* 142 *Cod. de revocand. donat. Natta Cons.* 609 *num.* 15 *Cotel. de donat. Tract. in disc.* 1 *spect.* 6 *numer.* 1 *Const. ad Statut. Urb. Annot.* 44 *Art.* 8. *numer.* 887 *et tradit Rota decis.* 203 *num,* 4 *coram Dunozett. Dec.* 1302 *num.* 10, *et* 17 *coram Coccin. dec.* 126 *num.* 14 *coram Ratta, et in Lauretana Nullitatis donationis* 20 *Novembris* 1758 § 13 *coram Parracciano in Tolentina donationis* 9 *Maii* 1791 § *num.* 3 6 *coram Despuig. in Mace-*

raten. Donationis quoad portiones Patruorum super resolutis 11 *Aprilis* 1791 § 8 *coram Gardoqui in Maceraten. Donationis* 8 *Aprilis* 1796 § 4 *coram Eodem.*

8 Posito itaque quod Nicolai donatio recensenda sit inter actus perfectos, atque irrevocabiles usque ab eorum initio, frustra ea de officiositate arguitur ab Antonio, quasi ejus jura lædens ad legitimam in hæreditate paterna. Ad banc namque inofficiosæ labem ei inurendam conscendendum esset ad tempus, quo fuit emissa, et probandum esset Nicolaum, præter scuta *decem millia* donata, eo tempore alia bona non possedisse, quæ sufficerent ad Antonii legitimam conficiendam per *Bald. in leg.* 1 *num.* 8. *Cod. de inofficios*, *donat. Castren. in Authent. unde si parens num.* 3 *Cod. de inofficios. testamen. Rot. in Recen. decis.* 305 *part.* 3 *num.* 3. Nec donatariis obesset tractu temporis ita Nicolai Patrimonium fuisse imminutum, ut dum obiit, non reliquerit quantum pro Antonii legittima portione sat esset *Angel. in Authent. de immens. donat. in princip. num.* 6 *Bald. in leg.* 1 *num.* 9 *Cod. de inoffic. dona, et Rot.* in *Rec. decis.* 305 *part.* 3. *oum.* 2. Hanc vero probationem ab Antonio esse proferendam indubii juris est *ad tradita per Bart. in leg.* 1 § *docere ff. ne quis eum*: *Ancaran. cons.* 254 *num.* 3 *cons.* 619 *num.* 2, *et Rot. in dec.* 305. *part.* 3 *num.* 3 *Recent.* Verum, ne dum ipse id haud evincit, sed immo contrarium suadet notissima Nicolai opulentia de tempore emissæ donationis, atque idipsum, demonstrat præclarissimum factum quod nempe nunc etiam in hæreditate Nicolai conspicuum extat caput Scutorum *nonaginta millium*, præter prædium *Pontigliano*, quod scutis 5500 æstimatum Nicolaus in solutum accepit in partem Dotis Mathildis, ex quo coniicitur Nicolaum, dum scuta *decem millia* donavit Joachimo, possidere procul dubio debuisse, præter hanc summam, tot bona nulli subjecta nexui, ex quibus Antonius partem pecuniæ vim assequi saltem posset. Inutili itaque studio donationis reductio, inofficiositatis nomine postulatur.

9 Quamvis autem de validitate donationis constet; quamvis irrevocabiliter ad Scuta *decem millia* donata jus acquisiverit Joachim, ejusque filii ex ejus conjugio cum Mathilde ortum habituri, ab ipso temporis articulo in quo donatio fuit emissa, non tamen exinde consequitur Mandatum pro hac summa nunc esse contra Nicolai hæreditatem relaxandum. Etenim præmittenda est legittima rationum redditio administrationis prædictæ hæreditatis ab Joachimo exercitæ, antequam ei valedіceret, et judiciali auctoritate constituendum est an quidquam ex ea hereditate assequutus fuerit nec ne Joachim, quod in partem ipsi debitæ ex donatione quantitatis imputandum sit. Quin recte contendat Mathildes sese jure proprio donationis compendium petere posse. Nullum namque aliud jus mulieri ex donatione in virum suum, intuitu certi, ac determinati Matrimonii secum initi, collata competere potest, præter illud ad pinguioria alimenta, et majorem dotis securitatem uti firmat *Rota in Recen. decis.* 155 *numer.* 8 *part.* 1 *et decis.* 66 *numer.* 9 *coram Lancetta.* Joachimi vero Mathildisque filii, etiamsi in donatione particulariter contemplati, illius exequutionem urgere nequeunt ex propria persona, cum sub paterna potestate maneant. Justissima quapropter est Tribunalis Collegialis A. C. Sententia, et secundum eam valida renuncianda est prædicta donatio; sed hujus exequutio suspendenda est usque dum rationes administrationis paternæ hæreditatis legittime Joachim exponat.

Et ita definitum fuit, Utraque etc.

NUCERINA SEU SAXIFERRATI

DONATIONIS

Luuae 3 *Julii* 1820.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur « DECISIO VII. »

SUMMARIUM

1. *Ubi solutia eehedae collybisticae evincitur acceptilatiane, atque testimonia integerrimi Viri, quaslibet simulatia excluditur.*
2. *Cessio, vel delegatia nominis habetur uti solutio.*
3. *Inverisimile eet, quod quis smittat quictantiam simulatam, absque declaratione bonae fidsi.*
4. *Ubi agitur de dots quantitativa, si tradita non fuit vel ex mara pramittentis, vel ex negligentia eam recipere debentis, utriusque bona Mulier persequi potest.*
5. *Quod depanunt testes, pendente lite expiscati, nullo in pretio haberi potest.*
6. *Simplex descriptio in censualibus tabulis, haud probat dominium vel poesessionem.*
7. *Dotales Mulieris creditum, respui non potest, ob exceptionee altioris indaginis.*
8. *Creditum Spillaticorum quod uxori spectat, nequit compensari cum debito ejue viri.*
9. *Spillatica ubi fuerunt promissa, debentur ad tramites conventionis.*
10. *Inverosimile est, quod Socer Nurui Spillatica suppeditaverit, quum in extrema ipse egestate verearetur.*
11. *Judex de iis tantum respondet, quae concepta sunt sub dubii formula.*

DECISIO IX.

Sponsalium tabulis, die 22 Aprilis anni 1808 signatis, dum conciliatæ fuerunt nuptiæ inter Joachim Sabatucci, et spectatissimam Puellam Mathildem Frisciotti Stendardi, Maceratensis Patriciatus decore ornatam, Franciscus hujus frater, dotem ei constituit scutorum *octomillium*, atque etiam ei promisit alia scuta *tercenta* mundi muliebris nomine. Hæc Nicolaus Sabatucci, Jachim Pater, in iisdem tabulis accepto habuit, hypotecæ nexui subiiciens pro ea promissa Dote, mundove muliebri omnia sua bona, et nurui præter splendidam exhibitionem annua scuta *septuaginta duo*, spillatici nomine sese præstiturum spondens. Hæc ita composita matrimonii celebritas in faciem Ecclesiæ sequuta fuit, et Franciscus suam implevit obligationem, pro dote mundove muliebri sororis, susceptam, tradens Nicolao, juxta conventionem, æstimato fundum *Pontigliano* in Territorio Montis Cosari jacentem, cui valor tributus fuerat scutorum 5500 eique rependens per solutionem collybisticæ litteræ, scuta *octiginta*, et quoad reliqua scuta *bismillia* Creditum in hac summa pensans quod Aloysius, Nicolai Frater hunc adversus habebat, quodve idem Aloysius, intuitu prædicti matrimonii ipsi Francisco cesserat. Quare Nicolaus acceptilationis syngrapha die 27 Maii 1809 conscripta, promissæ dotis mundive muliebris solidum sese ab ipso recepisse declaravit.

Florida deinceps rei familiaris Nicolai conditio inclinari cæpit, atque in pessum ita abivit, ut ipse die 2 Junii 1817 calamitatibus oppressus, tristitiaque confectus, e vita excesserit. Ejus tum hereditatem cum beneficio legis, et Inventarii adierunt ejus filii, prædictus Joacchim primo natus, et Antonius. Sed Jachim, vix paucis elapsis mensibus, paternæ hereditati valedixit, et adversus eam præmissa illius administrationis redditione rationum proposuit apud Collegiale Tribunal A. C. una cum Uxore Mathilde hujusce jura dotalia, et ad Spillatica per quinquennium ipsi a Nicolao haud soluta spectantia, eaque, quæ a donatione scutorum *decem millium*, a Nicolao, intuitu prædicti Matrimonii, atque etiam pro filiis ex eo nascituris in superius recensitis nuptialibus tabulis emissa profluebat; quæ omnia jura conjuges per eorum relationem in tabulas hypothecarias, opportuno tempore expletam, sarta tectaque servaverant. Probavit illud Tribunal institutam pro dote actionem in scutis *octomillibus*, una cum accessionibus, et pro Spillaticis in scutis 360 uti etiam decrevit e prædicta hereditate fundum assignandum esse pro Spillaticis in posterum decurrendis, ac denique donationis prædictæ validitatem constituit.

Delata deinceps quæstionum omnium cognitione ad S. Nostrum Ordinem sub tribus separatis, ac congruis Dubiis, hæ pro Conjugibus prædictis, illa excepta ad fundi assignationem spectante, et ad congruum judicium amandata quæstione de accessionibus Dotalibus, et muliebri Mathildis, absolutæ fuere ad formam Sententiæ A. C., et

Decisioni, et donationem respicienti, Rotalis accessit Sententia a me signata. Quo vero ad Creditum Dotis Mathildis et Spillaticorum, cum Dubio per me proposito in Comitiis diei 28 Aprilis bujusce anni 1820 responsum prodierit. » *Affirmative, et constare de Credito Dotis pro summo scutorum* 8000, *et Spillaticorum pro summa scutorum* 360, *et esse relaxandum Mondatum* » nil profuit Antonio Sabatucci, unico nunc parentis Nicolai hæredi, veniam a S. Ordine obtinuisse de viribus illius responsi, ac meæ Decisionis, illi consonæ, disceptandi. Hodie namque, me quærente » *An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu etc.* Patres » *In Decisis* » perstitere.

1 Et merito sane. Promissam quippe Sorori Mathildi a Francisco Frisciotti Stendardi Dotem scutorum *octo millium* cum scutis *tercentis* in mundum Muliebrem, secundum tabulas nuptiales diei 22 Aprilis anni 1808, solutam ab ipso fuisse Nicolao Sabatucci, qui uti Joachimi Sponsi Mathildis, parens, eam sibi solvi stipulatus fuerat, dubitare non sinit acceptilationis syngrapba, qua die 27 Maii 1809 declaravit Nicolaus sese in ejus Dotis mundive muliebris causam, accepisse fundum » *Pontigliano* » sibi in solutum datum pretio scutorum 5500 ac præterea scuta 2800. Hujusce autem declarationis veritas, quam simulationis arguere frustra Antonius conatur manifestissima est. Quoad enim fundum *Pontigliano*, bunc Nicolao a Frisciotto in solutum fuisse datum, juxta nuptialia pacta pro scut. 5500. Antonius ipse fatetur. Quo vero ad reliqua scuta 2500, et scuta 300 in mundum Muliebrum Mathildis, solutio scutorum *octigentorum* evincitur extinctione collybisticæ Schedæ a Frisciottio ergo Nicolaum scriptæ, quæ bujus acceptilationem exhibens, extat in actis producta, accedentu etiam ad hujusce Cambialis tesseræ extinctionem magis magisque probandam, testimonio integerrimi Viri de facto proprio deponentis, nempe Equitis Hannibalis Parisani.

2 Quo vero ad reliqua scuta *bismillio* patet evidentissime ea pensata fuisse cum Credito, quo adversus Nicolaum Frisciottius pollebat, uti Cessionarius Aloysii Nicolai fratris, bujusque Creditoris pro ea summa ex transactione cum hoc inita a die usque 8 Maii 1820. Aloysius siquidem die 4 Martii 1804 Frisciottio solemniter spopondit, quoties Matrimonium contraheretur inter Joachimum ipsius Aloysii Nepotem, ac Mathildem Frisciotti Sororem » *di rilevors indenne, s gorontire il Sig. Francesco Frisciotti sù la Costituzione di Dote, che sarà per assegnore alla d. Sorello per la sommo di scudi* 2000, *quali intende che non si debbono da esso pagare, ma intendo di sborsarli del proprio* ». Ex quo optime deducitur, Aloysii creditum prædictum a Nicolao numquam solutum per Aloysium Frisciottio cessum, aut delegatum fuisse, dum illo Matrimonio, conditio evenit Aloysii promissioni apposita; itaque ideo Nicolaum remissionem bujusce debiti a Frisciottio acceptam habuisse in solidationem *bismillium scutorum* Dotis Mathildis, quæ sibi adhuc solvenda remanebant, uti hæc ponderat, ac latius exponit præcedens Decisio §. 4 et 5.

Horum e conspectu corruunt omnia argumenta ab Antonio proposita ad suadendum Nicolai acceptilationem, superius recensitam simulatam fuisse;et spernendi prorsus sunt testes ab ipso inducti, quibus hanc simulationem demonstrare studet: Primum namque hi, pendente lite, et post jam pro Joachimo, et Mathilde Tribunalis Collegialis Sententiam editam, exeunte elapso anno 1819 expiscati fuere. Dein vero ex eorum dictis nil aliud argui posset, quam acceptilationem fuisse exaratam post aliquot annorum curriculum a solutionibus expletis, quod bujusce singraphæ viribus nil detrahere valeret; cum solutionis veritas aliunde, ut superius fuit demonstratum, manifestissima sit; eaque etiam fulciatur momentosissima præsumptione, elicita ex florenti fortunarum conditione in dotis debitore Frisciottio et angustia rei familiaris, qua premi cœperat illius Creditor Nicolaus, nurus exbibendæ onere etiam gravatus sicuti statuit præcedens Decisio §. 6. 3

Inverisimile præterea est, quod, si prædicta acceptilatio, uti inducti asse- 4

runt testes, efficta fuisset ad eximenda Nicolai bona ab impetu creditorum, eam non Nicolai, sed aliena manu, Mathilde instante, coscripsisset, frustulo chartæ adhibito, publica nota » *bollo* » destituto a Nicolao tantum subsignato, uti ajunt » *in bianco* » Hæc namque fieri forsan potuissent, si de fraudando Nicolao actum fuisset; non vero cum res in ejus commodum fuisset composita; quo in themate omnia ipso sciente, ac adjuvante gesta fuissent, uti, quoad alias assertas simulationes fuisse factum Antonius affirmat. Nec minus inverisimile quietantiam de dote, solutione haud expleta, emissam fuisse absque ulla Frisciottii declaratione de ejus simulatione, ad Nicolai indemnitatem, sicuti præter auctoritates in §. 7. præcedentis Decisionis adductas firmat *Rota Decis.* 47 *num.* 17 *cor. Ratta, et in Romana Dotis* 21 *Junii* 1754 §. 9 *coram Vice Comite, et in Faventina Pecuniaria* 25 *Januarii* 1818 §. 5 *coram R. P. D. Odescalchi*. Præsertim vero, cum Nicolai indemnitati consultum fuisse declarationibus bonæ fidei affirmet Antonius, quoad assertos simulatos Contractus, quos proponit ad arguendam in Nicolao ejusque familia simulandi consuetudinem.

5 De Dote itaque scutorum *octomillium*, Mathildi constituta a fratre, per Nicolaum Mathildis Socerum recepta, una cum scutis *tercentis* in ejusdem muliebrem mundum, dubitandum non est. At ad rem magis magisque firmandam, et ut pateat Antonium Nicolai heredem, illius dotis restitutionem declinare numquam posse, ineluctabili dilemmate quæstio est absolvenda. *Aut* dos numerata fuit, uti factum revera fuisse evincitur; et tum nulla subest causa remorandi effectum actionis a Mathilde, pro ea assequenda institutæ. *Aut* fingere placet numeratam non fuisse; et tum hac etiam in hypothesi, ea actio probanda esset, quia, cum de dote agatur quantitativa, si hæc tradita non fuerit, vel ex mora promittentis, vel ex negligentia eam recipere debentis, utriusque bona indiscriminatim, ad ipsam obtinendam, mulier persequi potest uti post *Text. in leg. si Socer.* §. *Lucius ff. solut. Matrim. Mol. n. de Contract. disput.* 423. *num.* 2. *Cancer. Variar. resolut. cap.* 9. *de dote n.* 148 *Rata in Recen. dec.* 542. *n.* 14. *cor. Cerro, et dec.* 552. *cor. Olivat.* probat præcedens *Decisio* §. 7.

Inutiliter vero adversus efficaciam hujusco actionis Mathildis, adea firmiter constitutæ, objici per Antonium viderunt Domini, vel assertam in Joachimo, Mathildis Viro, fundi » *Pontigliano* » possessionem, vel hujus hereditariam Nicolai Patris qualitatem, non adhuc remotam per legitimam ejus hereditatis administrationis redditionem rationis. Jachim etenim, vivente Patre, cujus suberat potestati, illum fundum possidere haud poterat, nisi id ei a Patre speciatim consensum fuisset, quod nullo modo probatur. Nec evincitur illum nunc ab ipso possideri, cum nullo sint in pretio habendi testes id affirmantes, qui pendente lite fuerunt expiscati; immo contrarium probat testimonium Rev. Felicis Papetti Sacerdotali dignitate fulgentis, qui deponit « *Da dieci anni a questa parte ho percipito i frutti del Terreno posto nel Territorio di Monte Cosaro nella contrada di Pontigliano, spettante al sig. Niccola Sabatucci oggi defonto, nella qualità di Amministratore, con animo di restituire in seguito a chi sarebbe stato di ragione i frutti medesimi* » cui non adversatur, sed potius consonat allata per Antonium declaratio Exactoris tributorum, ex qua patet tributa semper ab eodem Administratore Papettio fuisse soluta. 6

Quin rem mutet horum solutionem expletam fuisse nomine Joachim; etenim id fieri debuit, quia in Censuales tabulas fundus relatus fuerat, ut ad Joachimum spectans, quæ relatio, cui peculiares rationes causam dare potuerunt, potis non est ad inducendam in Joachimo assertam fundi possessionem. Aliud etenim est prædium alicujus nomini in censualibus tabulis adscriptum videri, et aliud, longe aliud hoc in ejus esso proprietate, ac dominio. Hinc semper tenuit Sacer Ordo simplicem descriptionem in Censualibus tabulis sub alicujus personæ nomine, hujus dominium, ac possessionem super descriptis 7

prædiis haud probare, uti videre est *in Dec.* 316 *num.* 5. *coram Buratto ibique Adden. num.* 9 *Dec.* 36 *num.* 7 *coram Molines Dec.* 278 *num.* 18 *coram Olivat.*, *et in Albanen. Immissionis* 2 *Martii* 1801 *coram Cesarei.* Præterea vero, cum de Mathildis dote quantitativa agatur, in cujus partem Nicolao ille fundus æstimato datus fuit pro scutis 5500, qualibet in hypothesi, jus erit Antonio, Nicolao heredi, hunc fundum vindicandi, sed solutionem illius quantitatis scutorum 5500 effugere, vel remorari numquam poterit; sub prætextu possessionis illius fundi penes Joachimum Mathildis Virum.

8 Quod autem spectat ad objectum non redditæ ab Joachimo legitimæ rationis administrationis paternæ hereditatis, quam una cum Antonio fratre brevi temporis intervallo possedit, cuique valedixit, extante Antonio unico Patris herede, extraneum hoc prorsus, atque ideo spernendum agnoverunt Domini, quia primarium ad dotis restitutionem a Nicolai hereditate assequendam interesse Mathildis est, secundarium Joachimi, matrimonii onerum ferendorum causa. Præterea agitur de dote, quam Mathildi constitutam ejus frater Mathildis Socero jam numeravit, et quam ipsa ab hujus hereditate repetit, atque in tuto collocare curat, cum nil Joachim ejus Vir possideat, quo ejus dotalibus juribus caveri possit. Non itaque dubium, quin vera in hoc judicio actrix sit ipsa Mathildes, ejus autem Vir cum ea conjunctim agat, uti ejus administrator. Hinc quidquid Joachimo obiici posset, inutiliter adversus Mathildem proponitur, quæ numquam in administrationem hereditatis Soceri sese ingessit. Repetat igitur Antonius ab Joachimo quidquid ab ipso paternæ hereditati delatum asserit, quod facile pensare poterit cum accessionibus dotalibus, et donatione scutorum *decem millium*, cujus validitas binis Sententiis, altera Triumviralis A. C. Juridici Conventus, altera Sacri nostri Tribunalis jam fuit constituta; sed ne sibi blandiatur Mathildis actionem, pro ejus dote institutam, explosa prædicta exceptione retardari posse, cum præsertim accedat juris theorema exploratissimum, dotale mulieris creditum incertas, altiorisque indaginis exceptiones respuere, uti præcedens probat Decisio §. 8.

Vindicant hæc a quacumque exceptione justitiam resolutionis S. Nostri Tribunalis, quoad Mathildis jus ad scuta *octomillia* dotalia contra Nicolai Sabatucci hereditatem, et mandati, ipsi pro hac summa impertiti. Nec minus recte probatum fuit Mathildis creditum in scut. 360 ob spillatica eidem non soluta per quinquennii lapsum, ad totum annum 1818 atque ipsi pro hac summa mandatum fuit concessum. Spillatica namque annua quantitate scutorum *septuaginta duorum* Mathildi a Socero Nicolao fuisse promissa, ineluctabile perhibent testimonium nuptiales tabulæ superius recensitæ; hujusce vero præstationis solutionem expletam a Nicolao fuisse ab anno ineunte 1813 Antonius haud probat. Ergo Mathildi de hoc etiam ejus particulari credito ipse satisfaciat oportet. Opponit quidem huic etiam credito Antonius duo eadem objecta, quæ adversus dotale creditum proponit, quæve superius eliminata fuere; nempe assertam *primum* possessionem fundi *Pontigliano* » ab Joachimo Mathildis viro retentam, et hujus fructuum per ipsum perceptionem; rationem deinde administrationis paternæ hereditatis legittime ab eo adhuc non redditam. Inutiliter vero. Mathildis enim non Joachim proprium est Spillaticorum creditum; hinc quod Joachimo obiici posset, contra Mathildem proponi nequiret. 9

Neque ex fructibus illius fundi Spillatica fuisse soluta deducere Antonius valeret, etiam si concederetur, quod longe a veritate, uti superius fuit demonstratum, distat, Joachimum illum possedisse, ac possidere fundum, ejusque fructus semper percepisse; probandum etenim, hac etiam in hypothesi esset, illorum fructuum partem in solutionem spillaticorum cessisse, qua deficiente probatione, actio tantummodo esset Antonio contra Joachimum de iis fructibus rationem postulandi. Debitis ve- 10

ro præsumptio solutionis Spillaticorum ex eo elicita, quod Mathildes, prout eam decebat, ornata semper incesserit, eliditur animadversione, quod spillatica ipsi fuerunt promissa, præter splendidam exhibitionem, qua et sumptus ad convenientes ei vestes comparandas compræhenduntur, dum spillatica ei pro minutioribus expensis de more fuerunt promissa.

11 Demum illi præsumptioni opponitur, eamque evertit, alia momentosissima, quod scilicet si, ut ipse nos docet Antonius, ante etiam annum 1813 adeo inclinata erat res familiaris Nicolai, ut Mathildes, ad occurrendum ejus necessitatibus, jocalibus etiam sese spoliare debuerit, insaniret profecto, qui crederet Mathildem Spillaticorum solutionem a Socero angustiis oppresso petiisse, eamque ab ipso potuisse expleri, uti optime arguit *Rota in Romana Spillatici* 27 *Aprilis* 1801 §. 8 *coram Resta*, et latius demonstrat præcedens Decisio 4 10. Omnibus itaque superius expositis innixi, Patres præcedentem hanc Decisionem quoad Mathildis credita, dotis Spillaticorum nomine confirmarunt; reservato semper, tam, ipsi, quam ejus Viro Joachimo, jure agendi si velint, in congruo, et separato Judicio, pro mundo muliebri ac dotalibus accessionibus, de quibus ad judicium ferendum proposita ab initio resolvendi Dubii formula non vocavit.

Et ita habita in reliquis relatione ad præcedentem sæpius memoratam Decisionem, definitum fuit: Utraque etc.

NUCERINA SEU SAXIFERRATI

FRUCTUUM DOTIS

Mercurii 6 *Decembris* 1820.

ARGUMENTUM

Argumento non indiget.

SUMMARIUM

1. *Indoles ac natura dotis ea est, ut constante matrimonio fructus pariat.*

Fructus dotis debentur, etiamsi agatur de credito pecuniario, et desit interpellatio requisitorum Castrensium - ibidem. -

2. *Fructus dotis, juxta notissimam* Innocentii XI Constitutionem, *debentur ad rationem scutorum quinque in singula centena capitis.*
3. *Exceptio quae proponi potest contra Virum, nequit obesse Uxori.*
4. *Compensatio non admittitur nisi inter credita, utrinque liquida ac certa.*
5. *Creditum accessionum retinet eandem naturam et indolem ac creditum principale.*

DECISIO X.

Sententia Tribunalis Collegialis A. C., diei 31 Julii 1819, quam binæ confirmarunt Decisiones S. Ordinis per me vulgatæ diebus 28 Aprilis, ac 3 Julii hujusce anni 1820, ac Rotalis Sententia, has subsequens Decisiones, a me signata, definitum fuit, Mathildi Frisciotti, ejusque Viro Joachimo Sabatucci jus esse repetendi ab hæreditate Nicolai Sabatucci, Mathildis soceri, ac Joachimi patris, cui dies 2 Junii 1817 suprema fuit, scuta *octomillia* nomine dotis ejusdem Mathildis, ac scuta *sexaginta* super *tercenta* pro Spillaticis eidem haud persolutis. Quamvis vero illius dotis accessionis prædicta Sententia Triumvirorum in subselliis A. C. sedentium Mathildi, ejusque Viro deberi constituerit a die obitus Nicolai, ad rationem *quincuncem*, et mandatum pro eis actoribus tribuerit, atque deinceps, die 22 Octobris anni 1819 requisita Castrensis a prædictis Creditoribus interpellata fuissent ad rationem *bessem*, tamen cum in formula Dubii a S. Ordine dirimendi petitio quoad eas accessiones comprælıensa non fuisset, de hisce patres judicium ferre non potuerunt, easque ad præcipuam disputationem sub congruo Dubio amandarunt. Hoc itaque dubium, ita conceptum = *An, et in qua summa constet de credito fructuum dotis, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* = in hodiernis Comitiis Dominis a me propositum, resolutum fuit Responso = *Affirmative, et constare de credito ad rationem scutorum* QUINQUE *usque ad diem interpellationis, et deinde ad ratio-*

nem scutorum OCTO, et mandatum esse relaxandum pro summa liquidanda =.

1 Certum quippe jus est Mathildis, ejusque Viri Joachimi assequendi ab hæreditate Nicolai Sabatucci restitutionem dotis, quam Mathildis Frater, Franciscus Frisciotti, ipsi Nicolao tradidit, cum id fuerit Rejudicata constitutum. Certum itaque pariter est, una cum dote hujus fructus esse prædictis Conjugibus persolvendos. Cum enim indoles, ac natura dotis ea sit ut, constante matrimonio fructus pariat, hi, uti dotis accessiones, debentur, etiamsi agatur de Credito pecuniario, et desit interpellatio requisitorum Castrensium, quia ad matrimonii onera sustinenda sunt assignati ad *Text. in leg. Dotis fructus ff. de jure dotium*, *leg. Etiam*, *et leg. pro oneribus Cod. eod.*, *et Rot. Decis.* 359 *num.* 6 *part.* 12 *in recen.*, *et in Romana Successionis* 21. *Februarii* 1777 §. *final. cor. Ratta, et in Asculana Dotis* 23 *Junii* 1806 §. 2. *coram Piccolomini* = Constat ergo in genere de credito dictorum Conjugum nomine fructuum illius dotis. Quo vero ad ejus quantitatem in specie, liquidatio ineunda erit juxta tempus, a quo ii fructus ab hæreditate Nicolai deberi inceperunt, et juxta taxam legalem, usque ad interpellata per eosdem Conjuges requisita Castrensia, et deinceps juxta rationem in interpellatione designatam.

2 Ad epocham quod spectat, a qua fructuum cursusititium habuit, constituenda pro ea est dies 2 Junii 1817, ea namque die Nicolaus Sabatucci obiit, et tum dotis restitutioni locus fuit factus, atque matrimonii onera praedictos Conjuges gravare cæperunt; ratio vero, quam sequi opurtet in computandis iis fructibus, est taxa legalis, quæ juxta notissimam Innocentii XI. Constitutionem, evehitur ad scuta *quinque* singula centena capitis, et singulos annos, et dotium fructibus convenit ad firmata per *Rot. decis.* 47 *num.* 8 *tom.* 1 *coram Olivatio, in Romana Dotis super fructibus* 16 *Junii* 1760 §. 2 *coram Herreros, et in Asculana Dotis* 23 *Junii* 1806 §. 3 *coram Piccolomini*, atque ita fructus computandi sunt usque ad diem 2 Octobris 1819: qua die Conjuges Castrensia requisita adversus Antonium Sabatucci, unicum Nicolai hæredem, interpellarunt; ab hac autem die in posterum in pretio habenda est hæc interpellatio, atque ideo, secundum eam, ad rationem *bessem* illorum fructuum calculi sunt subducendi. Futilis vero est objectio de Dotis Credito incerto, ac illiquido, ex quo desit in Antonio Sabatuccio mora in eo exsolvendo, et ideo alterum e Castrensibus requisitis. Certum enim semper, et liquidum illud Creditum dicendum est, cum dotis quantitatem in scutis *octo millibus* probent nuptiales tabulæ diei 22 Aprilis 1808, eamque a Nicolao parente, et auctore Antonii fuisse receptam, partim æedem evincant tabulae, partim Nicolai acceptilationes demonstrent, et qnod ea dos ab hæreditatè Nicolai restituenda sit extra omnem dubitationis aleam positum sit. Mandatum itaque conjugibus Sabatucciis est adversus Antonium, pro dotalibus accessionibus in summa, modo snperins exposito liquidanda, tribuendum.

Prorsus autem spernenda esse Patres censuerunt objecta plures ab Antonio proposita quoad caput dotis, ac pluries profligata, nempe quod Conjuges Sabatuccii nequeant nunc illius dotis accessiones postulare, *vel quia* Joachimus de hæreditatis paternæ administratione rationes haud adhuc exposuerit, *vel quia* retineat possessionem fundi *Pontigliano*, in partem dotis Mathildis ab ejus fratre æstimato dati. Quoad enim propositum defectum redditionis rationis prædictæ, hoc objectum involvit indaginem, et, uti impar reputatum fuii ad remorandum actionem pro restitutione dotis, quae paratam habebat exequutionem, sic in pretio haberi nequit ad retardandam consequutionem fructuum hujusce Dotis, qui sunt hujus dotis accessiones, et hujus sortem sequi debent. Præterea fructus dotis erogandi sunt in sustentationem onerum matrimonialium, atque ideo in alimenta Mathildis, et 3

filiorum, hisce itaque obesse neqoit exceptio, quae adversus Joachimum tantum proponi potest.

4 Incertum insuper prorsus est an quid Joachimus, administrationis nomine, paternæ debeat hæreditati; certum vero est accessionnm creditum: ergo nulla fieri potest inter hæc nomina compensatio, numquam, nisi intor credita, utrinquo liquida ac certa ex jure admittenda, uti tradunt, *Bersan. de Compensationibus cap.* 2 *quæst.* 2 *num.* 2, *et quæst.* 1 *num.* 1 *et* 2. *Gratian. Discept. Foren.* 448 *numer.* 1 *Urceol. Consult. Foren. cap.* 79 *numer.* 20, *et firmat. Rota in Romana Pecuniaria* 12 *Januarii* 1751 §. *final. coram Caprara, et in Romana Pecuniaria super compensatione* 5 *Martii* 1806 §. 3 *coram Strasoldo, et in Perusina Pecuniaria* 31 *Januarii* 1820 §. 5 *coram Me, et in Confirmatoria* 8 *Maii* 1820 *pariter coram Me.* Cæterum, si quid restituendum esse ab Joachimo ex redditione rationis constabit pensari poterit cum donatione *scutorum decemmillium*, pro qua ipsi per remjudicatam adversus paternam hæreditatem jam incluctabiliter constituta est actio. Incivile vero est quædam obiicere verba, quao in Decisione *Nucerina, seu Saxiferrati Dotis* 3 *Julii* 1820 §. 11 *coram Me* leguntur; hæc namque ab abundantiam tantum, et incidenter fuerunt scripta, ut magis magisque pateret quam futiliter obiiceretur, ad retardandam dotis restitutionem, assertum Joachimi debitum ex paternæ hæreditatis administratione breviter retenta, cum præsertim attendendum non sit quidquid in Decisionibus, a merito principali extraneum, forte exciderit, ut sæpius respondit S. Tribunal, teste praesertim *Dec. Romana, seu Viterbien. Dotis, et Lucri super Exequatur contra bona fideicommissaria* 14 *Maii* 1756 §. 8 *coram Canilliac.*

5 Quo vero ad assertam penes Joachimum possessionem fundi = *Pontigliano* = *primum* hanc S. Tribunal in facto hand consistero putavit, testibus binis Decisionibus *in Nucerina, seu Saxiferrati Dotis, et Spillaticorum a Me editis diebus* 23 *Aprilis, et* 3 *Julii* 1820 *Dein* si Antonius evincere posset Joachimum illum reapse fundum possedisse, et ex ea fructus percepisse, id tamen nihil ipsi, ejusque Uxori obesset quoad dotalium fructuum consequutionem: *quia* Conjugum Creditum hinc manans est liquidum, et certum; illiquidum vero, et incertum semper esset Joachimi debitum ex asserta illorum fructuum perceptione, ex quo via compensationi praeclusa est; *quia* creditum accessionum actionem habet, cui exequutio parata est; uti eam babet creditum dotalis capitis, quaeve turbidis exceptionibus remorari nequit: *quia* dotalium fructuum assequutio, e quibus Mathildes alenda est, praepediri nequit exceptionibus, quae contra ejus Virum tantum proponi possunt: *quia* demum ad eos fundi = *Pontigliano* = fructus repetendos, haberet semper Antonius quo se verteret, scuta nempe *decem millia* Joachimo ab hæreditate Patris, ex hujus donatione debita.

Et ita etc. utraque etc.

PERUSINA

LIBERATIONIS A MOLESTIIS

Lunae 26 *Junii* 1820.

ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. *Venditar tenetur servare emptori, quietam, et pacificam rei emptas possessionsm.*

   Qui molestiis facto suo causam dat, molestias suscipere tenetur - ibidem. -

   Actio pra molestiis, transit contra haeredes - ibidem.

2. *Molestiae eo magis debentur, ubi pactum expressum accedit.*

3. *Ubi promissa est liberatic a molestiis, debentur, statim ac fuerunt illatae, nes quaeritur utrum justae fuerint nec ne.*

   Emptori cui sunt superventae malestiae, duplex adest remedium, agere adversus venditorem pro damnis, et pretium non solutum retinere donec res libera tradatur - ibidem. -

DECISIO XI.

Ut perpetuum pietatis monumentum relinquerent Anna, et Angela Sensi germanæ sorores, e Civitate Perusiæ, anno 1795 in reciproco, quod scripserunt, testamento laicalem Cappellaniam in Ven. Ecclesia RR. PP. Servorum Bme Virginis Mariæ ejusdem Civitatis, instituendam esse post ipsarum mortem præceperunt, constituto pro illius dote haud exiguo prædio = *nelle pertinenze di S. Egidio* =; præscripserunt vero, quod ipsius prædii dominium, ac possessio penes Cappellanum pro tempore maneret, cum perpetuo onere tot Missas in quolibet anno celebrandi, quot prædii redditus concederent: jus dein nominandi successoribus, et descendentibus tribuerunt, lege adjecta, ut nominatio fieret intra quindecim dies a morte testatricium, vel Cappellani, quo tempore elapso, nulloque Præsbytero nominato, nominandi facultas ad Priorem Ven. Ecclesiæ S. Martini Perusiæ deferretur. Hac cum voluntate Anna Sensi suum obiit diem supremum; Sed Angela levioris ingenii, non solum quoad se legatum pium revocavit, sed prædium etiam, quod erat Cappellaniæ, nomine dotis, addictum Antonio Baldella, uti liberum, vendidit, pretio in scut. *mille biscentum* constituto, spondens amplissimis formulis sese ab omni molestia liberaturam emptorem, eique omnimodam promittens evictionem. Sed Baldellius in Instrumenti stipulatione adeo enixe propriæ prospexit indemnitati, ut insuper solidalem fidejussionem, ac expromissionem Georgii Monottii obligationi mulieris accedentem voluerit.

Angela postea defuncta, Monottius eidem hæres extitit; Sed, eum is a nominatione Cappellani sese abstineret, etiam pro ea parte Cappellaniæ, quæ a voluntate Annæ Sensi pendebat, et integram servari Angela in suis testamentariis tabulis præceperat R. Prior Conventus S. Martini, ne amplius viduata suo Rectore Cappellania esset, Rev. Nicolaum Brugalassi nominavit, qui, in vim hujus nominationis, institutionem ad Cappellaniam adeptus est, sed prædii possessionem consequi haud potuit, quia jamdiu istud fuerat Baldellio venditum. Hinc plures ortæ sunt lites. Instructo enim per Brugalassium judicio Immissionis ad prædium *S. Egidio*, et ex adverso Baldellio urgente contra Monottium liberationem a molestiis, res prius ad Curiam Episcopalem Perusiæ venit: quare binas Vicarius Generalis protulit Sententias; alteram pro Brugalassio, quæ immissionem ad medietatem prædii concessit, reservato ei jure pro altera medietate; alteram contra Baldellium quæ ejus petitionem, liberationis a molestiis rejecit. Utraque controversia contextim postea ad Tribunal Collegiale A. C. in gradu appellationis delata fuit. Tum hoc Tribunal confirmato Mandato Vicarii Generalis, quoad immissionem Brugalassio tributam, alteram ejusdem Vicarii Generalis Sententiam Monottium a petita per Baldellium liberatione a molestiis absolventem, omnino infirmavit, atque evictionem a Monottio erga Baldellium præstari jussit. De hac Sententia Monottius conquestus, obtinuit, ut ex Decreto Supremi Signaturæ Tribunalis res in controversiam revocata, cum clausula *De causis*, concederet ad Nostrum S. Auditorium. Sed, cum in hodiernis Comitiis Patres interrogaverim = *An constet de rejudicata, seu potius de causis restitutionis in integrum in casu ec.* = Monottius vadimonium deseruit; quare responsum accepi = *Pro Informante* = nimirum = *Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.*

Actio a Baldellio promota undequa- 1
que clarissima est, sive *jus* spectetur, sive *pactum*. Nil enim vulgatius, certiusque in jure est, quam quod venditor teneatur defendere Emptorem, servareque ei quietam, et pacificam rei emptæ possessionem, molestiasque suscipere, quæ super re empta supervenerint = *ad Textum in Leg.* 1 *ff de obligationibus, Leg. ex empto ff de act. empti Leg. si emptor § Vacua ff de Evict. quæst.* 17 *num.* 5 *Card. De Luca de Empt. Diss.* 13 *num.* 8 *Rota decis.* 195 *num.* 2 *cor. Tanar. in Romana Applicationis super Liberatione a Molestiis* 13 *Junii* 1750 § 3 *cor. De Vais, in Ferentina Salviani* 29 *Junii*

1751 § 11 *coram Cortada, in Tyburtina Prælationis super Liberatione a Molestiis* 6 *Julii* 1804 § 4 *coram Guardoqui*. Quæ juris vulgatissima regula in hac, qua versamus hypothesi eo magis attendenda est, quia molestiæ ex dolo venditricis provenerunt, quæ vinculum, cui prædium erat, saltem pro medietate, obnoxium haud ignorans, rem non suam nihilo secius Baldellio vendidit. Qua de re, cum ex ejus quodammodo facto evenerit, quod molestiis emptor subjectus fuerit, et prædii medietatem amiserit, etenim si Angela haud reticuisset hanc medietatem Cappellaniæ addictam mansisse, eam procul dubie ipso haud emisset, eo magis juris rigor expostulat, ut Angela, quæ molestiis, et damnis causam dedit, molestias suscipere, ac damna reficere teneatur *Rota in Romana liberationis a molestiis* 5 *Julii* 1804 § 4 *coram Guardoqui in Urbevetana, seu Balneoregien. Liberationis a Molestiis* 10 *Martii* 1815 § 3 *et* 5 *cor. Tassoni, et in Confirmatoria* 6 *Junii ejusdem anni* § 3 *et* 4 *coram Eodem*; Hec vero actio, quæ ex jure Baldellio competeret adversus Angelam, si in humanis esset, ei nunc competit contra Monottium Angelæ hæredem, in quem omnes auctricis obligationes transierunt.

2 Id autem, quod ab *jure* descendit magis tenendum est ob disertam accedentem stipulationem, qua Angela fidem interposuit de omnimoda libertate rei venditæ, et explicite evictionem promisit; Monottius vero accedens, uti solidalis fidejussor, ac principalis obligatus in se eam suscepit obligationem. Siquidem in emptionis, venditionisque contractu Angela sub juramenti vinculo, et sub Camerali formula sese obstrinxit = *alla tradizione della cosa libera, ed alla manutenzione nel quieto, e pacifico possesso, e liberazione da tutti, e singoli danni, Spese tanto giudiziali, che stragiudiziali, e generalmente di ogni evizione* =, et inferius Monottius adjecit =, *Sebbene sappia non essere a cosa alcuna tenuto a favore di Baldelli, accede in sicurtà, ed in solido; si obbliga con detta Signora Angela per sicurezza della sopra promessa evizione, e manutenzione nel possesso di detto predio, volendo esser tenuto come principalmente, ed in Solido obligato* = Cum igitur re vera molestiæ supervenerint, adeo ut immissionem ad rem venditam Brugalassius obtinuerit, plane commissa videtur stipulatio, ideoque, cum humanæ fidei ratio exposcat, ut id præstetur, quod promissum est, liberationem a molestiis Baldellius a Monottio consequatur oportet, tam ex *pacto*, quam *jure* sibi debitam *Decis.* 64 § 1 *cor. Bichio Decis.* 55 *n.* 4 *cor. Priol. Decis.* 6 *n.* 7 *cor. Falconerio de Fidecommisso Decis.* 120 *n.* 2 *cor. Rezzonico Decis.* 544 *num.* 2 *cor. Olivat.*

Quæ sane everti minime possunt propositis objectis: nempe *quod* justæ molestiæ fuerint, quas Brugalassius intulit, et *quod* Baldellios non integrum pretium exsolverit. Nam ad *primum*, quod attinet, id prorsus futile est, cum nunc quærendum non sit, an molestiæ illatæ justæ fuerint nec ne, sed tantum sufficiat demonstrare eas extitisse, ut venditor ad Emptorem ab iis liberandum, et ad evictionem præstandam damnetur, *Decis.* 657 *n.* 4 *et* 5 *cor. Molines Decis.* 229 *n.* 10 *et* 11 *cor. Herzan. in Romana seu Viterbien. liberationis a molestiis* 4 *Julii* 1803 § 4 *coram Rusconi in Romana, seu Viterbien. Liberationis a Molestiis* § 4 *coram Tassoni*; quæ demonstratio nullo modo in themate desideratur, cum binæ extent Sententiæ, quibus Baldellius medietatem prædii dimittere coactus fuit, damnaque, et expensas Brugalassio reficere. Altera vero objectio non minus a veritate facti, quam ab juris dispositione abhorret. Nam integrum pretium Baldellium exsolvisse aptissime ex exhibitis documentis constet; et etsi non integrum pretium exsolverit, nil tamen referret, cum duplex præsto sit remedium semper emptori, ut, et adversus venditorem agat ad damna, et interesse ob rem libere non traditam, et simul retineat pretium, donec res libere tradatur, vel libera efficiatur, si alicui oneri obnoxia tradita fuerit ut ad rem *Constant. ad stat. Urb. Annot.* 27 *Art.* 1 *n.* 4 *Rota in Romana, seu Asculana Evictionis super Solutione Pretii* 4 *Junii* 1770 § 1 *et* 2 *coram Riminaldo.* 3

Atque Ita etc. Unica etc.

PERUSINA PECUNIARIA

Lunae 31 *Januarii* 1820.

ARGUMENTUM

Si debitor promiserit cautiones, et vel non dederit, vel postea imminutae sint, creditori statim jus oritur repetendi sortem crediti. Ex Gallicis legibus, ad reddendum frugiferum caput haud opus erat interpellatione requisitorum Castrensium.

SUMMARIUM

1. *Compensatio non admittitur nisi inter credita utrinque liquida.*
   Sententia quae nondum significata fuit, et a qua provocare licet, non probat creditum - ibidem. -
2. *Ubi constat pecuniam numeratam fuisse, haud licet arguere quod creditum conflatum sit pretio mercium.*
3. *Ex pacto jus oritur repetendi sortem crediti etiam ante tempus constitutum, si debitor conventis conditionibus non obtemperaverit.*
4. *Induciae debitori indultae prodesse haud possunt, si cautiones creditori promissae vel non sint datae, vel postea sint imminutae.*
   Argumento sumpta a minori ad majus maximopere probat - ibidem. -
5. *Gallicis imperantibus legibus, opus non erat interpellatione Castrensium ad reddendum frugiferum caput.*
   Ex Municipali Perusii sanctione, haud necesse erat personalis denunciatio requisitorum Castrensium - ibidem. -

DECISIO XII.

Fœnebrem ad scuta usque 2584, die 6 Novembris anni 1813, quo tempore Gallicum obtinebat jus, Francisco Mari, et Florido Chiausini pecuniam dedit Perusinus Negociator Arcimirrus Coppioli. Usuræ ad trientem rationem promissæ; triennii terminus pro restitutione fuit constitutus. Duo præcipue in hoc contractu attendenda. *Primum* quod, detrectantibus debitoribus usurarum solutionem de semestri in semestrem, et elapsis, post unum ex hisce terminis, quindecim diebus, mora ab ipsis illico contracta intelligeretur, ita ut, ulla absque interpellatione, et Judicis Officio, creditori caput, usurasque repetere liceret. *Alterum*: in conventi fidem, et cautionem juxta susceptam obligationem, debitores quædam speciali hypothecæ subjecisse prædia, ea prorsus ab omni alio onere immunia asserentes = *assoggettandosi in caso contrario alle pene prescritte dal Codice Civile contro lo stellionato* =. Quoad utrumque pactum fidem debitores fregerunt. Quæ temere libera dixerunt prædia, multiplici hypothecæ nexu antea implicita detecta fuerunt: Statoque tempore fructus ipsi rependere neglexerunt. Quare juxta conventionem, et Gallorum Leges, crediti capitis restitutioni locum jam factum fuisse non injuria putavit Coppiolius.

Adiit itaque die 23 Maii anni 1814, publicis rebus jam feliciter restitutis, R̃mum Vicarium Generalem Perusii, caput illud una cum depactis, et non solutis usuris vindicaturus. At hic Judex ratus, conventione spreta, debitores in moram haud incidisse, solemni deficiente interpellatione, eos, Decreto die 23 Septembris illius anni pro lato, a restitutione sortis debiti in Scutis 2584 absolvit, sed insimul ipsos damnavit ad solvenda Coppiolio Scuta 51, et obul. 68 usurarum nomine, intra Mensis terminum, quo elapso; hisque non repensis, nedum pro hac summa adversus eos = *Mandatum exequutivum relaxavit, verum etiam eosdem reos conventos constitutos fuisse legaliter in mora pro restitutione sortis declaravit, et pro constitutis haberi mandavit* =. Tum autem Coppiolius, secundum præscripta Commissionis Status, quoad credita frugifera Gallis imperantibus contracta, Castrensium requisitorum interpellatione, die 28 Septembris 1814, sibi prospexit, *bessi* denunciata usurarum ratione. Præteriit vero non solum prædictus Mensis, terminus a Vicario Generali constitutus, sed alter etiam semestris ad diem 6 Novembris 1814 absque quo, ne obolum pro fructibus Coppiolio morosissimi debitores numerassent; hinc opus fuit ut ipse ad præfatum Judicem rediret.

Quamvis terminus ad appellandum a prædicto Decreto Vicarii Generalis; quo Marius, et Chiausinius ab Incursu in moram ob lapsum prioris Semestris absoluti fuerant effluxus adhuc non foret,

tamen Coppiolio ipsi objecerunt eorum creditum pro sumptibus litis in Scut. 43 et ob. 34, hujus compensationem postulantes cum summa ab eo petita Scutor. 51, et ob. 68 ideoque sese ejus debitores in summa tantum scutorum octo, et ob. 33 renunciante. Coppiolius vero, ob ipsos in moram incursos, nedum ex pacto, et lege, sed etiam ex prædicto Decreto, instituit pro restitutione sortis crediti, et consequutione fructuum. Hanc Coppiolii instantiam omnino despexit ille Judex decernens, dio 13 Septembris 1815 petitam a Mario, et Chiausinio compensationem esse admittendam, ideoque moram ab iis non fuisse contractam, et ipsos ad Sortis restitutionem adigi non posse; atque mandans Scuta 8 et ob. 33, ab ipsis, fructuum nomine, oblata, per Coppiolium esse recipienda.

Caussa, Coppiolio provocante, ex Decreto Auditoris Signaturæ ad S. Ordinem conscendit. Proposita primum die 21 Junii 1818, Ponente R. P. D. meo Bussi sub Dubio = *An sit locus compensationi, seu potius constet de credito, et in qua summa sit relaxandum mandatum in casu etc.* absentibus ab judicio debitoribus Rescriptum prodiit = *Pro Informante* = Arcimiro Coppioli, nempe *negative quoad compensationem in reliquis constare de credito, et esse relaxandum mandatum, tam pro sorte Crediti in scutis* 2584, *quam pro fructibus decursis ad rationem scutorum quatuor in singula Centum, usque ad diem* 28 *Septembris* 1814, *qua locum habuit interpellatio requisitorum Castrensium, et post dictam diem in scutis octo in singula Centum, usque ad diem effectivæ restitutionis sortis* =. Indulto debitoribus novæ Audientiæ beneficio, iterum die 11 Decembris ejusdem Anni 1818 idem R. P. D. Ponens Patrum Sententiam super caussa requisivit, sub assueta Dubii formula, et silentibus debitoribus, responsum habuit = *in Decisis* =. Rursus deinceps debitoribus hisce obloquendi potestas fuit facta, et die 22 Martii 1819 ipsis sua deducentibus jura, et cum Coppiolio certantibus, iterato de more Dubio Patres rescripserunt = *Quoad compensationem, et Creditum sortis, et fructuum ad rationem scutorum quattuor in singula Centum in decisis, in reliquis iterum proponatur, et videant Quintus, et Sextus* =, ex quo tertia consultissima ejusdem R. P. D. Ponentis Decisio prodiit, atque consona super *resolutis* Sententia post Rescriptum = *Expediatur* = ab ipso subsignata. De bujus Sententiæ viribus hoc mane Patres consului, suumque morem vadimonium deserendi servantibus debitoribus, Mario, et curatore hæreditatis jacentis Chiausinii, me interrogante = *An Sententia Rotalis sit confirmanda, vel infirmanda in casu etc.*, responderunt = *Sententiam Rotalem esse confirmandam* =.

De Rotalis Sententiæ justitia cum ambigi nequeat, ea est confirmanda ad 1
text. in Cap. Causam de Sententia, et Re judicata, Rota in Nucerina Juris pascendi 23 *Junii* 1783 *coram Riminald.* § 3 *et in Romana Patrimonii Sacri* 5 *Decembris* 1785 *coram eod.* § 2. Optimo vero jure hac Sententia denegata fuit Mario, et Chiausiniæ hæreditati, compensatio crediti, ab iis propositi ex litis sumptibus, cum usuris cambii priori semestre decursis. Coppiolii namque creditum hinc manans, et ad scuta 51, et obul. 68 adscendens liquidum omnino esse Perusini Vicarii Generalis Sententia constituerat, et Mensis terminum ad illud exsolvendum debitoribus præfinierat. Contra vero propositum illud a Mario, et Chiausinio Creditum, non ine expensarum litis, nec liquidum, nec exigibile erat, donec in rem Judicatam transacta esset Sententia, qua a mora immunes ipsi declarati fuerant. Exulet idcirco oportet compensatio, numquam nisi inter Credita, utrinque liquida, admittenda, uti tradunt *Bersan. de compensation. Cap.* 2 *quæst.* 2 *num.* 2, *et quæst.* 1 *num.* 1, *et* 2 *Gratian. Discept. Foren.* 448 *num.* 1, *Urceolus Consult. Foren. Cap.* 79 *num.* 20, *et Rota in Romana Pecuniaria* 12 *Januarii* 1751 § *fin. coram Caprara, et in Romana Pecuniaria super compensation.* 5 *Martii* 1806 § 3 *coram Strasoldo.* Quin ad compensationem obtinendam debitoribus prosit contendere prædictam Vicarii Generalis Sententiam ab utraque parte acceptam fuisse habitam. Coppiolius namque illam Sententiam numquam probavit ejusque instantia, a debitoribus

objecta, respexit tantum ad accepto ferendam caducitatem ipsorum a beneficio purgationis moræ, atque resolutionem contractus: id enim ipse expressim declaravit iis verbis *prævia acceptatione caducitatis purgationis moræ, et resolutionis contractus, citationem expediri petiit.* Nullum itaque creditum adversus Coppiolium ab ea Sententia desumitur, quæ ei nondum significata fuit, et a qua ipsi provocare licet.

2 Eliminata prorsus compensatione, jure meritoque Rotali Sententia relaxatum fuit contra debitores *mandatum exequutivum pro sorte Crediti fructiferi in scutis* 2584, *nec non pro fructibus ejusdem Crediti pro nunc; ad rationem conventam scutorum quatuor in singula centum decursis, et decurrendis usque ad effectivam sortis restitutionem* =. Etenim cum constet anno 1813 sub die 6 Novembris Coppiolium scuta 2584 Mario, et Chiausinio numerasse, triennalibus induciis ad ea restituenda constitutis, uti solemnes hac de re conscriptæ tabulæ fidem faciunt, consequitur inde, quod Crediti Coppiolii caput, id e numerata reapse pecunia constitisse, non è gemmarum, atque mercium pretio, uti nulla allata probatione debitores asseruere: atque id caput, ob triennii lapsum esse procul dubio restituendum, ulla absque ulteriori mora.

3 Accedente prætерea quod, etiam ante constituti triennii finem Coppiolio jus ortum fuit creditam repetendi pecuniam, tam *ex pacto*, quia induciæ debitoribus concessæ fuerunt ea sub conditione, quod, ipsius depactas de semestri in semestrem usuras non solventibus, uti haud solverunt, et effluxis, præter unum semestrem, diebus *quindecim*, obstricti essent *nel SUDETTO caso di morosità a restituire la somma principale, liberamente, ed ogni eccezzione rimossa*, et Coppiolio liceret *esigere la sopradetta somma Capitale quindici giorni dopo lo scaduto semestre, liberamente, e senza alcun'atto di procedura*; cui pacto omnimodam efficaciam esse tribuendam dubitare non sinit *Textus in leg.* 12 *Cod. de contrahenda, et comm. stipulatione*; Gallicus Codex art. 1139, qui vigebat, quo tempore contractus initus fuit, ad cujus tramites de rebus, eo stante transactis judicium est ferendum, juxta Sacri Ordinis Decisiones in *Veliterna Consuccessionis* 16 *Januarii* 1815 *coram Emo Cesarei, in Narnien. nullitatis testamenti* 16 *Junii* 1815 *coram Rmo P. D. Decano Serlupi, et in Fulginaten. Nullitatis Testamenti* 20 *Januarii* 1816 *cor. Tassoni, et in Romana* 18 *Martii* 1816 *coram R. P. D. Odescalchi* § 3, atque Sententia toties a Sacro Ordine, quoad hujuscemodi conventiones, tam antiquitus, quam novissimis temporibus pandita, uti patet ex *Dec.* 445 *num.* 13 *et* 14 *part.* 9 *tom.* 1, *et dec.* 227 *num.* 2, *et* 3 *part.* 17 *in recent. in Perusina Juris redimendi* 10 *Maii* 1745 *coram Vai* § 16, *et in Romana Damnorum, et interesse* 16 *Februarii* 1818 *cor. R. P. D. Bussi* § 13.

Crediti sortem ante triennium restitui sibi Coppiolius petere poterat altero etiam ex titulo, quia nempe, ut eum securum facerent prædia debitores hypothecæ subjicere promiscrunt: Sed, quæ huic oneri fecerunt obnoxia, aliorum creditorum hypothecis mancipata jam fuerant; quare id idem fuit ac nulla illi hypothecæ prædia supponere; atque ideo, conventione non impleta, indultæ ad triennium prædictæ induciæ evanuerunt; hoc expressim constituente Gallico Codice Art. 1186 et 1188, et præsertim Art. 2131, quo cavebatur inducias debitori indultas prodesse haud posse, si cautiones creditori datæ postea imminutæ fuissent, vel fundi hypothecæ subjecti in deterius abissent. Quod si obtinebat, dum debitor in actu stipulationis contractus promissa implevisse non ambigebatur, sed tractu temporis, rei conditione mutata; creditoris cautio imminuta comperiebatur, eo magis id sibi locum vindicet oportet, in casu quo usque ab initio, contra datam fidem, prædia, haud ab hypothecis immunia, pro Coppioli credito Marius, ac Chiausinius obligarunt: argumento sumpto a minori ad majus ad tradita per *Everard. in Topic. loc.* 65 *Farinac. in prax. quæst.* 24 *num.* 10 *Pacion. de locat. lib.* 2 *cap.* 28 *num.* 41 *Barbos. in loc. comm. arg. jur. loc.* 13 4

num. 1 2 *Surd. dec*, 254 *num.* 15 *Rota in Nuperr. tom.* 8 *dec.* 307 *num.* 9. Hæc vero ad magis, magisque Coppiolii jus ad sui Crediti sortem repetendam adstruendum; cum satis superque sit creditum contractum fuisse die 6 Novembris 1813, inducias debitoribus concessas intra triennii cancellos fuisse cohibitas; et nunc *non tres* tantum, sed *septem* ab initio contractu annos effluxisse. Nulla itaque Via Coppiolii debitoribus patere potest ad vitandam mandati relaxationem pro debiti capite, cum nihil unquam proposuerint, quod aliquo in pretio haberi possit.

5 Quæ autem Rotalis Sententia justissima, atque ideo confirmanda est, quoad sortis restitutionem, ea pariter omnino probari meretur, quoad usuras crediti, ad rationem interim *trientem*, donec Sacri Ordinis judicio constitutum fuerit, an major pro hisce ratio admitti debeat. Hæ usuræ per solemnem conventæ contractum debebantur, Gallicis eas, quomodocumque depactas, legibus probantibus. Hisce vero legibus, post SSmi Principis Imperium restitutum, abrogatis, Coppiolius, secundum Instructiones Commissionis Status, usurarum cursum, Castrensibus legitime interpellatis requisitis, confirmavit; Rite igitur eas ipse repetit, et prædicta sententia debere constituit. Inaniter vero Castrensium requisitorum interpellationem haud legitimam dicunt Coppiolii debitores; quia personalis defuit denunciatio: hanc enim ex municipali Perusii sanctione necessariam haud fuisse, constat ex Sacri Ordinis responsis in *Dec. Perusina Pecuniaria* 9 *Maii* 1808 *cor. Gardoqui* § 8.9, *et Perusina Pecuniaria super* 2 *Dubio* 2 *Decembris* 1818 *coram R. P. D. Bussi* § *fin.* Sat superque fuit illa denunciata fuisse Montio Procuratori a debitoribus constituto. cum domicilio in contractu apud ipsum electo; atque pecuniæ investiendæ occasionem sibi præsto esse Coppiolium probasse, allata *declaratione jurata duorum negociatorum*, proxenetarum fidei omnino æquipollente, præsertim, cum res in emporio haud fuisset nota; quibus, una cum mora debitorum extra quamlibet dubitationis aleam posita, concurrentibus, de legitima, atque efficaci illorum requisitorum interpellatione ambigi nequit.

Atque ita Coppiolio tantum Informante; decisum fuit altera etc.

PERUSINA PECUNIARIA

Lunae 8 *Maii* 1820.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur « DECISIO XII ».

SUMMARIUM

1. *Compensatio non admittitur nisi inter credita utrinque, liquida ac certa.*
2. *Caput sortis creditor impetere potest, etiam ante tempus conventum, si debitor conditionibus exaratis non obtemperaverit.*
3. *Vigentibus legibus Gallicis, ad reddendum frugiferum creditum, opus non erat interpellatione requisitorum Castrensium.*

   Jurata declaratio duorum negociatorum, quae requiritur in interpellatione requisitorum Castrensium, suppleri potest etiam per aequipollens - ibidem. -
4. *Testis contra fidem solemnis instrumenti, non sunt audiendi.*

   Testis consanguineus, et decoctus a testimonio ferendo est arcendus - ibidem. -
5. *Etiamsi probetur quod loco pecuniae res fuerit tradita, non ob id contractus labe usuraria infectus dici potest.*

   Nequit amplius impugnari creditum, contra quod petita fuit compensatio - ibidem. -

DECISIO XIII.

Crediti frugiferi nomine scuta 2584, quæ Florido Chiausini, et Francisco Mari, die 6 Novembris anni 1813, suppeditaverat Arcimirus Coppioli, honestissimus Perusiæ negociator, ea ipsi esse restituenda, ob pacta a debitoribus non servata, et Cambialis termini lapsum, adjectis usuris numquam solutis, ad rationem *trientem* ad diem usque 28 Septembris 1814, et deinceps ad rationem *bessem*, *geminæ* definiverunt Sacri nostri Ordinis Decisiones, diebus 21 Junii 1818, et 11 Decembris ejusdem anni

a R. P. D. meo Bussi vulgatæ, quas *tertia* confirmavit Decisio, ab eodem R. P. D. Ponente edita, die 22 Martii 1819, quoad prædicti capitis restitutionem, et fructuum solutionem ad *trientem* mensuram, ampliato quoad majorem *bessem* rationem, a die 28 Septembris 1814, judicio ad *quintum et sextum*; oui Decisioni accessit rescriptum *expediatur*, et ad ejus tramites Sententia super *resolutis* fuit emissa.

Non ad jus; quo destituebatur, tuendum, sed ad judicium protelandum, appellationem ab hac Sententia impetrarunt morosissimi debitores; nam, proponente me, die 31 Januarii hujusce anni, Dubium = *An Sententia Rotalis sit confirmanda, vel infirmanda in casu etc.* ipsi, uti in *prima*, *et in secunda* caussæ propositione, in hac etiam *quarta* contumaces fuere: quare ulla absque contradictione Rescriptum prodiit = *Sententiam Rotalem esse confirmandam* =. Attamen non animo fracti Decisionem, Rotalis Sententiæ confirmatoriam, examini subiici postularunt, jactantes sese esse probaturos Cambialis contractus usurariam labem, et nullitatem, et a Sacri Ordinis indulgentia Novæ Audientiæ beneficium obtinuerunt. Cum vero venit *quintæ* propositioni dies constituta, hodierna nempe, instantiam ipsi proposuerunt pro admissione articulorum quibus Coppiolius responderet, super asserta traditione argenti facti, pecuniæ vice, et definitionem Causæ super merito principali comperendinari postularunt. At Domini, ut calumniosæ liti finem tandem imponerent, petitionem pro admissione articulorum repulerunt Rescripto = *Nihil* = et rejecta comperendinationis postulatione, proposito per me assueto Dubio = *An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu etc.* responsum = *In Decisis* = dedere.

1 Nec aliud profecto esse potuisset Sacri Ordinis judicium, etiam si Marius, et Curator Chiausiniæ hæreditati jacenti datus, Decisionem, quæ confirmatur, oppugnassent. Rotalis namque Sententia, ab hac Decisione probata corruere numquam poterit, cum ejus validitas in controversiam haud adducatur, ejusque justitia sit manifestissima. Siquidem optimo jure primum ea Sententia Mario, et Chiausiniæ hæreditati denegavit compensationem crediti, ab iis propositi ex sumptibus litis coram Reverendissimo Vicario Generali Perusiæ actæ, cum usuris Coppiolii foenebris nominis priore semestre decursis. Coppiolium etenim creditum hinc manans, et scuta conflans 51, et ob. 68, vel ipsa Perusini Vicarii Sententia liquidum declaravit: prolatum vero a Mario, et Chiausinia hæreditate creditum, nec liquidum, nec exigibile renunciari unquam poterit, donec Rei judicatæ vires nanciscatur prædicta Perusini Vicarii Sententia, eis partim secunda, quæ a Coppiolio nunquam accepto fuit habita; quæ ei nondum fuit significata; et a qua ipsi provocare integrum semper est. Reiicienda itaque est compensationis postulatio, quæ admitti nequit inter credita haud æque liquida utrinque, ac certa, uti ponderat mea præcedens Decisio § 5 cum auctoritatibus ibi relatis.

Pari etiam cum justitia Rotali Sen- 2
tentia mandatum pro Coppiolio contra debitores relaxatum fuit, tam quoad sortem Crediti in scutis 2584, quam quoad usuras, ad rationem interim *trientem*, decursas, ac decurrendas usque ad capitis restitutionem. Coppiolii crediti restitutioni triennii terminum die 6 Nov. anni 1813 fuisse præstitutum solemnes in id exaratæ tabulæ testantur: quare post triennium jamdiu elapsum, nulla subest ratio, ex qua crediti capitis restitutionem morosissimis debitoribus differre liceat. Præsertim vero, quia Coppiolio jus ortum erat repetendi creditam pecuniam, etiam ante triennii lapsum ex pacto convento, quod ipse illam sibi restitui petere posset, si per unum semestrem, ac quindecim dies depactam de semestre in semestrem usurarum solutionem debitores haud implevissent, uti reapse implere detrectarunt; cui pacto vim omnem esse tribuendam ex præscripto juris communis, et Gallici Codicis, qui de tempore initi contractus obtinebat, et ex constantissima omni ævo pandita Sacri No-

stri Ordinis Sententia, probat præcedens mea Decisio § 7. Idemque ei competebat jus, quia debitores, contra susceptam obligationem temere exhibuerunt in Coppiolii crediti securitatem fundos multiplici hypothecæ nexu antea implicitos, sicuti fuse præcedens mea Decisio § 8 demonstrat.

3 Capitis Coppiolii Crediti restitutioni adjiciendam esse per Marium, et Chiansiniam hæreditatem, solutionem usurarum, ad rationem interim *trientem*, donec Sacri Ordinis judicio constituatur, an ad majorem debeantur modum, non minus recte Sententia Rotali definitum fuit. Hæ solemniter conventæ, debitæ fuerunt, Gallicis vigentibus Legibus, eas quomodocumque depactas probantibus; hisque legibus abrogatis eorum cursum confirmarunt requisita notissima Castrensia a Coppolio, secundum Instructiones Commissionis Status, legitime interpellata. Quin ullo jure huic interpellationi debitores obiiciant defectum personalis denunciationis, et fidei proxenetæ de prompta occasione pecuniam collocandi. Quo namque ad primum, pluries Sacri Ordinis responsis constitutum fuit personalem denunciationem, inspecta Municipali Perusiæ sanctione, haud esse necessariam, ex adductis in præcedenti mea Decisione § 9; quare sat superque fuit ea Castrensia requisita nunciata fuisse Montio, Procuratori a debitoribus in tabulis contractus constituto, cum domicilio apud ipsum electo. Quo vero ad investiendi occasionem, non per pronetam, sed per *juratam declarationem duorum negociatorum* probatam, objectum plane futile est; nam hujuscemodi probationis forma non adeo præcisa, ac substantialis est, ut per æquipollens ea suppleri nequeat; sicut tradit *De Luc· de Usuris Disc.* 37 *num.* 16 *vers. Non videtur, et firmat Rot. in Recen. Dec.* 175 *n.* 2 *p.* 3 *et in Dec.* 666 *num.* 5 *coram Molines*: eoque magis, quia res in emporio haud fuit acta, in quo omnia ad negociationem; et pecuniarum investimenta pertinentia, per proxenetas pertractari, ac ad exitum perduci, plerumque solent.

Proposita vero, ad labefactandam tot Sacri Ordinis Decisionum, Sententiæque Rotalis vim, historiola de argento facto, a Coppiolio, pecuniæ loco, Mario ac Chiausinio dato, quæ nunc primum, post *septem* fere a fœnebri contractu inito elapsos annos, et post litem tamdiu actam, adstrui vellet dicto unius nullam fidem merentis testis, et Articulis Coppiolio exhibendis, prorsus spernenda est. Testes enim contra fidem solemnis Instrumenti, quo debitores fassi fuerunt se recepisse a Coppiolio = *Scudi duemila cinquecento ottantaquattro in tanta moneta d'oro, e di argento di giusto peso, e valore* admitti nequeunt, vetante id Gallico Codice, sub cujus imperio frugiferum nomen fuit contractum, art. 1341. Præterea nullius est ponderis dictum unici testis ad *Rot. in Dec.* 788 *num.* 5 *coram Riminaldi*: cum præsertim sero nimis, et lite jam ad exitum perducta, fuerit expiscatus per *Rotam in Romana Pecuniaria* 1 *Decembris* 1760 § 14 *coram Paracciano: in Ferrarien. Immissionis* 21 *Junii* 1762 *coram Riminald.* § 3 *et in Sabinen. Manutentionis* 4 *Julii* 1780 *cor. Origo* § 5., atque etiam sit Marii, alterius e debitoribus, consanguineus; et demum sit decoctor, ideoque a testimonio ferendo arcendus, ut tradit Sacer Ordo *in Faventina Pecuniaria super credito, et Sequestro* 28 *Januarii hujusce anni* 1820 § 3 *cor. R. P. D. Meo Odescalchi.* Eoque magis nulla huic testi fides babenda est, quia ejus dicto, ne dum debitores conantur frugiferum nomen subvertere, sed immo famam lædere probatissimi negociatoris, quem eis satis non est calumniosissima lite tamdiu vexasse; eoque impudentiæ perveniunt, ut ipsi odiosissimam fœnerandi consuetudinem appingere studeant, contra ejus notissimam honestatem. 4

Quod si Marius, et Chiausiniæ jacenti hæreditati curator datus, evincere reapse possent non pecuniam, sed cælatum argentum eis Coppiolium, pecuniæ vice, tradidisse, non ideo quidquam proficerent ad prædictum nomen irritandum; quia opus præterea esset, ut tradita proferrent argenta, ad eruen- 5

dum ex eorum pretio, an in contractu læsio, præfocatio, ac usuraria labes intercesserint nec ne; quare, assertis receptis argentis non extantibus, inutilis prorsus est de hisce omnibus disputatio ad tradita per Rotam *in Romana Pecuniaria* 28 *Junii* 1762 *cor. Olivatio* § 11, *et in Aesina, seu Fanen. Pecuniaria* 5 *Julii* 1793 § 5 *coram Malvasia*. Accedit etiam inciviliter prorsus adversus frugiferi debiti veritatem, et validitatem debitores insurgere, postquam eam solemniter judicio fassi sunt, dum cum eo debito compensari postularunt assertum eorum creditum ex sumptibus litis coram Perusiæ Vicario Generali actæ: Uti ad *Text. in leg. Mater. ff. de acquirenda hæreditate* tradit *Bersan. de Compensat. Cap.* 3. *quæst.* 26 *n.* 17 et firmat *Rot. Dec.* 614 *n.* 12 *cor. Molines: in Lauretana Dotis, et Fructuum* 4 *Maii* 1753 § 8 *coram Caprara*, *et in Perusina Pecuniaria* 17 *Aprilis* 1809 § 5 *cor. R. P. D. Meo Bussi*. Hinc itaque Sacer Ordo articulos a debitoribus propositos irrelevantes esse agnovit, et noluit instantiam pro eorum admissione probare.

Atque ita, relatione in cæteris habita ad præcedentes Decisiones resolutum fuit: Unica etc.

ROMANA ASSOCIATIONIS

Lunae 26 *Junii* 1820.

ARGUMENTUM

Mora in emphyteusi ecclesiastica contrahitur per biennium, et etiam ante biennium ob pactorum inadimplementum; ac judicium devolutionis nequit remorari ob exceptione compensationis quae proponi tantum potest, vel in suo congruo judicio, vel quum Directarius urget pro solutione canonum.

SUMMARIUM

1. *Collegium Germanicum Hungaricum habetur tamquam Corpus Ecclesiasticum.*

   Corpora Ecclesiastica, ob moram biennii tantum in solutione canonum, jus habent caducitatis judicium instituere - ibidem. -

2. *Libri qui diligenter in Tabulario custodiuntur, auctoritatem constituunt, ac fidem in judicio perhibent.*

3. *Mora contrahitur etiam ante biennium, si pactum expressum accedat.*

   Qui purgationem morae petit, implicite debitum confitetur. - ibidem. -

4. *Fundum intra Urbis maenia contentum ex Pontificiis Constitutionibus ab onere dativae realis eximitur.*

   Inanis est quaelibet ratae commodi disputatio, ubi agatur de fundo intra Urbis circuitum posito - ibidem. -

DECISIO XIV.

Hortum intra Urbis mænia situm in Via = *S. Sabba* =, cujus dominium directum habet Collegium Germanicum Hungaricum, Emphyteusis titulo jam usque a remotiori ævo possidebant RR. PP. Ss. Cosmatis et Damiani Urbis, ac pro eo annuum Canonem scutorum 32. 10 præfato Collegio pensitabant: Quum vero Democratici Regiminis furor in Pontificiam Dominationem irruit; ut calamitatibus, quibus tum premebantur, RR. PP. aliquo modo consulerent, utile illud Dominium, labente anno 1798 vendiderunt Joanni Pancaldi, exiguo accepto pretio, eoque nonnisi in tot nummariis tesseris, quæ eo de tempore obtinebant; et quousque illa Reipublicæ larva perduravit, neque Laudemium persolvit emptor, neque Collegium prout jus exigebat, in Dominum recognovit. Rebus dein pristinæ formæ restitutis, probe novit Pancaldius, ob ea, quæ de bonorum Ecclesiasticorum alienationibus sancita sunt, contractus, quo ipse innitebatur, infirmitatem; ideoque a Summo Pontifice illius confirmationem enixis præcibus postulavit, ac per organum S. Congregationis Episcoporum, et Regularium obtinuit.

Sub auspiciis itaque Eminentissimi Cardinalis Valenti Gonzaga, Collegii Moderatoris, die 24 Augusti 1802 publici solemnisque instrumenti recognitionis in Dominum inita fuit stipulatio, et postquam in eo memorata fuerant ea omnia, quæ Reipublicæ tempore cum RR. PP. Ss. Cosmatis, et Damiani gesserat Pancaldius, et quomodo hic, licet ob

neglectam Laudemii præstationem, aliaque, Emphyteusis pacta neglecta, in caducitatem offendisset, attamen a Supremo Principe *Sanatoriam*, ut ajunt; impetraverat, præcipue quoad eumdem Pancaldium declaratum fuit = *ha riconosciuto, e riconosce in Dominum proprietario, e Padrone diretto del sudetto Orto il predetto Venerab. Collegio* = item Emphyteuta seso soluturum promisit = *al medesimo Collegio l'annuo perpetuo Canone di scudi* 3. 10 *sotto le pene di caducità, e devoluzione da incorrersi ipso jure, et ipso facto*, = atque idipsum amplioribus etiam Clausulis, ac majori perspicuitate in ima tabularum cera promisit = *ed attesa la sudetta ricognizione in Dominum promette di osservare li patti di prima Investitura, pagamento di Laudemio e Canoni decorsi, salva sempre la proprietà, e dominio diretto del sudetto Orto, e salvi qualsivogliano diritti al detto Collegio, come Padrone competenti in specie di accettare la devoluzione nei casi di morosità nel pagamento de' Canoni inosservanza di ciascuno de'patti di prima Investitura, e come se tutti li patti connaturali all'indole di simil contratto fossero espressi, e ripetuti nel presente.*

Fato deinceps cessit Pancaldius quinque relictis superstitibus ejusdem filiis sub uno, eodemque tecto degentibus; rerumque domesticarum administratione a cæteris fratribus, natu Majori, nomine Francisco, demandata, diu hic a debita Canonum solutione cessavit, ac nibilominus silentium servare Collegium coactum fuit per integrum nuperrime Gallorum occupationis intervallum. Hac Deo dante, remota, illico R. D. Canonicus Massajoli, tamquam ejusdem Collegii Administrator, devolutionem acceptam habuit pro Canonibus ad totam diem 11 Novembris anni 1815 decursis, minimeque solutis, nec non Franciscum, aliosque Fratres Pancaldios ad R. P. D. Vicesgerentis Tribunal vadavit, Mandatum de associando adversus eos postulans. Moram hac vice purgavit Franciscus, Canonesque decursos rependit, et quoniam ex Gallicis legibus prædia quoque intra Urbis mœnia sita oneri Dativæ Realis subjecta fuerant, hinc ex Canonum insolutorum summa detraxit Debitor scuta 14, et obul. 98 *pro rata commodi.*

Iterum post hæc in Canonis præstatione per biennium, et ultra defecerunt Pancaldii; quare prælaudatus Præsul coram eodem Judice, et devolutionem acceptavit, et associationem rursus petiit: et quum exciperet Franciscus Pancaldius compensationem ratæ commodi, cujus retentionem sibi debitam autumabat, tum ante, tum post Gallicam occupationem, mandatum tamen de associando Judex relaxavit = *reservato favore Citati jure pro prætensa tantum restitutione ratae commodi anni* 1811 *in congruo Judicio* = Inducias, quoquo valebat modo, captans Pancaldius, tum Signaturam adivit; postea illam declinare studuit; moræ purgationem dein coram R. P. D. Vicesgerente iterum flagitavit; et postquam complures eidem concessi fuere termini, tandem ad supremam Signaturam rediit, ut judicati pro Devolutione editi circumscriptionem, et appellationem assequeretur. Circumscriptio penitus rejecta fuit; minime vero appellatio, in cujus vim quæstionem Nostro huic Ordini hodie dirimendam proposui sub Dubii conciliata formula = *An sit locus associationi Fundi de quo agitur ita ut sit relaxandum Mandatum in casu etc.*, et, certamen refugientibus Pancaldiis, responsum accepi juxta vota Collegii *Informantis* nempe = *Affirmativa in omnibus.* =

Neque aliud responsum profecto exigunt ea, quæ tum in facto, tum etiam in jure ad suam fulciendam intentionem Collegium affert. Ipsum siquidem Horti, de quo quæstio, dominium directum habere, Pancaldios vero nonnisi illius Emphyteutas esse, ex juribus a Joanne Pancaldio sibi quæsitis, nefas prorsus esset in dubium revocare, quum scateant hæc ex ipsis publicis Tabulis *diei* 24 *Augusti* 1802, quibus professus fuit Pancaldius sese merum Emphyteutam esse, eodemque contextu Collegium Germanicum Hungaricum in verum directumque Dominum agnovit: Porro quum, tamquam Ecclesiastica Collegia hujusmodi habeantur, patet quoque 1

Ecclesiasticam, et Emphyteusim existimandam esse; quo in themate mora in solutione Canonum per biennium tantummodo protracta sat, superque est, ut in morosos Emphyteutas caducitatis judicium fiat: ut monet præter cæteros *Card. De Luca de empt., et vendit. discurs.* 78 *num.* 2. *et Rota in Decis.* 573 *nummer.* 12 *coram Molines in Decisione* 76 *num.* 33 *Pi* 12, *et in Decisione* 719 *num.* 1, *et* 2. *P.* 4. *Tom.* 3. *Recen.*

2 Canonum vero præstationem per biennium, et ultra neglexisse Pancaldios ante ultimo contestatam Litem evincebatur, ex postrema ab illis expleta ejusdem Canonis solutione ad totam diem 11 Novembris 1815, et non modo nil aliud post eam diem persolvisse Emphyteutas ex ulla acceptilatione, quæ in eo judicii gradu utique afferri potuisset, apparebat; sed aliunde idem Collegii Hungarici Ratiocinator innixus auctoritate librorum, qui in illius Tabulario custodiuntur, fidem perhibuit jam usque a Mense Novembris elapsi anni 1819 = *che li Signori Francesco e Luigi Fratelli Pancaldi dopo il giudizio di Devoluzione contro i medesimi fatto nell'anno mille ottocento sedici saldarono il Canone dovuto al Venerabil Collegio per l'Orto, ed annessi posto a San Sabba decorso, e non pagato a tutto li undici Novembre mill: ottocento quindici meno scudi quattordici e bajocchi novantotto, che furono ai medesimi rilasciati per buonifico della rata Commodi, come più diffusamente risulta dai Libri presso di me esistenti, e potrà giustificarsi dai detti Signori Pancaldi colla ricevuta alli medesimi rilasciata dall' Esattore del ridetto Collegio* = Postquam autem hæc de ultima paracta solutione pro rei veritate narraverat, addieit = *Dopo detto saldo null'altro hanno pagato, e sono al presente Debitori di anni quattro a tutto li undici Novembre scaduto mille ottocento diecinove.* Atqui ex Actorum serie eruitur Collegii Administratorem devolutionem rite acceptam habuisse baud ante diem 28 Junii anni 1818, elapsis scilicet *septem* mensibus ultra *duos annos* a postrema illa solutione; jure igitur, et facto abunde probata manet devolutionis, et respectivæ associationis actio, qua ob contractam biennalem moram in Canonum solutione, in Pancaldios Collegium intendit.

Quibus accedit primum luculentissimum in ipso recognitionis in Dominum Instrumento appositum pactum quo præsentium Emphytheutarum auctor, dum solutionem annui Canonis sese obstrinxit, addidit = *sotto le pene di caducità e devoluzione da incorrersi ipso jure et ipso facto* = ex quo patet Pancaldios, quum primum in mora esse cæperunt, illico non solum ex jure, verum etiam ex pacto in Devolutionis pœnam incidisse: Deinde accedit quoque per Emphyteutas expetita in duobus consecutivis Associationis judiciis moræ purgatio. Tanta quippe est hujusce petitionis vis, et efficacia, ut implicitam præseferat Debiti confessionem, omnemque respuat, quum de associatione decernenda agatur pro illius admissione difficultatem, ut sæpe monuit Rota, ac præsertim *in Decisione* 773 *num.* 9 *coram Riminaldo, et in Romana purgationis moræ* 12 *Februarii* 1751 §. 4. *coram De Vais.* 3

Quin utiliter Pancaldii opponere valeant compensationem, quam in postremo Devolutionis judicio sibi debitam esse propugnabant pro detractione scilicet *ratæ commodi*, cujus rationem habendam esse contendebant, nedum, Gallicis obtinentibus legibus, quæ solæ oneri Dativæ Realis, et Urbana Prædia subjecerant; sed etiam pro tempore, quod illarum promulgationem præcessit, quodque earumdem obolitionem, vel ad hanc usque diem sequutum est. Quidquid etenim sit de Gallorum Lege, ad cujus tramites detractionem ratæ commodi ad annum usque 1815 admisit Collegium, ut supra dictum fuit, in scutis 14 et obul. 98, indubium aliunde est hortum Emphytheuticum intra Urbis mænia contineri, unde, quum ex Pontificiis Constitutionibus a Fiscalibus illis impositionibus eximatur extranea prorsus quoad Canonem super eo recumbentem esse debet quælibet detractionis ratæ commodi disputatio. Denique, si quid Dativæ Realis nomine pro eodem hor- 4

to quoquo tempore Pancaldii sese persolvisse objicere velint, ut sæpedictam detractionem obtineant, debitumque Canonem per illam, vel ad nibilum redigant, decet profecto ipsos, qui in hac compensatione per modum exceptionis opposita actores fiunt, quid quantumque in eam caussam reapse impenderent, datis Ærarii Præfectorum acceptilationibus aliisve haud levioris fidei monumentis ostendere.

Atque ita etc. altera tantum etc.

ROMANA ASSOCIATIONIS

Veneris 12 *Januarii* 1820.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur « DECISIO XIV. »

SUMMARIUM

1. Qui contrahit iisdem conditionibus exaratis in anteriori Instrumento investiturae, ac postea morae purgationem postulat, eo ipso se ee emphyteutam fatetur.

2. Libri in Tabulario diligenter servati, ac preces porrectae ad moram purgandam, debiti existentiam probant.

3. Collegium Germanicum Hungaricum privilegiis ecclesiasticis fruitur, proinde Emphyteuta ob biennalem moram tantum in caduci paenam incidit.

Accedente pacto speciali, mora contrahitur etiam ante biennium, ob pacti inadem-plimentum - ibidem. -

4. Qui aliquid excomputari a debito canonum vult, ad effugiendam caducitatem, quod crediti supereet offerre, aut deponere saltem debet.

5. Creditum turbidum ac exceptionibus obnoxium nullimode remorari potest expeditissimum associationis judicium.

6. Compensatio haud opponi potest in judicio devolutionis, sed vel eet proponenda in sua congrua sede, vel quando Directarius urget pro solutione canonum.

7. Signaturae Justitiae Rescripta, debent ad unguem servari a Judicibus appellationis.

8. Abest citationis defectus, si ex pluribus fratribus citatus fuerit tantum natu-major, dum is nomine comuni res comunes administret, ac iisdem laribus cum caeteribus fratribus vitam ducat.

DECISIO XV.

Venerabile Collegium Germanicum Hungaricum, ad quod spectat directum dominium cujusdam horti intra Urbis mænia positi in via = *S. Sabba* = obtinuit ab R. P. D. Vicesgerente Mandatum de associando ad eum hortum, quem jure Emphyteusis Fratres Pancaldii retinebant, quia, postquam eis, canones solvere detractantibus, moræ purgatio pluries fuerat indulta, iterum in eorum solutione, præter biennium, ad diem usque 11 Novembris 1817 defecerant, et ideo in caduci pænam inciderant, atque devolutioni viam aperuerant. Cum ope appellationis Causa ad S. Nostrum Tribunal conscenderit, proposito per me, die 26 Junii nuper elapsi anni 1820 dubio = *An sit locus Associationi fundi, de quo agitur, ita ut sit relaxandum Mandatum in casu etc.* = fratribus Pancaldiis certamen refugentibus; datum fuit *in omnibus affirmativum responsum*, uti patet ex mea Decisione, ad illam diem vulgata. Licet vero beneficium novæ Audientiæ adversus hanc Decisionem fratres Pancaldii assequuti fuerint, attamen hoc mane nil eis profuit prædictum Vicesgerentis Sententiam, ac S. Ordinis judicium oppugnare. Nam, cum proposuerim assuetam Dubii formulam = *An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu etc.* = responsum accepi = *In Decisis* =.

Et sane consultissimum. Non enem 1
aliud profecto poterat proferri judicium, cum viribus undique consistere dignoscantur fundamenta præteritæ Decisionis. Nam firmum primum, immotumque manet fratres Pancaldios, ex investitura, eorum Patri Joanni Baptistæ concessa, emphyteutico titulo hortum retinuisse, cujus dominium directum penes Collegium Hungaricum est. Id quippe apertissime patet, *tum* ex disertissimis publicis tabulis *die* 24 *Augusti* 1802 exaratis quibus Joannes Baptista Pancaldius, præsentium emphyteutarum auctor, habita relatione ad primum investituræ instrumentum iisdem pactis, et conditionibus in eo expressis, nitide professus fuit sese emphyteutico jure hor-

tum retinere, atque Collegium Germanicum Hungaricum in verum, directumque dominum agnovit; *tum* etiam ex facto eorumdem fratrum Pancaldi luculentissime evincitur; quia ipsi in duobus consecutivis Associationis judiciis, non semel, sed terque, quaterque ad moræ purgationis expostulatum beneficium ob canones non solutos admissi fuere; nisi enim emphyteutico titulo hortum possidere agnovissent, haud profecto moræ purgationem ad devolutionem vitandam expostulassent.

2 Manifestissimum deinde est moram in canonibus solvendis a Pancaldiis longe ultra biennium fuisse protractam. Constat enim a die 11 Novembris 1815, qua postrema Canonis solutio expleta fuit; Pancaldios, non solum ad diem 8 Junii 1818, cum Collegium acceptam habuit devolutionem, nempe per septem ultra biennium menses, sed etiam, et postea fidei solvendi canones semper defecisse. Nulla enim profertur acceptilatio, quæ quidquam a prædicta die 11 Novembris 1815 in posterum a Pancaldiis, canonum nomine, solutum demonstret; Quin imo Collegii Hungarici Ratiocinator, auctoritati Codicum, qui in Collegii tabulario servantur, innixus, affirmat = *che li Signori fratelli Pancaldi*, *dopo detto saldo*, nempe a Mense Novembris anni 1815 *null'altro hanno pagato*, *e sono al presente debitori di anni quattro a tutto gli* 11 *Novembre* 1819 = cujus rei veritatem magis confirmant preces, quas Pancaldii terque, quaterque porrexerunt, ut dilationem ad moram purgandam obtinerent. Hujus vero petitionis tanta est vis, et efficacia, ut implicitam præseferat debiti confessionem, uti latius demonstrat præterita *Decisio* § 7.

3 Quæ cum omnia certa, atque comperta in facto sint, nec ambigi possit, quin hæc Emphyteusis, cum Collegia privilegiis Ecclesiasticis fruantur, ad tramites Ecclesiasticarum Emphyteosum dijudicari debeat, in quibus biennalis tantum mora sat superque est, ut Emphyteutæ in caduci poenam incidant, locum sibi vindicat in themate dispositio juris, quæ Emphyteutas jus suum amittere statuit si duobus annis tantummodo canon non solvatur, sicuti *Decisio præterita*, pluribus adductis auctoritatibus firmat §. 5 Jure igitur ad hortum, sibi, ob biennalem moram Emphyteutarum in canonum solutione, devolutum, Collegium Associationem postulavit. Istud vero quod ab *jure* disertissimo etiam pacto cautum fuerat. Nam Johannes Baptista Pancaldius sub Camerali obligatione sese subjecit = *alle pene di caducità, e devoluzione da incorrersi ipso jure, et facto*, et postea adjecit *salvi qualsisiano diritti al detto Collegio*, *come padrone competenti*, *in specie di accettare la devoluzione nel caso di morosità nel pagamento dei Canoni*, *ed inosservanza di ciascuno dei patti di prima Investitura* =. Quare, cum Johannes Baptista Pancaldius hisce apertissimis verbis pactus fuisset ut, si moram in exsolvendis canonibus contraxisset, ipso jure, et facto, ob inadimplementum pactorum, facultas esset Collagio recuperandi horti possessionem, jure Collegium utitur suo, dum associationem, ob Canonum solutionem, longe præter etiam biennium, neglectam, expostulat, et in emphyteutas Pancaldios agit, qui cum non solum ex juris dispositione, in caducitatem offenderint, sed etiam propter pactorum inadimplementum in commissum inciderint, a quovis jure ad hortum ceciderunt.

Sed hæc probe noscunt ipsi Pancaldii; quare ad declinandam caducitatis pænam onus susceperunt demonstrandi sese nullo modo in canonum solutione biennalem moram fecisse. Asserunt enim eorum debitum, ob canones non solutos, nequaquam attingere summam per integrum biennium debitam, quod esset necessarium ad caducitatis effectum, atque, id ut demonstrent retentionem, et compensationem, in vim Gallicarum Legum obiciunt, ob assertum eorum Creditum *scut.* 6. 40 ratæ commodi detractioni respondens, quam anno 1811 detrahere sibi licuisse, et calculi errore detractam haud fuisse proponunt. Sed profligata quaque ex parte 4

recessit exceptio. Primum enim, objectum corruere animadverterunt Patres ex eo, quod Emphyteuta in caducitatem incidit, si duobus annis pensionem in Ecclesiastica Emphyteusi haud solvat, ita ut quærendum non sit, an quid excomputari ab integra summa canonum biennalium jure compensationis debeat, cum satis superque sit, quod integri biennii spatio canones non solvantur ad caducitatis penam inferendam. Poterant quippe, et debebant Pancaldii, ne moram contraherent, et ut devolutionem effugerent, biennalium canonum summam, detractis iis scutis 6 40 quæ repetere posse dicunt pro rata commodi anni 1811 saltem deponere, ut firmat *Rota in Ferrarien. reintegrationis* 15 *Januarii* 1819 § 5 *coram Odescalchi*. Cum igitur inficiari in casu, quo versamur, nemo possit, quod longe etiam ultra biennium Pancaldii Emphyteutæ a solutione canonum cessaverint, merito, qualibet posthabita detractione ipsi poena ab jure, et pacto constituta plectendi sunt. A veritate præterea abhorret, quod, etiamsi de illa parvula partita habenda ratio esset; debitum integram biennalium canonum summam non attingat. Nam, cum septem menses ultra biennium a die moræ excurrerint longe ea partita absumpta foret a medietate Canonis tertii anni decurrentis a mora.

5 Difficultas præterea sublata ex eo quoque remanet, quod non satis de veritate crediti constat. Nulla enim erroris probatio affertur, etsi qui errorem allegat, eum probare evidentissime debeat. Quin imo illa Ratiocinatoris Collegii Hungarici acceptilatio, cui tota exceptio Pancaldiorum innititur, contra illos penitus facit, et mirifice Collegio favet. Nam primum evidens urget præsumptio, quod, si rata commodi scutorum 14. 98 remissa, et compensata fuit ab anno 1812 usque ad annum 1815, uti ipsi probant Pancaldii, eo magis etiam ratam commodi anni 1811 detractam fuisse fatendum sit. Deinde ipsius acceptilationis verba apertissimo obstant, quæ *il saldo dei Canoni a tutto il dì* 11 *Novembre* 1815 præseferunt. Quam acceptilationem, si Pancaldii dispunctis utrinque rationibus, probarunt, ita ut detracta rata commodi sc. 14. 98 penitus absolutam omnium rationum solidationem fuisse usque ad eam diem professi fuerint; si postea Vicesgerentis etiam Sententia illius acceptilationis vires confirmavit, nefas est quid in ea contentum fuerit iterum in discrimen revocare, seu potius evertere. Demum autem, etsi de veritate crediti non spernendæ probationes afferrentur, quod admittendum non esse superius fuit demonstratum, attamen hoc creditum saltem turbidum ac exceptionibus esse obnoxium negari haud posset. Cum igitur in ore omnium pertritum illud juris axioma sit, ut certum, liquidumque creditum is proferre debeat, qui compensationem expostulat, retentionis, compensationisque exceptio a Pancaldiis producta nullo modo eis opitulari valeret ad privilegiatam, et expeditissimam Collegii actionem in Associationis judicio, vel momento temporis remorandam sicuti optime ad rem docent *De Luc. de Feud. Discurs.* 66 *num.* 12 *Decis.* 391 *num.* 26 *coram Bich. Dec.* 60 *num.* 15, *et Decis.* 112 *num.* 8. 10 *coram Ansald.*

At, si pro tempore, quo Gallicæ Leges viguerunt inani labore Fratres Pancaldii contendunt a debito biennalium Canonum ratam commodi esse detrahendam, eo magis pro tempore, quod Gallicarum Legum abolitionem sequutum fuit, ratæ commodi detractio omnino extranea Patribus visa est. Nam, cum indubium sit hortum, intra Urbis moenia positum, ab omni prædiali onere ex Pontificiis Legibus immunem fuisse, hæc ratæ commodi detractio, quæ tantum quoad onera prædialia, quæ sub nomine dativæ realis persolvuntur, obtinet, a nostro themate prorsus exulat, quia Pancaldii, ne obulum quidem Dativæ realis nomine pro eo Emphyteutico horto unquam representarunt, ac representare dabuerunt. Incassum igitur refertur Quæstoris Pontificii fides, quæ Pancaldios testatur ad totum an- 6

num 1819 vectigalia, oneraque solidasse quibus hortum obnoxium fuerat. Hoc testimonium de Dativa reali loqui profecto haud potest, quia illi hortum subjectum haud erat: præterea, cum nec quantum, nec in quam causam Pancaldii persolverint, ostendat, cum nec fuerit habile tempore productum prorsus a Patribus spernendum visum est. Sed, si etiam concederetur, quod aliquid alio titulo Pancaldii impenderint, quod ipsis Collegium reficere teneatur, probent evidentissimo oportet, et compensationem tum exposcant, cum Collegium solutionem Canonum urgebit, seu agant in suo congruo judicio, siculi R. P. D. Vicesgerentis Sententia, optime, quavis in hypothesi Pancaldiorum, indemnitati consulens, quod ratam commodi anni 1811 faciendum edixit. At interim hæc neque audiri debent, nec talia sunt, quæ nitidæ Collegii actioni resistere valeant.

7 Extremum vero diverticulum, quod, ad caducitatis pænam declinandam, arripere Pancaldii satagunt, nec æquis auribus excipi potuit. Alter enim e fratribus Pancaldiis, nempe Antonius, sororesque Rosa, et Theresia, aliis fratribus, Aloysio, et Francisco manus dantibus victas, in medium irrumpunt, jactantes, uti nullitate laborans, Decretum Vicesgerentis esse revocandum, quia ipsi nunquam fuerunt in Associationis judicio citati, nec ad beneficium moræ purgationis admissi. Sed nulla adest ratio, ex qua hoc objectum contra Sententiam R. P. D. Vicesgerentis probari possit. Obstant Signaturæ Rescripta, quibus, prorsus neglecta illius citationis defectus exceptione, quæ ab Antonio sororibusque Pancaldiis adducebatur, ad ejus Sententiæ circumscriptionem obtinendam, *Nihil de circumscriptione* responsum fuit, et appellatio tantum fuit concessa. Signaturæ vero Rescripta Rejudicatas parere, et ab Judicibus Appellationis servanda, ac jurium loco habenda esse notissimum est ad *Text. in leg. Veniens. ff. de integr. restitut.*, *et Rot. in Asculana Bonorum super reintegratione Fidecommissi* 23 *Junii* 1742 § 9 cor. *Calcagnino*, *in Romana Hæreditatis super fidejussione* 5 *Maij* 1751 *cor. Bussio in Monopolitana Immissionis* 6 *Junii* 1757 § 3 *cor. Eodem*, *in Salernitana Alimentorum* 8 *Martii* 1762 § 2 *cor. Olivatio*, *in Romana Purgationis moræ super fructibus* 6 *Maij* 1765 § 2 *cor. Riminaldo*, *et in Romana Damnorum* 5 *Februarii* 1819 § 4 *cor. R. P. D. meo Spada*, *et in Confirmatoria* 4 *Junii ejusdem anni* § 4 *coram Eodem*.

Eoque magis id nostro in themate tenendum est, quia optimo jure jacta- 8
tam nullitatem Signaturam respuisse manifestissime patet. Nam, quoad citationis defectum, injuria hic fuit propositus, cum rite Franciscus, major natu, citatus fuerit, qui nomine communi res communes administrabat, et iisdem in laribus cum cæteris fratribus, ac sororibus vitam ducebat. Hoc enim in casu unam citationem contra Franciscum emissam omnes fratres comprænhensisse in jure compertum est. Quoad vero moræ purgationem, non sine calumnia illud beneficium sibi datum fuisse negant fratres, ac sorores Pancaldiæ. Nam cum toties Franciscus beneficio dilationis usus fuerit, ut moram purgaret, communem ipsum egisse omnium causam, qui verum communium gerebat administrationem, non est ambigendum; uti etiam in dubium revocari haud potest totius rei gestæ omnibus Pancaldiis seriem innotuisse. Cum igitur caducitatis pænam evadendi Pancaldiis undique via sit præclusa, jure, meritoque iterum S. Noster Ordo Associationem Collegio ad hortum controversum deberi constituit.

Et ita etc. utraque etc.

ROMANA

NULLITATIS TRANSACTIONIS

Lunae 26 *Junii* 1820.

ARGUMENTUM

Nemo potest transigere alieno nomine, nisi speciali mandato munitus. Quod nec Uxori licet, absente marito, quum super his bonis nec jus administrationis, nec jus contrahendi habeat.

SUMMARIUM

1. *Nemo, nisi speciali mandato munitus, potest alieno nomine transigere.*
2. *Mulieri, absente viro, jus est bona filiorum administrandi.*

   Super bonis mariti, dum abest, uxor nec administrationem exercere potest, nec ejus nomine contrahere - ibidem. -
3. *Aliud est rem deferre ad arbitrum judicium, aliud per transactionem componere.*

   Aequitas non patitur, ut arbitri sententiam proferant, inaudita, ac absente parte -ibidem.-
4. *Injusta est transactio, in qua nulla fuit habita ratio, de juribus parti competentibus.*

   Delenda est transactio, quae labe apertissimae nullitatis infecta perspicitur - ibidem,-

DECISIO XVI.

Vineam extra Urbis Portam, quam dicunt *Fabrica*, ac in regione = *il Pidocchio* =positam, cujus directum dominium spectat ad Venerabile Collegium, ac RR. Beneficiatos S. Mariæ Transtyberim, Emphiteutico jure possidebat Venerabilis Conventus S. Mariæ Traspontinæ Urbis a quo directo Domino canon quotannis solvendus erat in summa scutorum *quadraginta novem, et obul. quindecim*. Utile hujusce vinæ dominium, exeunte anno 1783, sibi suisque, a Venerabili Conventu Emphyteuta comparavit, pretio scutorum 1720 Andreas Richelmius, qui, Cabelione, natali solo in Comitatu Vedascensi, relicta, Romam Lares transtulerat. Verum, vix quatuor ob eo contractu mensibus elapsis, RR. Beneficiati, fundi deteriorationem causantem, associari ad illum petierunt apud Locumtenentem Eminentissimi Vicarii, ac consonum die 30 Maii 1786, Decretum, et mandatum obtinuerunt, quod ulla absque mora exequi curarunt. Sed facillimum fuit Richelmio ab eodem Judice, die 20 Aprilis 1787, Sententiam super reintegratione ad vineæ possessionem assequi, atque hæc Sententia, post appellationem a Tribunali Signaturæ RR. Beneficiatis indultam, confirmari meruit Sacri Nostri Ordinis Decisione *in Romana Devolutionis* 27 *Junii* 1788 *coram Despuig*, et Rotali Sententia eam sequuta, qua prædicti RR. Beneficiati ad restituendos etiam fructus perceptos fuere damnati, quamve ipsi solemniter accepto babuerunt. Quare Richelmius tandem; post fere triennii lapsum, illius vineæ possessionem, a qua injuria fuerat deturbatus, recuperare potuit.

Actum deinceps fuit de liquidatione fructuum, damnorum, et expensarum, et post brevem judicialem velitationem, partes die 5 Julii 1790, compromissi apocha signata, convenere, ut per arbitrium, nuper e vivis erepti Cardinalis Malvasia, alterius tunc e S. Nostri Auditorii Duodecimviris, omnes de iis controversiæ absolverentur. At octodecim post dies a compromissi apocha conscripta, Richelmius, ob infelices publicarum rerum motus, die 22 ejusdem mensis Julii, Romam linquere, et in Patriam sese recipere coactus fuit. Anno deinceps 1791 die 7 Septembris, Maria Anziani Richelmii Uxor, quamvis nullum ab ipso habuisset ad ejus negocia gerenda mandatum, adducta fuit ad sese sistendam coram altero ex Judicibus Curiæ Capitolii, et ad stipulandam transactionem cum RR. Beneficiatis, qua Richelmius absens, et si ei ab ipsis reficienda essent damna vineæ illata, fructus ab illa percepti, et litis expensæ, tamen e creditore, qui erat, prægrandis summæ, debitor renunciatus fuit scutorum 209 et obul. 32, quorum scut. 34, et obul. 40 ejus Uxor in actu stipulationis instrumenti numeravit, reliqua sese satis temporibus soluturam spondens. Post diuturnam vero absentiam, Romam Richelmius reversus, de hujusce transactionis nullitate judicium instituit apud Triumviralem juridicum A. C. Conventum, et votis consonam die 20 Novembris elapsi anni 1819 Sententiam obtinuit, a qua, eum ad S. Nostrum Tribunal RR. Beneficiati provocaverint, proponenti mihi in hodiernis Comitiis Dubium = *An constet de nullitate transactionis in casu etc.* = DD., rejecta RR. Beneficiatorum comperendinationis postulatione, responderunt pro *Informante Richelmio*, nempe *affirmative*.

Nullus sane per necesse renuncian- 1
dus est contractus, quo de re Richelmii absentis, cujus personam nemo erat,

qui legitime repræsentare posset, fuit transactum. Notum namque in jure est haud licere alieno nomine transigere, nisi specialem mandatum appareat illius, de cujus re transigitur ad *Text. in leg. qui duos* 47 *Leg. Procurat.* 58 *Leg. mandato* 60 *ff Mandati Duaren. ad tit. de Procurat. Cap.* 1 *Cujac. lib.* 6 *differen. Modestini ad Leg. Procurat,* 63 *Donel. Comment. Juris Civil. lib.* 18 *Cap.* 12 *Urceol. de Transact. quæst.* 12 *n.* 1 *Valeron. de transact. tit.* 4 *quæst.* 5 *num.* 10, *et ad Rot. Dec.* 405 *num.* 13 *part.* 12 *in recent. Dec.* 1998 *num.* 23 *coram Emerix Decis.* 1203 *num.* 3 *cor. Lancetta Decis.* 111 *num.* 15 *cor. Olivatio.* Nec quispiam arrogare sibi potest facultatem, absentem, et nedum haud assentientem, sed imo prorsus ignarum, arbitrario suo facto obligandi per *Rot. Decis.* 59 *num.* 1 *part.* 14 *in recent. Decis.* 53 *num.* 4 *et* 5 *cor. Bichio, et Decis.* 171 *num.* 9 *coram Ansaldo.*

2 Dum vero incontroversum est, Richelmium, antequam Roma discederet, consensisse tantum in arbitrium Præsulis Malvasia pro definitione quæstionum, quæ inter ipsum, et RR. Beneficiatos S. Mariæ Transtyberim adhuc pendebant, ac neminem reliquisse suo mandato præditum, qui eas quæstiones amica etiam conventione componere posset, frustra prædicti RR. Beneficiati proponunt rite transactionem initam fuisse, quia Richelmii absentis vices gessit = *Maria Anziani consorte di detto Signor Andrea Richelmi da Roma come sopra assente, e come tale in mancanza di detto suo Marito, Madre, e legittima Amministratrice del Sig. Luigi Richelmi in età pupillare costituito* = Quidquid enim sit de jure Matris administrandi, absente Viro, bona filiorum, sat est, ad eliminandum RR. Beneficiatorum propositum animadvertere *in facto* haud fuisse transactum de peculio ad Richelmii filium spectante quo super Richelmio summum ad Administrationem, vel usumfructum jus esset, sed de rebus ipsius Richelmii propriis, ex quo concludendum *in jure* sit nullam ejus uxorem super iis, ipso ignaro, quamvis absente, Administrationem exercere potuisse, nec ullum, ipsius nomine contrahendo, ipsi præjudicium potuisse inferre per *Text. in leg. constante Cod. de Donat. leg. Dote ancillam Cod. de rei vindicatione, et Thes. quæst. foren. Cap.* 67 *num.* 1 *lib.* 4 *et Urceol. de transaction. quæst.* 29 *num.* 23. Corruit itaque transactio, Richelmii consensu prorsus deficiente, inita.

Quin ullum ad transactionem fulciendam præsidium RR. Beneficiati arripere valeant ex Apocha compromissi, qua inter ipsos, et Richelmium convenit, ut Præsul Malvasia haberet = *la facoltà di decidere amicherolmente tutte le differenze, che fra loro vertono, promettendo di accettare quanto sarà per determinarsi dal medesimo, nè dal di lui sentimento reclamare* = ex quo ea transactio habenda sit uti consequens illius compromissi, et arbitrii Judicis compromissarii. Primum enim Præsuli Malvasia compromittentes tribuerunt facultatem proferendi suum de controversiis judicium = *decidere amichevolmente tutte le controversie* =; non vero illas per transactionem componendi. Dein, etsi admitteretur in prælaudato Præsule potestas adigendi partes ad concordiam ineundam, proferendum esset ipsius laudum de hujusce concordiæ conditionibus, ac modo, ut ea expleta dici posset secundum ipsius arbitrium. At laudum numquam fuit prolatum; inanis ergo est Academia de transactionis Soliditate ex arbitrio compromissarii Judicis deducta. Præterea absentia Richelmii compromissi exequutionem præpedire, vel saltem differre debuit; quia Richelmius discedens, neminem reliquit, qui ejus apud Judicem compromissarium vices gereret, ejusque jura deduceret; ideoque, cum illius Judicis arbitrium interponendum fuisset super petitionibus ab ipso Richelmio propositis, justitia, ac æquitas pati non poterat, ut ipso inaudito, atque absente, de iis postulatis judicium proferretur, vel transactio ineunda proponeretur. 3

Transactionis nullitati accedit etiam illius manifestissima injustitia. Spretis namque Richelmii juribus, atque etiam 4

compromissi lege, fuit prorsus posthabita liquidatio expensarum, quas Richelmius pro reintegratione ad possessionem vineæ assequenda subire debuit apud Tribunal Locumtenentis Eminentissimi Vicarii, et S. Nostrum Ordinem in conspicua quantitate scutorum 338, et litibus renunciatio fuit conventa cum remissione expensarum; nulla præterea facta fuit mentio fructuum Vineæ a RR. Beneficiatis perceptorum, dum in illius possessione occupatione perstiterunt, nempe fere per *triennium*: nihil denique Richelmio, refectionis damnorum nomine, fuit tributum; et res illa transactionis larva fuit ita composita, ut Richelmius e creditore qui erat, scutorum fere *bismillium*, quibus opponi poterant tantum canones trium circiter annorum non soluti, ad summam scutorum circiter 145 adscendentes, et laudemium RR. Beneficiatis repræsentandum in summa scutorum 34 et *obul.* 40 renunciatus fuerit borum debitor scutorum *novem* supra *biscentum*, quorum ejus Uxor sc. 34 et *obul.* 40 prædicti Laudemii titulo statim exsolvit, reliqua in posterum statis temporibus solutura. Merito itaque bujusmodi transactionem, nullitatis, et injustitiæ labe apertissima infectam, prorsus esse delendam fuit constitutum.

Et ita etc. Unica etc.

ROMANA SEU FLORENTINA

EXPENSARUM

Veneris 24 *Novembris* 1820.

ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. *Ubi actio profluit ex uno eodemque instrumento, omnes in illo comprachensi sunt ad paria judicandi.*
2. *Condemnatio ad damnorum emendationem, comprachendit refectionem sumptum extrajudicialium.*

   Verbum - omnibus expensis - *complectitur tam judiciales, quam extrajudiciales* - *ibid.* -
3. *Expensarum taxa, justa semper praesumitur, donec excessiva non demonstretur.*
4. *Juxta Gallicas leges, in refectione expensarum judicialium, recensebantur omnes fere illae, quae juxta nostram praxim extrajudiciales dicuntur.*

DECISIO XVII.

Duo Latifundia, nuncupata » *Vallelata* et *Pescarella* » quae in Agro Romano extra Portam Capenam possidebat, Eques Petrus Banchieri, e Pistorio Thusciae haud ignobili urbe. solemnibus conscriptis tabulis, die 30 Decembris annis 1809, vendidit Equiti Laurentio Mencacci, constituto pretio *unius supra triginta millium* scutorum, quorum *quinque millia* emptor in actu stipulationis Instrumenti repraetavit, reliqua *viginti sex millia* intra duodennium, statis temporibus sese soluturum spondens, pactis usque ad absolutam pretii numerationem interusuriis ad rationem trientem. Utraque Latifundia Venditor jam locaverat; illud, cui nomen *Vallelata*, cuidam Rosellio pro annua pensione scutorum *septingentorum*, alterum *Pescarella* cuidam Lillio. Quoad primum, inter partes convenit locationem ab emptore esse servandam, quoad secundum, quod venditor non rite, a suo Procuratore locatum asserebat, constitutum fuit in *quinto* Instrumenti capite ab ipso vacuum effici debere ante exitum mensis Septembris anni 1810 » *talchè l'effetto sia che a detta epoca possa esso Signor Mencacci disporre di detta Tenuta liberamente* » Quae vero uterque contrahens promiserat adimplenda sese obstrinxit, suscepta in casu inadimplementi obligatione emendationis » *di tutti, e singoli danni*, atque refectionis omnium » *spese Giudiziali e Stragiudiziali* ». Posthaec accessit conventio diei 10 Februarii anni 1810, qua Mencaccius judiciale experimentum, ad removendum a Latifundio *Pescarella* conductorem Lillium, auscepit, receptis in id *centum* aureis nummis » *doppie* » ea tamen sub conditione quod, si Lillius preferret » *un atto mediato*, o *immediato in forza del quale fosse*

giudicato, che il Signor Banchieri abbia in qualunque modo prestato il suo consenso all' anzidetto Affitto della Tenuta a favore del Signor Lilli, onde detto consenso fosse d'ostacolo per esfrattare il Lilli dal possesso di detta Tenuta » tum ad primaeva jura, juxta superius recensitum caput *quintum* Instrumenti, ipse Mencaccius rediret, restitutis tantum » *Le cento doppie* » eo deducto quod in judicio adversus Lillium sese impendisse probaret.

Haec conventionum summa, e quibus litium seges ortum habuit. Egit quippe primum Mencaccius judicio ad Lillium expellendum, sed hunc proferentem videns monumenta assensus a Bancherio super controverso affictu praestiti, desistere debuit ipso probante Bancherio. Tum interusuria pretii haud soluti rependere renuit, donec per Bancherium liberum fieret Latifundium » *Pescarella* » Duplex hinc institutum judicium apud Gallica Tribunalia; alterum a Bancherio contra Mencaccium pro fructuum assecutione, alterum a Mencaccio adversus Bancherium ad damnorum emendationem obtinendam ob Latifundium sibi liberum haud factum; quorum utrumque, restituto legitimo Sacratissimi Principis Imperio ad Nostrum venit Auditorium Rotalis Sententia a R. P. D. Piccolomini signata, quam binae Decisiones, editae coram Rmo D. Cesarei, jam S. Ordinis Decano, nunc Emo Æsino Antistite, confirmarunt, Mencaccium ad enumeranda Bancherio scuta 3120 interusuriorum nomine damnavit; ex quo ipse fasces submisit; ac deinceps expensas omnes tam judiciales, quam extrajudiciales, Bancherio reficere debuit coactus Sententia ab eodem Emo Cesarei lata, post Decisionem vulgatam die 21 Aprilis 1817, et subsequenti Decisione R. P. D. mei Tiberi diei 5 Decembris ejusdem anni 1817.

Quo vero ad Damnorum emendationem a Mencaccio contra Bancherium petitam, quamvis primum Patrum anceps haesisset judicium, et postea hæc fuisset petitio rejecta, re tamen melius cognita, et absoluto Lillio in exfractationis judicio, quod adversus eum Mencaccius instauraverat, Sacrum Tribunal Sententia, quae subsequuta fuit binas Decisiones, dierum 4 Martii 1816 et 13 Januarii 1817 editas, coram R. P. D. Piccolomini, Bancherium erga Mencaccium damnavit » *ob non factam liberam traditionem Latifundii Pescarella de Mense Septembris anni* 1810 *ad damnorum emendationem, ET IN OMNIBUS EXPENSIS* » quam Sententiam, a qua *devolutivam* tantum appellationem a Tribunali Signaturae Bancherius obtinere potuit, accepto dein babuit, solemnem liti nuncium mittens. Tum cor. R. P. D. meo Tiberj, suffecto R. P. D. Piccolomini, quem nobis immaturum fatum rapuit, actum fuit de expensarum liquidatione, quæ taxatae fuerunt in scutis *septigentis*. Provocante autem Bancherio ab excessiva taxatione, proposui hoc mane Dubium » *An constet de excessivitate taxae in casu etc.* » et, Equite Mencaccio tantum sua jura deducente, facile responsum prodiit » pro ipso *informante* » nempe » *Negative* ».

Nec aliud profecto fuisset Sacri Ordinis Judicium, etiam si Eques Franciscus Bancherius, Equitis Petri, pendente lite defuncti, filius, et haeres vadimonium haud deseruisset. Etenim cum Mencacci actio ad expensarum refactionem obtinendam profluat ab eodem Instrumento, et iisdem fulciatur rationum momentis, ac illa ad eundem effectum contra Mencaccium a Bancherio proposita, et secundum hujus petitionem obsoluta in superius recensita Caosa solutionis fructuum compensativorum, fieri nunquam poterit, ut quod jus pro Bancherio in ea Causa fuit dictum idem pro Mencaccio haud dicatur in praesenti Caussa quoad emendationem damnorum; quia absurdum esset eos ad imparia judicare. Et sane, si Instrumentum spectamus, videmus Bancherium, et Mencacciom alterum alteri promittentes, in casu inadimplementi pactorum emendationem » *di tutti e singoli danni* » et refectionem omnium expensarum » *giudiziali e stragiudiziali* » quod pro Ban-

cherio plurimum faciendum duxit Sacri Ordinis Decisio » *in Romana*, *seu Florentina Expensarum* 21 *Aprilis* 1817 §. 8 *coram*, *nunc Eminentissimo Cesarei*, et quod idcirco quam maximi ponderis esse debet id hac simillima Causa pro Mencaccio.

2 Si oculos autem convertimus ad utriusque Causae vices, utramque videmus actam primum apud Gallica Tribunalia, dein coram S. Nostro Auditorio, videmus in ea super solutione fructuum Bancherium victorem, Mencaccium liti nuncium mittentem, et ad omnium judicialium, extrajudicialiumque expensarum refectionem erga Brancherium damnatum, basque expensas ad obulum usque refectas: in Causa vero super emendatione damnorum, Bancherii adversos conatus retusos agnoscimus Rotali Sententia eum condemnante » *ad damnorum emendationem*, *et in omnibus expensis* », atque scimus unam etiam condemnationem ad damnorum emendationem sat esse in jure ad extrajudicialium etiam sumptuum refectionem compræhendendam, ut passim statuit Sacrum Tribunal, et praesertim *in Romana Dnmnorum*, *et Expensarum* 18 *Martii* 1805 §. 8 *coram Reverendissimo P. D. meo Serlupi Decano*: ex quo id magis obtineat oportet in nostro themate, in quo Bancherius expressim erga Mencaccium damnatum fuit in *omnibus expensis* quod verbum omnes tam judiciales, quam extrajudiciales expensas complectitur, adstipulante praesertim Bancherii pacto ad refundendis Mencaccio expensis » *giudiziali e stragiuziali* » siculi in casu simillimo pro ipsomet Bancherio contra eumdem Mencaccium animadversum, et constitutum fuit in superius citata Decisione *in Romana*, *seu Florentina Expensarum* 21 *Aprilis* 1817 §. 4 *coram Eminentissimo Cesarei*, et in alia Decisione super eodem casu nempe *Romana*, *seu Florentina Expensarum* 5 *Decembris* 1817 §. 3 *in fin. coram R. P. D. meo Tiberi*: atque habemus Bancherium, post condemnationem ad emendationem damnorum, et refectionem omnium expensarum Rotali Sententiae fasces submittentem, per litis renunciationem, et deinceps hascc expensas a R. P. D. meo Tiberi in scutis *septingentis* taxatas, a qua taxatione, tam judiciales, sumptus compraehendente, Bancherius appellationem a Signaturae Tribunali obtinuit Rescripto » AB EXCESSIVA »: ex quo de excessu tantum taxationis, non de admissione in genere judicialium, ac extrajudicialium sumptuum praedictorum ei disputare liceret, uti pro eo constituit jam recensita *Romana seu Florentina Expensarum* 5 *Decembris* 1817 §. 2 *corram R. P. D. Tiberi*.

Facile itaque intelligitur proficere nunquam posse Equitem Bancherium si contra taxationem praedictam exciperet, ob extrajudiciales sumptus in ea compraehensos, uti nihil id proponens proficere potuit Mencaccius; eaque taxatio semper erit probanda, donec ejus excessus in partitis in specie evincatur, cum rite recteque constitutum ac decretum fuisse semper præsumatur, quod Judex constituit, ac decrevit, atque expensarum taxa, ab eo probata justa in omnibus sit præsumenda, nisi excessiva demonstretur *Leg.* 2 *ff. de probationibus Rota decis.* 674 *num.* 7 *coram Dunnozetto*: *decis.* 223 *num.* 1 *coram Caprara*, *et in Bononien. Parochialis De Cadriano super expensis* 4 *Julii* 1777 *cornm Soderino*, *et in superius relata decis. Romana*, *seu Florentina Expensarum* 21 *Aprilis* 1817 §. 3 *coram Eminentissimo Cesarei D*, *Leonibus*, *et in Romana seu Florentina Expensarum* 5 *Decembris* 1817 §. 2 *cormeo R. P. D. Tiberi*. 3

Erraret vero quam maxime Bancherius, si excessus redargueret praedictam taxationem expensarum, vel *quia* in ea compraehensae sint expensae extrajudiciales, Gallis imperantibus expletae, vel *quia* ab expensarum notula illae sint expungendae, quae ad actionem Judicialem spectant, in qua Mencaccius damnorum emendationem postulans, succubuit. Haec enim objecta, et *Jure*, et *pacto* refelluntur. *Jure* quippe, quoad primum, quia, 4

etsi Gallicae Proxcos Leges a taxatione excluderent expensas extrajudiciales, haec tamen exclusio verbo tenus vim suam exerebat, nam inter judiciales expensas eae etiam fere omnes recensebantur, quaè juxta nostram praxim extrajudiciales dicebantur, et reficiendae eae omnes erant, quae ad judicium instituendum prosequendum, atque absolvendum erant necessariae, ut nuper firmavit Sacer. Ordo in *in Ferrarien. Consuccessionis super Expensis* 5 *Junii* 1820 §. 4 *coram me*. et innuit etiam *Dec. Romana*, *seu Florentina Expensarum* 21 *Aprilis* 1817 §. 7 *coram Eminentissimo Cesarei*, *et Romana seu Florentina Expensarum* 5 *Decembris* 1817 §. 4 *coram R. P. D. meo Tiberi*. Pariter, quoad secundum, *Jure*, novissimum nostrum Praxeos Codicem praecedente, ad cujus juris tramites de expensis litis, ante hunc Codicem inceptae, Sententia est ferenda, qui in exitu Judicii victor evaderet refectionem omnium expensarum cujusque actionis assequi debebat, nullo discrimine facto inter earum actionum secundum, vel adversus exitum. ut, optime ponderat pro Bancherio contra Mencaccium *Rota in Dec. Romana seu Florentina Expensarum* 5 *Decembr*. 1816 §. 5 *coram R. P. D. meo Tiberi*. Omnem vero quaestionem dirimit *pactum*: quia Bancherius sese obstrinxit, si promissa haud implevissot, ad omnia sarcienda damna, et ad omnes quascumque expensas reficiendas, uti contra eumdem Mencaccium pro Bancherio in pari thesi statuerunt saepe, sæpius jam allegatae Decisiones *Romana seu Florentina Expensarum* 21 *Aprilis* 1817 §§. · *e* 5 *coram Eminentissimo Cesarei*, *et Romana seu Florentina Expensarum* 5 *Decembris* 1817 §§. 3 *et* 4 *coram R. P. D. meo Tiberi*. Firma itaque semper expensarum, de quibus agitur, taxatio remaneat oportet, et querela de ejus excessu semper erit rejicienda.

Et ita etc. altera tantum etc.

ROMANA PECUNIARIA

Lunae 26 *Junii* 1820.

ARGUMENTUM

Creditum dicitur certum, ac liquidum, si ex publica Instramento pramanat, ac a literis a manu debitaris exaratis. Neque contra hoc creditum, admittuatur exceptianes turbidae, vel quae ab Arithmetica supputatiaae tantum peadent.

SUMMARIUM

1. *Literae a manu debitorie exaratae, ac monumenta jam antea a debitore agnita, liquiditatem et veritatem crediti plenissime probant.*
2. *Ubi documenta fuerunt deposita apud procuratorem partis, a parte ipsa praesumuntur fuiese perspecta.*

   Illud debitum, quod tantum ab arithmetica supputatione pendet, uti liquidum in jure habetur - ibidem. -
3. *Excipiens contra publicum Instrumentum, debet concludentissime errorem probare.*

   Notula omni authenticitate carens, nullam fidem mereri poteet - ibidem. -
4. *Partitae, quae non epectant ad negocia de quibus est quaestio, non sunt in calculo habendae.*
5. *Ubi probatur quod inter creditorem, et debitorem sunt invicem nomina expungenda, mandato clausola adjicitur pro summa liquidanda.*
6. *Agens ad paenam tenetur rigide probare culpoeam debitorie moram.*

   Si mora referri potest etiam ad causam ambiguam, sat hoc est ad excludendum durissimum caducitatis effectum - ibidem. -

DECISIO XVIII.

Ad plura debitorum nomina dimittenda, quibus maxime premebatur Costantinus Salimejus, cum pecunia omnino careret, in id animum intendit, ut aliquem inveniret, qui ea omnia dissolveret, et in dimissorum creditorum jura succedens, sibi unus existeret creditor. Adfuit tum ei, uti alias adfuerat in omnibus ejus necessitatibus, ei namque jam suppeditaverat scuta fere *bis millia quadrigenta*, Maria Rosa Bartoli, spectatissima Fæmina, quæ privata Apocha diei 18 Februarii 1817 tot ipsius creditorum nomina extinguenda *dietro i suoi ordini*, auscepit, quot scu-

ta 3800 non excederent; dummodo de ea pecunia, quæ liquidata fuisset *colla presentazione degli Ordini estinti*, et de ea, quam antea subministraverat; subducto pretio quinque domuncularum, in scutis *mille, ac centum* constituto, quas ipsi Salimejus in solutum dare promisit, instrumentum cambii fieret conventis annalibus usuris *scut. oeto* in singula centena capitis hujusce cambii, de semestri in semestrem solvendis, datisque decennalibus induciis ad sortis restitutionem. Hinc, nulla interposita mora Salimeii debita, secundum ejusdem litteras, sive = *Ordini* = dimisit Rosa, itaut, in calculo habitis scutis *bis millibus nonaginta novem* ei suppeditatis, et domuncularum subducto pretio, ejus Creditrix evaserit usque ad scuta 3500. Hoc autem creditum versum in cambium fuit ad *octunces* usuras, atque annos octo, ope publici Istrumenti confecti per acta Bartoli Notarii Capitolini, die 4 Septembris ejusdem Anni 1817 quo creditrix, timens facile fieri posse quod Salimejus non omnia perficeret, quæ promiserat; præter cætora, quibus suæ indemnitati consuluerat, præcipue hoc cautum voluit, = *E mancando al puntuale pagamento de'frutti del cambio per due semestri ancorchè in minima parte, sarà obligato il Signor Salimei a restituire immediatamente la sorte principale di questo cambio, ancorchè non compito il termine prefisso alla durata del medesimo* =.

Quod Rosa Bartoli dubitaverat, revera accidit. Defuit enim Salimejus suscepto muneri solvendarum usurarum. Quam ob rem statim a primo semestri in judicium apud primum Collateralem Curiæ Capitolii a Creditrice fuit vocatus, ut fructus decursos penderet; Sed ipse, quamvis a Capitolini Judicis Sententia damnatus, non idcirco solvit. Interim alter semestris, qui erat solutioni secundæ fructuum ratæ præfinitum tempus, transiverat, et, iterum Salimejo in eadem pertinacia perseverante, sensit Bartola sibi licere ex pacto nomen universum reposcere. Rursus igitur institit coram Capitolii Collegiali Tribunali, petens terminum Salimejo præfigi ad fructus binorum semestrium solvendos, eoque elapso, nec hac solutione expleta sortis restitutionem ex pacto postulans; atque illico votis consonam obtinuit Sententiam, qua Rosæ mandatum pro sortis assequutione fuit tributum, si Salimejus intra quindecim dierum spatium usuras primo, alterove semestri decursas haud repræsentasset. Ab hac Sententia Salimejus provocavit, et *ab Assectamento* suspensivam assequi potuit appellationem ex quo controversia ad S. Ordinem definienda conscendit. Prius de formula dubii disceptatum fuit; deinde ea a Patribus constituta de documentorum exhibitione quæstio agitari a Salimejo cæpit, quam hac mane Rescriptum absolvit = *ad D. Ponentem juxta petita* =. Quo vero ad princeps meritum, quærenti mihi = *An sit locus præfixioni termini pro solutione fructuum, nec non restitutione sortis Cambii, itaut mandatum sit exequendum in casu etc.* = datum hodie fuit a Domi nis responsum = *Affirmative ad primam partem pro summa liquidanda, Negative ad secundam* =.

Tam clarum namque, et nitidum apparuit Actricis Creditum, quam clara, et nitida est obbligatio Constantini Samelii, qui solemni Instrumento veritatem debiti agnoscens, et approbans, se declaravit = *liquido, e legittimo debitore della Signora Rosa Bartoli nella somma di scudi* 3500, *i quali dichiara essere stati dalla medesima impiegati di suo Ordine in estinzione di tanti Debiti, che lo gravavano* =. Nemini enim persuasum esse poterit, quod si summa, a Bartola exsoluta, fuisset incerta, et illiquida, eam uti a se illi legitime debitam Salimejus solemni Instrumento affirmare voluerit. Præterea de vera illius pecuniæ quantitate uberrime fecerunt fidem *sex* extantes Litteræ, seu *Ordini*, absque exceptione, a Salimejo ad Bartolam missæ quæ fuerunt exhibitæ, ex quibus universam pecuniam in extinctionem tot creditorum nominum, eo compræhenso, quo ipsamet Rosa adversus Salimejum pollebat, ob *scut.* 2399 ipsi, ad subveniendum ipsius necessitatibus, suppeditata, cessisse apertissi-

me constat. Cum igitur exhibitæ literæ, ac monumenta debitum jam antea a Debitore plane agnitum, et probatum evincant, atque pecuniæ versio veritatem intercedentis obligationis ostendat, nulla luculentior probatio nec exigi, nec desiderari quidem a Dominis potuit, ut de veritate, et de liquiditate crediti nullam fieri posso quæstionem decernerent. Hisce consequens necessario fuit ut usurarum cambialis crediti, solemniter constituti, solutionem explendam esse a Sacro Ordine constitueretur.

2 Non modo vero turbidas, sed etiam prorsus injustas agnoverunt Patres exceptiones a Salimejo, ad avertendum cursum usurarum propositas, dum infelici studio illiquiditatis, et simulationis Rosæ Creditum arguit, *vel quia*, nec ante Instrumenti stipulationem, nec in actu ipsius stipulationis traditæ fuerint literæ originales aeris alieni solutionem comprobantes, ut rationes dispungerentur, et Creditum ad liquidationem perduceretur, quod tantum = *colla presentazione degli ordini estinti* = fieri poterat: *vel quia* plures erant faciendæ deductiones, quæ Instrumenti fidem reprobabant. Quod enim spectat ad documentorum traditionem, ut vera pecuniarum a Rosa repensa quantitas, ejusque versio inde dignosceretur, quod erat hujus traditionis præcipuus finis, parvi momenti Domini duxerunt fuisse neglectam. Nam si ea statuto tempore non fuerunt Salimejo tradita; cum tamen penes Burghium Rosæ Procuratorem essent ad illius nutum parata, ut ea quandocumque vellet inspicere posset, eoque magis, cum istud ipsi Salimejo expressa epistola notificatum fuerit = *vi prego di andare dal Signor Ilario Borghi a ritirare i vostri Ordini con ricevute dei pagamenti*, *dichiarando di averli ricevuti* = frustra obtrudebatur ipsius traditionis defectum prohibuisse, quin, rationibus perpensis, liquidum creditum emergeret. Et merito sane ita judicatum fuit, cum documentorum depositum apud Burghium fere idem, ac si Salimejo ea tradita fuissent, existimandum sit; Et re quidem vera earum literarum inspectionem Salimejo neque fuisse prohibitam, neque ab ipso fuisse neglectam satis evincitur ex ipsius confessione, qui, non solum se *scut.* 3500 liquidum debitorem fassus fuit, quod scire non poterat, nisi eis literis inspectis, et probatis, sed etiam adjecit sibi exhibitas fuisse *le opportune giustificazioni*, atque idem est eas fuisse ipsi traditas, ac fuisse ad ejus nutum penes Bartolæ Procuratorem relictas, uti superius fuit animadversum. Quod si defuit utrinque dispunctio rationum, nil tamen interfuit, cum non esset, quod dispungendum foret, sola earum sex literarum inspectione, et una tantum illarum materiali collectione sufficiente ad integram debiti quantitatem evincendam. Liquidum existimatur enim in jure illud debitum, nec rationis dispunctionem desiderat, quod tantum ab arithmetica supputatione pendet, ad tradita *per Rotam Dec.* 97 *n.* 6 *et decis.* 647 *num.* 4 *cor. Ansaldo, Decis.* 601 *n.* 11 *coram Molines, et in Perusina Reintegrationis super reservatis* 2 *Aprilis* 1753 § *coram Matthæjo, et in Romana Immissionis quoad Bona Cardinalis Ulderici de Carpineto, quoad credita* 21 *Junii* 1765 § 3 *coram Olivatio.*

Hinc ad detractiones Domini progredientes eas pari insubsistentia laborare censuerunt. Quoniam primum pro omnimoda objecti eliminatione placuit responsio, quod excipiens contra publicum Instrumentum, præseferens propriam debiti confessionem, debeat concludentissime errorem probare. Sed in hoc casu tantum abfuit, ut dici potuerit probatus prætensus error, ut immo de contrario constiterit. Reque vera, singulis partitis objectis perpensis, hasce omnes corruere compertum fuit. Primum namque irrepsisse errorem calculi *in ordine* a Petro Salimejo, Constantini Filio, ac Procuratore constituto, subscripto *scut.* 2399, quæ Bartola ad subveniendum Constantini necessitatibus subministraverat, evincere ipse studebat ex eo, quod alia aderat notula Creditricis, sive ejus Administratoris, ac executoris testamentarii ipsi constituti, manu exarata, qua comperiebatur eam Constantino Salimejo tan- 3

tum dedisse *scut.* 1544 77. Sed, etsi fidem hæc notula mereri posset, quod minime probatur, cum omni authenticitate careat, tamen nil obstare hæc exceptio Patribus visa est, cum facile fieri potuerit, quod litera a Salimejo probata, cum fere biennio post alteram notulam fuerit confecta, pluries complecteretur partitas, quæ in præcedenti adesse non poterant. Omnem vero dirimit quæstionem Salimeii confessio, quæ non solum excludit omnem præsumptionem erroris, sed insuper suspectos reddit alios actus confessioni adversantes. *Rot. Decis.* 28 *n.* 2 *coram Falcon. de Usur.*, *Decis.* 121 *num.* 2 *coram Emerix Junior.*

4 Deinde a Salimejo proferebatur subducenda, eo quod duplicata videbatur, partita *scut.* 1000 domuncularum pretium, quas ipse eidem Rosæ Bartoli vendiderat, quia dum comperiebatur ex ipsius venditionis Instrumento, quod prætium erogatum fuerit, partim pro dotanda filia, partim pro dimittendo credito Lavaggi, et modo in solutionem Dotis, et crediti Lavaggi dimissionem constet ex traditis literis aliquam partem cessisse ejus summæ, quam Rosa Bartoli ad subveniendum Salimei necessitatibus ipsi subministraverat; hinc, si pretio domorum dos soluta fuerat, nomenque Lavaggii dimissum, iterum inter pecunias ipsi suppeditatas hæc debita dimissa referri non poterant. Sed uno verbo eliditur hæc geminatio, omninoque prosternitur. Factum non subsistit, quod pretium domorum in extinctionem dotis, et nominis Lavaggii cessisset. Rosa enim Bartoli, non Salimeii creditoribus, sed ipsimet Salimejo illud pretium solvit = *in tante Piastre di Argento effettivo* = sicuti ipse in Instrumento venditionis dictarum Domuncularum apertissime declaravit, itaut Creditores postea dimittere debuit, *dietro altrettanti ordini* =. Pari facilitate repelluntur aliæ Partitæ, in quibus eadem geminatio repræhenditur. Nam aut istæ *ab ordinibus* discrepant, nec sunt attendendæ, cum *ordines* tantum veram de Rosæ Bartoli credito fidem faciant; aut ad negocia spectant, quæ non sunt inter eos recensita, et nulla de illis haberi ratio potest, cum nihil commune habeant cum causa.

Constat ex iis igitur de liquiditate Cambialis crediti Rosæ Bartoli, itaut usurarum solutioni locus sit, tam ex juris dispositione, quam ex pacto; Patribus tamen, cum decreverint deberi fructus a die stipulati Instrumenti placuit, clausulam adicere *pro summa liquidanda*; Et optimo quidem jure. Fructus enim pecuniæ erant pro rata compensandi cum pensionibus locatorum bonorum, de quarum solutione non legitime Rosa condutrix docet. Etenim ut ipsa cautior do fructuum solutione redderetur, eadem die qua Instrumentum Cambii celebratum fuit alium inierat contractum cum ipso Salimejo, quo Locationis, conductionisque titulo ab eo quædam accepit Bona, annali *scut.* 120 pensione statuta. Hanc vero primo anno exsulvit, Salimejo mandante, cuidam Antonio Galletti Mercatori, ut ipsius extans acceptilatio luculentissime monstrat; sed in posterum usque ad hanc diem quid repræsentaverit earum nomine haud liquet. Quare haec pensiones, quæ adhuc solvendæ forsan remanent a credito fructuum sunt deducendæ, et usurarum debitum cum iis est compensandum, uti etiam subducendum est quidquid Salimejus, vel solvisse, vel sibi deberi forte demonstret. Et pro summa vere debita mandatum contra ipsum erit exequendum. 5

Hactenus deducta rationum momenta pro admittendo Salimeii debito, et usurarum solutione, non ita pronam viam sternebant ad restitutionem sortis, quod erat altera pars dubii; Quin imo pro deneganda hac sortis restitutione urgere visa est elementaris juris regula a Doctoribus, et a S. Rota semper probata, qua cautum est, quod agens ad poenam teneatur rigide probare culposam debitoris moram in adimplendo id, quod fuerat promissum, *ad Text. in Cap.* 23 *de Reg. juris L. aliud ff. de verborum significat. Leg. Sancimus Cod. de Poenis, Rota decis.* 529 *num.* 30 *coram Olivatio*; alias, si mora referri potest ad Causam ambiguam, nulla profecto de ea 6

ratio habetur ad durissimum caducitatis effectum. Neminem enim latet vel levissimum dubium pro exclusione poenæ exuberare. Hoc igitur posito, frustra Rosa Bartoli suadere conabatur Salimejum in poenam restitutionis sortis incurrisse ob non solutas duobus consecutivis semestribus usuras, etsi ita in contractu conventum fuerat. Nam si Salimejus defuit conditioni contractus, ni justam, probabilem saltem causam, ei præbere potuit, fructuum quantitas haud liquida, et quæstio super cambialis capitis veritate. Non itaque Tribunalis Capitolini mandatum quoad sortis restitutionem exequutioni dari poterit, nisi, post debitorum fructuum liquidationem, eos pertinaciter Salimejus rependere negligat.

Et ita etc. Utraqne etc.

ROMANA PECUNIARIA

Veneris 24 *Novembris* 1820.

ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. *Confessioni suae unumquemque stare oportet. Quod corroboratur SSmi Auctoritats, nequit in controversiam adduci, nisi prius obtenta aperitione oris - ibidem.* -
2. *Societatis utilia nequit porrigi ad illos, qui ob mercedem operam suam navarunt.*
3. *Ad dignoscenda lucra Societatis dispungi prius debent rationes hinc inde, ac effici Status Societatis.*
4. *Cui nullum jus est ad bona vendicanda, nullum neque damnum, neque lucrum ex iis bonis venire potest.*
5. *Status qui vel non omnes partitas Societatis comprashendit, vel nonnullas subnectit societati extraneas, non debet attendi.*
6. *Lucrum sociale unicuique socio pro aequali parte est tribuendum.*

DECISIO XIX.

Quo tempore Galli sub larva Democratici regiminis Urbem, ac Pontificiam Ditionem tenebant, omniaque, quæ poterant, sibi in subjectos licere putabant, celebriora ab Urbe, ac Ecclesiastico Statu artium, scientiarumque monumenta, præsertim in signis, ac tabulis pictis, asportare; ac Lutetiam afferre constituerunt. Tum Fratres Sieubert, Joannes Baptista, ac Franciscus, hoc opus, mercede pacta, susceperunt, die 19 Februarii anni 1798, ac deinceps particularem societatem cum Xaverio Pediconi super iis removendis, componendis, et apte accomodandis monumentis, ut possent in Galliam transferri, privata scriptura diei 24 Februarii 1798 coierunt. Hujus Societatis hæ, fuerunt leges, ut nempe Pediconius operi conficiendo preesset ut uterque Socius impensas ex æquo subiret, et ut inter utrumque essent utilia æquis partibus dividenda = *Le spese di qualunque genere debbano farsi metàper ciascuno, e gli utili dovranno parimenti dividersi metà per ciascuno dei Socj.* Sed, opere dein omnino absoluto, monumentisque Lutetiam allatis, Fratres Sicubert qui sibi in Socios adsciverant quoad universum negocium Valaderium, ac Dorelium, ingentem pecuniæ vim usque ad scuta 337000 mercedis, et expensarum nomine a Directorio Gallici regiminis constitutam, inscio prorsus ac in consulto Pediconio receperunt, in tot bonis, quæ Nationalia dicebantur, in Statu Ecclesiastico existentibus, nec quidquam Pediconio, vel pro ejus opera, ac impensis, vel nomine utilium, quo ad societatem = *di remozione, incassaggio ed imballaggio* = persolverunt. Quare Pediconius adversus malofidos Socios judicio agere debuit.

Hinc diuturnæ litis exordium. Nam Pediconius statim coram Tyberis Tribunali institit, immissionem ad bona expostulans, sed, etsi immissio ei denegata fuerit, res tamen ei cessit pro votis, cum judicatum fuerit de societate constare, et ipsum in eam admittendum fuisse Societatis utilium partem quæ a liquidatione per Peritos explenda colligeretur. Hæc vero causa, rebus publicis in pristinum statum restitutis, coram S. Congregatione Deputata super bonis alienatis proseqnuta fuit

ac post Periti Curialis deputationem, prodiit die 29 Maii anni 1806 illius Sacræ Congregationis resolutio, quæ societatem probavit, statutumque activum sociale pro tunc in scut. 65000 constituit, uti Peritus Curialis Constantius. ab eadem Congregatione præcedenter delectus retulerat. Nec perperam augumento ejus status activi fieri posse locum judicatum fuit; Nam; cum die 16 Martii anni 1809 omnes societatis rationes ad liquidum statum perducendæ coram S. Congregatione preponerentur, ad triplex dubium triplex prodiit resolutio, quæ statum activum Societatis scutis 70672. 72 liquidavit, statum passivum in scutis 37600. 9 constituit. Pediconium autem ob impensas, et operam in Societate collatas, et ob lucrum in communi causa obventum, ac unicuique Socio pro æquali parte tribuendum, in summa scutor. 15086. 31. Creditorem adversus Fratres Sicurbet declaravit. Has autem omnes resolutiones Sanctissimus sua auctoritate probavit; et cum ab iis provocare Sieubertii ausi non fuerint, huic liti aliquis finis tandem adfuisse visus est.

Attamen, rebus publicis iterum eversis, Gallisque Ecclesiæ Ditionem iterum occupantibus, novas judiciorum vices Pediconius subire coactus fuit. Tribunal enim Primæ Instantiæ, Romæ constitutum, Sacræ Congregationis resolutiones infirmavit. etsi, nullis antea concessis facultatibus, rem, jam Auctoritate Sanctissimi Principis penitus absolutam, ad trutinam revocare non posset; Aula deinde Appellationis in scutis 4210. 12 $\frac{1}{2}$ Pediconi creditum constituit, reliquis partitis in suspenso relictis. Sed, restituto Pontificio regimine, sine mora A. C. Mastai Fratres Sieurbet pro solutione scutorum 4210. 12$\frac{1}{2}$ in judicium vocavit sine præjudicio juris de reliquo credito coram Nostro Sacro Ordine cognoscendi. Deinde vero, ut reos invitos, et reluctantes ad solutionem cogeret, supplici libello coram Auditore SSmi institit, expostolans, ut Sacræ Congregationis resolutiones die 16 Martii latas, et Sanctissimo probatas executioni contra Sieubertios mandaret; sin minus Appellationem tantum *in devolutivo* citatis concederet. Sed Sanctissimi Auditor Appellationem *in devolutivo*, quoad tantum partitam scutor. 4210. 12 $\frac{1}{2}$ *contentam in judicato A. C. Mastai* admisit, in reliquis autem partes uti juribus suis in S. Rota mandavit, cum clausula de *Aperitione oris*. In vim itaque bujusce Decreti Patres hodie rogavi sub Dubii formula = *An pro nunc constet de ulteriori credito scut.* 12776. 29 *ita ut sit relaxandum Mandatum in casu etc.* = et Fratribus Sienbertiis periculum suorum jurium declinantibus, frustraque dilationem petentibus, responsum accepi = *Pro Informante* = nempe *Affirmative*.

1 Ambigi namque non potest, quin inter Sieubertios, et Pediconium universalis Societas intercesserit, quoad = *la remozione, l'incassaggio, ed imballaggio* = monumentorum *d' arte e scienza*, quæ Lutetiam transvehenda erant. Eam enim probat in primis declaratio a Fratribus Sieubert emissa per Procuratorem, qua Societatem ultro admiserunt, fatentes = *costare della Società fra il Sig. Saverio Pediconi, e noi sottoscritti sull'impresa dell'imballaggio, ed incassaggio dei monumenti d'arte, e scienza trasmessi in Francia* = Qua confessione omnis de societate controversia dirimitur. Confessioni enim suæ unumquemque stare oportet, nec in dubium revocari potest, quod admissum fuit, uti in jure notissimum est. Rem vero omnem conficit, *tum* Tribunalis Tyberini Sententia, quæ die 10 Julii 1799 statuit = *sussistere la Società tra i Sieurbet, e Pediconi sull'imballaggio; ed incassaggio*, quam ipsi Sieubert probatam habuerunt, *tum* præcipue S. Congregationis resolutio, quæ die 29 Maii 1806 statuit = *Constare de Societate quoad imballaggio inter Xaverium Pediconi et Fratres Sieubert*. Cui cum SSmi Auctoritas accesserit, disputatio omnis de Societate sublata fuit; nec amplius poterat, nisi prius obtenta Aperitione oris, res in controversiam adduci. Quapropter nullius est momenti, quidquid in Primæ Instantiæ Tribunali, vel in Aula Appellationis decretum fuit, et quod Sacræ Con-

gregationis Resolutiones infirmavit. Nam cum in iis Tribunalibus occurreret jurisdictionis defectus, eo quod nulla facultas concessa eis fuerit de Societate Pediconii cognoscendi; quod jus dixerant, nulliter profecto dixerunt.

2 Constat igitur de Societate, sed de Societate tantum inter Pediconium, et Sieubertium inita; Res enim in apertissimam calumniam abiret, si Fratres Sieubertii in partem utilium ad Pediconium pertinentium quoad Societatem = *di remozione, incassaggio*, *ed imballaggio* = vocarent Valaderium, et Dorellium, cum quibus postea inierunt Societatem = *dei trasporti* = Quamvis enim hi, quoad idem subjectum, nempe monumentorum asportationem suam operam navassent, nil tamen altera hæc Societas communis habebat cum illa seorsim a Pediconio cum Sieubertiis inita. Ea enim quoad *i trasporti*, hæc autem quoad *l'imballaggio, ed incassaghio* versabatur. Præterea hæ Societates diverso tempore initium, et finem habuerunt. Siquidem Societas *dei trasporti* die 26 Maii 1798 inita, die 23 Martii 1803 dissoluta fuit; Altera autem *della remozione ed imballaggio*, die 24 Februarii 1798 contracta, distinctum progressum habuit. Omnem vero de hac re quæstionem dirimit *tum* Tribunalis Tyberis Sententia, quæ Valaderium ab hac cum Pediconio Societate exclusit, *tum* Sacræ Congregationis resolutio, quæ cum decreverit *constare de Societate inter Xaverium Pediconium, et Fratres Sieuberti juxta primam hypothesim Peritiæ Curialis*, qua in hypotesi prædictæ binæ Societates, uti prorsus separatæ ponuntur, satis declaravit Societatem Pediconii cum Sieubertiis penitus ab altera *dei trasporti* esse disjunctam.

3 Posita itaque inter Pediconium, et Sieubertios Fratres particulari Societate super monumentorum = *remozione, incassaggio ed imballaggio* = hinc consequitur si quid lucri deductis impendiis ex *incassaggio, ac imballaggio* obvenerit, hoc inter Sieubertios, et Pediconium bipartiendum esse. Constat autem revera lucra superfuisse. Nam status activus in scut 70672. 72 in controversiam adduci nequit, postquam illum pro ea summa Peritiæ Stefanellii, et Constantii, dispunctis utrinque rationibus, allatisque hinc inde documentis, constituerunt, quas Sacræ Congregationis resolutio confirmavit Sanctissimus sua Auctoritate sancivit, ipsi Sieubertii præterea, nulla interposita appellatione, probarunt. Sed, his etiam omissis, prona esset hujus Status activi liquidatio, Hic enim ex duabus partitis conflatur: altera scutorum 65000, altera scutorum 5672. 72. Primam ipsi Fratres Sieubertii ultro admiserunt coram Sacra Congregatione, dum declararunt sese accepisse, pactæ mercedis nomine pro = *imballaggio ed incassaggio* = ea scuta 65000 a Directorio Galliciis Regiminis; alteram coram Perito Nerio a Gallicis Commissariis sese recepisse; auctorii nomine pro expensis *nella remozione ed incassaggio* confectis, affirmarunt. Quæ confessiones os claudunt Sieubertiis in ævum, ne quid unquam contraponere audeant.

Sed nec audiendi sunt Sieubertii dum 4
per turbidas exceptiones illum statum activum imminuere, ac ad nihilum redigere conantur. Frustra enim ad Legem a Sanctissimo Principe latam confugiunt, quæ, cum veteribus Dominis bona recuperandi facultatem concesserit repenso tantum emptoribus soluti pretii quadrante, maxima parte nationalium bonorum, quæ eis in solutum, pro universo asportationis monumentorum negocio, data fuerunt, ipsos spoliavit. Nil enim istud Pediconii interest qui erat pecuniæ, nulli quidem diminutioni ob noxiæ, Creditor, non vero bonorum, quæ Fratres Sieubertii majoris lucri sibi quærendi causa, haud quidem cum Pediconio dividenda, acceperunt. Id enim firmat Tyberini Tribunalis res judicata, quæ immissionem ad bona Pediconio denegavit, actione tamen ei pro divisione utilium Societatis servata; firmat præterea ipsius rei evidentia. Nam Sieubertii procul ab omni Pediconii consensu, imo eo penitus irrequisito, bona nationalia acceperunt, et de hoc lucro, quod sibi u-

nis comparaverant adeo fuerunt solliciti, ut obligationem etiam in se susceperint = *di pagare le spese dell'incassaggio ed imballaggio* =. Atqui si nullum jus ad bona Pediconio erat, cum integro erant, maximumque lucrum promittebant, nullum quidem ei damnum posse ex iis ipsis bonis venire, cum a veteribus Dominis vindicata fuerint, concludendum est; et si Sieubertii maximam jacturam passi sunt, sibi ipsis imputent, sed Pediconius ab ea est omnino immunis. Hujusmodi autem objectio eo etiam corruit, quia constat Sieubertios præter nationalia bona magnam pecuniæ vim accepisse, quæ, cum in causam socialem convertenda esset diminutionem omnem removebat,

5 De statu societatis etiam passivo, ne ulla quidem dubitatio oriri potest. Illum enim in scutis 367000. 9 firmavit Resolutio Sac. Congregationis, juxta Peritias Costantii, et Stefanelli, quas in dubium erat Sieubertios probatas habuisse, cum nullam ab iis interposuissent appellationem; illumque etiam SSmus sua Auctoritate confirmavit. Est igitur in eadem summa status passivus probandus, rejecta prorsus Peritia a Nerio antea confecta, quæ statum passivum Societatis ad scuta 47505 extollit. Hujus enim discriminis ratio in eo posita est, quod Nerius plures computaverat expensas, quæ alteri Societati *dei trasporti* ab hac penitus distinctæ, tribuendæ erant, nullamque rationem habuerat de imminutionibus = *tare* = mercedum in operibus pro *imballaggio ed incassaggio*, confectis, quæ imminutiones conflant summam scutorum 7256 62 atque in hac summa Sac. Congregationis Decreto àdprobatæ fuerunt.

6 Statu igitur activo Societatis in scutis 70672. 72 constituto, passivo autem in scutis 37600. 9, lucrum Sociale emergit in summa scutorum 33972 63, quod unicuique socio pro æquali parte, nempe pro scutis 16980. 31 tribuendum est. Sed, cum ex his scuta 4210. 12 ½ reponenda sint, de quibus hodierna die nulla habenda erat ratio, reliquum stare creditum Pediconii in scutis 12776. 19 manifestissimum est

At vero clausulam *pro nunc* adiici etiam in hujus crediti constitutione oportet. Nam cum Pediconius asserat Fratres Sieubertios longe majorem pecuniæ vim assequutos fuisse, quæ in causam socialem *dell'imballaggio ed incassaggio* cedere debebat, patens via ipsi relinquenda est ad sua jura in congruo judicio omnino experienda.

Atque ita etc. unica etc.

ROMANA PRAELATIONIS

Veneris 16 *Junii* 1820.

ARGUMENTUM

Deliberatio, ex Constitutione Pauli V, fieri non potest, nisi prias intimato illo, qui in prima licitatione vicit. Qoi prainde si certior de re factus non fuerit, jus habet novam oblationem adjicere. ac in paritate conditionis praelationem impetere Ac ex praedicta Constitutione, nulla fit distinctio, inter licitationes, quae fiunt inter praesentes, e illas, qoae fiuot per schedas.

SUMMARIUM

1. *Frustra de praelations contendit, qui superatus in oblatione fuit.*
   Aequitas exigit, ut in pari conditione, praelatio detur illi, qui in prima licitatione melior oblator fuit - ibidem. -
2. *Non omns quod scriptis mandatum non fuit, ob id dicendum est, quod non fuerit dictum, aut probatum.*
   Actus postsrior, persaepe facit praesumere actum anteriorem - ibidem. -
3. *In secunda licitatione, nunquam praesumitur exclusus primus oblator, nisi id expressim cautum fuerit.*
4. *Venditor, meliore conditione allata, posteriorsm oblatorsm praeferre potest, nisi prior paratus sit plus adjicere.*
   Ex Constitutions Pauli V, statuitur quod si lapso ad offerendum tempore quispiam plus obtulerit non fiat deliberatio, nisi intimato eo, qui prius licitando vicerat, ut possit iterum, si velit, per totam sequentem diem plus offsrre - ibidem. -
   In dicta Constitutione Pauli V, nulla fit, distinctio, inter licitationse, quae fiunt inter praesentes, et illas quae fiunt inter absentss per schedas - ibidem. -

6. Si primus oblator certior non est factus de nova oblatione, deliberatio nullum effectum sortiri potest.

DECISIO XX.

Alieno obrutus ære cum decessisset Franciscus Lisoni, indicto super ejus bonis creditorum concursu, de hisce, quo meliori fieri posset pacto, in communem utilitatem distrahendis solliciti ipsi fuere. Edicta itaque proposita fuerunt, quibus publice enunciatum fuit, ut si quis ea bona acquirere cuperet, apud designatum tabellionem suam exhiberet oblationis schedam. Tres inventi fuerunt super domo, nonnullisque aliis bonis stabilibus oblatores; Aloysius Nicolinius emptionem appetens prætio scutorum 1750. Ædium ad defuncti debitoris patrimonium spectantium in oppido Maren. Anasthasia Trajetti ejusdem debitoris vidua relicta, et secundo viro Francisco Frontoni nupta, quæ quamplura illius bona in sua scheda designata sese acquisituram declaravit scutis 2433, ac demum Jacobus Bartolini, qui pro omnium horum bonorum prætio scuta obtulit 2440. Tunc creditores, collegialiter, secundum legum præscripta, coram Judice, ac Notario die 14 Junii 1819 congregati constituerunt ad majus, si fieri posset bonorum prætium inveniendum ut nova proponerentur edicta, quibus præfigeretur = *il termine di 15 giorni dal giorno dell'affissione di detta notificazione, a chi volesse accudire all'acquisto dei suddetti beni, a dare le loro offerte maggiori a quella del Signor Bartolini, passato il quale, e non trovandosi maggiori offerte, si prenderanno dai Signori Creditori le opportune deliberazioni* = Hinc publice nova affixa fuerunt edicta, quibus declaratum fuit, quod = *essendo comparsa una offerta di scudi 2440, si fa noto a chiunque volesse superarla, che nel termine di 15 giorni debba esibire la sua offerta, passato il quale si prenderanno dai Signori creditori le più convenienti deliberazioni.* =

Tum novas Nicolinius, et Anasthasia exhibuerunt oblationes: ille in scutis 2510: hæc in scutis 2707. Quibus inspectis, iterum die 6 Julii ejusdem anni 1819, apud Judicem, Notario adstante, creditores convenerunt, quos inter Anastasiæ Procurator, Causidicus Ciatti, et ejus secundus vir Frontonius; et, cum Anasthasiæ oblatio melior esset, eam acceptam habuerunt, hac tamen sub conditione = *che siccome nella precedente congregazione si ebbe in vista la offerta, che aveva data il Signor Giacomo Bartolini, e si propose che si dovessero rinnuovare le notificazioni per invitar altri oblatori, preservando allo stesso Bartolini di coprire la stessa offerta; hanno perciò ingiunto al Signor Luigi De Rossi, come Procuratore del Signor Bartolini di farlo subito intendere allo stesso Signor Giacomo Bartolini, per dichiarare nel termine di tre giorni decorrendi da oggi, se voglia coprire la stessa offerta, o nò; ed in caso affermativo dia la sua offerta: ed in caso negativo faccia una dichiarazione di non poter accudire alla detta compra: fissato poi quale delle due offerte debba avere la esecuzione, si dovrà procedere alla stipolazione dell'Istromento* =. Cujusmodi resolutioni Judex, Notarius, et omnes creditores, Anasthasiæ Procurator, ejusque secundo viro haud exceptis, unanimiter subscripserunt. Hisce auditis, Bartolinius in bonorum emptione se so præferri velle intra præfinitum terminum declaravit, et scuta offerens 2710. Anasthasiæ oblationem superavit.

Verum Anasthasia in id animum intendit, ut bona sibi, non Bartolinio addicerentur, atque in jus vocavit die 10 ejusdem mensis Julii apud Collegiale Tribunal A. C., tam Procuratorem Bartolinii, quam illum patrimonii Lisonii, postulans ut inhiberetur stipulatio Instrumenti emptionis cum Bartolinio, contra vero hæc cum ipsa perficeretur, ad tramites ipsius superius recensitæ oblationis. Vix proposita hac instantia eam statim probandam esse censuit prædictum A.C. Tribunal, sententia lata die 21 illius mensis Julii. At, indulta Bartolinio appellatione, causæ cognitio ad S. Nostrum Ordinem remissa fuit, cujus aliud fuit Judicium: nam, cum hoc mane Patres interrogaverim = *An, et cujus favore sit procedendum ad stipula-*

tionem Instrumenti in casu etc. « Responsum accepi » *affirmative favore Jacobi* =.

1 Et sane debetur Jacobo Bartolinio prælativa Instrumenti emptionis bonorum stipulatio ex voluntate creditorum, qui coram Judice, et Notario adstante legitime. congregati oblationem Anasthasiæ acceptam habuerunt, non pure, ac simpliciter, sed conditione adjecta, ut Jacobo liceret « *dichiarare nel termine di tre giorni se voglia coprire detta offerta* » Quam cum ipse superasset, nullo jure cum eo de prælatione Anasthasia contendit. Eoque magis id est tenendum, quia postquam in prima licitatione Jacobus alios vicerat oblatores, creditorum cætus « *vedendo, che vanno vantaggiando la loro condizione* » edicta iterum affigi voluit ad inveniendum, qui Jacobi oblationem superaret, sed id novum oblatorem præferendum sese non obstrinxit, in iis namque edictis declaratum fuit tantum « *si prenderanno dai Signori creditori le più convenienti determinazioni* »; et propterea liberum ipsis fuit in secunda Congregatione facultatem Jacobo tribuere superandi oblationem Anasthasiæ; cum præsertim, quem sibi proposuerant finem « *di vantaggiare la loro condizione* » dum in Congregatione die 14 Junii 1819 statuerunt, ut nova affigerentur programmata ad alliciendos, qui exhiberent « *le loro offerte maggiori a quella del Signor Bartolini,* » eamdem præ oculis habuerunt, cum in altera Congregatione diei 6 Julii ejusdem anni constituerunt, ut Jacobus interpellaretur « *se voglia coprire detta offerta* » illam nempe Anasthasiæ. Nec ulla subesse poterat ratio, ex qua Jacobo pejor conditio, quam Anasthasiæ inferenda esset: quod scilicet Jacobi oblationem Anasthasiæ superare datum fuisset: Anasthasiæ vero oblationem vincendi Jacobo denegaretur facultas. Quin immo æquitas exigebat, ut Jacobi conditio melior esset, cum ipse ad bonorum acquisitionem, uti major in prima licitatione oblator, jus quodammodu fuisset adeptus.

2 Quin recte objiciat Anasthasia resolutionem creditorum in congregatione diei 6 Julii 1819 nullo esse in prætio habendam, quia ipsi eam amplexi fuere ex falsa causa, nempe quia « *nella precedente congregazione si ebbe in vista la offerta; che aveva data il Sig. Giacomo Bartolini, e si propose, che si dovessero rinnuovare le notificazioni, preservando allo stesso Bartolini di cuoprire la nuova offerta* = quæ in actis superioris illius congregationis scripta haud videntur. Etenim non ideo, quod scriptis mandatum non fuerit id, quod æquitate, et justitia suadente, creditores faciendum esse dixerunt, quoad primam Bartolinii oblationem in congregatione diei 14 Junii 1819 concludendum est hæc reapse dicta, ac probata non fuisse, immo contrarium pernecesse sentiendum est, si animadvertatur eumdem Judicem, eumdem Notarium, ac eosdem creditores, quos inter Anasthasiæ Procurator, atque ejus secundus vir, qui adfuerunt in congregatione prædicta diei 14 Junii 1819, interfuisse etiam posteriori congregationi diei 6 Julii ejusdem anni, atque hujus congregationis actis subscripsisse, et ideo, cum de re ageretur, cujus recens erat memoria fieri nunquam potuisse, ut ipsi in hac posteriori congregatione propositum fuisse in superiori profiterentur, ut Bartolinio jus reservaretur « *di coprire la nuova offerta* » nisi id reapse fuisset oretenus constitutum. Hinc scripta de hujusce juris reservatione declaratio in actis posterioris congregationis sumenda est, uti supplementum omissionis, quæ inventa fuit in actis congregationis superioris.

Præterea inquirere non debet Anasthasia qua causa moti creditores in congregatione diei 6 Julii 1819 constituerint Bartolinio facultatem esse tribuendam superandi, si vellet, ipsius Anasthasiæ novissimam oblationem: sat enim est, quod in illis novis propositis edictis sese haud obstrinxerint ad meliorem præferendum oblatorem, qui, secundum ea, suam exhibuisset schedam, sed tantum declaraverint « *si prenderanno dai Signori creditori le più convenienti determinazioni* = ex quibus patet nullum jus ad acquisitionem bonorum nactam ex suo oblatione fuisse Anasthasiam, atque ideo nullam ipsi a creditoribus injuriam 3

fuisse irrogatam, dum Bartolinio facultas fuit data superandi ipsius oblationem. Immo intelligere debebat Anastasia fieri nunquam posse ut ea Bartolinio facultas denegaretur; hac enim ipsi denegata, post alios oblatores ad superandam ejus primam oblationem accitos, exclusus ille a licitatione fuisset, postquam in prima omnes alios vicerat. Non enim novam exhibere poterat oblationem, antequam scivisset an quispiam eam, jam ab ipso exhibitam, superasset.

4 Eo autem magis tenendum est creditorum cætum prædictum facultatem merito Bartolinio tribuisse, eique competere in bonorum acquisitione prælationem, quia quod æquitas a creditoribus postulabat, id etiam justitia exigebat. In jure namque scriptum est licere = *Venditori meliore allata conditione adjecere posteriori, nisi prior paratus sit plus adjicere* = ut ait *Paulus in leg.* 7 *ff de in diem additione*, atque necesse habere = *Venditorem, meliore conditione allata priorem emptorem certiorem facere, at si quid alius adjicit, ipse quoque adjicere possit* = uti scriptum videtur *in leg.* 8 *ff eod.*; quæ etiamsi de additione in diem constituta sint, licitationibus etiam optime conveniunt ut docet *Fontanell. decis. Cathal.* 520 *num.* 8,, *Mantic. de tacit, et ambig. lib.* 4 *tit.* 28 *num.* 26, *Fabian. de Mont. de emptione, et vendit. quæst.* 5 *num.* 92, *ultimar de nullitat. rubr.* 1 *part.* 4 *quæst.* 39 *n.* 916, *Struvius exercit. in pandectas lib.* 18 *tit.* 2 § 33, *et Rot. in Romana affectus super prælatione* 4 *Julii* 1792 *coram Paracciano* §. 3.

5 Quod fortius obtineat necesse est in nostro Foro ex vulgata Constitutione *Pauli V, quæ extat in Bullario Mainardi tom.* 5 *par.* 4 *p.* 23, quevæ agendo de licitatore, qui vicerit tempore ad offerendum præfinito, et cujus oblatio deinceps, licitatione renovata, fuerit superata, jussit = *si lapso ad offerendum tempore quispiam plus obtulerit non fiat deliberatio, nisi intimato eo, qui prius licitando vicerat, ut possit iterum, si velit, per totam sequentem diem plus afferre, alioquin oblatio, et deliberatio, ei cui facta est non suffragetur* = Quæ dispositio convenit tam licitationibus, quæ fiunt inter præsentes ad hastam publicam, quam illis, quæ fiant inter *absentes* per schedas; quia nulla in ea constitutione fit distinctio; ideo optime intelligitur ad hasce postremas respexisse, quia præscribit intimationem primi licitatoris, quæ inter *absentes* necessaria, supervacanea esset inter PRESENTES, sicuti rem explicat *Ridolphin. port.* 1 *cap.* 11 *numer.* 126, *Mangil. de subhast. quæst.* 36 *num.*11. *Rota cor. Buratt. decis.* 703 *num.* 5 *decis.* 12 *num.* 7 *post. de Nigris de subhast. decis.* 113 *num.* 10 *post. Post. de subhast., dec.* 237 *num.* 16 *part.* 15 *in recen. in Camerinen. Prælationis* 19 *Junii* 1807 *coram Rmo P. D. Serlupi Decano* § 6, *in Confirmatoria* 7 *Martii* 1808 *cor. eod.* § 11, *et in alia Confirmatoria* 2 *Martii* 1809 *cor. Piccolomini* § 3 *et* 4.

Hinc itaque cum in prima licitatione 6 Bartolinius vicisset, et cum elapsum jam fuisset tempus in primis edictis ad licitandum constitutum et tamen creditores ad novam licitationem procedendum esse voluerint, et cum demum prima Bartolinio oblatio ab Anasthasia superata fuisset, jus exigebat, ut de hac nova Anastbasiæ oblatione ipse certior fieret, ut *posset iterum si vellet plus offerre.* Quo pretermisso deliberatio Anasthasiæ suffragari non potuisset, quare resolutio cætus creditorum diei 6 Julii 1819, uti æquitati, ac juris præscripto consona suum omnino sortiri debuit effectum. Nec obest eam a Tribunali non fuisse probatam juxta art. 1524 nostri Codicis Judiciarii, nam in ea non defuerunt omnes solemnitates in articulis 1452, et 1507 ejusd. Codicis præscriptæ, et quod probare Tribunal Collegiale A. C. injuria noluit, id probandum fuisse nunc Sacer Noster Ordo constituit.

Et ita resolutum fuit utraque etc.

SENOGALLIEN

NULLITATIS TRANSACTIONIS

Veneris 23 *Junii* 1820.

ARGUMENTUM

Transactio iaita a muliere, Principe aactoratne, atque Judicis decreta accedente, nequit rescindi ob extrinsecae larmae defectum. Justus timar litis legitimam praebet caasam ad effectum tenosigeadi, et jastus repulatur timar, si juris articulus sit adea implexus, ut peritus vir de eo dubitare prudeater possit.

SUMMARIUM

1. *In quolibet dubio erit semper servanda transactia, ac praesertim si fuerit inita inter personas sanguine conjunctas, ac servata per lapsum quadraginta annorum.*

   Ad firmitatem transactionis, sat est rem fuisse aliquantisper dubiam de tempore quo inita fuit, et quod urgeret litis timor - ibid. -
2. *Transactio rescindi potest, vel ob defectum formae extrinsecae, vel ab intrinsecam injustiae labem.*

   Ubi Suprema Principi fuerunt transactionis causae narratae, ubi actus fuit vallatus Judicis decreto, dolus aut fraus nunquam praesumuntur, etiamsi agatur de minore aut muliere - ibidem. -
3. *Justus litis metus legitimam causam transactioni praebet, ubi lex tam ambigua sit, ut dubitandi occasionem etiam viro perito cohibeat.*
4. *Decretum Ducale Urbini excludebat sororem ab haereditate fratris, et omnes foeminas per existentiam masculorum in infinitum.*

   Mulier quod accepit dotem, ac emisit renunciationem omnibus bonis, censetur renunciasse etiam haereditati fratrie - ibidem. -
5. *Transactio ut sit valida debet aliquid hinc inde sses remissum, quod deesse dici non potest, si quarta pars rei controversae fuerit per transactionem tradita.*
6. *Abdicatio effraenatissimis verbis concepta, secumfert pactum de non succedendo.*
7. *Ubi adest Statutum, quod masculi semper foeminis praefert, duplicitas vinculi in intestatis successionibus minime est attendenda.*
8. *Si pertimescitur quod novissimum emergat testamentum, justus timor litis reputatur ad effectum transigendi.*

   Fraus et dolus nunquam praesumuntur, sed ab allegante dilucidis probationibus debet ostendi - ibidem. -
9. *Si super incerto jure haereditario quis quartam partem haereditatis transactionis causa acceperit, quaevis exulat laesionis quaerela.*
10. *Aliud est rescindere transactionem ex falsa causa, aliud eam convellere ex capite laesionis.*

DECISIO XXI.

Post Julii Guidi obitum, ejus hæreditas divisa fuit, anno 1737 inter ejus filios, Sacerdotem Dominicum, et Equitem Antonium, ejusque Nepotem Hieronymum, et prædefuncto filio Angelo ortum, ita ut unicuique horum symbola obvenerit, *ad scuta biscentum ac viginti super termillia* adscendens, præter quasdam domus, valoris scutorum 1814, quæ indivisæ remanserant. Erant vero Hieronymo quatuor Sorores, quarum altera ' nempe Nicolaa, ex utroque latere conjuncta, quia uti Hieronymum, eam Angelus susceperat a prima Uxore Johanna Petrucci, reliquæ tres Antonia, Anna, et Flora consanguineæ, cum Angelus eas habuisset a secunda Uxore Elisabeth Guerrini. Obiit Dominicus Guidi, et testamento confecto die 19 Aprilis 1746, hæredem sibi scripsit prædictum Hieronymum, relictis ejus Sororibus, Antoniæ, et Floræ, legati nomine, *scutis biscentis* in singulas. Anno deinceps 1751 diem vidit Supremam Eques Antonius Guidi, relicto per testamentarias tabulas, die 13 Decembris illius anni conscriptas, hærede universali eodem Hieronymo, eique, si improlis decessisset, substitutis sororibus Nicolaa, Anna, et Flora, posthabita prorsus Antonia, Ita igitur universa Guidiæ res in Hieronymo conluit.

Interim Nicolaa ab anno usque 1736 nupserat Francisco Camillo Savellio, cique a patre Angelo, adhuc inter vivos extante, et a germano fratre, Hieronymo, dos constituta fuerat in *scutis mille quingentis*, præter scutum *unum* supra *biscenta*, pro mundo muliebri, ea sub conditione, ut hac recepta dote, ac mundo muliebri, amplissimam emitteret renunciationem ad omnia bona materna, avita, fraterna, aliaque, quæ ad ipsam quocumque nomine spectare possent; et die 30 Augusti 1741 Angelo patre jam

elato, cum scuta *sexcenta*, ad prædictam conficiendam summam, adhuc ei, ejusque viro solvenda essent, hæc ipsi ab Hieronymo receperunt, et Judice auctorante, omnibusque solemniis intercedentibus, promissam illam renunciationem ad bona = *paterni, materni, aviti, fraterni, ed altro, che a lei* = Nicolaæ nempe = *potessero, o possino competere per qualsivoglia legato*, o *donazione di qualsisia sorte* = emisserunt. Postea vero, Camillo Savellio e vivis erepto, Nicolaa secundo nupsit Antonio Braschi, ex quo duas habuit filias Elisabeth, atque Angelam.

Cum autem conciliavit nuptias Elisabeth, altera ex hisce Nicolaæ filiabus, cum Philippo Savelli, die nempe 17 Januarii 1773, mater præter dotem ex paternis, maternisque bonis jam constitutam, donavit ei futuræque ejusdem proli = *la metà di tutte le sue ragioni, ed azioni, che ho con Casa Guidi in vigore di qualunque titolo, e causa, riservandosi però sempre l' usufrutto d' ogni cosa, durante la sua vita, e la quota per testare* =; quæ donatio cum præcedenti ejusdem Nicolaæ perampla renunciatione manifestissime pugnavit. Ex eo conjugio vitam postmodum habuere Joseph, Angelus, Dominicus, et Raymundus Savelli. Ex alio vero conjugio subinde contracto ab Angela, altera Nicolaæ filia, cum Aloysio Fossi, lucem videre Joseph, Livius, Franciscus, et Gentilis.

Anno deinceps 1776 nullis relictis liberis, diem vidit extremam Hieronymus, Sospitibus attamen ex ejusdem supradictis quatuor sororibus, *Nicolaa* ex utroque latere defuncto conjuncta, *Anna* nupta Attilio Fantini, ex qua prodierat Elisabeth nupta Ubaldo Fronzi, et *Flora* uxore Xaverii Marotti improli; et ex *Antonia*, conjuge Dominici Ceppetelli, prædefuncta, *Angelo Advocato*, *et Cristophoro Ceppetelli*; quæ sorores omnes, una cum hisce nepotibus, existimantes nullum ab Hieronymo relictum fuisse ultimæ voluntatis suæ testimonium, illius bonorum omnium possessionem illico cæperunt. Sed inter hos bonorum possessores, licet extra judicium versantes, summa attamen animi contentione de respectivis juribus ad successionem illam disputabatur. Authumabat siquidem præ cæteris Nicolaa ad se universam Hieronymi substantiam pertinere, utpote, quæ unica erat Suror defuncto ex utroque latere conjuncta, ideoque ex notissima *Authent. cessante Cod. de legit. hæred.*, cæteris *consanguineis* omnibus præferenda. Alia autem mens erat, tum cæteris consanguineis, ob renunciationem, quam ipsa Nicolaa emiserat bonis omnibus = *paterni, materni, aviti, fraterni* =, tum præsertim Fratribus Ceppetelliis, prædefunctæ Antoniæ filiis, qui summopere innitebantur Decreto Ducum Urbini *num*, 63 vigenti in Civitate Senogalliæ, quo cautum erat = *ne fœminæ dotatæ ab Avo, et Avia, Patre, Matre, vel a Fratre vel ab altero ipsorum, donec, et quousque fuerint masculi per lineam directam descendentes in infinitum ab intestato succedere possint*.

Dum itaque hisce dissidiis amicabiliter componendis dabatur opera, præsertim diligentia, et cura Advocati Angeli Ceppetelli, inopinato erupit testamentum quoddam, ab Hieronymo conditum die 6 Octobris 1741 quod in Archivio Montis Bodii squallens, situ, eousque reconditum manserat. Eo relinito apparuit Hieronymum hæredes universales vocasse Patruos suos, Dominicum, et Equitem Antonium, ante ipsum testatorem jam vita functos; atque in ipsius testamenti clausi durso legebatur inscriptio = *ne fece un'altro* = Obstupuere tunc omnium contendentium animi, et sibi quisque timere cæpit effectus ambulatoriæ voluntatis hominis, præ cæteris autem gelidus tremor eucurrit per ossa Mariæ Nicolaæ, ne scilicet in alio testamento, quod in posterum verosimiliter inveniri poterat, ipsa, aut modice honorata, aut etiam umnino præterita esset a fratre, qui, dum conspicuam ei dotem constituerat, amplissimam ab ea exegerat bonis omnibus maternis, paternis, avitis, fraternis, renunciationem. Hinc ad transactionem ineundam conversi animi, qua sorores omnes Hieronymi, et pro defuncta An-

tonia fratres Ceppetellii, illam reprehesentantes, æqualem universæ Guidiæ rei quotam obtinerent, suisque invicem juribus, quæcumque tandem essent futura, valedicendo, stabile, ac perpetuum pacis fœdus inter se inirent. At quoniam res erat expedienda inter mulieres, et præfatos fratres Ceppetellios, hinc omnes adierunt Eminentissimum Præsidem Urbini, cui, præter supra relata quibus singuli innitebantur, postulata quoad Hieronymi hæreditatem, exposuerunt = *quando si viveva nella buona fede, che fosse morto,* Hieronymum nempe, *senza testamento si è acquistata la notizia di trovarsene uno sigillato, e chiuso nell'Archivio di Montalboddo rogato dal fu Notaro Belli li* 6 *Ottobre del* 1741 *con l'individualità di trovarsi scritto sopra tal testamento chiuso = ne fece un' altro* = addiderunt subinde = *giacchè si tratta tra Parenti interessati, e situati in egual bilancia di speranza, e di timore, di esser qualcheduna delle Parti preterita nel testamento sudetto, se si trovasse ec. Ond'è che le parti sudette hanno risoluto, a scanzo di ogni litigio lungo, e dispendioso, e per mantenimento del buon sangue fra di loro di rinunciare reciprocamente l' una all'altra, e l'altra all'una tutte, e singole di loro pretenzioni, ed azioni contro detta eredità, e di venire amichevolmente alla divisione in quattro parti uguali, senza volere aver riguardo a qualunque testamento ec. che potesse rinvenirsi ec.*

Hac itaque implorata, et ad tramites petitionis obtenta Suprema Auctoritate die 11 Junii anni 1778 omnibus adhibitis in hujusmodi contractibus pro valida mulierum obligatione necessariis solemniis, publicæ conscriptæ fuere transactionis tabulæ, quibus, licet renuente unica Flora, totum as hæreditarium Hieronymi, prout propositum erat, in quatuor æquales partes divisum fuit, Symbola cuique transigentium assignata, et quoad Floram, quæ Sententiam mutaverat, statutum = *Le sudette Signore esponenti, non che li sudetti Signori Avvocato Angelo, e Cristoforo Ceppetelli, credono loro espediente fra di essi loro transigere, ed unitamente agire contro la Signora Flora, e tangente di detta eredità, che alla medesima potrà spettare di sua parte* = Præterea = *fattesi da ognuno le dovute, e mature riflessioni* = quibuscumque, sive juribus, sive postulatis, alterius favore, vicissim renunciarunt, obtestantes sese id facere = *Sì perchè così evitavano lunghe, e dispendiose liti, l'esito delle quali è sempre incerto; sì perchè bramavano conservare fra loro, come in sangue congiunti, perfetta amicizia, e parentela, sì perchè avevano avuto notizia, che il fu Girolamo aveva fin dall' anno* 1741 *fatto un testamento chiuso con espressa individualità di sopra = ne fece un'altro = e quantunque detto testamento ec. ciò non ostante vivevano essi in egual bilancia di timore, e di speranza* =. Demum omnia pro transactionis hujusce firmitate statuentes, quibuslibet exceptionibus = *anche di enorme, e di enormissima lesione* =, quæ illam vel minimum movere possent, sacro etiam adhibito juramenti vinculo, valedicentes, luculentissima pactione caverunt, quod = *Se questo istrumento, e quest'atto, che fra le Parti sudette si fa, e si stipola non valesse per ragione di Transazione, dichiarano, e vogliono, che vaglia per ragione di cessione donazione, condonazione, ed ogni altro miglior titolo, ed in ogni altro miglior modo ec.*

Cæterum alia defuncti Soror Flora, quæ nomen suum huic actui minime dederat, postea non modo illi accedere voluit; sed insuper, die 13 Augusti ejusdem anni 1778, rite conscripsit donationem ejus Nepotum Ceppetelli, ac Mariæ Nicolaæ, et Annæ ejus Sororum favore, in eosque transtulit, tum quotam hæreditatis Hieronymi, sibi obtingentem, una cum tertia parte hæreditatis Equitis Antonii, tum etiam scutata *quatuorcentum quinquaginta,* quæ antea acquisiverat ex hæreditate defunctæ Magdalenæ Guerrini; et quoniam ejus voluntas erat = *di dimostrare ai medesimi l'amore che gli porta, e per dare un giusto compenso a loro* =, hinc addidit, ut inter donatarios esset jus accrescendi. Quidquid dein fuerit de voluntate Mariæ Nicolaæ instituendi judicium ad infirmandam supra relatam

transactionem, de qua, dum sospes fuit, haud satis constat, certum est, eamdem, paulo ante obitum, suum condidisse testamentum, die scilicet 14 Novembris anni 1786, quo, prælegatis Angelæ filiæ suæ, Uxori Aloysii Fossi, bonis omnibus Guidiæ Gentis, super quibus ceciderat transactio, hæredes suos universales nuncupavit ipsam Legatariam, aliamque suam filiam Elisabeth, nuptam Philippo Savelli.

Hic vero; a quo causam habent odierni Actores Savelli, postquam per longum temporis intervallum, undecim fore annorum, siluerat, tum de testamentaria dispositione Nicolaæ, tum etiam de transactione a Testatrice inita, ad hanc convellendam studia sua contulit; Hinc, supplici porrecto libello Pontifici Pio VI, obtinuit causam remitti ad Nostrum Sacrum Ordinem cum clausula = *prœviis duabus appellatione remota* = et duplici proposita Dubii formula, *altera* = *An, et pro qua rata fratribus Savelli sit danda Immissio ad bona hæreditaria Hieronymi Guidi in casu etc.* = *Altera* = *An, et a quo tempore, et in qua summa debeantur fructus, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* = die 12 Martii 1804 coram R. P. D. De Alteriis prodierunt responsa *Negativa in omnibus*, ut patet ex binis illius diei Decisionibus, quarum una *Senogallien. Immissionis* = altera *Senogallien. Immissionis super Fructibus* = Post longum sexdecim fere annorum silentium ad certamen hodie redeunt Savelli Philippi, et Elisabeth filii, in hujusce litis consortes accitis etiam *Livio*, aliisque fratribus Fossi filiis hæredibusque prædictæ Angelæ, superius recensitam præsertim transactionem convellere studentes, et ex novis per ipsos conciliatis Dubiorum formulis, primam, quæ ad transactionem spectat, hoc mane PP. proposui ita conceptam = *An constet de nullitate transactionis anni* 1778 *in casu etc.* = et responsum accepi = *Negative* =.

1 Si etenim in quolibet dubio substinendos esse actus, Jus nostrum imperat, id eo magis PP. tenendum putarunt in themate, quia res erat de actu, quem Leges omnes summa semper veneratione prosequutæ sunt, scilicet de transactione, asperrimæ litis inter personas sanguine conjunctas dirimendæ causa, inita, et per lapsum fere *quadraginta duorum* annorum servata. Maxima quidem est Transactionum vis, et efficacia, neque easdem ullo modo convellere fas est, nisi gravissimis de causis, iisque vel ad ultimum evidentiæ gradum, judicio probatis = *nullus etenim* (ut ait Imperator in *leg.* 10 *Cod. de Transactionibus*) *erit litium finis, si a transactionibus bona fide interpositis cœperint facile discedi* = Quæ legum severitas eo fortius vindicat sibi locum in themate, quia agitur de transactione inter fratres super fraterna hæreditate, tum potissimum celebrata, cum maximus erat jurgiorum, ac quæstionum timor, quibus, ut eo, quo fieri poterat, modo, tum Nicolaa, tum cæteræ sorores Guidiæ, occurrerent, sese ad illam amicabilem hæreditatis in æquas partes divisionem devenisse palam obtestatæ sunt in ipsis publicis tabulis, dum dixerunt = *vivevano essi in ugual bilancia di timore, e di speranza* =. Etsi igitur nulla institui nunc disputatio posset super successionis jure ad hæreditatem, de qua transactum est, atque in comperto esset jus unius Nicolæ ad eam hereditatem, in exclusionem cæterarum omnium, stante attamen conjunctione sanguinis inter contrahentes, et re de eo tempore aliquantisper dubia, ac saltem disputationibus obnoxia, et urgente litium timore, non esset cur ulterius de transactionis firmitate quæreretur uti in durioribus terminis statuit *Textus in leg. cum te* 2 *cod. tit. de Transactionibus*.

Frustra autem Savelli, et Fossii, qui 2
pro transactionis nullitate pugnant, Actorum partes implere hucusque conati sunt; nil siquidem attulerunt, quod actum illum, sive in *extrinseca* forma peccare ostendat, sive minimam *intrinsecæ* injustitiæ labem ipsi appingere valeat. Ad *primum* quippe quod attinet, vel ipsa Nicolaa, a qua causam habent hodierni Actores Savellii, et Fossii, una cum aliis sororibus Anna, Antonia, et Flora Eminentissimum Urbini Præsidem,

Supremi Principis ibi vices gerentem, adiverunt, eique, germana enarrata rerum hystoria, causisque omnibus expositis, quibus transactionis, cui nomen daturæ erant, summa utilitas emergebat, illius auctoritatem implorarunt, atque omnimodam ad actum explendum potestatem obtinuerunt. Huic accessit etiam Judicis officium, qui, et solemni stipulationi, inter mulieres perfectæ, interfuit, et prævia causæ cognitione, rite Decretum suum interposuit; quæ omnia ad validitatem contractuum mulierum, minorumve requisita solemnia, quoniam plene in transactione, de qua quæstio est, adhibita fuisse constat, sat superque sunt ad quamlibet ab ea removendam doli fraudisve suspicionem, uti sæpe firmavit Sac. Ordo Noster, ac præsertim *in Decis.* 128 *coram Herzan num.* 4, et eo ipso quemcumque ab eadem excludunt extrinsecæ formæ defectum.

3 Quod vero respicit ad ipsam actus *intrinsecam* substantiam, et essentialia transactionis requisita, neque horum ullum defuisse, neque aliquid, quod illam, vel minimum concutere valeat, interfuisse actores ostendebant. Enimvero extitit in primis legitima transigendi causa, litium timor, quia, statim ac Hieronymus ad plures migravit, primum omnes Fratres Ceppetelli, deinde cæteræ Sorores Guidi possessionem bonorum nancisci sollicitæ fuere, quam profecto concurrentium nemo tam facile erat dimissurus. Fratres quippe Ceppetelli summopere innitebantur Municipalibus Legibus, quæ tunc vigebant Senogalliæ, quæque vel maxime masculorum etiam ex fæminis descendentium favorem in intestatis successionibus præseferebant. Maria Nicolaa firma spe recreabatur, sese cæteros omnes facile in fraterna petenda hæreditate superaturam, quoniam probe noverat id, quod Jure Communi dispositum legitur in supradicta notissima *Auth. Cessante Cod. de intest. success.* demum aliæ sorores Guidiæ, nullo in pretio habentes præcipuas hasce, sive Nicolæ, sive Ceppetelliorum postulationes, intestatam Hieronymi successionem omnibus illius sororibus ex æquo tribuendam esse authumabant; quæ omnes Legibus innixæ postulationes, quas pars quæque ante actum Transactionis optime perpenderat, omnesque insimul Supremo Principi, ad Auctoritatem ejus implorandam exposuerant, si cum animo contrahentium ipsarum conferantur, satis patefacto in bonorum possessione adeo solliciter capienda litem jam fere inceptam, illamque inter conjunctos asperrimam futuram arguunt, non vero tantum litis metum, et qnamlibet dubitandi occasionem, quam cæterum sat, abundeque esse ad transactionem rite recteque ineundam, eamque postmodum firmiter substinendam explorati juris est *Carena Resolut.* 204 *num.* 5 *ad* 12 *Rot. in Bononien. Fideicommissi de Bonfiliis Mercurii* 24 *Januarii* 1662 *conf. cor. Verospio; inter Resolut. Actol.* 105 *n.* 90 *et* 98 *Decis.* 315 *coram Olivatio n.* 4 *Decis.* 617 *numer.* 8 *coram eod. Olivatio in Mantiss. ad Card. de Luca lib.* 10 *decis.* 37 *coram Caprara num.* 28 *Mandell. Alb. Consil.* 97 *num.* 36 *Beccius Consil.* 190 *per tot. Actolin. Resol.* 104, *et* 105 *per tot.*

Neque pariter ab ea transactione abfuit, tum quod nuncupant *hinc inde remissum*, tum etiam non levis transigentium utilitas. Quandoquidem Maria Nicolaa, ex cujus juribus pugnant qui hodie illam infringere conantur, si cuilibet majori juri, quo forsan sese pollere arbitrabatur super fraterna hæreditate, renunciavit, animadvertendum tamen hujusmodi jus, qualecumque tandem esse potuerit, admodum implexa dubitatione laborare, ac multis, iisque gravissimis disputationibus fuisse obnoxium, præsertim propter Decretum *Ducale Urbini* 63 supra relatum, quod excludit expresse Sororem ab hæreditate fratris, et omnes fæminas per existentiam Masculorum in infinitum; extabant autem Masculi Ceppetellii ex prædefuncta Hieronymi Sorore Antonia: ac propter favorem *Semiagnationis*, de eo tempore in foro obtinentis, quam præseferebant iidem Ceppetellii, quæquo idcirco tanti erat, ut possent fæminas quoque universas ab Hieronymi hæreditate arce- 4

re, eamque solis Ceppetellis, exclusa etiam Nicolaa, addicere; et denique propter amplissimam, quam hæc, dum dotem accepit, emisit renunciationem omnibus bonis, non modo ascendentium, seu paternis, maternisque etc. Sed etiam Collateralium, scilicet expresse *fraternis*.

5 Cum vero, in correspectivitatem cessionis controversi juris, admissa fuerit Nicolaa ad consuccessionem hæreditatis Hieronymi in quarta parte, quæ vim conficiebat scutorum circiter *mille quingentum*, et bonorum hæreditariorum prædefuncti Equitis Antonii, quæ in illius patrimonio coaluerant; cum etiam studio, et opera Advocati Angeli Ceppetelli in exequutionem peculiaris pacti in stipulata transactione conventi, quotam suam acquisiverit eadem Maria Nicolaa quartæ partis, Floræ assignatæ, quam hæc postea, tam illi quam Ceppetelliis, cæterisque Sororibus Guidiis donavit; Atque cum fratres Ceppetellii per eam transactionem de hæreditate, cujus possessionem primi adepti fuerant, quamque fortasse ex Municipali Jure, propter masculinitatem, integram retinere potuissent, quartam partem tantummodo acquisiverint, atque illico remiserint cæteris transigentibus legatum *scut. biscentum*, eorum Matri Antoniæ relictum in testamento Dominici Guidi, et donaverint insuper creditum residuale dotis maternæ *scutorum centum unam cum fructibus* in notabili summa decursis: Hine plane consequitur hæc omnia manifestam in transactione inducere æquitatem; partes quippe omnes aliquid remiserunt, aliquid lucrifecerunt, omnesque utilitatem concordiæ assequutæ fuere; quare nil superest desiderandum, ut perpetuo consistere actus debeat.

6 Quin ad illam evertendam quidquam proficere valeant Savellii, et Fossii, dum ajunt Nicolaam ex errore, et falsa causa transactioni consensum suum præbuisse; quia cum esset ipsa unica Soror ex utroque latere defuncto conjuncta, ad tramites sæpe dictæ *Auth. Cessante Cod. de Intest. Success.*, cæteris omnibus, sive masculis, sive fæminis erat præferenda; ideoque, nonnisi erronea deceptam opinione, quod ex censura Municipalis juris, Senogalliæ vigentis, Fratres Ceppetellii eam sibi vindicare possent prælationem, controversæ transactioni nomen ipsam dedisse. Nam, admisso etiam Nicolaæ hujusmodi jure, perpetuus attamen eidem obex fuisset, primum, in correspectivitatem acceptæ dotis, effrænatis verbis concepta abdicatio omnium bonorum = *paterni, materni, aviti, fraterni, ed altro, che a lei potessero, o possino competere* = quæ non modo renuncianti abstulit jus quodlibet super hæreditatibus Patruorum, quæ in Hieronymi patrimonium coaluerant, sed etiam, quoad hæreditatem ipsius dotantis, luculentissimum secumferebat pactum de non succedendo in ejus intestata hæreditate. *Decis.* 339 *coram Roxas Decis.* 1048 *num.* 20 *coram Molines, Asculana Immissionis* 22 *Junii* 1742 *num.* 3. 9. *et* 12 *coram Calcagnino Decis.* 619 *coram Emerix Decis.* 333. *coram Buratto num.* 11 *Decis.* 581 *coram Emerix Jun. per tot., et Maceraten. bonorum liberorum quoad successionem Mariæ Juliæ ad hæreditatem Patris Veneris* 11 *Decembris* 1801 *coram nunc Eminentissimo Cesarei de Leonibus num.* 3.

Deindo nil sane, quod speraret, habebat Nicolaa ex duplicitate vinculi, extantibus Masculis, quibus summopere opitulabatur, quæ tum in honore erat *semiagnatio*: Rursus, attento sæpedicto Jure Municipali Decretorum Ducalium Urbini Senogalliæ vigentium, Masculi semper fæminis erant præferendi; idque statutum erat, ut per masculinas opes, viresque in ævum familiæ subsisterent; hinc jure, meritoque constans Nostri Ordinis in iis interprætandis legibus Sententia fuit, duplicitatem vinculi, ubi ejusmodi adsint Statuta, in intestatis successionibus minime esse attendendam, uti *post Altograd. Cons.* 95 *lib.* 2 *num.* 134 *et Gobb. de jure intest. success. observat.* 29 *num.* 4, firmatum fuit *in Decis* 189 *coram Kaunitz num.* 6 *et in Faventina Successionis* 2 *Julii* 1708 *coram Aldrovando per tot.*; Quare, etsi transactio nulli alii, præter hasce Legum Municipalium sanctiones, inniteretur fundamento, con- 7

velli profecto nunquam posset, quoniam veram illam, solidamque, minime vero falsam, ceu contendebant Savellii, et Fossii, transigendi causam Mariæ Nicolaæ præbuerunt.

8 Accedit etiam peculiaris facti circumstantia reperitionis testamenti a Hieronymo conscripti de anno 1741 quod in Archivio Montis Bodii eo usque latuerat, quandoquo, uti superius animadversum terrificam præseferebat inscriptionem = *ne fece un'altro* = Constitit igitur, iis repertis tabulis, haud intestatum Hieronymum decessisse. Hinc poterat aliquando novissimum emergere illius testamentum, ex quo, si quid erat cæteris sororibus pertimescendum, maximam profecto desperandi causam habebat Nicolaa, quam in reperto testamento Frater suis Patruis postbabuerat, nulloque prosequutus fuerat honore, et a qua, ceu jam superius dictum est, in constitutione dotis, amplissimam exegerat hæreditatibus paternis, maternis, avitis, fraternis renunciationem. Et hac super re injuria prorsus doli arguebatur Advocatus Ceppetelli, quasi aliud Hieronymi testamentum reperiisset, illudque per fraudem suppressisset; fraus enim, dolusque nunquam præsumuntur, semperquo debent ab allegantibus dilucidis probationibus ostendi, et aliunde latet profecto neminem in Tabulariis parvorum pagorum non eadem cura, diligentiave, atque ordine acta asservari, uti in Urbe, et Civitatibus Ecclesiasticæ Ditionis asservantur, ut mirum profecto videri non debeat prædicto Advocato datum omnino non fuisse alterum Hieronymi testamentum videre, illudque in lucem edere: cum præsertim ex ea inscriptione non apparet quo in Oppido, et per cujus Notarii acta enunciatum testamentum fuerit confectum.

9 Remota igitur exceptione falsæ causæ, ex qua corruere posse transactionem Savelli, et Fossii authumabant, quoniam satis constat ex Jure Municipali Senogalliensi æquatam saltem fuisse conditionem Ceppetelliorum cum ipsa Nicolaa, penitus sublata differentia duplicitatis vinculi; probatis, e contra legitimis, et æquis transigendi causis timore scilicet litium jam pene inceptarum, et omnium transigentium maxime vere ipsius Nicolæ trepidatione propter aliud Hieronymi testamentum, quod verosimiliter inveniri poterat, nullo in pretio Patres habenda censuerunt cætera objecta, quæ Actores ad transactionem evertendam cumulabant. Et sane frustra confugiebant ipsi præsertim ad læsionis querelam ex eo, quod super Fidecommisso Equitis Antonii Guidi, quod in hæreditatem Hieronymi coaluerat, nullum jus habuerint Ceppetelli, quia eorum mater Antonia fuerat a Testatore omnino præterita; Hujus namque fideicommissi quartæ partis compendium, quod sibi, ut actores ajunt injuste addixerunt Ceppetellii in ea transactione, tanti non esset, ut læsionem præseferret, quæ nullitatem in eam stipulationem conjicere valeret.

Porro Fideicommissum Antonii vix 10 tertiam conflat Patrimonii controversi partem, et ad læsionem ex hoc capite excludendam sat est animadvertere Nicolaam omnibus juribus, illi etiam super fideicommisso Antonii valedixisse in sæpius memorata ejus renunciatione, et ideo nil ei quoad hoc fideicommissum ademptum in transactione fuisse, e contra vero Ceppetellios nuncium misisse Legato scutorum *biscentum* eorum Matri Antoniæ a Patruo Sacerdote Dominico relicto et residuæ ejus doti in scutis *centum* una cum fructibus, et Angelum Advocatum Ceppetellium utiliter pro Nicolaa, aliisque transigentibus suam navasse operam, e quibus sat, superque pensatum fuit pusillum compendium, quod Ceppetelliis obvenit ex illa quarta parte fideicommissi Antonii, ipsis in trasactione tributa. Exulat itaque læsionis querela. Verum in falsa etiam hypothesi quod læsionem ea fideicommissi divisio secumferret, possent Fossii, et Savellii in congruo separatoque judicio sua jura experiri. Sed, cum præter hanc modicam portionem, nil aliud Ceppetellii sint consequuti ea transactione quam quod Municipali jure minimum eis debitum erat, iniquum esset transactionem infringe-

re, quæ in familia herciscunda id cuique tribuit, quod successoriis Edictis cuique debebatur. Cæteræ exceptiones ne responsione quidem dignæ Patribus visæ sunt.

Atque ita, Partibus acriter dimicantibus, definitum est.

SENOGALLIEN IMMISSIONIS

Lunae 3 *Julii* 1820.

ARGUMENTUM

Argumento non indiget.

SUMMARIUM

1. *Quum per transactionem omnem familiae herciscundae quaeetionem transigentee inter se composuerint, nequeunt ampliue adversus illam insurgere.*

   Transactio aequipollet rei judicatae, ac donec eui etat viribus, parit exceptionem litie finitae - ibidem. -

2. *Timor litie probabilie, suppedit justam causam ad transigendum.*

   Transactio eo mngis consietere debet, si Supremo Principe auctorante, fuerit celebrata - ibidem -

3. *Ex Senogalliae Statuto cunctie fratribus et sororibus uti filius alterius soraris, haereditae deferebatur.*

4. *Ubi effraenata eunt transactionis verba, comprachendunt non tantum jura praeeentia, sed etiam futura et incerta.*

DECISIO XXII.

Ex Rescripto Supremi Principis diei 31 Octobris 1802 S. Nostro Ordini ablegatæ fuerunt Causæ, tam super Immissione ad bona hæreditaria Hieronymi Guidi, quam super fructibus, vertentes inter Advocatum Angelum Ceppetelli, et Philippum Savelli, tamquam Patrem legitimumque Administratorem ejus filiorum Raymundi, Josephi, Dominici, et Angeli, *cum facultatibus A. C. præviis duabus, et appellatione remota*. Hinc concinnatis Dubiorum formulis, quoad primam = *An, et pro qua rata sit danda immissio Fratribus Savelli super bonis Hieronymi Guidi in casu etc.*, et quoad alteram = *An et a quo tempore, et in qua summa debeantur fructus in casu etc.*= In Comitiis diei 12 Martii 1804, Ponente R. P. D. De Alteriis, petitæ Immissioni, præter alia rationum momenta, præcipuo putarunt Patres obstare transactionem rite, recteque a Nicolaa Guidi, a qua Causam habent Actores, initam, ideoque responsum dedere = *Negative in omnibus* = tam quoad immissionem, quam quoad fructus. Serio tum curarunt Savellii, ut præcipue disputaretur do transactionis validitate. Proposito itaque per me Dubio = *An constet de nullitate Transactionis in casu etc.*, die 23 nuper elapsi Junii dimissi fuere Rescripto = *Negative* = ceu patet ex ejus diei Decisione a me exarata, cui titulus *Senogallien. Nullitatis Transactionis*=Cum vero in hodiernis Comitiis disceptandum esset de viribus supradictæ Decisionis Anni 1804 super Immissione a R. P. D. De Alteriis evulgatæ, Patres interrogavi=*An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu etc.* = et frustra inducias petentibus Savelliis, responsum accepi = *In decisis* =.

Quamvis etenim nulla institui velit 1
quæstio super juribus ad immissionem, quam Elisabeth filii, atque hæredes, sive eorum Pater, ac legitimus Administrator Philippus Savelli præcipue expromebat ab donatione, quam Maria Nicolaa Guidi nubentis filiæ Elisabeth favore conscripserat, unum porro solemnis transationis factum, nuperrimo etiam Sacri Ordinis judicio confirmatum, impedimento perpetuo erit, quominus Savellii immissionem petitam ad hæreditatem Hieronymi Guidi assequantur. Et sane, quum per illum actum, de Anno 1778 celebratum inter Mariam Nicolaam, Annam, et Floram Guidi, Fratresque Angelum, et Cristophorum Ceppetelli, ceu fusius narrat mea supradicta Decisio diei 25 proxime præteriti Junii, cum, inquam, per transactionem illam omnem familiæ herciscundæ questionem transigentes inter se composuerint, eaque viribus adhuc stet suis, uti duabus jam editis Decisionibus Noster Ordo agnovit, firmavitque,

solemni ea equipollet rei judicatæ, ac parit exceptionem litis finitæ, uti millies jam definitum est, ac præsertim *in Decis.* 820 *coram Lancetta num.* 1, *et* 2 *Dec.* 274 *coram Molines num.* 5 *Decis.* 40 *in nuperrimis Tomo* 6 *num.* 1, *et* 2 *in Avenionen., seu Carpentoraten. Primogenituræ de Tertulliis* 20 *April.* 1732 § 4 *coram De Sammiatis, et in Æsina Immissionis* 26 *Martii* 1756 *coram Borull.*

2 Hanc profecto transactionem tamquam numeris omnibus absolutam validitate, et justitia sua in ævum consistere debere haud immerito Patres in novissimo illius examine sanxerunt. Animadverterunt siquidem legitimam, eamque per gravem illam præcessisse causam transigendi, litium nempe timorem, peculiaremque facti circumstantiam, quod Hieronymus, de cujus hæreditate res erat, obierat condito testamento, in quo Patruos suos prædefunctos hæredes fecerat, et in quo inscripta erat memoria aliud illum testamentum postea condidisse: At quoniam ex eo, quod fuerat repertum patens erat fœminarum exclusio, illud igitur vel maxime pertimescendum erat, ne eadem exclusio occurreret, si forte novissimum inveniretur testamentum: Eoque potiori ratione hoc ipsum, ex eo conjici poterat, quod Hieronymus fuerat antea sollicitus amplissimam reportare renunciationem a Maria Nicolaa Sorore omnibus juribus ad quascumque Parentum, et Cognatorum hæreditates, dum dos ei fuit data, hanc enim hæredem scripsisse haud erat præsumendum; cui omne successionis jus ademptum voluit per effusam jurium omnium abdicationem. Hac itaque agnita justa causa transigendi perpenderunt rursus, Supremo Principe, per E$\tilde{\text{m}}$um Urbini Præsidem ejus Vicesgerentem, auctorante, et præsente Judice, qui causa cognita Decretum suum interposuit transactionem celebratam fuisse per quam id omne tributum fuerat Mariæ Nicolaæ, quod assequi illa potuisset in optima etiam hypothesi, quod nullum aliud in posterum reperiretur Hieronymi testamentum, ceu latius in sæpedicta Decisione demonstratum est.

Quo igitur firmioribus facti, et juris fundamentis innixa apparet transactio Anni 1778, eo injustior, ac pene inquam fatua deprehenditur immissionis petitio a Fratribus Savelliis filiis Elisabeth proposita. Præterea, cum ab intestato deferenda esset Hieronymi Guidi hæreditas, sublata etiam transactione æqualis profecto portio Sororibus singulis fuisset adjudicanda. Quin Maria Nicolaa, qua Soror Germana universum sibi successionis compendium potuisset asserere. Non enim ei profutura fuisset Novissimi Cæsarei Juris censura, per quam Sorori utrinque conjunctæ successio tota deferretur, cum præcipua servanda esset Senogalliæ lex Statutaria, sive Ducalia Urbini Decreta, ex quibus cunctis Hieronymi Sororibus, ac Fratribus Ceppetelliis, uti filiis alterius sororis Antoniæ ex æquo saltem deferenda erat hæreditas. 3

Hisce pespectis, ac rite etiam perpensis rationum momentis, quæ cum de transactionis validitate disputabatur, præ oculis habita sunt, facile patet penitus ociosam, atque Academia potius, quam gravitate Tribunalis, dignam esse quæstionem, num cessio, sive donatio, quam Maria Nicolaa in filiam Elisabeth emiserat jura tantum præsentia compræhenderet, sive etiam futura, et incerta; sive etenim immissionem petant Savellii ad solum semisse illi donationi innixi, sive ad universam hæreditatem, illam persequi velint, semper hac in ævum eisdem obstabit transactio, quæ semel, iterumque meruit a S. Nostro Ordine laudari, ac confirmari. 4

Et ita etc. Altera tantum etc.

SPOLETANA MANUTENTIONIS

SUPER EXPENSIS

Lunae 3 *Julii* 1820.

ARGUMENTUM

Patet ex Sommario.

SUMMARIUM

1. *Ubi appellatio interponitur a Sententia, ab eo capite tantum, quod ad litis respicit impensas, ob id Sententia quoad meritum nanciscitur rei-judicatae auctoritatem.*
2. *Qui pervicacia sua causam praebet litis expensis, has omnes reficere tenetur,*
   Qui aliqua super re certamen aggreditur, tacite pollicetur se se expensas refecturum, si victus discedat - ibidem. -
3. *Nemini licet, postquam viam ordinariam selegit, ea relicta ad extraordinariam profugere.*
4. *Protestatio non aequipollet litis renunciationi.*

DECISIO XXIII.

Jus celebrandi Nundinas quotannis in die Festo S. Luciæ habet Parochus, Populusque in Castro Collis Forcellæ prope Territorium Cassiæ, intra ambitum Spoletanæ Diæcesis sito. Hoc vel a remotissimo ævo, et quod hominum vincit memoriam repetunt; diruto namque per antiquo Castro, quod audiebat = *di Ferro* = quæ inibi superfuit Parrochialis Ecclesia Divæ Luciæ Virgini, et Martiri dicata jus illud exercuit; pariterque illo usi fuere quotquot S. R. E. Cardinales, ejusdem Ecclesiæ in Abatiam postmodum erectæ, regimen babuerunt usque ad ultimo defunctum Emum Rezzonico, cujus vigilantiæ suberat Parrochialis Ecclesia S. Mariæ Collis Forcellæ, eoque instante Summus Pontifex S. M. Pius Sextus bona, jura, et actiones omnes prædictæ Abatiæ in eam Parrocchiam transtulit, quæ pariter per Ævum, cujus latet initium, inter cætera, et jus celebrandi nundinas in præfata die semper huc usque retinuit, exercuitque.

Cum vero ex Rescripto S. Consultæ jus illud Communitas Cassiæ sibi addicere conaretur, acriter, ut par erat, etiam apud Emum Camerarium obstiterunt Parrochus, et Populus Castri Forcellæ, atque a Suprema Signatura obtinuerunt, ut Causæ cognitio Tribunali Collegiali A. C committeretur. Nil eo usque intentatum reliquerant, qui Comunitati Cassiæ a Consiliis sunt, ut Nundinae illic haberentur; ideoque cunctis judicialibus contestationibus per Procuratorem interfuerant: Attamen, cum jam adventare sibi adversam Causæ definitionem forsan sentirent, per eumdem Procuratorem obtestati fuere = *Di non volere giudizialmente contrastare tali pretesi diritti del Parroco, e Popolo di Colforcella rapporto alla supposta manutenzione nel POSSESSO DELLA FIERA DI S. LUCIA, ed in conseguenza di non voler soggiacere alla rifazione di alcuna spesa* = Sed illico addiderunt = *Senza pregiudizio, degli Ordini emanati Economicamente per motivi a loro noti dai Supremi Tribunali della Consulta, e del Camerlengo* =.

Rati tum Populus, et Parrochus rem ad exitum absque ullo contradictore perduci posse, quo autem melius sibi pro imminenti anniversario S. Luciæ caverent; provisionem a Tribunali postularunt; et quod mirum sane fuit, tanta sedulitate ex adverso pugnavit Communitas, ut provisionis petitio, si non rejici, differri tamen debuerit usque ad Causæ principalis definitionem. Prodiit tandem Sententia, qua statutum fuit = *Che il Signor D. Filippo Tonni Parroco, e Popolo di Colforcella debbano esser mantenuti nel quieto, e pacifico Possesso di celebrare la Fiera il giorno* 13 *Decembre di ciascun Anno, Festa di S. Lucia Vergine, e Martire innanzi la Chiesa di detta Santa nel diruto Castello di Ferro detto Colforcella, e che niun diritto ed azione compete al Gonfaloniere, e Comunità di Cascia d'impedire la celebrazione di detta Fiera.* Hinc Communitas damnata fuit = *Alle spese da liquidarsi* =. Et quamvis ipsiusmodi judicati justitiam probe nosceret, vel ipsa Communitas, ideoque nonnisi per summam injuriam, sese eousque obstitisse, alteram tamen arripuit litigandi opportunitatem, atque illico ab ea Sententiæ parte provocavit, qua ad expensarum refectionem damnata fuerat; quare Patrum judicium quærere hodie debui sub formula = *An sit Locus Taxationi Expensarum in casu etc.* = Et reddita mihi responsio est =*Affirmative.*=

De jure siquidem, quo Parochus, 1
Populusque Castri Collis Forcellæ pol-

let nundinas ante dictam Ecclesiam S· Mariæ in Festo S. Luciæ celebrandi usque ab hujusce Litis initio dubitare nefas erat, eum etiam tum omnibus compertum esset, eadem ab immemorabili epoca Populum, et Parochum prædietum usos fuisse; multoque minus de eo ambigui poterit, postquam vel ipsa Cassiæ Communitas solemniter declaraverat = *Di non voler più giudizialmente contrastare tali pretesi diritti del Parroco, e Popolo di Colforcello*=; postquam rursus Sententia Tribunalis A. C. jus illud agnoverat, et firmaverat, eaque Sententia ab ipsa præfata Communitate probari meruit, per interpositam appellationem ab eo tantummodo capite, quod ad Litis respicit impensas; Ideoque rei judicatæ auctoritatem naeta est, ceu tradit *Ridolfin. in prax. part.* 1 *Cap.* 2 *num.* 118, *et* 123 *Rota cor. Olivat. Decis.* 9 *num.* 1 *cor. Molines decis.* 141 *num.* 1 *et cor. Ansaldo Decis.* 120 *num.* 2.

2 Atqui Cassiæ Communitas ab hujusmodi juris exercitio, et possessione temere Parochum, et Populum Collis Forcellæ deturbavit adversus bosce manifesto injuriosam litem excitavit, aluit; perfecitque; nil igitur justius, nil antiquius erat eo, scilicet ut per supra relatam Sententiam Tribunalis A. C. ad expensas omnes, quibus pervicacia sua causam præbuit, Communitas ipsa damnaretur; Ait enim Ulpianus in Leg. 79 ff de Judiciis = *Eum quem temere adversarium suum in judicium vocasse constiterit viatica litisque sumptus adversario suo reddere oportebit* =. Atque id tenuit etiam *Rota in Faventina, seu Imolen. Pecuniaria super expensis* 13 *Aprilis* 1736 § *Non piguit cor. Caniliac., in Barchiononen. Novi Operis Nunciationis super Expensis* 6 *Decembris* 1753 § *Ille siquidem coram Eodem*, et nuper confirmatum vidimus in judiciarii Codicis *Articulis* 111 et 1138. Canon quippe est extra omnem dubitationem positum in judieiis quasi contrahi, et cum quis aliqua super re certamen aggreditur, tacite pollicitur sese expensas refecturum, si victus discedat.

3 Male vero regerit Cassiæ Communitas a suo Procuratore in actis emissam protestationem, qua declaratum, nolle ipsam super iis juribus Populi, Parochive Collis Forcellæ judicialiter contendere, sibi attamen de industria servata facultate viam Æconomicam sectandi, ut innuunt postrema declarationis verba = *Senza pregiudizio degli ordini emanati economicamente per motivi a loro noti dai Tribunali della Consulta, e del Cammerlengo* = ut ex hujusmodi protestatione, qua præsertim dixit = *di non volere soggiacere alla rifazione di alcuna Spesa* = Inferat, ideo advertendam a se esse in judicii sumptus condemnationem quia, juris celebrandi nundinas possessoribus minime obstitit. Male inquam hæc ab ea objiciuntur. cum namque iis terminis concepta protestatio nil aliud præseferat quam panditam Communitatis voluntatem deserendi viam Judicialem, quam eo usque acriter prosequuta fuerat, eumdemque potius sectandi finem in Æeonomicis, id nullo pacto in Populi, Parochivo Collis Forcellæ præjudicium admitti poterat, quia nemini prorsus licet, postquam viam ordinariam selegit, ea relicta ad extraordinariam profugere, et quia hujusmodi protestatio patentem semper viam Communitati reliquisset ad prædictum Parochum, Populumve vexandum.

Præterea etsi ea protestatio veræ liti renunciationis vice fungi tantisper valeret, nil attamen etiam in ea ipotesi Communitati prodesset, utpote quæ ante illum actum, vel summa animi contentione pugnaverat, ita ut Parrocho, populove opus fuerit ipsa adversante etiam ad Supremum Signaturæ Tribunal manutentionem in possessione Juris celebrandi nundinas urgere; et, post illum, eamdemque Communitatem pro viribus obstitisse demonstrat, *primum* provisionis petitio pro tum imminenti die Festo S. Luciæ, cui pariter sese opposuit Communitas, illamque differri usque ad litis exitum obtinuit; *deinde*, vel ipsa sæpe laudata Tribunalis A. C. Sententia in rem judicatam transacta, quæ testatur exceptionem a renunciatione Liti desumptam contra- 4

riam esse non modo = *Al citato rescritto della Piena Segnatura* = Sed etiam = *al fatto proprio della Communità stessa, la quale è comparsa in giudizio non solo nell'Udienza del 4 Decembre* 1819 *per impedire, che il Tribunale non prendesse alcuna provisione sull'altra imminente fiera di S. Lucia, ma ancora in tutte le altre discussioni tenute in Causa* = Quæ facta donec Communitas falso supposita fuisse ostenderit, nil sane, de quo queratur habet, si ad impensas reficiendas damnetur ejus Litis, quam injuriam calumniamve sapere vel ipsa in sua pretestatiune implicite fassa est.

Et ita etc. utraque.

SUTRINA SEU MONTIS FALISCI

RESTITUTIONIS CAPITALIS ET REDDITIONIS RATIONIS

Veneris 4 Februarii 1820.

ARGUMENTUM

Ubi Societas est resoluta, caput sociale est restituendum illi cui spectat. Neque Socio, qui rationes reddere recusat sub obtentu compensationis, juvat opponere titulum, qui exceptioni est obnoxius.

SUMMARIUM

1 *Sententia, de cujus validitate nulla est quaestio, exequutioni mandari omnino debet.*

Ob dolum, et fraudem, etiam ante praefinitum tempus, socialis negociatio dissolvi potest - ibidem. -

Societate resoluta, sociale caput, ei cui spectat, restitui debet - ibidem. -

Ex sociali Apocha, et ex judiciali descriptione, dignoscitur quantum fuerit caput sociale - ibidem. -

2. *Socius, est cogendus ad rationes reddendas, mandato de gravando.*

Si inefficax est mandatum de gravando contra Socium, relaxatur mandatum exequutivum contra personam - ibidem. -

3. *Ad remorandam Sententiae exequutionem, non prodest opponere alteram Sententiam, quae adhuc appellationi subest.*

Qui de retentione contendit, debet exhibere titulum nulli exceptioni obnoxium. - ibid. -

DECISIO XXIV.

Duplicem super Suilli gregis negociatione, die 23 Maii 1804, Societatem iniit Eques Joannes Baptista D'Ayderi S. Laurent cum Dominico Ricci, alterum, ut dicitur = *da razza* = alterum = *a miglioramento.* Hanc per annum, illam per triennium progredi debere conventum fuit. Suillum gregem, pascuis Commendae SS. Joannis, et Victoris in Silva existentem, ad conficiendum utriusque Societatis caput, Riccio, ut convenerat, tradidit Eques S. Laurent, quasve susceperat obligationes implevit religiosissime. Verum secus se gessit Riccius, qui, nedum utriusque Socialis negociationis utilia Equiti auferre, sed Sociale etiam caput absumere tentavit, Suillum praesertim gregem = *da razza* = e pascuis Commendae SS. Joannis, et Victoris ad impervia, sibique bene visa loca adducens. Quare Eques de Societate Suilli gregis = *da razza* = dissolvenda agere coactus fuit. Sed obstitit Riccius, Monitorio coram A. C. Ridolphio expedito pro observantia, et exequutione Apocae Socialis ad diem usque 30 Aprilis anni 1807, atque hic Judex provisionali Decreto, lato die 9 Januarii 1807 *mandavit, interea judicii praevia descriptione ante facienda quantitatis, et qualitatis omnium, et quorumcumque Capitum eorumdem animalium, retineri custodiam sopradictorum Animalium per Dominicum Ricci Socium minorem, praestita antea idonea fidejussione approbanda per Depositarium publicum*, et secundum hoc Decretum Suilli gregis descriptio fuit expleta, ac fidejussio præstita. Actum etiam fuit de dispunctione rationum, utriusque Societatis, et Ratiocinator Joannes Pelucchius, cui hoc munus ab Judice fuit commissum. Peritia, edita die 29 Maii anni 1807, Riccium a Mense Maii 1804 ad totum Mensem Januarii 1806, creditorem dixit Equitis S. Laurent sc. 564: 90: $\frac{1}{2}$, pluribus perspicuis partitis Crediti Equitis in suspenso relictis. Eques vero adversus hanc Peritiam appellationem, absque mora, interposuit.

Posthaec Riccius, propositi semper tenax, pacta omnia pessumdans de Suillo grege domini ad instar, disponere, illumque in suos usus convertere porrexit; atque in irritum cessere plurima Supremi Tribunalis Segnaturae Rescripta, et Decreta, ad ejus coercendam licentiam omissa. Subversis vero anno 1809, misserime publicis rebus in Ecclesiastica Ditione, et Equite S. Laurent ab invasoribus in Galliam Subalpinam ab Urbe deportato, Suillum gregem, hujusque utilium, omni prorsus obice remoto disperdere, et absumere Riccius ad libitum potuit. Obiit deinceps Eques S. Laurent Comitibus Carolo, et Joanne Baptista De Ayderi S. Laurent, ex fratre nepotibus, sibi scriptis haeredibus, qui post amicam rei conciliationem inutiliter cum Riccio curatam, satius duxerunt obsoletis Signaturae Tribunalis Rescriptis valedicere, et novum coram Tribunali Collegiali A. C. judicium contra Riccium instituere, proposita actione *trifariam* divisa. *Primum* enim petierunt Riccium damnari ad traditionem, et restitutionem dimidii Suilli gregis, ex quo conflatum fuerat caput Socialis negociationis = *da razza* =: *dein* postularunt ipsum compelli, ad reddendas rationes utilium, et fructuum hujusce Societatis = *da razza* = a die prima Februarii anni 1806 usque ad Socialis capitis restitutionem: *demum* instituerunt pro examine Peritiae Pelucchii super utilibus utriusque Societatis = *da razza* = et = *a miglioramento* = ad totum Mensem Januarii 1806, vel per aliquom ex illius Tribunalis Judicibus explendo, votisque consonam obtinuere Sententiam, die 7 Augusti 1819. prolatam, qua imperata fuit restitutio medietatis capitis Socialis = *da razza* = secundum descriptionem anno 1807 exaratam, a Riccio intra *quindecim* dierum terminum perficienda, mandatumque fuit, ut ipse de utriusque Societatis, utilibus, juxta geminas haeredum Equitis S. Laurent instantias, rationes redderet, ab R. P. D. Cuneo excipiendas, cum facultate ipsi tributa Peritos etiam assumendi. Ab hac Sententia Riccio provocante, res ad nostrum Sacrum Ordinem delata fuit, et bina coram me concordata fuerunt Dubia: *alterum* super restitutione Socialis capitis = *da razza* = ad quod praesens spectat Decisio: *alterum* quoad Socialis hujusce negociationis utilia, et fructus a die 1 Februarii 1806, et redditionem rationum, ad quod pertinet contemporanea Decisio. Primum itaque Patres rogari, concepta formula = *An, et quomodo, sit locus restitutioni Capitalis Socialis animalium Suinorum* = *da razza* = *ita ut, et pro qua summa sit relaxandum mandatum in casu, etc.* =, et Riccio ab judicio absente, responsum accepi pro haeredibus Equitis S. Laurent *informantibus*, nempe = *Affirmative in omnibus ad formam Sententiae A. C.* =

Quod Sententia, de cujus validitate nulla est quaestio, cujusve justitia effulget. constituit. exequutioni mandandum omnino est *cap. Causam de Sentent.*, *et rejudicata Rota in Nucerina Jurispascendi* 23 *Junii* 1783 *coram Riminaldo* §. 3, *et in Romana Patrimonii Sacri* 5 *Decembris* 1783 *coram Eodem* §. 2, *et alibi passim*. Manifestissima vero est justitia Sententiae Tribunalis Collegialis A. C., quae confirmatur, quaeve Riccium damnavit ad restituendum haeredibus Equitis S. Laurent dimidium Capitis Socialis Suilli gregis = *da razza* = ad tramites pro nunc descriptionis hujusce gregis, exaratae anno 1807, indicta Riccio poena mandati de gravando; et, ea restitutione non expleta, advesus ipsum mandatum exequutivum relaxavit pro valore gregis restituendi, a praedicta descriptione desumendo. Etenim, quoad capitis Socialis restitutionem, cum Societas anno 1804 de mense Maii inita fuisset, triennii termino ei praestituto, tresdecim jam anni effluxere, ex quo ipsa cessavit; quare, seposita etiam quavis quaestione doli, et fraudis in Riccio, ex quibus ante praefinitum tempus ea Socialis negociatio dissolvi poterat, nunc, post hoc tempus jamdiu elapsum, jus postulat ut, Societate resoluta, Sociale caput, ad 1

haeredes Equitis S. Laurent spectans, eis restituatur *Leg.* 66 *ff. pro Socio.: Gratian. Discept. Forens. cap.* 904 *n.* 2 *Felic. de Societate cap.* 39 *num.* 100, *Rota coram Biehio decis.* 226 *Romana Societat.* 7 *Maii* 1753 *coram Amadeo* §. 8 *Romana Societatis Nundinarum* 18 *Februarii* 1754 *coram Elephantu.* §. 4 *Terracinen., Societatis super redditione rationis, et divisione* 11 *Martii* 1771 §. 5 *coram Cornerlio, et in confirmatoria* 28 *Junii* 1778 §. 4 *coram Eodem.* Quod eo magis obtineat oportet, quia juris dispositioni adstipulatur conventio inter partes inita, quod = *nel fine della Società debba trovarsi quella quantità di bestiame, che presentemente si consegna, e della stessa qualità, e detta qualità, e quantità si dovrà dividere metà per ciascheduno* = Quot vero, et quae fuerint animalia Sociale Suilli gregis caput constituentia, quorum dimidium a Riccio restituendum est, ex Sociali Apocha, et ex judiciali descriptione anno 1807 A. C. Ridolphio mandante expleta, statim dignoscitur.

2 Recte etiam praedicta Sententia definitum fuit, tum Riccium, forte tergiversantem, cogendum esse mandato de gravando ad debitam Socialis capitis restitutionem, juxta receptam praxim *Rota coram Riminaldo decis.* 330 *num.* 7 *tum* etiam, si inefficax hujusmodi mandatum sit, mandatum exequutivum contra ipsum relaxandum esse pro valore Suilli gregis restituendi, omnique haeredum Equitis S. Laurent interesse, a saepius recensita descriptione, Peritorum opera adhibita, facillime desumendis ad firmata per *Rotam in Romana Societatis Nundinarum* 15 *Februarii* 1754 *coram Elephantuntio* §. 17, *et in Romana Societatis super Capitali* 22 *Junii* 1801 §. *fi. cor. Eminentissimo Cesarei.* Haec itaque Sententia juris dispositioni, et conventionibus prorsus consona omnimodam meretur confirmatione.

3 Nec ad remorandam hujus Sententiae exequutionem Riccio prodesset compensationem proponere ex asserto suo credito in Pelucchii Peritia constituto; Etenim, adversus hanc Peritiam cum appellationem interposuerit Eques S. Laurent, et haec examini nunc sit subiicienda, ex recensita Sententia, nullum ipsa praebere creditum Riccio valet ad compensationem obtinendam, vel titulum ad Suillium gregem retinendum. Certum namque, et liquidum proferre debet creditum, qui compensationem postulat *Rota coram Falconier. de Societate decis.* 9 *num.* 5 *decis.* 1904 *nom.* 10 *coram Lancetta, et in Perusina Pecuniaria quoad credita, et compensationem* 2 *Maii* 1817 *coram Eminentissimo Cesarei* §. *final.*, et certum pariter, nullique exceptioni obnoxium, titulum exhibeat oportet, qui de retentione contendit *Rota decis.* 201 *num.* 13 *coram Molines decis.* 1143 n. 5 *coram Lancetta decis.* 29 *num.* 15. *coram Otivatio, et in Urbevetana restitutionis Mobilium* 12 *Januarii* 1801 §. 3 *coram Priolo.*

Et ita etc. Unica etc.

SUTRINA SEU MONTIS FALISCI

SUPER

REDDITIONE RATIONIS UTILIUM

Veneris 4 *Februarii* 1820.

ARGUMENTUM

Argumento non indiget.

SUMMARIUM

1. *Dissoluta societate, Socius qui caput sociale administravit, alteri Socio nedum sortem, sed etiam utilia repraesentare debet.*

Socius, penes quem frugiferum sociale caput permansit, etiam post expletam societatem, alteri Socio rationem reddere debet de utilibus, et lucris – ibidem. –

2. *Si Socius rationes exponere detrectet, oportet mandato de gravando, ad eas exhibendas ipsum compellere.*

Ubi utilium monumenta per Socii dolum defecerint, harum quantitas per jusjurandum in litem est constituenda. –

DECISIO XXV.

Narrat mea contemporanea Decisio, Comites Carolum, et Joannem Baptistam D'Ayderi S. Laurent, nepotes ex Fratre, et hæredes Equitis D'Ayderi S, Laurent, coram Tribunali Collegiali A. C. adversus Dominicum Riccium petiisse, nedum restitutionem dimidii Suilli gregis, conficientis caput Socialis negociationis = *da Razza* = inter prædictum Equitem ipsumque Riccium Anno 1804 institutæ, sed etiam redditionem rationum utilium, quæ ex hoc capite a die prima Februarii 1806 usque ad illius restitutionem obvenerant, et obvenire poterant. Secundum hanc instantiam, altero Sententiæ capite, illud Tribunal Riccium damnavit ad exponendas rationes fructuum, et utilium Societatis, super prædicta negociatione suilli gregis = *da razza* =, a die prima Februarii 1806 usquo ad capitis perficiendam restitutionem, præstituto ad hoc implendum termino *quindecim* dierum, quo elapso, mandato ipsum subjecit de gravando in *tribus* diurnis Scutis; et si hoc mandatum inefficax esset adversus ipsum relaxavit = *il mandato esecutivo per il credito, ed interesse degli attori da liquidarsi, qualora faccia di bisogno, anche col giuramento in litem* =; rationum vero expunctionem, ac liquidationem R. P. D. Cuneo commisit, facta huic Peritos, quatenus oporteret, assumendi potestate. Quoad etiam hoc Sententiæ caput Patrum judicium requisivi sub Dubii formula = *an, et quomodo sit locus redditioni rationis, in casu etc.*, et, Riccio vadimonium deserente, responsum mihi datum fuit = *Affirmative in omnibus ad formam Sententiae A. C.* =, perficienda coram me liquidatione, quo juxta eam Sententiam, ab A. C. Cuneo erat explenda.

1 Dissoluta Societate, Socium, qui Sociale caput retinuit, et administravit, præter illius debitam restitutionem, juxta conventiones, de utilibus etiam ex inde obventis reddere consocio rationes, eaque ipsi repræsentare debere inconcussi juris est *Leg. si non fuerint ff. pro socio leg.* 1 *Cod, eodem tit. Cyriac. in' Leg. Societatem Cod. pro Socio Zanch. de Societat. par.* 2 *cap.* 2 *n.* 32. *p.* 5. *vol.* 1 *num.* 4 *et in Terracinen. Societatis Super reddit. ration, et division.* 11 *Martii* 1771 §. 4 *coram Cornelio*. Merito itaque ad id præstandum Tribunalis Collegialis A. C. Sententia Riccium damnavit. Isthæc vero rationis redditio compræhendere debet tempus elapsum a die 1 Februarii 1806 (quoad namque tempus præcedens rationes exposuit Peritia Pelucchii, ad quam spectat postremum prædictæ Sententiæ caput), ac tempus, quod excurret usque ad Socialis capitis restitutionem per Riccium implendam. Accessiones namque una cum frugifero capite domino a dententore semper sunt restituendæ *Leg. fructus* 45 *ff. de rei vindicat. leg, cum Filius* 78 §. *dominus ff. de Legatis* 2 *Zanch. de Societat. part.* 4. *Cap.* 12. atque, et si societatis præstitutum tempus expletum sit, tamen; donec ab altero o Sociis, penes quem frugiferum Socialis negociationis caput extat, hoc consocio restituatur, communio remanet, ex qua huic consocio partis illius frugiferi capitis, ad ipsum spectantis, utilia, et lucra debentur, ad tradita per *Zanchium part,* 4. *Cap.* 4. *num.* 72.

Quod si Riccius rationes exponere detrectet, oportet primum mandato de gravando ad eas exhibendas ipsum compellere; hoc autem ni prosit, cum ex ejus dolo evenerit utilium probationes, et monumenta hæredibus EquitisS. Laurent decesse de prædictorum utilium quantitate, hæc per jusjurandum in litem ipsis deferendum erit constituenda, uti rectissime juridicus A. C. Conventus censuit atque uti tradunt *Voet. in Pand. Lib.* 12. *tit.* 3 *num.* 2. *Bruneman. in Cod. ad Leg.* 1 *de in litem jurand. Gratian. Discept. foren. cap.* 59 *n.* 12 *et* 13. *Rocc. disput. jur. cap.* 143 *n.* 22. *Rota coram Crescent. Dec.* 109 *per tot., et in Romana, seu Albanen. Societatis saper* 2 *Dubio* 28 *Februarii* 1757 §. 8 *coram Bussio*; *in Viterbien. Societatis quoad ratam utilium Scut.* 3559, *et* 50. 31 *Martii* 1786 §. 18 *coram Malvasia in Viterbien. Societatis quoad* 2

Ratam utilium 17 *Martii* 1790 §. 13. *coram Soderino, et in Romana Societatis Super fructibus* 22 *Junii* 1801 *cor. Emo Cesarei* §. 2.

Et ita decisum fuit Unica etc.

SUTRINA SEU MONTIS FALISCI

RESTITUTIONIS CAPITALIS ET REDDITIONIS RATIONIS

Veneris 5 *Maii* 1820.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur « DECISIO XXIV. »

SUMMARIUM

1 *Quum tempus effluxerit societati praestitutum, societas eo ipso dissoluta censetur*

Societate cessata, jus postulat ut illi cui spectat, caput sociale restituatur - *ibidem.* -

2. *Quantitas capitis socialis, recte dignoscitur, ex sociali Apocha, et ex descriptione tempore non suspecta exarata.*

3. *Mandatum de gravanda, ac coactivum contra personam, est relaxandum adversus Socium qui rationes reddere detractat.*

4. *Sententia a qua fuit interposita appellatio, non probat creditum.*

Qui de compensatione, ac ea magis qui de retentione contendit, debet exhibere titulum nulli exceptioni obnoxium - *ibidem.* -

DECISIO XXVI.

Tribunal Collegiale A. C. Dominicum Ricci ex duplici Societatis contractu, quem cum Equite Joanne Baptista d'Ayderi S. Laurent, usque ab anno 1804 iniit super suillo grege = *da razza* = ad triennium; atque = *a miglioramento* = ad annum; et quia haud optima sane fide in re sociali administranda sese gesserat Riccius, et quia præstitum contractibus tempus jamdiu expletum erat, damnaverat, tum ad restitutionem medietatis capitis socialis = *da razza* = tum ad rationes utriusque socialis capitis utilium reddendas, atque ita maturiori quoque examini subjiciendam censuerat Peritiam Ratiocinatoris Joannis Pelucchi ex decreto A. C. Ridolfi super illis conflatam, qua Eques renunciatus fuerat Riccii debiter in sc. 564 et ob. 90 ½ ad totum Mensem Januarii anno 1806, prout latius expositum videtur in antecedenti mea Decisione diei 4 Februarii hujusce anni. Provocante ab ea Sententia Riccio, res ad Sacrum nostrum Ordinem delata fuit, et duobus conciliatis Dubiis, altero super restitutione animalium = *da razza* = ad quod præsens spectat Decisio, altero autem quoad universæ negociationis fructus, et utilia a die prima Februarii anni 1806, et redditionem rationum, de qua res erit in contemporanea Decisione, Patribus, jam usque a die *quarta* Februarii hujusce anni, quum primum proposuissem, nempe = *An et quomodo sit locus restitutioni Capitalis Socialis Animalium suinorum = da razza = ita ut pro qua summa sit relaxandum mandatum* = in casu etc. vadimonium deserente Riccio, responsum datum fuit pro Hæredibus Testamentariis Equitis S. Laurent, Carolo, et Joanne Baptista ejusdem nepotibus ex fratre, informantibus, scilicet = *Affirmative in omnibus ad formam Sententiae A. C.* =. Quum autem post hæc *novæ Audientiæ* beneficium Riccio indultum fuerit, instauratur hodie eadem biceps quæstio sub assuetis dubiorum formulis = *An sit standum, vel recedendum a decisis* =; et quoniam in contumacia manet sua Riccius favore *informantium* Patres = *in Decisis* = persstiterunt.

Et merito quidem; Explorati quippe 1
juris est Sententiam, de cujus validitate nulla fit disputatio, cujusve manifesta patet justitia nil aliud præter exequutionem expectare *Cap, Causam de Sentent., et rejudic. Rota in Nucerina Juris pascendi* 23 *Junii* 1783 *cor. Riminaldo* §. 3. *et in Romana Patrimonii Sacri* 5. *Decem.* 1783 *cor. Vodem* §. 2 *et alibi passim.* Manifestissima vero est justitia Sententiæ Tribunalis Collegialis A. C., quæ per antecedentem meam Decisionem diei 4 Februarii confirmata extitit, et cui hodie

Patres Album iterum calculum adiiciendum censuerunt. Damnavit etenim illa Riccium ad restituendum hæredibus Equitis S. Laurent dimidium capitis Socialis Suilli gregis = *da razza* = ad tramites descriptionis illius gregis, quæ exarata fuit de anno 1807, indicta Riccio poena mandati *de gravando*, eaque restitutione minime expleta, adversus ipsum mandum exequutivum relaxavit pro valore gregis restituendi a prædicta descriptione desumendo: At quoad capitis restitutionem, cum Societas anno 1804 de Mense Maii inita fuisset triennii termino ei præstituto, *tresdecim* jam ab hoc termino elapso anni effluxere: quod satis superque est ad eam dissolutam renunciandam. Reposita igitur etiam quavis quæstione doli, fraudisque in Riccio ex quibus ante præfinitum tempus ea socialis negociatio resolvi poterat, nunc post hoc tempus jamdiu elapsum, jus pustulat ut, societate cessata, sociale caput ad hæredes Equitis S. Laurent spectans ei restituatur. *Leg.* 66 *ff. Pro Socio*, *Gratian. discept. Foren. Cap.* 904 *n*, 2. *Felic. de Societate Cap.* 39 *n*. 100. *Rota cor. Bichio decis.* 226. *Romana Societatis* 7 *Maii* 1753 *coram Amadeo* §. 8. *Romana Societatis Nundinarum* 18 *Februarii* 1754 *cor. Elephantut*: §. 4 *Terracinen. Societatis Super redditione rationis*, *et divisione* 11 *Martii* 1771 §. 5 *cor. Cornelio, et in confirmatoria* 28 *Junii* 1778 §. 4 *coram Eodem.*

2 Pervulgatæ huic juris nostri dispositioni adstipulatur etiam in themate conventio inter partes inita, quod = *nel fine della Società debba trovarsi quella quantità di bestiame, che presentemente si consegna, e della stessa qualità, e detta qualità, e quantità si dovrà dividere metà per ciascheduno.* = Si itaque pactorum fidem semper servandam, inviolatamque habendam esse scimus, vel ipso naturæ jure sic statuente, etiam in casu, quo per ea legibus derogatum fuisse appareat, longe majori etiam veneratione eadem prosequi debebimus, si aliquando scriptis quoque legibus pacta consona esse deprehendantur. Per quam facile vero nunc etiam erit Riccio datam liberare fidem, hæredibusque Equitis S. Laurent, quod suum est, assequi; quot enim, et quæ fuerint animalia Sociale Suilli gregis caput constituentia, quorum dimidium a Riccio restituendum est, et Sociali Apocha, et ex eorum animalium omnium descriptione anno 1807, A. C. Ridolphio mandante, expleta, vel statim dignoscitur.

Nec minus recte prædicta Sententia definivit tum Riccium, forte tergiversantem, cogendum esse mandato de gravando ad debitam Socialis capitis restitutionem, juxta receptam praxim *Rota cor. Riminaldo Decis.* 330 *n.* 7, tum etiam, si inefficax hujusmodi mandatum sit, mandatum exequutivum contra ipsum relaxandum esse pro valore Suilli gregis restituendi, omnique hæredum Equitis S. Laurent interesse a sæpius recensita descriptione, peritorum opera adhibita, facillime desumendis; sic etenim in istiusmodi casibus procedendum esse firmavit = *Rota in Romana Societatis Nundinarum* 15 *Februarii* 1754 *coram Elephantutio* §. 17, *et in Romama Societatis super Capitali* 24 *Junii* 1801 §. *finali cor. Emo Cesarei.* Quum itaque Sententia illa juris dispositionibus, partiumque conventionibus undique consona dignoscatur, merito Patres eam confirmandam esse semel, iterumque arbitrati sunt. 3

Incassum denique ut illius exequutionem averteret Riccius sive compensationem, sive retentiunem opponere conaretur ex asserto suo credito constituto in Peritia, quam exaravit Ratiocinator Joannes Peluechius, qui, ut in præcedenti mea jam supra allegata Decisione narravi, illud extulit ad sc. 564 et ob. 90 ½ suppntatis utriusque Societatis utilibus ad mensem usque Januarii Anni 1806, ac omnibus fere in suspensum relictis partitis crediti Equitis S. Laurent; Quum siquidem adversus hanc peritiam usque ab initio appellationem interposnerit præfatus Eques, et ad trutinam ex supra laudata Sententia sit eadem revocanda, nullum ea præbere creditum Riccio valeat ad compensationem obtinendam, vel titulum ad Suillum gregem 4

retinendum. Certum namque et liquidum proferre debet creditum, qui compensationem postulat, *Rota coram Falconerio de Societate Decis.* 9. *n.* 5. *Decis.* 1904 *n:* 10 *cor. Lancetta et in Perusina Pecuniaria quoad credita, et compensationem* 12 *Maii* 1817 *cor. Emo Cesarei* §. *final.* et certam pariter, nulliqoe exceptioni obnoxium titulum ex hibeat oportet, qui de retentione contendit *Rota decis.* 201 *num.* 13 *coram Molines dec.* 1143 *n.* 5 *cor. Lancetta Dec.* 29 *n.* 15 *cor. Olivatio; et in Urbevatana Restitutionis Mobilium* 12 *Januarii* 1801 §. 3. *coram Priolo.* Neutra igitur earum exceptionum Riccio opitulari posset ad justissimæ Sententiæ exequutionem vel momento temporis remorandam.

Atque ita etc. altera tantum etc.

SUTRINA SEU MONTIS FALISCI

SUPER

REDDITIONE RATIONIS UTILIUM

Veneris 5 *Maii* 1820.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur « DECISIO XXV ».

SUMMARIUM

1. Socius, qui sociale caput retinuit, et administravit, tenetur consocio rationes reddere de utilibus obventis.

In liquidatione utilium, sumi debet tempus a die quo societas caepit, ad diem quo capitis restitutio expleta fuit - ibidem. -

2. Sociale utilia habentur tamquam accessiones capitis principalis, ac ejus naturam sequuntur.

Donec non restituatur caput sociale, inter Socios manet communio bonorum - ibidem.-

DECISIO XXVII.

Altero capite Sententiæ Tribunalis Collegialis A. C., de qua in contemporanea Decisione sermonem babeo, damnatus fuerat Dominicus Riccius ad exponendas rationes fructuum, et utilium Societatis super negociatione Suilli gregis = *de razza* =, quam cum nuper defuncto Equiti d'Ayderi S. Laurent, jam usque ab anno 1804 ad triennium contraxerat; eaque rationum dispunctio juxta præfatam sententiam, incipienda erat a die prima Februarii 1806 usque ad capitis socialis perficiendam restitutionem. Statuerat rursus Tribunal hoc explendum a Riccio esse infra terminum quindecim dierum, quo elapso mandato ipsum subjeccrat de *gravando in* tribus diurnis scutis, et, si boc mandatum inefficax fuisset, adversus ipsum relaxaverat = *il mandato esecutivo per il credito, ed interesse degli Attori* =, hæredum scilicet ex testamento defuncti Equitis S. Laurent Caroli, et Joannis Baptistæ ejusdem ex fratre nepotum = *da liquidarsi qualora faccia di bisogno anche col giuramento in litem* = quam liquidationem R. P. D. Cuneo commiserat, facta huic peritos, quatenus oporteret, assumendi potestate.

Etiam quoad hoc aliud Sententiæ caput die 4 Februarii labentis anni Patres consului sub formula = *An et quomodo sit locus redditioni rationis in casu etc.* =, et Riccio a judicio absente, responsum accepi = *Affirmative in omnibus ad formam Sententiæ A. C.* = mihi commissa liquidatione, quæ, juxta eam Sententiam, ab A. C. Cuneo erat perficienda. Clamanti postea Riccio Equitem S. Laurent occupasse portionem Capitalis Socialis, et ad traditionem portionis prædicti Capitalis a Signaturæ Justitiæ Auditore condemnatum fuisse, *novæ audientiæ* copia facta fuit. Hinc bodie denuo Patres interrogare debui assueta dubii formula = *An sit standum vel recedendum a decisis in casu etc.* licet vero rursus a Judicio abesset Riccius, hæredibus attamen Equitis S. Laurent minime abnuentibus responsum fuit = *In decisis juxta modum in Decisione exprimendum.*

Explorati siquidem juris est socium 1
quemlibet, qui sociale caput retinuerit, et administraverit, non modo ad illius debitam restitutionem teneri, verum etiam juxta conventiones de utilibus exinde obventis reddere consocio ratio-

nes, æque ipsi repræsentare debere *L. si non fuerint ff. Pro socio L.* 1 *Cod. eod. tit. Cyriac. in L. Societatem Cod. Pro socio Zanch. de Societ. Par.* 2 *Cap.* 2 *num.* 32 *Rota Decis.* 32 *p.* 5 *vol.* 1 *num.* 4 *et in Terracinen. Societatis super reddit. ration. et division.* 11 *Martii* 1771 § 4. coram Cornelio. Merito itaque ad id præstandum Tribunalis Collegialis A. C. Sententia Riccium damnavit. Isthæc vero rationum redditio compræhendere deberet absque ulla limitatione tempus elapsum a die prima Februarii 1806 quoad (namque tempus præcedens rationes exposuit peritia Ratiocinatoris Joannis Pelucchi, ad quam spectat postremum prædictæ Sententiæ caput), ac tempus, quod excurret usque ad socialis capitis restitutionem per Riccium implendam. Attamen in liquidatione, quæ coram me perficienda erit, quoniam hæredes Equitis S. Laurent ultro admittunt illum, dum in humanis, portionem quamdam suilli gregis occupasse, illamque aliquantis per penes se retinuisse, scilicet ad diem usque 14 Aprilis 1808 idcirco, quod neque hæredibus præfatis displicet, modum adjiciendum Patres censuerunt, ut nempe, si quid utilium, et lucri in præciso temporis spatio, per quod Eques S. Laurent gregis portionem penes se habuit, ex eadem haurire potuit; id in liquidatione prædicta a Riccio debita subtrahatur, ac Equiti imputetur; quin tamen præteriri debeat dispunctio ejus, quod hic forte eo temporis intervallo super retento grege impendit.

2 Cæterum, ut in § 2, et 3, antecedentis meæ Decisionis diei 14 Februrii hujusce anni animadverti, nullum superest Riccio diffugium ad hanc redditionem rationem utilium declinandam; accessiones namque una cum frugifero capite Domino a detentore semper sunt restituendæ: et, quamvis præstitutum societatis tempus expletum sit, donec attamen ab altero e sociis, penes quem frugiferum socialis negociationis caput extat, hoc consocio restituatur, communio remanet, ex qua huic consocio partis illius frugiferi capitis ad ipsum spectantis utilia, et lucra debentur, ad tradita per *Zanchium de Societate p.* 4 *Cap.* 4 *num.* 72. Quod autem ad hanc redditionem rationum exponendam per sæpedictam Sententiam a S. Ordino laudatam adigendus sit Riccius per mandatum de gravando justitiæ omnino consonum est, ne res cum creditorum præjudicio in ævum protrahatur. Quemadmodum etiam rectissime ab Judicibus A. C. statutum fuit, ut, nisi prædictum mandatum prodessot, juramento in litem utilium quantitas a Riccio percepta esset liquidanda, quum ex hujus dolo evenerit probationes, et monumenta necessaria hæredibus Equitis S. Laurent defecisse.

Et ita etc. Unica tantum etc.

TIBURTINA DAMNORUM

SUPER RE-JUDICATA

Veneris 23 *Junii* 1820.

ARGUMENTUM

Conductor tenetur ad expensas ordinarias manutentionis, ac reficere omnia damna, etiam extra suam culpam obventa, si pactum adest - *di restituire la cosa come fù consegnata.* - In liquidatione damnorum, stari omnino debet judicio peritioris, consensu partium electus.

SUMMARIUM

1. *Damna ex culpa conductoris praediis illata, sunt locatori reficienda.*
2. *Ad aestimanda damna, peritorum judicium est attendendum.*

   Ubi Periti non sunt concordes inter se, standum est judicio peritiorum - ibidem. -

   Pacta conventa sunt religiose implenda - ibidem. -
3. *Peritior si fuit a partibus constitutus, ejus judicio utraque pars acquiescere debet.*
4. *Si peritus electus fuit cum clausola* - di stare al di lui giudizio inappellabilmente - *quidquid per ipsum definitum fuerit, observari omnino debet.*

   Verba - di stare al giudizio del perito inappellabilmente - *non tam periti hominis, quam potius veri arbitratoris electionem demonstrant - ibidem.* -

5. *Si conductor pactum suscepit* - di restituire le fabbriche come gli sono state consegnate - *tenetur suis expensis illas restaurare.*

Expensae ordinariae manutentionis pertinent ad conductorem - ibidem. -

6. *Damnum obventum, etiam extra culpa conductoris, si pactum adest restituere rem* - come fu consegnata - *est ab hoc reficiendum.*

DECISIO XXVIII.

Complura, quæ in Oppido, ac Territorio Vici Varronis, tum urbana, tum rustica possidebat prædia Nobilis Vir Comes Virginius Cencius Bolognettus ea omnia Philippo Coccanario, inter Tyburis Patricios adlecto, locavit contractu, ad *novennium* progressuro Kalendis Februarii anni 1808 publicas in tabulas redacto, cujus præcipuæ hæ fuere leges. Conventum scilicet, ut præeunte bonorum omnium, quæ tradebantur, descriptione, teneretur conductor, quoad prædia rustica, omnes Olearum arbores diligenter custodire, easque restituere = *in fine dell'affitto nella stessa qualità, e quantità, che gli, sono stati consegnati* = ut hinc, si quæ illarum periissent, novas ipse substituere deberet: ut dein curam conductor idem in se susciperet = *di piantare a tutte sue spese, e senza alcun compenso, o buonifico, numero quattrocento piantoni di Oliva di buona qualità, esclusi gli Olivastri, e quelli di S. Vito* =; Quoad prædia sive urbana, sive ædificia: ut periculo Coccanarii esse deberet manutentio = *di tutte le fabbriche comprese nel presente affitto, tanto che debba restituirle in fine dell'affitto come gli sono state consegnate* =: exceptis tantummodo reparationibus iis, quas forte peragendas aliquando fore prævidebatur = *nei travi, e muri maestri* =, de quibus cautum ut perpetuo essent = *a peso, e carico del Signor Conte locatore.*

Haud sane exquisitam in utendo locatis bonis diligentiam præstitit conductor; quin imo, quum jam fere elapso contractus durationi præstituto tempore, restitutio Comiti Bolognetto facienda immineret, momentosa in fundis reperta sunt, et Coccanarii oscitantia obventa, damna, unde permolestæ de iis supputandis reficiendisque exarserequæstiones; ad quas ex bono, et æquo dirimendas nova inter partes per privatam Apocham inita conventio fuit, qua selecti communi placito fuere periti homines, qui damna omnia, tum in rusticis, tum in urbanis prædiis pernoscerent, deque iis quisque eorum pro integritate, peritiaque sua referret. Quoniam vero numquam accidit, ut peritorum, in quos litigantes consentiunt, una sit mens, unum judicium, pactum hinc superadditum, quod in casu discrepantiæ prius selectorum, nominati fuere = *in Perito Periziore Agrimensore il Signor Angelo Qualeatti, ed in Perito Architetto Periziore il Signor Giuseppe Valadier* = quorum definitivum judicium contrahentes ratum firmumque sese habituros fore promiserunt = *in modo che la somma, che verrà giudicata nelle rispettive perizie in correspettività delli danni, e mancanze, che saranno liquidate, debba esser sodisfatta, rimossa qualunque eccezione; volendo che il presente foglio, in caso di renuenza, sia valutato nelle forme di un giudizio esecutivo, come se fosse un debito confessato* =.

Accesserunt reapse priores Periti ad utraque prædia, sed diversas protulerunt sententias. Unde *Peritiorum* investigationes ex pacto sibi locum vindicarunt. Qualeattius, in quem partes primo convenerant, aliis fortasse curis distentus, commisso sibi muneri renunciavit; atque in illius locum suffectus fuit Aloysius Mazzarinius haud inferioris notæ Geometra: Agnovit hic damna, in rusticis prædiis obventa, summam pertingere Scutorum 984, et obol. 11. Valaderius autem eadem in urbanis prædiis ad vim Scutorum 236, et obol. 88 $\frac{1}{2}$ conscendere deprehendit; quibus addidit alia Scuta 55, et ob. 62 $\frac{1}{2}$ et peculiari liquidatione eorum damnorum, quæ ultro Coccanarius ipse bona fide admiserat; atque ita relationibus ab utroque Perito concinnatis, iisquo etiam jurisjurandi religione obfirmatis, conductor locatoris debitor in totum fuit renunciatus in Scutis *Mille bis centum septuaginta sex*, quæ ex supra

relata conventione erant illico numeranda. Moras attamen captare cœpit Coccanarius; hinc ad A. C. Tribunal illum vocavit Comes Bolognettus, ubi quum ex testibus per hunc inductis, haud satis constare videretur de subrogatione Mazzarinii in locum Qualeattii, biceps edita fuit Sententia: Quoad scuta scilicet 292 51 ½ = *ammontare de' danni rinvenuti nelle Fabriche a forma della perizia Valadier* = ad totidem persolvenda Coccanarius damnatus fuit; quod vero attinebat ad damna rusticorum prædiorum testes supradictos examini subjiciendos esse Judices illi statuerunt = *per provare la surrogazione del Mazzarini al Periziore Agronomo Signor Qualeatti con pieno consenso del reo convenuto* =.

Dein ab hujusmodi sententia provocante Coccanario, Rescriptum prodiit a Suprema Signatura = *quoad scuta* 236 88 *sine præjudicio: in reliquis: si quid exequendum* =. Tripartita hinc quæstio ad nostrum S. Ordinem conscendit; de viribus nimirum rei judicatæ quoad priorem illam pecuniæ vim scut 236 88; de damnis quoad fundos rusticos: deque altera peculiari Relatione Valaderii, in qua damna ultro admissa scutis 55, et obul. 62 ½ æstimaverat; et quoniam tres etiam conciliatæ sunt Dubiorum formulæ, sejunctum hodie illas RR. PP. DD. Meis dissolvendas proposui; ac primæ earum, nempe = *An constet de re judicata, seu potius de causis restitutionis in integrum in casu etc.*, licet dilationem flagitaret Coccanarius responderunt juxta *Informantis* Comitis Bolognetti vota = *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam* =.

1 Neminem quippe latet tantam esse rerum judicatarum auctoritatem, litium aliquando finiendarum causa invectam, ut, nisi earum injustitia, vel nullitas manifestissime pateat, nefas omnino sit de iisdem evertendis vel verbum quidem proferre, ad firmata per Rotam *in Maceraten. Consignationis* 20 *Junii* 1791 *coram Gardoqui, in Viterbien. Nullitatis Contractus* 13 *Martii* 1816 § 5 *coram Piccolomini, et in Urbevetana Pecuniaria* 5 *Julii ejusd. Anni* § 5 *cor. R. P. D. Odescalchi* =. Porro Judicum A. C. Sententia, de cujus validitate nulla esse potest quæstio, et cui Plenæ Signaturæ Rescriptum rei judicatæ vim adjecit, quare damnatus fuit Conductor ad numeranda locatori Comiti Bolognetto scuta 236 88, damnorum nomine, quæ ex illius culpa urbanis prædiis illata fuisse retulit Peritior Valaderius, non modo vel de minima injustitiæ nota redargui nequit, sed contra tanta fulget æquitate, justitiaque, ut quidquid adversus illam dici velit, numquam ipsa profecto poterit convelli.

Et sane ipse est Conductor Coccanarius, qui solemnibus tabulis de anno 1809 conscriptis promiserat sese cuncta locata prædia in locationis conductionis exitu redditurum = *come gli sono stati consegnati* =, quique in posteriori contractu propriæ oscitantiæ in prædiis iisdem retinendis, eorumque exinde sequutæ deteriorationis sibi conscius, eam damnorum æstimationem se soluturum promisit, quam, vel Periti, si concordes essent, vel, hisce in diversa obeuntibus, Peritiores communi placito nominati proferrent. Perspicua quidem sunt novissimæ conventionis verba = *seguita che sarà la Perizia, qualunque sia la risultanza de' primi Periti nel caso che siano fra di loro concordi, o dei Periziori nel caso di discrepanza, debba quella attendersi inappellabilmente, come di fatti le Parti si obbligano di attendere, e di osservare in modo, che la somma, che verrà giudicata nelle rispettive perizie in correspettività dei danni debba esser sodisfatta rimossa qualunque eccezzione* = Atqui inter se discrepantibus priorum peritorum resolutionibus Peritioris Valaderii locum habuit judicium, quo damna urbanorum prædiorum perpensa, æstimataque fuere scutis 236 88. Ergo pro hac summa, quam ex eo pacto, eodem pene temporis momento, quo Peritia expleta fuit, numerare Conductor debuisset = *rimossa qualunque eccezione* =, rite Judices Mandatum exequutivum Comiti Bolognetto impertierunt; pacta etenim conventa religiose implenda sunt, et nihil magis humanæ fidei congruum videtur, quam

Digitized by Google

pacta servare: non modo æque Prætoris voce hoc jus constitutum est inter homines, quam inviolabili, atque æterno jure omnium Gentium *ad Rotam in Decis.* 229 *num.* 1 *coram Veri.*

3 Vindicat prætcrca etiam sensus a Valaderio panditi in themate firmitatem id, quod utrique contrahentium in nuperrima illa conventione placuit, utpote qui postquam primos peritos, qui prædia, tum urbana, tum rustica inviserent, deque damnis eisdem illatis judicarent, nominaverant, elcgerunt « *in Perito periziore Architetto il Signor Giuseppe Valadier* » At si Peritior hic fuit a partibus constitutus, ejus judicio ipsos acquiescere omnino debere jure nostro sancitum est. Ita post *Textum in L. Item si unus § final. ff. recept. Arbitr.* statuit Rota *in Decis.* 107 *num.* 7 *corom Olivatio in Imolen. Liberationis a molestiis* 10 *Januarii* 1757 *coram Elephantutio* § 5 *in Ferrarien. Decimorum super manutentione* 14 *Junii* 1784 § 10 *coram Resta*, *in Faventina Pecuniaria super computo particulori* 11 *Aprilis* 1791 § 2 *coram de Boyane, in Romana, seu Læsionis* 14 *Jonuarii* 1793 § 4 *coram eodem, ac tandem in Spoletana redditionis rationis* 6 *Moii* 1816 § 5 *coram Rmo P. D. Meo Serlupi, et in confirmotoria* 17 *Januarii* 1817 § 4 *coram Eodem.*

4 Quibus juris dispositionibus mirum in modum adstipulantur etiam vel effrenatissima sæpedictæ conventionis verba, quibus tam Coccanarius, quam Bolognettus in Peritioris electionem consentierunt. Spoponderunt etenim ipsi « *di attendere la di lui Perizia inappellabilmente, e di osservarla in modo, che la somma, che verrà giudicata nelle rispettive Perizie in correspettività delli danni, e mancanze, che saranno liquidote debba esser sodisfatta senza veruna eccezione* » Dcin, quod maximi quidem ponderis est, declararunt de ea conventione = *che il presente foglio, in caso di renuenza sia valutato nelle forme di un giudizio esecutivo, come se fosse un debito confessato* = Etsi itaque Coccanario hodie datum esset Valaderii judicium absurdum, injustum, iniquissimum evincere, nil prorsus id ei opitularetur ad illius omnimodam exequutionem declinandam; statim ac etenim firmum in facto prostat, semel eidem placuisse Valaderium seligere, et quidquid per hunc definitum esset venerari = *inappellabilmente* = ita ut, si cujus summæ ipse debitor renunciaretur, habenda hæc esset = *come se fosse un debito confessato* =; patet ex hisce non tam in periti hominis, quam potius in veri *arbitratoris* electionem ipsum consensisse, cujus sententia, qualibet etiam haud obstante injustitia, in discrimen revocari poterit profecto numquam. *Stari*, namque *debet Sententiæ arbitri, quam de re dixerit, sive æqua, sive iniqua sit; et sibi imputet, qui compromisit*, sicuti ait *Textus in L. diem proferre § Stori autem ff. de recept. Arbitr.* cui plaudit *Cujacius Oper. Omn. Edit. Neapolit. Tom.* 5 *Col.* 191, *et Litt. B. Constant. Vot. dec.* 456 *num.* 5, *et* 6, *et Rota in decis.* 447 *num.* 2 *Part.* 9 *Tom.* 2 *Recent. et in Dec.* 107 *n.* 3 *cor. Olivat.*

5 Inania vero sunt, quæ in anteactis causæ propositionibus, sive apud. A. C., sive apud Signaturam Justitiæ obiiciebat Coccanarius, ut Valaderii relationem erroris, injustitiæque caperet. Primum scilicet querebatur ipse tamquam a se debitam partitam Scutorum Sex Peritiorem retulisse ob restaurationem muri cujusdam, quem nuncupant = *Parapetto* =, de cujus traditione minime constabat. Sed, si Coccanarius in locationis conductionis contractu rite obligationem suscepit = *di restituire le fabriche in fine dell' affitto come gli sono state consegnote* = si rursus murum illam partem ædium constituere, quæ destinatæ sunt = *all'abitazione de' Garzoni* =, quæque descriptæ traditæque fuere in probatis est, officio suo functus est Peritior, dum exiguam illam summam Conductoris debita adscripsit. Neque melioribus hic innixus fundamentis delendam esse contendebat alteram partitam, quam Valadcrius æque eidem imputavit pro damnis, quæ illata fuere Stabulo, ac fænili, scilicet *e per la spesa della ripulitura del tetto* = nec non = *per la conservazione del copertime, e legname minuto* =; Pertinet namque hæc

omnia ad *manutentionem*; quemadmodum ad banc quoque spectat expensa, et eidem Conductori adscripta = *manutenzione del muro di parata* = *et* = *del calo delle macine* = Porro Coccanarius in solemnibus tabulis sese obstrinxit = *al mantenimento di tutte le Fabriche comprese nel presente affitto* =. Displicere igitur eidem nullo modo poterit illarum expensarum omnium detractionem sibi perpetuo denegari, utpote quas ad ædificiorum veluti quotidianam manutentionem pertinere, et Peritior, sive Arbitrator existimavit, et ipsa naturalis ratio suadet.

6 Frustra demum proponebat Coccanarius haud esse sibi imputandam illam partitam = *del calo delle Macine* = contendens hoc esse naturale, ac necessarium rei locatæ decrementum, quin illi causam dederit vel minime ipsius culpa, qua exulante, conductorem quemlibet ad damni sarcitionem adigi non posse certum in jure sit. Quomodocumque etenim juris nostri dispositio in themate sese habeat, manet perpetuo id, quod loculentissimis pactionibus a contrahentibus statutum est. Initio siquidem affictus tradidit Conductori Locator Molas, de quibus quæstio = *in ottimo stato* =, et Conductor adamussim promisit illas restituere = *come furono consegnate; ed il tutto migliorato, e non deteriorato* =. Atqui in Valaderii relatione multorum afferuntur testimonia, id quod priores etiam periti asseruerant confirmantium, nempe = *che le macine di Vicobaro sono ridotte inservibili, ed impossibilitate a poter macinare* = Damno igitur extante quidquid sit de juris dispositione; quoad culpam conductoris illud omnino reficere tenebitur Coccanarius ex pactis, quæ legibus derogare millies definitum est; ac nuper in *Romana Pensionis Theatri diei 27 Junii* 1804 § 9 *coram Rmo P. D. Meo Serlupi*. Præterea in pistrinorum locationibus constantissima obtinet consuetudo, ut molarum destinata, accurataque mensura earum traditionem præeat, quæ non defuit in locatione, et conductione Bolognettum inter, et Coccanarium inita, ut, locationis tempore expleto, quid de hac mensura deesse comperiatur, id conductor locatori reficiat; contra vero, si ob novas molas, antiquis attritis a conductore suffectas, hic superare inveniantur mensuram illarum, quæ traditæ fuerunt, locator conductori hujusce augumenti prætium rependere debeat.

Et ita etc. altera tantum etc.

TYBURTINA DAMNORUM

QUOAD SCUTA 55, ET OBUL. 62 ½

Veneris 23 *Junii* 1820.

ARGUMENTUM

Argumento non indiget.

SUMMARIUM

1. *Conductor, qui obligationis nexu se se devinxit; reddere rem locatam* - migliorata, e non deteriorata - *damna, etiam sine sua culpa obventa, sarcire tenetur.*

   Ubi de damno in genere constat liquidatio in specie pendet a relatione periti - *ibidem.* -
2. *Peritorum judicio, unanimiter de re sentientibus, acquiescere quisque debet.*

   Nefas est insurgere adversus peritum, cui parte promiserunt - di stare inappellabilmente - *ibidem.* -
3. *Periti qui selecti sunt ad aestimanda omnia damna obventa in re locata, rationem habere debent etiam de accessoriis quae inhaerent fundo conducto.*

   In aliarum probationum defectu, ipsi perito de se suoque commissione referenti, fides est habenda - *ibidem.* -

DECISIO XXIX.

Altera hujusce diei Decisione, per me edita cui titulus *Tyburtina damnorum super Rejudicata*, abunde exposita sunt ea omnia, de quibus Comes Virginius Cencius Bolognettus cum Philippo Coccanario convenit, quoad locationem conductionem omnium prædiorum, quæ ille possidet in oppido, ac Territorio Vici-Varronis. Relatum quoque est vim scutorum 55, et obul. 62 ½ in causam damnorum bonis Urbanis a Coccanario

illatorum, et in peritia Valaderii, una cum reliquis scutis 236 88 comprehensam, altero libenterque fuisse ab eo ipso conductore admissam. Narratum denique est, Tribunal A. C. præfatæ quantitatis scutorum 55, et obul. 52 ½ solutionem demandasse erga comitem Bolognettum locatorem, una cum reliquis scutis 236 88, atque hinc ex recursu habito ad Signaturam Justitiæ, quoad prædictam quantitatem scutor. 55 62½ rescriptum ab ea fuisse « *Si quid exequendum* », ad cujus tramites conciliata fuit, quam hodie separatim resolvendam proposui Dubii formulam « *An mandatum A. C. in scutis* 65 62 ½ *sit exequendum in casu etc.* », cui Patres, frustra rem differre conante Coccanario, dederunt responsum pro Bolognetto *Informante*, scilicet *Affirmative*.

1 Quum ctenim nulla in eo mandato deprehendatur sive nullitatis, sive injustitiæ nota, ne momento quidem temporis de omnimoda illius decernenda exequutione erat hæsitandum. Tradita quippe fuere conducturi Coccanario, usque ab initio locationis, conductionis contractu, præter prædia rustica ædificiaque, stylia permulta, tum molarum, tum cauponæ, tum borrei, tum variis Stabulorum, ac vinariæ cellæ usibus destinata. Hæc quemadmodum cætera omnia, diligenter servare, iisque boni ad instar patris familias, uti debebat Coccanarius, atque, ex suscepta in eodem contractu obligatione, in afflictus exitu Bolognetto restituere. Quoniam vero illa negligentia sua valde in deterius abiisse novit, vel ipse conductor, hinc ultro admisit in iisdem obventa damna per peritos, primum, dein peritiorem Valaderium peculiariter æstimari; atque hic eadem in exigua summa, de qua quæstio, in separata, priori attamen pedissiqua, relatione liquidavit: Si itaque generali obligationia nexu sese devinxit idem conductor, finita locatione conductione, omnia, quæ acceperat, Bolognetto reddendi, et quidem « *il tutto migliorato e non deteriorato* »; si rursus damna in genere vel ipse fassus est, eorumque in specie investigationem perito commisit, non est cur hodie, quanti eadem ab illo æstimata sunt, persolvere detrectet.

Neque Valaderii peritioris præcipuam 2
de his exaratam relationem oppugnare valeret Coccanarius, sive quoad ipsam illius substantiam, sive quoad referentis facultates. Ad primum siquidem quod attinet; aut præcedentium peritorum opinionem in ea peragenda æstimatione sequutus est peritior, et tunc conductor, qui prioribus illis peritis unanimiter de re sentientibus acquiescere omnino tenebatur ex pacto, quod « *qualunque sia la risultanza dei primi periti nel caso, che siano tra loro concordi, debba quella attendersi inappellabilmente* », fortius etiam ad eam servandam, venerandamque supputationem tenebitur, utpote cui consona deprænditur etiam tertii sublimioris nominis, majorisque fiduciæ periti opinio; aut quid diversum a prioribus Valaderius in sua elucubratione protulit, et tunc locum sibi vindicat aliud, cui eodem contextu, et Coccanarius subscripsit pactum, quocum *peritioris* partes eidem Valaderio committerentur, conventum fuit, hujus judicium semper ratum, firmumque apud contrahentes fore, ac vix prolatum exequendum « *inappellabilmente*, *e rimossa qualunque eccezione* ». Sive igitur postrema hæc relatio prioribus calculum adiiciat; sive ab iisdem discrepet, suam semper in Coccanarium, frustra reluctantem, exercere vim debet; fortiusque etiam in secunda hypothesi, in qua Valaderius tanta pollet supra cæteros auctoritate, quanta a simplicibus peritis distat peritior, seu potius, prout in themate verus *Arbitrator*.

Quoad vero facultates, quibus inni- 3
xus additionalem illam peritiam Valaderius confecit, frustra eas in dubium revocaret Conductor ex eo, quod Peritior separatam de his rebus conscripsit relationem, quin de hoc ostendere valeat peculiare acceptum Mandatum. At enim primo animadvertendum occurrit in ea apocha, per quam periti electi fuere, partes potissimum in id intendisse, ut horum opera adhiberetur ad omnia pernoscenda æstimandaque damna, quæ generatim rebus cunctis

locatis obvenissent, quæque essent a conductore sarcienda; et recte quidem; quoniam hic in ipso locationis conductionis contractu promiserat sese in affictus exitu redditurum « *il tutto migliorato, e non deteriorato* ». Hinc cum inter res illas adnumerata, ac etiam in traditionibus descripta fuissent stylia omnia locatis fundis inhærentia, patet manifestissime, eos peritos, qui ad res omnes examinandas, componendasque selecti fuerunt, etiam de his judicium proferre suum debuisse. Præterea de iis damnis, quæ præfatis styliis illata fuerant, quæque ut innui, vel ipse Coccanarius ultro admisit, separatæ conficiendæ, priori attamen additionalis relationis, munus commissum sibi ab utraque parte fuisse testatur Valaderius idem, dum ait « *di aver esaminate sulla faccia del logo le sopracitate mancanze, e valutate per commissione di S. E. il Sig. Conte Virginio Bolognetti proprietario, e per l'Illmo Sig. Filippo Coccanari Fornari di Tivoli già affittuario della prelodata E. S.* », et scimus in aliarum probationum defectu, ipsi perito de se suaque commissione referenti habendam esse fidem, donec de contrario plene doceatur, ut est in *decis.* 219 *numer.* 3 *part.* 12 *Rec.* Quare quum, neque de intrinseca relationis justitia, neque de peritioris, qui illam exaravit, facultatibus fas sit disputare, jure, meritoque Tribunal A. C. mandatum pro summa in eadem comprehensa relaxavit, quod Patres exequendum esse bodie censuerunt.

Atque ita etc. unica etc.

TYBURTINA DAMNORUM

QUOAD FUNDOS RUSTICOS

Veneris 23 *Junii* 1820.

ARGUMENTUM

Argumento non indiget.

SUMMARIUM

1. *Peritus subrogatus, pollet iisdem facultatibus ac primus peritus a partibus deputatus.*

Praesumitur partem perito mandatum dedisse, si peritiam ratam, acceptamque habuit – ibidem. –

2. *Non est deneganda fides testibus, de quorum honestate nulla exceptio opponi potest.*

3. *Perito de sui electioni et muneri testanti, fides est adhibenda, donec contrarium evincatur.*

Conductor nequit declinare a refectione damnorum, quae fuerunt per peritiorem liquidata – ibidem. –

DECISIO XXX.

Prædia rustica, quæ una cum urbanis ad novennium conduxerat, Comiti Virginio Cencio Bolognetto locatori, cum reddidisset Philippus Coccanarius, apocæ, prout in duabus meis contemporaneis decisionibus exposui, subscripsit, per quam convenit inter partes, ut si quid in utriusque naturæ bonis, durante affictu, condoctoris culpa, deterioratum fuisset, id perpendendum esset, ac æstimandum a duobus comuni placito deputatis Architectis, totidemque Geometris, in quorum dissensu standum esset « *inappellabilmente, e rimossa qualunque eccezione* » judicio peritiorum; selectusque fuit in peritiorem, quoad rustica prædia decempedator Angelus Qualeatti. At quum bic commissum sibi munus implere haud posset utriusque partis consensu suffectus eidem fuit *Aloysius Mazzarinius*, primæ notæ Agronomus, a quo, primis Peritis inter se discrepantibus, damna, in rusticis fundis reperta, adscendere constitutum fuit ad scuta 985, et obul. 11. Horum solutionem, dum apud A.C. urgebat Bolognettus, oppugnavit Coccanarius Mazzarinii, in locum Qualcatti subrogationem; hinc Tribunal testium a comite Bolognetto inductorum examen decernendum censuit, ut ex eo innotesceret, an in subsequutam Mazzarini electionem reapse Coccanarius consensisset.

Re dein ad S. Nostrum Ordinem delata sub dubii formula « *An, et pro qua summa sit relaxandum mandatum in casu etc.* » dilationem, nec non dubii hujus reformationem postulavit Coccanarius, autumans præsens judicium

haud esse, ut ajunt *exequutivum*, sed *ordinarii* naturam præseferre; sive quia agere nequiret comes Bolognettus, in vim conscriptæ obligationis, quam ab isto in reliquis conditionibus violatam illo contendebat, sive quia A. C. Tribunal testium inductorum examen demandasset; unde inferebat, antequam de mandato relaxando disputaretur, renovandam esse disceptationem super existentia, et quantitate damnorum. Quæ attamen omnia merito despicienda patribus visa sunt, utpote quibus perspectum erat jamdiu absumptam de damnis in genere quæstionem fuisse; dum nempe postquam Coccanarius, effrenatissimis sane clausulis, peritioris judicium sese illico exequuturum promiserat, atque Mazzarinium suffectum Qualeattio opus explere consenserat, damna eadem rite cognita atque æstimata a peritiore fuerunt; Hinc eliminata rescripto *nihil* postulatione Coccanarii quoad reformationem dubii, atque ejus posthabita comperendinatus petitione incunctanter proposito dubio hoc mane responderunt « *Affirmative in scutis* 984 *et ob.* 11. »

1 Posito enim, quod de Mazzarinii in locum Qualeatti subragione, utriusque partis consensu accedente, constet; jam veluti sponte sua consequitur ejus, qui iisdem conditionibus, et legibus, quibus ab initio Qualeattus fuerat deputatus, ad peritioris munus explendum accitus fuit, observandum atque illico exequendum judicium esse ex ea, quæ Coccanarium inter et Bolognettum intercessat, numeris sane omnibus absoluta, conventione: At vero Coccanarium subsequutam Mazzarinii deputationem omnino ratam, acceptamque habuisse palam fit ex depositionibus, tum ipsius Mazzarinii, tum equitis Josephi Celani, ad rem conciliandam mediatoris adhibiti, qui testes respondendo articulis a Bolognetto oblatis ea omnia, quæ de facto proprio asseruerant, juramenti etiam religione interposita obfirmarunt. Narrat enim Celanius « *che si ricorda benissimo, che per rendere le consegne dell'affitto in questione, non potendo recarsi in Vicovaro il Signor Qualeatti fù ad esso surrogato il Signor Mazzarini d'accordo col Signor Coccanari, il quale interpellò il deponente per tale surrogazione, che fù dalle parti approvata, e gradita* » Si igitur Coccanarius ipse Celanium adivit, illumque super electione Mazzarinii in locum Qualeatti, oppidum Vici-Varronis adire recusantis, consuluit, eamque probavit, inciviliter hodie contra factum proprium insurgit, ut Mazzarinii facultates in dubium revocet.

Cum vero formiter interrogatus, et Mazzarinius fuit, graphice quidem integram, veramque rei totius tradidit historiam; ait enim « *che nel valutare le mancanze dei beni di Vicovaro dal Signor Conte Bolognetti nell'Affitto del Signor Coccanari in qualità di periziore, vi fu il reciproco consenso delle lodate parti, giacchè nel carattere di periziore accedette ai respettivi luoghi, insieme con li respettivi periti, che erano incaricati di tale commissione, e li quali poi essendo riusciti discordi, tornati in Roma depositarono nelle di lui mani li di loro differenti pareri sulle dette mancanze, perchè decidesse sù tale articolo: che nell'accesso colli detti periti delle parti, intervennero, tanto il Signor Antonio Rondelli per parte del Sig. Conte Bolognetti, quanto il figlio del Sig. Filippo Coccanari qualche volta, e sempre il di lui ministro* = quibus addidit etiam = *che andando a Tivoli fu ricevuto dal Sig. Filippo Coccanari, che lo trattò ad un pulito pranzo, che nel giorno tutti e tre i periti furono portati a Vicovaro alloggiati in palazzo del Signor Conte, e trattati in casa del ministro Sig. Coccanari con la sua presenza* « tandem declaravit » *che dal Signor Coccanari gli fu pagata la mercede della sua operazione* = Porro fides deneganda non est hisce duobus testibus, quorum uterque spectatissimus, qui de facto proprio deponunt, et quibus in anteactis causæ propositionibus nullam quoad personam, et honestatem exceptionem opponere valuit Coccanarius. 2

Quin Mazzarinio debita fides minui, 3 vel tantisper, possit ex eo, quod de sua qualitate quodammodo in proprium commodum ipse deponat; præterquamquod

etenim hoc suspicandum ne quidem de probatissimo viro esset in casu, quo ipse laboris suæ mercedem nondum obtinuisset, atque eo magis hæc exulat suspicio in themate, quo ipse pro honestate sua testatur mercedem vel ab ipso Coccanario recepisse, juris est etiam notissimi credendum esse cuilibet perito de sui electione, et munere ab aliqua ex partibus sibi commisso testanti, donec contrarium manifeste evincatur per *Rot. in recen. part.* 2 *dec.* 219 *numer.* 3. Si igitur vi sua stare debet Mazzarinii in locum Qualeatti sic subrogatio, Mazzarinii relationi conveniunt omnia, quæ fuerunt constituta in apocha qua in peritiore Qualeattius selectus fuit, præsertim de illius judicio omnino rato firmoque habendo, eoque immediate, ac « *rimossa qualunque eccezione* » exequutioni demandando. Quare nullum Coccanario superest diffugium ad præfatæ pecuniæ summæ, quanti scilicet rite recteque subrogatus peritior damna rusticis prædiis illata exstimavit, solutionem declinandam, pro qua exequutivum mandatum impertiendum esse Bolognetto merito Patres responderunt.

Atque ita etc. Unica etc.

VERULANA SUCCESSIONIS

Lunae 3 Julii 1820.

ARGUMENTUM

Donatio reciproca, ac correspectiva non indiget solemniis ac insinuatione, nec potest haec exceptio opponi ab haeredibus auctoris. Pactum successorium abest, cum ultimus superstes potest libere disponere de bonis, nec facultas testandi adempta est. Testamentum confectum ad formam Capitis *cum esses*, debetur a Paroche ad Notarium deferre.

SUMMARIUM

1. *Quamdiu dispositio inter vivos, vel causa mortis suis stat viribus, successio ab intestato locum habere nequit.*
2. *Solemniis donatio non indiget, quae fuit reciproca, ac correspectiva.*

   Ubi in donatione alter ab altero laedi non potest, nec insinuatione nec aliis solemniis est opus - ibidem. -
3. *Solemnium defectus est exceptio mere personalis, quae ab ipsis tantum mulieribus proponi potest.*

   Haeredes nequeunt amplius impugnare donationem, ob solemnium defectum, quando ipsorum auctores eam ratam habuerunt, ac exequutioni mandarunt - ibidem -
4. *Exulat pactum successorium, cum ultimus superstes disponere possit de bonis comprachensis in donotione.*

   Pactum successorium tunc proprie adesse dicitur, quum facultas testandi adempta sit; quia alias donotia reciproca reducitur ad substitutionem fideicommissariam - ibidem. -
5. *Idem est obire absque testomento, ac testamento confecto, quod nullum sit.*
6. *Testamentum, ad formam notissimi capitis cum esses, confici debet coram duobus testibus, et Paroch.*

   Parochus, qui accepit testamentum ad formam capitis cum esses, debet illud deferre ad acta Notarii - ibidem. -
7. *Serotinum dicitur testium examen, ubi perficitur post plurium annorum lapsum.*

   Aliud est immutare testatoris voluntatem, aliud eam, ob rectum sensum supplere - ibid. -
8. *Ubi agitur de successione intestata, non potest praesumptionibus, ac indirecte everti testamentum.*

DECISIO XXXI.

Mutuo amore, et benevolentia, æque, ac sanguinis communione sese inter devinctæ Sorores Angela Antonia, Isabella, ac Maria Scurpa ex Oppido Popharum, quarum prima, ac secunda viro nunquam jugatæ, altera, nempe Maria Josepho Zampolinio nupta, omnia, quæ promiscue possidebant, bona invicem sibi donarunt *irrevocabiliter inter vivos* per solemne instrumentum diei 24 Maii 1802, quo conventum fuit, ut singulis reservatus esset donatorum bonorum ususfructus quousque viverent, quoad Mariæ portionem si ea viro præobiret, ad hunc ampliandus, dummodo ipse secunda haud contraheret vota, et reservata etiam esset vigesima ad effectum testandi, quavis earum ab intestato decedente, donatis accessura bonis una cum usufructu « *a favore di chi delle suddette resterà*

in ultimo =; cautum fuit etiam, ut in donatione compræhensa haud esset quædam Vinaria Cella, quam Maria possidebat, sed hæc post hujus obitum spectare deberet ad prædictum hujus virum: constitutum denique = *che chi di esse resterà in ultimo possa liberamente disporre de'suddetti beni, come sopra reciprocamente donati a favore di chi le parerà, e piacerà, e nel caso, che morisse senza poter fare tale disposizione, debbano succedere a detti beni per egual porzione il sudetto Mastro Giuseppe* = Mariæ Vir = *e la Ragazza Maria Agnese Terribilini* =, quæ famulatui dictarum Sororum erat addicta, cujusve Maria commater erat.

Omnimoda huic donationi exequutio fuit data: Etenim, decedentibus Angela Antonia, ac Isabella, harum bona in superstitem Mariam transierunt, quin super iis ullum sibi assereret jus earum Frater Sacerdos Antonius Scarpa, qui seorsim ab ipsis degebat. Tum Maria, omnium prædictorum bonorum domina effecta, die 14 Februarii anni 1816 coram proprio Parocho, ac duobus testibus testamentum exaravit, ad formam notissimi *Cap. cum esses de testamentis*, quo Agneti Terribiliniæ, et Josepho Zampolinio viro quædam bona prælogati nomine reliquit, quæ alia vero remanebant inter eos æqualiter partienda esse voluit, ac demum jussit = *che, dopo la morte di esso Giuseppe ritorni detta roba, Stabili, azzioni, e ragioni alla sopradetta Signora* = Agneti nempe Terribiliniæ = *la quale ha istituito, e di propria bocca ha nominata Erede universale, alla quale nel caso morisse senza figli legittimi, e naturali sostituisce la Famiglia Scarpa, eccetto il legato ecc.* = quod Testamentum Parochus die 28 ejusdem mensis Februarii Notario tradidit, binis adstantibus Testibus. Vixit hinc Maria ad diem usque 5 Augusti illius anni 1815, eaque defuncta, secundum ejus ultimam voluntatem, bonorum possessionem Terribilinia, ac Zampolinius nacti fuerunt.

Verum post triennii lapsum, mense nempe Septembris anni 1818 prodiit superius memoratus Sacerdos Antonius Scarpa, qui causans donationem Sororum Scarpa, et Testamentum Mariæ nullitatis labe infici, successionem ab intestato ad omnia earum bona sibi deberi contendit, atque ideo immissionem ad hæc postulavit apud Phrosinas Primæ Instantiæ Tribunal a quo votis consonam die 30 Septembris prædicti Sententiam obtinuit. Interim obiit Terribilinia, relicta filia, et hærede Lucia, e matrimonio cum Francisco Medici suscepta. Dein, cum, ob interpositam a Zampolinio, et Medicio appellationem a Sententia Tribunalis Phrusinatis, actum de Causa fuisset coram Juridico A. C. Conventu, illam hic Sententiam revocavit die 17 Decembris anni superioris 1819. Binis hisce Sententiis inter se pugnantibus, res definienda conscendit ad Sacr. Nostrum Tribunal, a quo proposito per me in hodiernis Comitiis Dubio = *An sit locus Successioni ab intestato, ita ut sit danda immissio, et sint restituendi fructus in casu ecc.* Responsum fuit datum = *Negative in omnibus* =.

Quippe successio ab intestato locum 1 habere nequit, dum is, de cujus hæreditate quæritur, de suis bonis per actum inter vivos, vel causa mortis disposuit, et hæc dispositio suis stat viribus; *quandiu namque, possit valere testamentum, tandiu legitimus hæres non admittitur*, ait *Paulus in leg.* 89 *ff de regulis juris*. Cum itaque Sacerdos Antonius Scarpa successionem legitimam sibi asserere conetur in bona trium Sororum, quæ ipsæ per mutuam donationem irrevocabilem inter vivos una alteri, anno 1802 addixerant, et quæ post mortem Antoniæ Angelæ, et Isabellæ in Maria postrema earum superstite, coaluerunt, eodem Antonio, ne vel minimum expostulante, ac demum quæ Maria, tam ex jure, quo pollebat, quam secundum facultatem ei in donatione prædicta tributam, et donantium voluntatem, reliquit, testamento confecto anno 1815 Josepho Zampolinio Viro, et Agneti Terribiliniæ, ut voti compos fieret, everteret opus esset utrumque prædictum actum. Pertentat id quidem, sed infelici prorsus nisu.

2 Quoad enim donationem, frustra eam vel *extrinsecæ*, vel *intrinsecæ* nullitatis vitio infectam dicit. Siquidem defectus in ea donatione solemnium, et insinuationis, ex quo desumi vellet *extrinseca* ejus nullitas, ullo quamvis de mulierum donatione agatur, quamvis admittatur in Oppidis Popharum, vel Arnaræ, mulierum donationes generalim absque solemniis perfici haud legitime posse, tamen in pretio haberi nequit, quia donatio Sororum Scurpa fuit reciproca, ac correspectiva; cum ex ea utilitas alteri ab altera obveniret, quin altera ab altera lædi posset, quo in themate, nec solemnia, nec insinuatio ad donationis, licet a mulieribus emissæ validitatem requirebantur, uti docet *Voet in Pandect. lib.* 39 *tit.* 5 *num.* 17 *Gabriel. Consil.* 77 *num.* 172 et firmat *Rot. dec.* 168 *num.* 6 *par.* 7 *dec.* 334 *num.* 32 *par.* 9 *Tom.* 2, *et dec.* 106 *num.* 3 4 *par. par.* 13, *et in Septempedana Exequutionis donationis* 28 *Martii* 1803 § 5, *et* 6 *coram de Alteriis.*

3 Præterea incassum a R. Antonio ille proponitur solemnium defectus: nam hæc exceptio, quæ *personalis* est, ab ipsis tantum mulieribus donantibus proponi potuisset per *Constant. ad Stat. Urb. annot.* 44 *Art.* 7 *numer.* 714, *et vot.* 370 *num.* 5, *e sequ. tom.* 3, *et Rot. dec.* 334, *nnm.* 15 *par.* 6 *in nuperr. dec.* 31 *num.* 4, *et sequ. coram Crescent., et decis.* 791 *num.* 4 *tom.* 7 *coram Riminald.* Nec recte obiicit idem R. Antonius, hanc sibi exceptionem, uti legitimo donantium hæredi, competere. Seposita etenim etiam quæstione, de hac asserta in Antonio qualitate, qua ipso cæteroquin destituitur, obiectum eliminator ex eo, quod res amplius integra haud est, quia donantes, ac insimul donatariæ, nedum nunquam de donationis nullitate quærelas moverunt, sed etiam eam exequutioni mandarunt, suove ratam habuerunt facto; atque ideo earum hæres improbare nequiret, quod ipsæ probarunt, ut tradit *Constant. Adnot.* 43 *art.* 7 *n.* 720, *et sequ.* Eoque magis incivilis est proposita a Sacerdote Antonio de donationis nullitate actio, dum et ipse eam probavit, sinens tacitus sororum, quæ intestatæ ante Mariam decesserunt, bona, ad quæ jus ipse habuisset, donatione remota, de una in aliam transire, et omnia demum in Maria coalescere.

Inutiliter itaque prædicta donatio nullitatis *extrinsecæ* arguitur. Nec melius profecto est, quod ei *intrinsecus* opponitur nullam scilicet eam esse, quia contineat pactum successorium, exinde desumptum, quod in ea constitutum fuit bona donata, post omnium donatariarum mortem, devolvi debuisse ad Terribiliniam, et Zampolinium. Non enim id simpliciter fuit conventum, ac pure, verum sub conditione, et modo; nempe = *chi di esse resterà in ultimo possa liberamente disporre dei sudetti beni, come sopra reciprocamente donati a favore di chi le piacerà, e parerà, e nel caso, che morisse senza poter fare tale disposizione debbano succedere a detti beni per ugual porzione il sudetto Mastro Giuseppe, e la Ragazza Maria Agnese* = Cum itaque non absolute relicta fuerint bona Terribiliniæ, et Zampolinio, sed tantum eis data fuerit spes illa assequendi, si ultima e donatariis superstes haud disponeret de iis bonis *liberamente a favore di chi le parerà, e piacerà* = exulat pactum successorium, quod tum tantum adesse dicitur, cum testandi facultas adempta sit, uti optime statuit *Rota in Tudertina Nullitatis Instrumenti* 26 *Aprilis* 1805 § 6, *et sequ. coram Emo Cesarei Archiepiscopo Æsino*, exulat captandæ mortis votum, et prædicta dispositio, atque Terribiliniæ, et Zampolinii vocatio, reducitur ad substitutionem fideicommissariam in casu deficientiæ ultimi possessoris absque testamento, quæ valida omnino est: *Vicat. Vocab. jur. verb. Captator., et Rota in Inter. omnen. divisionis* 23 *Junii* 1806 § 7, *et sequ. coram Eminentissimo Archiepiscopo Æsino Cesarei de Leonibus.* 4

Firma itaque cum renuncianda sit donatio Sororum Scurpa, atque ex ea Terribilinia, et Zampolinius ad assequenda illarum bona ineluctabile jus 5

habeant, inanis prorsus est Academia de validitate, vel nullitate Testamenti Mariæ Scurpa, quo ipsa, post quædam legata relicta, hæredes æquis partibus in usufructu fecit eamdem Terribiliniam, et Zampolinium, in proprietate vero universalem hæredem instituit Terribiliniam tantum. Omnis enim quæstio dilemmate removetur. *Aut*, scilicet Mariæ Testamentum validum est, et tum Sacerdos Antonius ex eo a Successione excluditur,. atque hæc Terribiliniæ, et Zampolinio, quos inter nulla est controversia, debetur. *Aut* nullum est renunciandum: et tum evenisse dicendum est conditionem Terribiliniæ, et Zampolinii successioni in tabulis donationis appositam, nempe illam e donantibus, ac donatariis sororibus *che resterà in ultimo* =, quæ poterat = *disporre liberamente dei beni reciprocamente donati a favore di chi le parerà, e piacerà* = decessisse=*senza poter fare tale disposizione* = idem namque est obire absque testamento, ac testamento confecto, quod nullum sit; et ideo hac etiam in hypothesi R. Antonius ex donatione a successione repelleretur, quæ juxta hujusce donationis leges Terribiliniæ, et Zampolinio esset tribuenda.

6 Verum testamentum Mariæ Scurpa validum omnino est, et Terribiliniæ, ac Zampolinii jura ad successionem confirmat, atque R. Antonii postulationem prorsus eliminat. Confectum hoc testamentum fuit coram proprio Mariæ Parocho, ac duobus Testibus, ipsa dictante, et Parocho scribente, ad formam notissimi *Capitis cum esses de testamentis* die 14 Februarii anni 1815. Ideo valide, et legitime fuit exaratum in Oppido Popharum quia, ante novas leges invectas notissimo Motu-proprio diei 6 Julii 1816, ubique locorum in Ecclesiastica Ditione, testamenta condita, secundum jus Canonicum, firmissima erant, uti nemini est ignotum, et statuit semper S. Noster Ordo præsertim in *Hortana seu Montis Falisci Immissionis 4 Februarii* 1805 § 3 *coram Strasoldo*. Notario vero coram duobus Testibus illud Testamentum traditum a Parocho fuit, qui sese illud scripsisse, Maria dictante declaravit, intra præfinitum tempus *quindecim* dierum, juxta consuetudinem vigentem in Oppido Popharum, et finitimis locis, videlicet die 28 prædicti Mensis Februarii, atque ideo non defuit delationis ad acta solemnitas. Præterea Maria, quæ per quinque *menses* ab eo condito testamento, et Notario exhibito, vixit, obiit namque die 5 Augusti ejusdem Anni 1815, nil unquam adversus illud objecit, et ita illud suo confirmavit silentio. Quæ omnia illius validitatem ineluctabiliter demonstraat.

Nec probari potest objectum privati 7 examinis testium delati ad diem 27 Aprilis 1817, etenim in prædictis circumstantiis nulla opus esse *solemni* Testamenti relevatione, et *semisolemnem* sufficere Domini censuerunt. Præterea serotinum dici nequit testium examen post lapsum tantum *viginti* mensium ab obitu Mariæ, tum quia ipsemet Rev. Antonius id perfici curavit, tum etiam quia serotinum dicitur examen hujusmodi, eo tantum in casu, quo post plurium annorum lapsum perficitur ad *Rotam in Civitatis Castelli nullitatis testamenti* 25 *Junii* 1802 *coram R. P. D. meo Bussio*. Futile vero est, quod proponit R. Antonius, testium depositiones in eorum examine pugnare cum dicto Parochi, et tenore testamenti, quia ipsi dixerunt Mariam haud declarasse = *colla sua bocca l'Erede universale, ma solamente, che se moriva Agnese Terribilini senza legittimi Eredi ritornassero li beni alli Scurpa* = et in testamento legitur, ac Parochi dicto confirmatur prædicta Terribiliniæ institutio. Siquidem dum testes affirmarunt, sese audivisse Mariam dictantem = *che se moriva Agnese Terribilini senza legittimi Eredi tornassero li beni alli Scurpa* = *implicite*, ac virtualiter affirmarunt Terribiliniam hæredem universalem a Maria fuisse institutam; secus enim fieri haud poterat, ut ab ea si sine filiis decederet, bona omnia in Familiam Scurpa venirent. Quod si institutionem Terribiliniæ in sui hæredem universalem a Maria expressam haud audivisse dixerunt, id vel tribuen-

dum est ipsorum memoriæ defectui, vel inconcinno Mariæ loquendi modo, quem rite Parochus scribens supplere potuit.

8 Stat itaquo Sororum Scurpa donatio: stat Mariæ testamentum, quibus ab intestata Successione, quam postulat, R. Antonius Scurpa arcetur. Insuper vero animadvertunt Domini, in præsenti judicio, in quo agitur de successione intostata, non autem de illius donationis, et Testamenti nullitate hosce actus qualibet in hypothesi uti firmos esso habendos; quia pro horum validitate stat præsumptio, nec possunt bi indirecto everti ad tradita per *Rot. Florentin. apud Ombrosium Dec.* 719 *num.* 14, *et sequ. et Nost. S. Tribunal in Lauretana Immissionis* 7 *Junii* 1805 § *fin. coram Tassoni, et in Romana Cambii* 17 *Maii* 1805 § *final. coram R. P. D. meo Isoard.*

Et ita etc. Utraquo etc.

CINGULANA SEU AUXIMANA

REINTEGRATIONIS

Lunae 4 *Junii* 1821.

ARGUMENTUM

In judicio possessorio nihil aliud inquiri debet, nisi de possessionis facto. Si in primogenitura vocati foerunt filii ex certo ac determinato matrimonio nascituri, nequeunt admitti illi qui orti sunt ex altero conjugio. Si filius paternam adiverit haereditatem, cum beneficio legis, ot inventarii, excluditur actionom confusio.

SUMMARIUM

1. *In judicio possessorio, nihil aliud inquirendum est, nisi de antiqua possessione penes Actorem, et de moderna penes reum conventum.*

   Actus possessorii, redditio rationum, ac testes deponentes de facto proprio, plenissime probant possessum - ibidem. -

2. *In judico Manutentionis nefas est, refricare quaestionem de dominio.*

   Ubi in primogenitura vocati fuerunt filii ex certo ac determinato matrimonio, nequeunt admitti illi qui orti sunt ex posteriori conjugio - ibidem. -

3. *Reservatio sententiae adjecta* - pro ut ot quatenus do jure - *nullum jus tribuit, sed quaestio est iterum disceptanda in congruo judicio.*

4. *Excluditur actionum confusio, si filius paternam adiverit haereditatem cum beneficio legis, et inventarii.*

   Dum obest haeres testamentarius, haeres legitimus ab intestato vocatur - ibidem -

5. *Ex compromisso, quod ad exitum non fuit perductum, et super quo pendet lis, nullum jus certum ac liquidum inferri valet.*

DECISIO XXXII.

Primogenituram erga Filios, qui ortum essent habituri ex certo, et determinato conjugio inter Claricem Franciolini, et Comitem Jacobum Martorelli, instituerunt anno 1758 ipsius Jacobi parentes Joseph Martorelli, et Livia Sandreani una cu n ejusdem Patruo Canonico Cajetano Martorellio. Adnatus ex hoc Cunnubio unus Aloysius dein inter Ecclesiasticos Præsules adlectus, Priori hoc Matrimonio Jacobi per Claricis mortem dissoluto, secundum ipse contraxit, ex quo plures, tam masculos, quam foeminas suscepit Filios. Tum eum inter, et Aloysium lis exarsit quoad bona ad eam primogenituram pertinentia, quæ ipse ad filios etiam ex secundo conjugio ortos deferenda esse contendebat, ita ut dotes etiam pro filiabus, ex hoc conjugio natis detrahi ex iis possent. Res vero pro Aloysio absoluta fuit, exclusis Jacobi ex posteriori hoc matrimonio filiis, tam masculis, quam foeminis ope Laudi, ab eximiis Collegis RR. PP. DD. meis Zinanni, et Tiberi, ac nunc defuncto Præsule Tassoni, emissi die 24 Aprilis 1804, quod exequutioni mandatum fuit per Rem judicatam A. C., nunc Emi Cardinalis Pelagallo, die 27 Septembris 1806, solemniter ab Jacobo insequenti mense Novembris acceptam habitam. Primogenialium itaque illorum bonorum, quæ inter recensentur duo Prædia - *Porciano e Circumaglio* - in Territorio Filoctrani, Auximanæ Diæcesis, posita, possessionem Aloysius nactus fuit.

At anno 1809, cum is alieno obrueretur æro creditorum concursum convocavit; hisque sua cessit bona. Creditores

vero, ut administrationi horum bonorum, primogenialium præsertim, consulerent, hoc munus Jacobi, Aloysii parentis, fidei sese tuto committere posse putarunt. Eorum fiduciæ is primum respondit, et de reditibus administratorum bonorum, quæ inter duo illa prædia = *Porciano e Circumaglio* = a die 14 Junii illius anni 1809 ad diem 24 Aprilis insequentis anni 1810, ratione exposuit. At destitit deinceps, et in administratione permanens, nullas ulterius rationes, judicialiter quamvis adactus, de ea reddere voluit. Quin imo anno 1813 prædicta duo illa primogenialia prædia = *Porciano*, *e Circumaglio* = Mariannæ filiae ex secundo conjugio susceptæ in dotem tradidit, dum ea nuptu dedit Francisco Alliata. Dein, rebus publicis in universa Pontificia Ditione pacatis, obtinuerunt creditores a R. P. D. Celestini Judice a Sanctissimo deputato, ut alius in locum Jacobi administrator bonorum sufficeretur die 10 Junii 1816, nempe Josephus Filippucci. Bonorum hic possessionem cæpit, binis illis prædiis, a Conjugibus Alliata detentis, haud exceptis. Hæc tamen possessio circumscripta fuit ob citationis defectum. Expeditum hinc fuit per creditores adversus prædictos Conjuges Monitorium ad redintegrationem ad possessionem illorum prædiorum, et fructuum restitutionem obtinendam, quod probatum fuit Decreto Tribunalis A. C. diei 14 Decembris 1819, congruo etiam relaxato mandato. Conjugibus Alliata dein provocantibus, causa primum per me Sac. nostri Ordinis judicio fuit subjecta die 26 Junii superioris anni sub Dubii formula = *An sit danda Manutentio, seu Reintegratio, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* = et, prædictis Conjugibus dilationem petentibus, hæc ipsis fuit indulta; iterum proposita fuit in Comitiis diei 11 Decembris ejusdem anni, sed scissis Patrum suffragiis nulla prodiit resolutio, hodie vero superius relatum Dubium diremptum fuit Responso = *Affirmative in omnibus* =.

1 Et optimo quidem jure. In hoc namque possessorio judicio ut R. P. D. Aloysio Martorelli, sive ejus creditoribus petita tribuatur manutentio, seu redintegratio ad possessionem prædiorum = *Porciano* =, et *Circumaglio* =, nil aliud inquirendum est, nisi an constet de antiqua illorum prædiorum possessione penes *Actores*, et moderna penes *Reos conventos*: hæc vero bina *extrema*, cum *in facto* concurrere perspicuum sit, ambigi nequit de jure Actorum ad prædictam manutentionem, seu redintegrationem *ad Text. in Cap. Reintegrandæ de restit. spoliator.*, *et* § *Recuperandæ Instit. de Interdict. Leg.* 1 *ff. de vi armata*, *et Rot. decis.* 270 *n.* 11 *part.* 19 *in Recen. decis.* 871 *num.* 2 § 3 *cor. Monzaned. decis.* 319 *num.* 1 *coram Caprar.*, *et decis.* 6 *num.* 1 *coram Olivat.* Et sane, quoad prædiorum possessionem penes Præsulem Martorellium, eam *primum* evincit Resjudicata A. C., nunc Eminentissimi Pelagallo diei 3 Novembris anni 1816, quæ exequutioni mandavit Laudum RR. PP. DD. Zinanni, Tiberi, et Tassoni, illique immissionem ad bona primogenialia, quæ inter bina illa prædia, tribuit: probant *dein* possessorii actus ab Aloysio expleti, demonstrat *præterea* instantia Aloysii ejusque Creditorum pro deputatione Administratoris super dictis prædiis; ac *demum* rem conficit omnem Jacobi, Aloysii parentis, administratoris primum deputati, rationum expositio de illorum prædiorum reditibus. Quo vero ad modernam possessionem illorum prædiorum penes conjuges Alliata, hanc ipsi met probarunt per colonos testes ab ipsis inductos, referentes = *Che nel Terreno Circumaglio, ed in altro Porciano dall'epoca* 16 *Novembre* 1813 *in poi hanno sempre riconosciuti per loro legittimi Padroni li Signori Conjugi Alliata, avendo annualmente corrisposto ai medesimi tutti i prodotti di d. Terreni* =, et judicialiter etiam eam fassi fuerunt, dum obtinuerunt circumscriptionem possessionis eorum prædiorum, captæ a Philippuccio, administratore in locum Jacobi suffecto, causantes citationis defectum.

Sufficiunt hæc profecto ad Actoribus 2
manutentionem, seu reintegrationem tribuendam, nec in hujusmodi judicio lo-

eus esse potest quæstionibus, a conjugibus Alliata super dominio, ac proprietato bonorum excitatis, quæ ex solo possessionis facto extraneæ fiunt, et ad congruum judicium sunt amandandæ per *Text. in cap. conquerens., et cap. Cum ad sedem de restitutione Spoliatorum, et Rota in Ferrarien., seu Ravennaten. Manutentionis* 20 *Junii* 1749 § 28 *coram Caprara; in Ferrarien.*, *seu Comaclen. Manutentionis* 21 *Martii* 1751 § 3 *coram Bussio*, *et in Decis.* 329 *n.* 7, *et decis.* 387 *num.* 2 *coram Riminald.* Verum earum quæstionum etiam examine suscepto, apertissime dignoscitur bonorum primogenialium Dominium, et proprietatem ad Aloysium pertinuisse semper, et ideo in ejus Creditores fuisse translatam. Et primum in donatione, seu primogeniture institutione, scripta per Josephum Antonium, et Canonicum Cajetanum Martorellios, atque Liviam Sandreani, comprehensos fuisse Jacobi filios tantum, ortum habituros ex certo, et determinato ipsius matrimonio cum Clarice Franciolini, non vero alios ex quovis posteriore ejus conjugio nascituros, jam per S. Nostrum Ordinem decisum fuit *in Auximana Assignamenti* 15 *Junii* 1801 *coram Gardoqui.* Et idipsum constitutum fuit in Sententia arbitramentali superius recensita RR. PP. DD. Zinanni, et Tiberi, atque Tassoni, hisce verbis = *la primogenitura controversa vada a purificarsi nel solo Monsignor Luigi, che potrà liberamente disporre di tutti i beni appartenenti alla medesima* = ideo = *accordiamo l'immissione per ora al lodato Monsignore al Predio la Castelletta etc. Circumaglio, e Porciano* =. Atque quidquid arbitri definierunt exequi mandavit Res Judicata A. C. Pelagallo = *mandavit exequi Laudum emanatum die* 25 *Aprilis* 1804 *per RR. PP. DD. Tassoni, Zinanni*, *et Tiberj Judices Compromissarios* =. Quibus accessit observantia, possessio nempe bonorum per Aloysium naeta, et Jacobi agnitiones, cum ipso solemniter valedixerit cuicumque exceptioni adversus hanc possessionem propositæ.

3 Nec minus perspicuum est Mariannam Alliata, Jacobi ex secundo Conjugio filiam, nullum ad dotem ex prædictis bonis primogenialibus assequendam jus habuisse. Id enim etiam expressim arbitramentalis Sententia, prædicta rejudicata confirmata, statuit. In ea siquidem legitur = *Dichiariamo*, *che i Beni primogeniali non restino in conto alcuno obligati*, *nè a favore della seconda Moglie di Giacomo, nè dei figli del secondo letto*; *Se la Primogenitura non comprende che i figli del primo matrimonio, ed in conseguenza il solo Monsignor Luigi, che fu l'unico frutto*, *e che fu tassativamente contemplato, è un assurdo voler ipotecare i beni primogeniali per la restituzione della Dote della seconda Moglie di Giacomo*, *per le doti delle figlie del secondo letto, per gli alimenti di queste*, *e dei Fratelli delle medesime.* = Quin obstet in Rejudicata A. C. Pelagallo, dum laudo confirmationis robur fuit adjectum, additum etiam fuisse pro Jacobo = *reservato tamen jure favore dicti citati agendi pro constitutione dotium favore filiarum ejus secundi matrimonii*, *prout tamen de jure*, *et quatenus de jure* =. Ex hac enim reservatione, accedentibus præsertim clausulis = *prout tamen et quatenus de jure* = nulla reservatio Jacobo potestas fieri potuit, proprio marte, et arbitrio, et re prius apud Judicem haud discussa, et pro eo definita, dotem filiæ ex iis primogenialibus bonis constituendi, ac tradendi, sicuti cum abusu fiduciæ in eo, uti Administratore, a creditoribus Aloysii habitæ, facere haud dubitavit, per tradita a *Rot. decis.* 514 *num.* 2 *coram Buratt.*, *Decis.* 341 *numer.* 19 *coram Bichio. decis.* 62 *num.* 6 *coram Cerater. Decis.* 28 *num.* 6 *coram Ansald.*, *Decis.* 43 *num.* 16 *coram Crescentio*, *Decis.* 114 *num.* 16 *coram Olivatio, et in Tyburtina Exequutionis Transactionis* 17 *Februarii* § 12 *coram Cauilliac.*

Cum itaque non bonorum tantum possessio, quæ tamen sola, ut superius demonstratum fuit, sat esset ad Actorum jus constituendum, sed illorum bonorum proprietas etiam, et dominium ad Præsulem Aloysium, sive ejus creditores spectaret, quin ullum Jacobo ejus parenti jus esset ex illis dotem fi- 4

liæ constituere, et tradere, nullum idcirco jus ex irrita ea dotis constitutione, et traditione acquirere potuerunt super binis prædictis prædiis *Porciano*, et *Circumaglio* conjuges Alliata, et quolibet præsidio ad horum possessionem fovendam destituuntur. Spernenda quippe prorsus Patribus visa sunt, quæ ipsi proponunt, de hæreditaria in Aloysio parentis Jacobi qualitate, ex qua ipse vel creditores, qui ipsum repræsentant, illius factum, quoad eam dotis traditionem, servare teneantur; et de quibusdam Jacobi juribus super Aloysii bonis, quibus ille suffultus recte de binis prædictis prædiis disponere potuerit; atque etiam de compromisso anni 1809, in quo comprehensum fuit assertum jus detrahendi dotes ex Aloysii bonis primogenialibus, quod judices Compromissarii in propositionibus præliminaribus quodammodo admiserunt. Quoad enim primum, hæreditariam nempe assertam qualitatem, hoc, et *jure*, et facto refellitur. Refellitur *ex jure* quia, cum Aloysius paternam adiverit hæreditatem cum beneficio legis, et inventarii, nec ulla inventarii defectus afferatur probatio, exclusa hinc fuit actionum confusio, et quilibet obex, quominus Aloysius propria jura proponere, et vindicare posset adversus paternum factum super iis prædiis, ad ipsum particulariter spectantibus. Refellitur *facto*, quia Jacobi hæreditas, juxta illius testamentum, delata fuit ad Aloysii consanguineos fratres, e secundo Jacobi conjugio ortos, legitima tantum Aloysio servata, et quamvis ipsi eam prius hæreditatem repudiassent, tamen hanc repudiationem nullam declarari a Primæ Instantiæ A C. Tribunali obtinuerunt, et Congregatio a SSmo deputata novissime decrevit = *i Cadetti abbiano tuttora la qualità ereditaria verso il di loro Padre non ostante la repudia* = Tum adsunt itaque testamentarii hæredes, legitimus hæres ab intestato adesse nequit.

5 Quo vero ad asserta Jacobi jura adversus Aloysium, illiquida adhuc sunt, hisque Aloysii jura adversus paternam hæreditatem opponuntur. Demum, quod compromissum, ex hoc constitui nequit prætensum jus detrahendi a bonis Aloysii primogenialibus dotes filiarum Jacobi ex secundo conjugio, *quia* hoc compromissum ad exitum non fuit perductum, et super eo lis coram S. Nostro Ordine pendet indefinita, scissis in Comitiis diei 19 Januarii hujusce anni Patrum suffragiis; *quia* Compromissari Judices non absolute in præliminaribus propositionibus illud jus admiserunt, sed tantum conditionaliter, et in casu deficientiæ bonorum liberorum in hæreditate Jacobi: *quia*, tandem, hæc præliminaris propositio adversa fronte pugnat cum Laudo RR. PP. DD. Zinanni, Tiberi, et Tassoni per rem judicatam confirmato, et sæpius superius recensito. Cæterum hæc assertorum jurium objecta ab hoc possessorio judicio extranea sunt, nec impedimento esse possunt, quominus Actores, *duplici*, antiquæ penes ipsos, modernæ penes reos conventos possessionis *extremo* probato, ad prædia *Porciano, et Circumaglio* reintegrationem assequantur, ut jam superius fuit demonstratum, ad rem statuit etiam novissime *Rota in Firmana Spolii* 17 *Martii* 1817 § 1 *coram Piccolomini*.

Et ita sex suffragantibus P.P. resolutum fuit.

CIVITATIS CASTELLANAE

PECUNIARIA

Veneris 8 *Junii* 1821.

ARGUMENTUM

Creditor censuarius pro fructibus insolutis, recte impetit associationem ad fundum censitum penes tertium existentem. Neque Mulier pro dote praelationem potest opponere, nisi dos fuerit legitime inscripta in publicis hypothecariis tabulis.

SUMMARIUM

1. *Pro fructibus census haud solutis, associatio ad fundum censitum conceditur.*

Creditum dotale nequit praepedire creditori censuario immissionem ad fundum censitum, nisi sit anteriori hypotheca fulcitum - *ibid.* -

2. *Aliud est promittere, aliud reapse numerare pecuniam.*

Acceptilationes non autographae, praesertim ad effectum arcendi creditores sertos et liquidos, nihil probant - ibidem. -

3. *Leges Codicis gallici, eximebant mulieres ab creditum dotis ab onere inscriptionis, durante matrimonio, minime vero eo dissoluto.*

4. *Filia si vult servare privilegium quod matri competebat ob suam dotem, debet esse sollicita illud referre in publicis hypothecariis tabulis,*

Per novas leges de regundis hypothecis editas, sublatae sunt hypothecae omnes legales, nisi sint in hypothecario Codice relatae - ibidem. -

5. *Bona transeunt in haeredem cum oneribus, nominibus, ac hypothecis, quibus erat obnoxium.*

Tertius, qui titulum non transcripsit, neque fundum ab hypothecis purgavit, tenetur erga creditores - ibidem. -

6. *Nullius momenti est Sententia, inscia, atque non vadata parte, prolata.*

7. *Catastrum neque dominium, neque possessionem rite probat.*

8. *Quum renunciatio respexerit tantummodo ad agendi modum, non est impedimento quominus actio iterum recte proponatur.*

Cujuslibet renunciationis odiosa est natura, propterea nunquam debet ultra literam protendi - ibidem. -

DECISIO XXXIII.

Super prædio quod in Territorio Fabricæ nuncupant = *il Barco* = Fratres Josephus et Petrus Antonius Grani de Anno 1794 annum in *solidum* imposuerunt Censum scutorum *Viginti* illumque vendiderunt Dominico, aliisque Fratribus De Astiis Civibus Cornetanis accepto pretio Scutorum *quadragintum*, atque emissa in publicis tabulis, quæ conscriptæ fuere expressa obligatione = *mancandosi al puntuale pagamento del detto annuo Censo nelle debite scadenze sia lecito alli detti Signori Fratelli Dasti, ed i loro ec. prendere il vero, reale, civile e corporale possesso del sudetto fondo censito di propria autorità ec.* Uxor erat Josepho Grani nomine Clara Paradisi, cui Pater, et Petruus Andreas, scilicet et Carolus Paradisii, jam usque ab Anno 1781: dotem constituerant in scutis *quingentum*, quæ idcirco si reapse tradita fuisset, privilegium legalis hypothecæ super universis Josephi bonis acquisivisset.

Labente Anno 1803 diem vidit extremam Josephus, ejusque bona, inter quæ supra dictum censitum fundum, occupavit illius filius, et hæres Cosma a quo de Anno 1805 vita functo migrarunt in Claram Paradisiam illius Matrem, et Josephi Viduam: Interea tamen temporis Fratres Dastii impositi Census fructus assequi haud potuerant, ideoque debitores Granios judicio urserunt, nec non sui crediti jura, juxta leges tunc dominantium Gallorum in Codices hypothecarios Viterbii die 30 Aprilis 1810 referri curarunt. Sed diu multumque distenti fuere, haud quidem a Petro Antonio qui erat cum defuncto Josepho correus debendi, sed a Benedicta Filia Josephi, interim defunctæ matris hærede ejusque Viro Hyacintho Bistollio, qui conjunctis viribus Benedictæ jura ex materna dote nondum fortasse a Paradisiis persoluta opponebant, licet nunquam illa in hypothecariis Codicibus inscribi, uti oportebat, curaverint.

Rebus dein publicis pristinæ formæ restitutis, Fratres Dastii judicium ex integro instituerunt Monitorio expedito apud A. C. Mastai, qui edita Sententia constituit, Actores Dastios = *associandos esse ad possessionem Fundi Censiti in Vocabolo = il Barco = ut inde sibi de fructibus Census satisfaciant* = atque eisdem idulsit = *mandatum de associando, seu aliud quodcumque desuper necessarium et opportunum* = Tum Hyacinthus Bistollius, qui Uxoris Benedictæ, interim defunctæ, hæres extiterat, appellatione ab ea Sententia interposita, institit apud Juridicum ejusdem Tribunalis A. C. Collegium, a quo primi Judicis Sententia infirmata fuit. Pro vocantibus vicissim Dastiis sive R. D. Præsule Benvenuti Æconomo ipsorum Patrimonio a Sanctissimo deputato, Causæ definitio S. Nostro Ordini commissa fuit ac proposita sub Dubii formula = *An sit locus Associationi in casu etc.* = rogante R. P. D. meo Tiberi,

et Dastiis tantum sua jura deducentibus, die 4 Junii Anni 1819 responsum prodiit = *Affirmative* = dein iteratum fuit certamen die 17 Aprilis elapsi Anni 1820, et Patres, utraque parte judicio sistente = in *Decisis* = perstiterunt, uti monstrat ejusdem R. P. D. mei Tiberi Decisio sub ea die vulgata, quam Rotalis Sententia subsequuta fuit. De hujus vero Sententiæ viribus Patres consulere commissum hodie mihi fuit, ideoque eos interrogavi = *An sententia Rotalis sit confirmanda vel infirmanda in casu etc.* = lique, vadimonium deserente Bistollio, responderunt = *Sententiam Rotalem esse confirmandam.* =

1 De Do Astiorum eredito, de quo illius hypotheca super prædio = *il Barco* = rite servata; vix, aut ne vix quidem sermo instituendus erat, cum utrumque scateat ex publicis Census tabulis, et ex legitimo expletæ inscriptionis monumento, atque utrumque, vel ipse Bistollius ultro fatetur. Incontroversum pariter erat Census debitores a solutione promissorum fructuum, jamdiu cessavisse. Merito igitur A. C. Mastai, Nostri Ordinis Decisiones, et subsequuta Sententia Rotalis immissionem ad fundum censitum Fratribus Dastiis concesserunt; nihil enim tam familiare in foro est, quam ut pro fructibus census haud solutis associatio ad censitum fundum concedatur *Rot. in Romana Associationis* 5. *Decembris* 1755 §. 6 *coram Paracciano*. Neque Bistollius ad hæc quidquam directo unquam opposuit. verumtamen immissionem controversam ad fundum = IL BARCO = ideo fratribus Dastiis denegandum contendit, quia sese anteriori, ac potiori jure suffultum affirmat, proferens tabulas, quibus Andreas, et Carolus Paradisii anno 1781. Claræ Paradisiæ, cujus mediatus ipso hæres est, dotem promiserunt Scutorum *quingentum*. Sed neque hoc dotale creditum, neque hypothecam, uti jam a Patribus constitutum fuit, ita probatur, ut possit actionem a Dastiis institutam anteire, eorumve jus ad immissionem obtinendam evertere,

2 Haud enim dotale creditum satis evincitur ex eo, quod Dotis promissio fuerit per tabulas demonstrata, oportet insimul afferre demonstrationes solutionis hujusce Dotis a promittentibus expletæ: aliud namque est promittere, aliud reapse numerare pecuniam. At per multos annos a solutione tum dotis tum promissorum fructuum Paradisios cessasse testis est ipsa Clara, dum Anno 1806, jam viro viduata, germanos suos, Antonium, et Franciscum in jus apud Tribunal A. C. vocavit, ab eisque dotem integram, et insuper fructus ab Anno 1781 usque eo non solutos postulavit; testis pariter ejus filia Benedicta, quæ defuncta Matre, judicium illud prosequuta, secundam obtinuit Sententiam. Neque perfectam fuisse promissæ dotis solutionem demonstraro valet Bistollius iis, quas profert acceptilationibus, quæ non sunt *autographæ*, sed *apographæ* tantum, et inaniter proponit eas *autographas* Carolum Paradisium apud acta detulisse, sed ex iis resumpsisse; hæc enim ipse narrat quin ullum, sive de eo facto Caroli, sive de acceptilationum productione afferat monumentum. Cæterum cum res sit do arcendis certis, indubiisque viri creditoribus non meris conjecturis, sed probationibus evidentissimis docere de dotis solutione opus est, uti post *Glos. in* §. *Assiduis verb. Datæ Cod. qui pot. in pig. hab.; tradit Constantin. Vot. decis.* 217 *num.* 5 *Rot. post Merlin. de Pign., et hypoth. decis.* 23 *num.* 2; *et decis.* 294 *num.* 2 §. 19 *recent., et Romana Rescissionis Instrumenti super restitutione in integrum* 25 *Junii* 1754 §. 2 *coram Vice-Comites*

Quamvis autem Dos illa revera numerata fuisset, atque ita, quod Bistollius objcore solet, dotale creditum subsisteret, hujus attamen hypotheca tanti non esset, ut hypothecam, qua Dastiorum creditum pollet, vincere valeret. Certæ jamdiu extant de hypotheeis Leges, ex quarum censura haud sufficit unius temporis prærogativa, nisi concurrat etiam hypothecæ inscriptio, seu recensio in publicis hypothecariis Codicibus, sine qua nemo jus hypothecæ servat, ideoque frustra ex eo quam- 3

libet postulat prælationem qui inscriptionem neglexit. Atqui dotis creditum numquam Bistollius inscripsit; inscripsere tamen Dastii ipsorum creditum vel a die 30 Aprilis 1810. Fieri ergo nunquam poterit, ut huic illud præferatur. Nec recte ille contenderet ex Gallici Codicis sanctione in Articulo 2135 necesse non fuisse hypothecas dotales inscribere, hanc siquidem exemptionem ab inscriptionis necessitate Leges illæ fæminis ad summum indulgebant, durante connubio, minime autem Vidnis, quæ haud aliter dotium hypothecam servabant, quam impletam inscriptionum forma, veluti Articulum illum exponendo, docte distinguit Gallus Jurisconsultus Merlinus *Repert. de Jurisprud. hypothec.* §. 3 *num.* 2, et sæpe ab illius ævi Tribunalibus decisum fuit præsertim vero ab Aula, quæ Colmariæ de Appellationibus cognoscebat in *Decis. diei* 31 *Martii* 1809 quæ legitur in Opere = *Raccolta generale tom.* 10 §. 2 *pag.* 202, et ab alia Aula Appellationum, quæ Nemausi extabat *in decis. diei* 28 *Martii* 1806, ut prostat in Opere inscripto = *La Giurisprudenza Civile* = *Volum.* 13 *num.* 57 *Edit. Mediolanen. pag.* 347 *et seqq.*

4 Prætcrea cum constet Claram ad plures migrasse labente Anno 1810 eique in hæreditate successisse filiam Benedictam, soluto, ex utriusque conjugis funere, matrimonio, jam nulla tunc susupererat dos, ejusve privilegium, ac proinde, si non Clara, saltem Benedicta si hypothecæ jus servare voluisset de ea in publicis hypothecariis tabulis recensenda sollicita esse debuisset. Quin ipsa eam diligentiam impune omittere posset, quia nomen in sua origine ad mulierem pertinebat, et ab illius dote manabat; connubium enim usque a die obitus Josephi solutum fuerat, hinc jam tunc prorsus evanuerat dotis titulus, vix superextante simplici credito pecuniario, cujus hypotheca, nonnisi per inscriptionem poterat servari. Deinde die 6 Julii 1816 novæ de regundis hypothecis in lucem editæ sunt Leges, quibus Supremus Princeps in *Ar.* 26 *del Regolamento sul sistema Ipotecario* = una cum Motuproprio illius diei editi imperavit = *Le Ipoteche tacite, e legali di qualunque specie esse siano, comprese anche quelle delle Donne ec. non sono valutabili, nè produttive di alcun effetto in concorso di creditori Ipotecarj iscritti, e contro i terzi possessori.* = Cum itaque hac Lege, quæ methodum etiam qua hypothecæ dotales inscribi deberent indigitabat in Art. 35 sublatæ fuerint hypothecæ omnes legalos, nisi relatæ fuissent in hypothecarios Codices, etiamsi Bistollius eousque jus suum integrum servasset, quod a veritate alienum esse jam fuit demonstratum, tamen illud amisisset, quia illi SSmi Principis Legi iscriptionem præcipienti minime paruit.

At regerere ille assuevit sese ex persona Claræ Grani, auctricis Benedictæ, 5
cujus ipse hæres est, perpetuo in possessione Fundi = *il Barco* = versatum fuisse; ideoque nulla hypothecaria inscriptione opus habuisse super re, quam ipse actu possidebat, et semper possedit. Verum, *aut* ille dominium Censiti prædii sibi vindicat, Benedictam repræsentando, ex ejus jure ad dotem Claræ ejus Matris. Si *primum*, cum bona Josephi, Patris Benedictæ, in eum certe migraverint, una cum oneribus, nominibus, hypothecis, quibus erant obnoxia, hinc ut Josephi hæres mediatus, tenetur, pro Dastiorum etiam credito. Sin vero *alterum*, cum unquam titulum transcripserit quemadmodum jubebat Lex Gallorum eo de tempore vigens in Art. 2181, et seqq. Gallici Codicis, neque cætera observaverit, quæ erant peragenda secundum Legem ipsam, ut fundum ab hypothecis purgaret plane consequitur mansisse, et adhuc vigere Dastiorum hypothecam, quam illi inscribere solliciti fuerant. Quamobrem nec prodesse Bistollio poterit, quam in anteactis propositionibus allegare consuevit Decisio Aulæ, quæ de Appellationibus Romæ cognoscebat, edita die 10 Junii Anni 1813, qua dotale Creditum Claræ probatum fuit, et Petrus Antonius Granius ad illius solutionem condemnatus. Licet enim ea Decisione sarta, tectaque Bistollio servata fue-

rit possessio bonorum omnium hæreditatis Josephi Granii, ideoque etiam fundi censiti, semper redit illum nunquam titulum suum transcripsisse, et hinc fundum censitum ab hypotheca Dastiorum mininime purgasse. Animadvertendum verum præterea est, quod hæc Decisio, haud multo postea, quoad jura Dastiorum, ab eadem Aula revocata fuit altera prolata Decisione die 23 Aprilis 1814.

6 Confugere etiam assuevit Bistollius ad Sententiam, quam die 6 Octobris 1813 protulerunt Judices Viterbienses, et qua ipsi sequestrationem amoveri jusserunt, sub qua Dasti apud Colonos posuerunt fructus fundi censiti, ut inde inferret judicio reprobatum fuisse illorum creditum. Sed Patres in anteacta Causæ discussione animadverterunt revocatoriam hanc Sententiam; ideo Conjuges Bistollios obtinuisse, quia Judicibus Viterbiensibus imponere potuerunt altera Sententia, qua eisdem bonorum omnium possessio servata fuerat, nomine Dotis Claræ, Dastiis prorsus inauditis, immo nec scientibus, nec vadatis. At possessionem hanc evanuisse indubium est, quia hæc Sententia e medio fuit sublata, atque idcirco in auras etiam abiit Sententiæ Viterbiensis fundamentum, quod possessio illa constituebat. Præterea, cum Sententia Viterbiensis super ea possessione, clam Dastiis, iisque penitus insciis, neque vadatis fuerit prolata, ut superius dictum fuit, plane eis nocere non potuit neipsa, nec quod ipsius consequens fuit; pervulgatum siquidem in jure est, inter alios acta, et judicata nemini præjudicium afferre, *ut post. Text. in l.* 1 *C. de rebus int. al. act. docent. Bartol. in l. Juris* 8 *ff. de excus.*, *Tut.*, *et Rota in Decis.* 203 *num.* 23 §. 16 *Rec. decis.* 124 *num.* 23 *coram Olivatio, et in Urbevet. Pecuniaria super Consignatione* 9 *Februarii* 1818 §. 5 *coram emeritissimo R. P. D. Odescalchi nunc Sanctissimi Auditore.*

7 Nec validioris Bistollio esse poterit præsidii, altera Sententia diei 5 Martii 1813; qua decretum fuit Benedictam Grani ex persona propria ad Dastiorum nomen dimittendum minime teneri. Non enim petunt nunc Dastii, quod tunc fortasse flagitabant, Benedictam nempe, beneficiatam hæredem luere debere æs alienum hæreditarium propriis ex bonis, sed unum persequuntur fundum, quem hypotheca sui favore devinctum habent: unam proponunt in rem sibi obligatam actionem, quod eis ex jure, et ex pacto in ipso Census instrumento expresse apposito permissum esse debet. Quod prohibere nunquam poterit Bistollius, maxime si perpendatur fundum censitum, quem Dastii persequuntur, et ille possidet, haud integre pertinuisse ad Josephum Granium illius auctorem, sed pro medietate spectasse ad Petrum Antonium. Quin rem mutet fundum in publico Censu uni Josepho addictum fuisse. Erat enim Petrus Antonius Sacerdos eique adscripta fuerant tamquam libera, et propria ea tantum bona, quæ titulo Patrimonii Sacri retinebat; cætera bona erant ei cum fratre Josepho communia. Quoniam vero caput, et rector familiæ Josephus erat, et ipse unus Patrimonium universum moderabatur mirum non est ejus nomini inscripta apparere in publico Catastro bona familiæ. Cæterum præ Catastro ex quo nunquam sivo dominium, sive possessio rite probari valuit, in pretio habendæ sunt publicæ tabulæ impositionis census in quibus declaratum fuit prædium illud ad utrumque fratrem pertinere, ideoque saltem pro ea medietate ad Petrum Antonium spectante, cum ipse una cum fratre censum in *solidum* imposuerit immissionem fratribus Dastiis ne disputandum quidem unquam fuisse patet. Id vero ad abundantiam tantum animadversum fuit, quia ex superius deductis perspicuum est Dastiorum jus super integro fundo.

Deterior vero fieri nunquam poterit Dastiorum conditio, ex eo quod ipsi judicio, ex Salviano Interdicto apud Pontificia Tribunalia instituto, Gallorum deinceps superventa invasione, nuncium miserint. Id enim egerunt, quia ex Legibus a Gallicis invectis putarunt sese posse morosos debitores, novo institu- 8

to judicio, ad Census sortem restituendam compellere, qua in re spes eos fefellit. Ea vero renuntiatio non eo produci, extendique potest, ut, hypothecæ quoque dimissionem secumferat, præsertim, cum illius tenor tantummodo ad agendi modum respexit, nunquam vero ad actionem ipsam, et jus hypothecæ. Porro cujuslibet renunciationis odiosa est indoles, et natura, propterea que nunquam debet ultra literam protendi ad *Text. in Leg. cum de indebit.* 25 *ff. de probat.*, *et Rot. in Decis.* 39 *num.* 12 *part.* 5 *tom.* 1, *Decis.* 32 *num.* 4 §. 6, *Rec.*, *Dec.* 511 *num.* 8 *coram Molines, et Decis.* 22 *num.* 15 *coram Herzan.* Manifestum itaque est Dastiorum jus ad petitam immissionem obtinendam, et omnimodam confirmationem meretur Rotalis Sententia, cujus justitiam plenius demonstrant, quæ eam præiverunt binæ S. N. Ordinis Decisiones coram R. P. D. meo Tiberi, posterior præsertim diei 17 Aprilis superioris Anni.

Et ita etc. Unica etc.

FERRARIEN PECUNIARIA

Veneris 6 *Aprilis* 1821.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur « DECISIO IV ».

SUMMARIUM

1. *Bona quae in vim separationis uxori adjudicantur, habentur tamquam si existerent in patrimonio mariti, ubi adjudicatio non fuit peracta ad tramites juris.*
2. *Ex antiqua legis censura, Uxor quae separationem bonorum obtinebat, super iis non dominium, sed jus pignoris tantum acquirebat.*

   Bona quae transibant in Uxorem, ob securitatem suae dotis, divincta manebant vinculo hypothecae, cui antea erant obnoxia - ibidem. -

   Bonorum separatio, facta clanculum atque insciis creditoribus, secumfert actus nullitatem - ibidem. -
3. *Codex praxeos gallicus, artic. 867, 868, 869, plura solemnia praescribebat, ne Uxor dotis nomine, fraude cum viro composita, bona in perniciem creditorum usurparet.*

   Ubi lex plura sub nullitatis poena praecipit, sat est in re vel minima peccasse, ut actus irritus sit - ibidem. -
4. *Sententiae contumaciali, atque documenta nunquam in actis productum, nulla fides est adhibenda.*

   Ubi servatum non fuerit dispositum articuli 872 Codicis praxeos, bonorum separatio nullitatis vitio insanabili laborat - ibidem. -
5. *Ubi obtenta fuit per Uxorem bonorum separatio, Sententia, sub poena nullitatis, exequutioni committi debet intra quindecim dies a quo prolata fuit - ibidem. -*

   Quindecim dierum spatium non decurrit a tempore quo sententia transivit in rem judicatam, sed a die qua promulgata fuit - ibid. -
6. *Ubi in conficienda peritia non fuerit adhibitus numerus peritorum a Tribunali praescripto, nec fuerit per peritum praestitum jusjurandum, maxima ex hoc collusionis emergit suspicio.*

   Lex pro sola dote, non vero pro mundo muliebri, privilegium separationis bonorum concessit - ibidem. -
7. *Nullum praestare potest impedimentum, quod jure sortiri nullum potest effectum.*

   Supremae Signaturae Justititiae Rescripta nullo modo protrahi possunt ad ea, quae causae meritum spectant - ibidem. -
8. *Ubi quaestio est tantum de crediti auctoritate, id tantum efficiet, ut bona hastae subiciantur, et qui hypotheca anteriori pollet, is prius de suo credito satisfactus evadat.*

   Transcriptio, nullum praejudicium afferre potest hypothecis anteriori tempore legitime inscriptis - ibidem. -

DECISIO XXXIV.

Creditor cum extitisset Michælis Bernii, die 28 Junii 1813, in conspicua quantitate scutorum 1900, e pretio plurium mercium ei traditarum, honestissimus Ferrariensis Negociator Anselmus Nagliati, cambium cum eo, qui præsenti ad debitum dissolvendum pæcunia carebat, pro hac summa contraxit; Semisis de-pacta usura, eaque sub conditione, ut Debitor *quadrigenta* scuta singulis annis usque ad Cambii extinctionem exsolveret, specialique hypothecae vinculo pro hoc Cambiali

nomine duo praedia = *la Superba, e la Marighella* = subiiceret, ceu narrat præcedens mea Decisio die 3 Julii superioris anni edita. Cum vero solutionem ratarum capitis, nec non usurarum diu detractantem debitorem expertus esset, die 16 Novembris anni 1816. rupta patientia in jus venit, facileque obtinuit a Ferrariensi Tribunali, ut pro summa argenteorum = *Barare* =, 1440 ad eam diem sibi debita, Bernii bona sequestria fierent. Sed inutilis ei fuit illa provisio, cum bona non amplius essent in debitoris potestate. Nam usque a die 6 Maii anni 1815. Bernii uxor, causata viri, vergentia ad inopiam, eo silente, et annuente, a Ferrariensi Justitiae Aula obtinuerat separationem bonorum in causam dotis, et mundi muliebris, atque omnium illius bonorum, ad summam scutorum 9874: 85, in sequenti anno 1816 sub die 25 Aprilis, adjudicationem fuerat assequuta. Attamen cum omnibus Legibus, ad hujusmodi judicia spectantibus, omnino ab Antonia pessumdatis, apertissimum esset Nagliato, irritam esse renunciandam illam bonorum separationem, et adjudicationem, die 30 Augusti anni 1817, non dubitavit ante Ferrarienses Judices pro summa scut. 1960, quae tum pro sorte, et fructibus ei debebatur, instantiam proponere, utexequutioni omnia debitoris bona subiicerentur = *quantunque giudizialmente separati a favore della moglie del debitore.*

Felici conatu, Bernio silente, illius Uxor Antonia tum Nagliato obstitit. Judices enim, etsi pro creditore Mandatum exequutivum adversus bona Bernii relaxaverint, immunia tamen ab ea exequutione esse servanda bona Uxori in vim bonorum separationis adjudicata decreverunt. Qua de re Nagliatus, cum frustra suam indemnitatem adversus Bernium quaereret, Signaturæ Justitiæ Tribunal adiit, hujus Sententiae circumscriptionem, sin minus ab ea appellationem expostulans; neque omnem perdidit operam. Rejecta enim circumscriptionis Instantia, quia de tribus non constabat notissimis nullitatis capitibus, defectu nempe *citationis jurisdictionis, et mandati* facta ei tamen fuit provocandi potestas per Rescriptum de *Appellatione.* Commissa itaque Sacro Nostro Ordini hujus Caussae definitione, cum die 3 Julii præteriti anni dubium proposuissem = *An, et pro qua summa sit locus exequutioni Mandati contra bona provenientia a Michaele Berni, et existentia penes ejus Uxorem Antoniettam in casu etc.* = Patres responderunt = *Affirmative in omnibus pro summa scut.* 1960 = Indulto succumbenti Novae Audientiae beneficio, res tamen haud melius ei cessit. Nam, cum sub assueta Dubii formula hodie Patres rogaverim = *An sit standum, vel recedendum a Decisis* = nulla fuit apud Eos haesitatio, quin capta resolutio confirmationis robur mereretur per Responsum = *In Decisis* =

1 Nulla siquidem erat inter partes contentio, quin, cum debitum Michaelis Bernii erga Nagliatum pro sorte, et fructibus in summa scutorum 1960 subsisteret, nullaque afficeretur exceptione jus creditoris, qui ad suam indemnitatem hypothecae Specialis nexu praecipua quaedam debitoris bona sibi obstrinxerat, Mandatum, rite recteque adversus debitorem a Ferrariensi Tribunali relaxatum, exequutioni fuerit committendum, sicuti animadvertit mea *praeterita Decisio* § 5. Quod unice disceptabatur illud erat, utrum nempe ab execuutione Mandati immunia renuncianda essent bona, quae in vim separationis, et adjudicationis Antonia sicuro retinebat, quia ea separatio, et adjudicatio tanti fuerit, ut bonorum proprietatem a patrimonio Bernii avulsum in Uxorem libere transtulerit. Verum, tum, si Gallicae Leges, quae tempore illius incepti judicii vigebant, tum, si antiquae Leges, quae restitae fuerant, cum judicium absolutum fuit, spectentur, nemini potest esse dubium quin haec bona habenda sint, tamquam si adhuc penes debitorem existerent, nullumque impedimentum ea adjudicatio, et separatio bonorum parare valuerit Nagliato, quominus ipse ex bonis patrimonii Ber-

nii ab Antonietta detentis suam indemnitatem assequatur.

2 Si enim ad tramites antiqui Juris, quo absoluti judicii tempore Ferrarienses utebantur, separatio bonorum expendatur, exploratissimum est ex mandato separationis Bonorum nil aliud uxorem obtinere posse praeter simplicem dotis assecurationem, in cujus vim Mariti bona solo pignoris jure capta intelligantur, non vero in uxoris dominium transeant, sicuti, pluribus adductis auctoritatibus, firmat mea *præterit decis.* § 6. Quare, si ex assequuta adjudicatione Hypothecam tantum super iis bonis, securitatis suae dotis causa, ob vergentiam viri ad inopiam; non vero eórum dominium Antonia acquisivit, Nagliatus, qui, ob Hypothecae inscriptionem potiori jure pollet, rite adversus bona injuste illi adjudicata mandatum exequi expostulat. Eoque vero magis, cum, juris forma neglecta, ea bonorum seperatio in nullitatis vitium inciderit. Nec enim provide Statuti Civitatis Ferrariae sumptio sperni poterat, quae sub *Rubr.* 25 *libr.* 2 vetabat, ne quis rem in solutum habere posset, nisi *citatis Legitime citandis, et nulla opposita exeeptione:* et rursus sub *Rub.* 104 de separatione bonorum in causam dotis expressim loquendo, imperabat, *quod impetrans teneatur intra terminum trium dierum continuorum, et proxime futurorum immediate a die impetrata, et obtentae licentiae se notari, et describi fecisse super tabulam, quae ante Officium Sindaci in Palatio singulis diebus, et horis juridicis affigitur, ita ut omnibus innoteseat, qui sint, et quibus nominibus nuncupentur similes impetrantes tales dationes in solutum, alioquin nil sibi prosint, ac si alias non impetrassent, et obtinuissent* =. Quae cum omnia ab Antonia pessumdata fuerint, quinimo, cum ea bonorum separatio, et adjudicatio clanculum fuerit expleta, Nagliato prorsus inscio, haec apertissima juris antiqui violatio secum ducit separationis, et adjudicationis bonorum nullitatem; eaque de medio sublata, nullum extare potest dubium, quin bona a Bernii patrimonio avulsa nunquam fuerint; itaut exempta ab exequutione Mandati fieri possent.

Idem vero Gallicis inspectis Legibus 3
sentiendum est. Judicialis enim bonorum separatio perpetuam proprietatis causam ex Gallicarum Legum censura tribuere Uxori non poterat, nisi rite omnes servatae fuissent formae a Civili, et Praxeos Codice praescriptae. Nam cum clandestino facinore saepe fieri possit, ut uxor, dotis nomine, fraude bene composita, viri bona in maximam Creditorum perniciem sibi usurpet; hinc Lex, ne illi, sub ejus tutela quiescentes, laederentur inique, plura solemnia ad unguem servanda in judicio separationis bonorum sub nullitatis paena sancivit: quae cum Annia prosus neglexerit, ea bonorum separatio, ac adjudicatio evanescit, per quam ipsa, fide non bona; circumvento creditori illusisse sibi blanditur. Jubebat siquidem Codex Civilis in *Art.* 1445, et Codex Praxeos *Art.* 868, quod = *il Cancelliere senza alcun ritardo trascriverà in una Tabella da affigersi a quest'. effetto nell' Uditorio un estratto della domanda di separazione, il quale conterrà primo la data della domanda, secondo i Nomi e Cognomi, le professioni e domicilio dei Conjugi, terzo il Nome e Cognome. e domicilio del Procuratore, il quale sarà tenuto a quest' effetto di rimettere al Cancelliere l' estratto surriferito nel termine di tre giorni dalla domanda* =, et pariter in posteriori *Art.* 867 ejusdem Codicis Praxeos praescribebat, quod = *Un simile estratto sarà inserito nella Tabella del Tribunale di Commercio nella Camera dei Procuratori di Prima Istanza, ed in quella dei Notari* =, *et A t.* 868 *altro simile Estratto sarà inserito ad istanza della Moglie in uno dei giornali che si stampano nel Luogo, ove risiede il Tribunale.* = At quamvis Antonia debuerit esse sollecita de hisce omnibus adimplendis, quibus ea separationis petitio omnibus quorum intererat, innotescere, tamen nil borum fieri curavit, et, unam si excipias petitionis insinuationem apud Acta Tribuna-

lis Commercii, caetera omisit. Sed ubi Lex plura sub nullitatis paena praecipit, sat superque est in re vel minime peccasse, ut actus irritus sit renunciandus, accedente praesertim *Artic.* 869. Codicis Praxeos vetante = *proferire alcuna Sentenza di separazione, se non se un mese dopo, che sarà stato adempito alle Formalità prescritte sotto pena di nullità* = Merito igitur ea separationis instantia, Judicii praescriptis formis in tertii praejudicium apertissime destituta, pro infecta est habenda, uti animadvertit mea praecedens *dec.* §. 7.

4 Nec praesidium sibi quaerere valet Antonia ex eo quod in Sententia Ferrariensis Tribunalis legitur = *visto il giornale del Basso Po dei* 6 *Marzo* 1815 *num.* 19 *portante l' iscrizione della domanda dell' Attrice = Veduti i Certificati comprovanti la pubblicazione della domanda giusta il prescritto della Legge* = Statim enim occurrit animadversio, contumacialem eam Sententiam fuisse, nullamque ideo esse fidem eis adhibendum, quæ nullo adversante, facile Antonia asserere potuit; quia ullo in pretio habendum sit documentum nuper ab Antonia allatum de publicata per Ephemerides petitione separationis bonorum, hoc enim Patres spernendam esse censuerunt, uti informe, et numquam in Actis productum. Praeterea ex iis Sententiæ verbis haud induci potest, quod nihil omnino neglectum fuerit ex pluribus solemniis, quæ Lex præscribebat. Sed etsi omnia servata fuisse, quæ publicationem petitionis respiciebant concederetur, quod quidem concedi numquam potest, attamen cum post latam de ea Sententiam, cæteræ proculcatæ fuerint Leges, res eodem semper relaberetur, quod nempe vitio nullitatis ea bonorum separatio laboret. Erat enim in *Art.* 872 Codicis Praxeos sancitum = *La sentenza di separazione sarà letta publicamente nell' Udienza del Tribunale di Commercio* =; atque insuper = *un Estratto di questa Sentenza sarà inserito in una Tabella a ciò destinata, ed esposta pel corso di un anno nell' Uditorio dei Tribunali di Prima Istanza, e di Commercio del domicilio del Marito, ancorchè non sia Negoziante* =. Hinc, cum nec istud fuerit impletum, uti ex fide Tabellionis Tribunalis Commercii Ferrariæ evincitur, qui affirmat, quod » *non risulta, che non sia stata portata al Tribunale di Commercio la Sentenza di separazione ad esaurimento del disposto dell'Art.* 872 *del Codice di Procedura Civile* », nullum Sententia afferre valuit præjudicium juribus Naglati adversus bona Bernii Uxori assignata. Neque recte eodem testimonio Antonia sese juvari contendit, quasi testis duabus negativis » *non risulta che non sia stata portata* = affirmaverit Sententiam ad acta Tribunalis Commercii fuisse delatam. Perridiculam enim hanc cavillationem quoad eam circumlocutionem, quæ errori tribui potest Tabellionis in sese explicando, quæve integro dispositionis contextui adversatur, pænitus respuendam, et ne responsione quidem dignum Patres censuerunt.

5 Neque hic nullitatum finis. Quoad Sententiae exequutionem pressius *Art.* 1444. Codicis Civilis imperabat » *La separazione dei beni, ancorchè pronunciata dal Giudice è nulla, se non è stata eseguita con la reale sodisfazione dei diritti, e ragioni di ricupera competente alla Moglie fatta per atto autentico fino alla concorrenza dei beni del Marito, o almeno con istanza introdotte entro quindici giorni successivi alla Sentenza, e continuati senza interruzione* » Cum vero Sententia, quæ Antoniettæ bonorum separationem indulsit, die 6 Maii 1815 prodierit, et adjudicatio fuerit expleta post fere annum emensum, nempe die 25 Aprilis 1816, huic ambigi nequit, quin nullius prorsus momenti dijudicanda sit ea bonorum separatio, utpote quæ exequutioni intra legitimum temporis spatium mandata non fuerit. Inaniter vero ad hujus Articuli vim declinandam Antonia suadere studebat, utile illud *quindecim dierum* spatium constitutum fuisse, habito respectu ad casum, quo vir separationi bonorum adversaretur. minime vero si res tota, nullo contra-

dicente, fuerit absoluta. Hanc enim interpraetationem, tum littera, tum ratio Legis concordes simul rejeiunt. Obstant verba, quæ, continuato sermone conjuncta, totam Articuli dispositionem complectuntur, nullo facto inter oppugnatam, et haud controversam Sententiæ exequutionem discrimine. Et sane, si prompta sequi debebat exequutio, cum impedimentum extaret nulla cogitari causa poterat, cur Lex indefinitum tempus mulieri tribuerit, si nullum impedimentum exequutio Sententiæ offendisset. Quin imo ratio Legis expostulabat, ut sine mora Sententia, et quam citius exequutioni mandaretur. Nam cum Lex in id unice intenderet, ut Creditorum indemnitati prospiceret, fraudibusque occurreret, quas Viri; et Uxores in perniciem, et exitium deceptorum Creditorum facile componere poterant, evidentissime patet, nullo unquam casu ad Sententiæ exequutionem absolvendam majus temporis spatium juribus Creditorum quam maxime noxium tribuendum fuisse. Quod autem quindecim dierum lapsus incipere deberet, non statim post Sententiæ promulgationem, sed postquam in Remjudicatam ipsa transierat, vel ob effluxum tempus ad appellandum constitutum, vel ob illius Sententiæ confirmationem, quod Ferrariensibus Judicibus placuit, id quoque probari nunquam potest. Cum enim Lex absolute; et generice luquuta fuerit = *La separazione è nulla, se non è stata eseguita entro quindici giorni consecutivi alla Sentenza* = a verborum proprietate recedi non licet, uti præter cætera, S. N. Ordinis Judiciis in simili themate recensitis, statuit mea præcedens *Decis*. §. 10.

6 Erumpit igitur undique Sententiæ, illiusque exequutionis nullitas, quare sua mole omnia ea corrunt, quæ in separationis bonorum judicio per Antoniam gesta fuere. Neque verum hæc satis. Tot enim nullitatum vitiis, alia etiam superaccedunt, quæ eam bonorum seperationem injustam etiam fuisse demonstrant. Primum enim cum non tres Periti, uti Ferrariense Tribunal præceperat, sed unus tantum, atque is a Conjugibus Berniis electus, qui nec fuit a Tribunali probatus, nec juramentum præstitit, quod necessario in *Artic*. 305. Codicis Praxeos erat imperatum, peritiam confecerat, maxima collusionis emergit suspicio, quod nempe æstimatio eo consilio peracta fuerit, ut quidquid, sive immobilium, sive mobilium in Bernii patrimonio extabat, ab eo abtstraheretur, ut, in illius Uxorem translatum, a Creditorum Actionibus exemptum fieret. Accedit deinde, quod separatio nomine etiam mundi muliebris, quod fas non erat, expleta fuit. Lex enim pro sola dote privilegium separationi bonorum concesserat. Vetitum igitur erat separationem bonorum ad alia nomina extendere, pro quibus eam petendi data non erat a Lege facultas, ut animadvertit *praecedens decisio* § 12.

Ad hæc omnia veluti uno ictu evertenda proponebat Antonia, tum annale jam longe effluxisse tempus, quo 7
ex articulo 813. Codicis Praxeos Creditòribus potestas excipienda adversus separationis bonorum Sententiam erat indulta, tum circumscriptione Sententiæ a Signatura Justitiæ denegata, de ejus nullitate nullam amplius excitari posse quæstionem. Sed ruit utraque exceptio. Quo enim ad primam; annalis termini cursus nunquam adversus Bernii Creditores initium habere potuit, quia ex præcedenti articulo 872 Sententia separationis bonorum exequutioni dari non poterat = *che nel giorno in cui saranno state adempite le formalità superiormente descritte* =; hinc, cum formas præscriptas nunquam impleverit Antonia, irritum fuit quidquid ea in separationis judicio egit, nec obstare Nagliato potuit, quominus jus suum quocumque tempore experiretur ex vulgatissimo illo adagio nullum præstare posse impedimentum, quod jure sortiri haud valet effectum, uti mea superior Decisio statuit § 11. Nec aures vero præberi poterant alteri cavillationi ineptissimæ, quo Signaturae Rescriptum, circumscriptionem denegans Ferrariensis Sententiæ, perpe-

tuum silentium Nagliatio imposuit, quin amplius de ejus nullitate turbas ciere posset. Illud enim, extrinseca tantum vitia, nempe = *di difetto di citazione*, *di giurisdizione*, *e di mandato* = respiciens, quia ex hisce tantum capitibus fas est Judicialia acta circomscribere, ita præscribente *Artic.* 51. Motus Proprii diei 6 Julii 1816, ad eas nullitates referri nullo modo potest quæ ad *Causæ meritum* spectant, quarumque examen in gradu appellationis ab ipso Signaturae Rescripto S. N. Ordini fuit commissum.

8 Inutili demum pariter conatu privilegia Dotis, atque anterioritatem sui Crediti proferens, hypothecam, quam Nagliatus usque ab anno 1813 inscripserat, Antonia exagitare studebat. Anterius enim ejus esse Creditum non ambigitur, sed posterius evasit illo Nagliati ob neglectam ab ea hypothecæ Inscriptionem. Seposita namque quæstione an dotales legales hypothecae ad anterioritatem servandam, ex Codici Civili Gallorum inscribendæ essent dum ex Artic. illius Codicis 2135 2157 2138, et 2139, hujusmodi inscriptionem cura viris, parentibus, et propinquis Fæminæ ipsique Fæminæ, ac etiam Magistratui committitur, id satis, quod hæc inscriptio præscripta fuerit *Artic.* 26 = *del regolamento sul sistema Ipotecario* = adnexi Motui Proprio diei 6 Julii 1816 superius recensito, ex quo opus Antoniæ erat ad antevertendam inscriptionem a Nagliato expletam suam dotalem inscribere. Præterea, si de crediti anterioritate quæstio sit eam inter, et Nagliatum, id hoc tantum efficiet, ut bona ei nulliter adjudicata, quævè, uti in patrimonio Bernii existentia, censenda sunt hastæ subiciantur, et qui hypotheca anteriori contra Bernium pollero renuncietur, is prius ex eorum bonorum pretio de suo credito satisfactus evadat. Post hæc ineptum æque erat Antoniam confugere ad bonorum transcriptionem die 11 Julii 1816 expletam, in vim adjudicationis. Nam, cum Nagliatus hypothecae inscriptione jus reale, ac inviolabile sibi jam quaesivisset super bonis, quæ extabant in patrimonio Bernii, ea transcriptio nullum ejus juribus afferre poterit praejudicium, eo vero præsertim, quia, tot nullitatum vitiis infirmata Sententia, ac bonorum adjudicatione, corruat etiam ea transcriptio opportet, quæ in vim illius peracta est. Patet igitur ex hisce omnibus inani studio Antoniam contendere, ut bona sibi nulliter, et injuste adjudicata a Mandato, quod Ferrariense Tribunal pro Nagliato relaxavit eximat, atque dotis et spillatici nomine retineat.

Et ita etc. Utraque etc. præcedenti decisione in omnibus confirmata.

FERRARIEN

Lunae 9 Aprilisis 1821.

ARGUMENTUM

Domini directi oneris dativae realis participes haud fieri debent, juxta Edictum *21 Junii 1806*, omnibus in casibus, in quibus conventum fuerit, quod annuae praestationes fieri debeant - *libere da ogni tassa imposta, e da imporsi, e con altri termini, ed espressioni equivalenti* - *Revocntur superior* DECISIO II. -

SUMMARIUM

1. *Onera realia, fundis incumbentia, inter directos, et utiles illorum dominos, pro ratione dominii sunt partienda.*
2. *Motu Proprio 6 Julii 1816, Articulo 220, statutum fuit* - La reintegrazione per la dativa dei fondi rustici sarà fino alla compilazione dei nuovi Catastri della decima parte dell annuo reddito dei censi, dei frutti compensativi, e dei canoni enfiteutici.

   Inter Pontificias, et gallicas leges super ratae commodi retentione, discrimen tantum aderat quoad quantitatem - ibidem. -
3. *Edicto 21 Junii 1806 declaratum fuit directos dominos oneris dativae realis participes haud fieri debere* - In tutti i casi nei quali siasi convenuto, che simili prestazioni annue debbano farsi libere da ogni tassa imposta, è da imporsi, o con altri termini, ed espressioni equivalenti. -

   Gallicae leges, ac praesertim Decretum 27 Aprilis 1811, livellariis, ac Emphyteutis de-

negaverunt - la ritenzione del quinto, quando siasi stipolato in qualunque modo, che il peso delle contribuzioni debba stare esclusivamente a carico del livellario - *ibidem* -

4. *Ubi contrahentes convenerint rependendam fuisse praestationem annuam* - di uso netto, senza aggravio del direttario - *hac verba non eximent directum dominum a contributione dativae rentis.*

Pacta quae praecesserunt instrumentum, neque fuerunt in eo repetita, censentur posteriori stipulatione sublata - *ibidem* -

5. *Ubi verba stipulationis referri possunt tantum ad vectigalia tempore contractus existentia, nequeunt protendi ad illa quae in futurum imponi possunt.*

Controhentium voluntas ad incognita, et prorsus impraevidibilia ferri nequeunt -ibid. -

6. *Bonorum augmentum, non tribuit jus directario, ad effectum sese eximendi a contributione oneris dativae.*

7. *Canon ad rationem scutorum quatuor in singula centena, habetur uti satis gravs, ac emphyteusim locationi fere paerequat.*

DECISIO XXXV.

Solemnibus, anno 1696 sub die 15 Aprilis, conscriptis tabulis, Marco De-Raspis « *ad usum pro se, et hæredibus suis* » RR. PP. Carmelitæ Excalceati Ferrariæ omnia concessere bona cum juribus eis adnexis, ac grege quibus erant instructa, eis ex testamento Laurentii Consumati obventa, in regione « *di Val d'Albero* » jacentia, et nominibus distinta « *Villa Quachii* » et « *Villa Foci mortui* » Conventa vero fuit a Raspio perficienda solutio, *pro usu, et nomine usus jurium, et bonorum sitorum ut supra, scutorum sexcentum quinquaginta singulo anno solvendorum, habito respectu ad rationem scutorum quatuor, et unius tertii pro quolibet centenario, et anno, augendo tamen, vel decalando aut diminuendo usum præscriptum, habito respectu ad valorem jurium, et bonorum adscenden. ad scut.* 15000 *juxta accordium inter partes, comprœhenso capitale animalium*; *et aliarum rerum, de quibus in relatione Josephi Tieghi* = Quædam etiam adjecta fuerunt pacta, vernaculo idiomate exposita, illud præsertim ad præsentem Causam spectans, quo partes ad præcedentem tractatum sese retulerunt = *E perchè l'accordato circa l'uso di detti beni stabili, e dati come sopra era, che ascendendo alla somma di scudi* 15000, *come sopra, detto Signor Raspis usuario pagasse di uso netto senza aggravio a detti padri scudi* 650 *all'anno, quando però detto capitale si ritrovasse essere o di maggiore o di minor somma, debbasi allora in tal caso l'annuo uso sudetto accrescersi, o decrescersi a proporzione del valore di esso capitale, e regolarsi conforme a quello, che così esse parti contraenti convengono.*

Hisce constitutis, an Tieghi relatio, quoad bonorum valorem, in scutis 15000 statutum fuerit, nec ne, emendata, ignotum est; controversia vero vacat Marcum Raspis, ejusque hæredes annua, usus nomine, Patribus Excalceatis, bonorum directis dominis scuta 650 constanter solvisse. Verum ex infelici publicarum rerum perturbatione, superiori exeunte sæculo orta, cum a Galiis invasoribus ablata fuisset legitimo Sanctissimo Principi Flaminia una cum finitimis Provinciis, expulsis per eos Cænobitis, horumque bonis ac juribus occupatis, dominium directum illorum, quorum usuarius erat Cajetanus Raspi, Marci primi investiti tunc successor, Carmelitis ereptum, in Rhodigiensem Israelitam Salamonem Luzzato, emptionis venditionis titulo, anno 1805 ab administratione Demanii Ferrariæ translatum fuit. Novus hic directus Dominus, cum Leges prodiissent, quæ induxerant vectigal reale super prædiis nuncupatum « *Dativa reale* », illius oneris divisione inter utiles, et directos Dominos, pro *rata commodi*, præscripta, ab illius parte ferenda sese immunem esse debere contendit; proponens in investituræ conventionibus usuarium sese obstrinxisse ad solutionem annuæ præstationis liberæ a quocumque onere imposito, vel imponendo, per ea verba « *di uso netto da ogni aggravio* » ideoque locum sibi vindicare illarum Legum limitationem quoad distributionem prædicti vectigalis. In irritum tamen ejus cessere conatus, quia Sententia Aulæ Justitiæ Ferrariensis, diei 19 Decembris anni 1812, deinceps confirmata per

Aulam Appellationis Bononiæ, et in rem judicatam transacta constitum fuit jus usuarii Raspii pro ratæ commodi retentione. Quamvis vero, indulta Luzzato a Tribunali Signaturæ Justitiæ facultate, per rescriptum « *De Caussis* », eam oppugnandi rem judicatam coram S. Nostro Ordine, facile ipse contra Raspium, qui judicio sistere haud potuit, assequutus fuerit, ut proposito per me in Comitiis diei 6 Martii 1820, Dubio assueto « *An constet de Rejudicata, seu potius de causis restitutionis in integrum in casu etc.* « Responsum prodierit» *Pro informante*, « nempe » *Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam* » id ei nil profuit; nam hodie Domini interrogati « *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.* » jura per Raspium deducta, ipso Luzzato frustra obsistente, probarunt, *et a decisis recesserunt.*

1 Quod profecto, justitia, et æquitate duce fuit constitutum; quia, cum in discrimen haud adducatur validitas reijudicatæ, de qua est quæstio, eaque Juris sanctioni undique consona comperiatur, ejus est auctoritas firmanda, nec adversus eam restitutio in integrum indulgeri potest, *per Rot. cor. Falconer., tit. de probat. dec. 4 num. 3 in Romana Cambiorum super restitutione in integrum* 21 *Februarii* 1772 § 2 *coram Guerra, in Maceraten. Consignationis* 20 *Junii* 1791 § 2 *coram Guardoqui, in Viterbien. Nullitatis Contractus* 13 *Martii* 1816 § 5 *coram Odescalchi, et alibi passim.* Quamvis vero præcedens mea superius relata Decisio, Raspio silente, edita reprobaverit binas Sententias, illam nempe Aulæ Justitiæ Ferrariæ, eamque Aulæ Appellationis Bononiæ, Raspio jus tribuentes retinendi ratam commodi ex noviter inducto vectigali « *Dativa reale* », Principis SSmi Ærario ab ipso solvendo super bonis, quorum est usuarius, et quorum directum Dominium Israelitam Luzzatum transiit, re tamen nunc per ipsum illustrata, patuit themati accomodari non posse Juris theoremata, rationum momenta, et S. N. Ordinis consultissima responsa, quæ prædicta Decisio exponit, et justissima visa est utriusque Sententiæ definitio, quia deest in casu subjectum limitationis præscripti Legum, quo statutum est onera realia, fundis incumbentia, inter directos, et utiles illorum dominos pro ratione Dominii, sive *pro rata commodi* esse partienda.

Sanctissimus quippe Pontifex notissimo Motu proprio, quem die 19 Martii 1801 obsignavit, postquam vectigali « *Dativa reale* » subjecit fundos rusticos, eorumque possessores obstrinxit ad solvendum « *paoli sei per ogni cento scudi di possidenza* » , animadvertens tamen « *che i Censi, Canoni, e frutti compensativi costituiscono a favore dei Creditori di essi una certa proprietà, e diritto nei fondi Censiti Livellarj etc.* jussit, quod ii possessores, vectigalis prædicti solutioni subjecti, assequi deberent « *la loro proporzionata indenizzazione per mezzo della ritenzione da farsi da essi in una parte dei frutti, che pagano ai loro creditori, lo quale però vogliamo che si eseguisca pro rata commodi* » , quæ rata commodi deinceps a S. Congregatione Æconomica præfinita fuit « *nella decima parte dell'annuo reddito.* » Id vero novissime confirmatum fuit Motu Proprio 6 Julii 1816, cujus *Art.* 220 statuit « *La reintegrazione per la Dativa dei Fondi rustici sarà fino alla compilazione dei nuovi Catastri della decima parte dell'annuo reddito de' Censi dei frutti compensativi, e dei Canoni Enfiteutici* » Nec aliud obtinuit quoad hanc ratæ comodi retentionem *in genere*, dum Galli Pontificiam Ditionem occupabant; Decreto namque diei 27 Aprilis 1811, a Prorege Italico in Flaminia, Æmilia, Piceno ac finitimis regionibus vulgato, præscriptum fuit « *l'Enfiteuta è autorizzato a ritenersi il quinto del Canone per rappresentare la contribuzione dovuta dal Proprietario* »; ex quo patet inter Pontificias, et Gallicas Leges super ratæ commodi retentione discrimen tantum fuisse quoad hujusce quantitatem. 2

3 Perspicuæ itaque Legum sanctioni innititur Raspii postulatio de rata commodi retinenda super Canone Luzzato debito ad tradita per *Rotam in Rom. Pecuniaria super retentione quinti* 6 *Mar-*

tii 1815 § 8 *cor. Emo Cesarei*. Subest quidem hæc Legum sanctio limitationi quibusdam in casibus; nam quoad Leges Pontificias pluries a S. Congregatione Æconomica, et præsertim Edicto diei 21 Junii anni 1806 declaratum fuit directos dominos oneris Dativæ realis participes fieri baud debere « *in tutti i casi nei quali siasi convenuto che i Canoni ed altre simili prestazioni onnue debbano farsi libere, e franche da ogni tassa imposta, e da imporsi*, o *con altri termini, ed espressioni equivalenti* », et qnoad Gallicas Leges superius recensitum Decretum diei 27 Aprilis anni 1811 livellariis, ac Empbiteutis denegavit « *la ritenzione del quinto, quando siasi stipulato in qualunque modo, che il peso delle contribuzioni debba stare esclusivamente a carico del Livellorio* », quam limitationem reapse in pluribus casibus probavit Sacer Noster Ordo cum agnovit contractus verba ejus applicationi viam sternere, testibus *Dec. Sutrino Pecuniaria* 3 *Martii*, *et* 20 *Junii* 1806 *coram R. P. D. Meo Bussi*, *Romano Pecuniaria* 29 *Martii*, *et* 2 *Decembris* 1806 *coram Eodem*, *Fonen. Solutionis Canonis* 13 *Junii* 1818 *coram R.P.D. Meo Isoard*, *Ferrarien. reintegrationis super credito* 22 *Junii* 1818 *coram Odescalchi*, *et Ferrarien. Canonum super rata commodi* 17 *Aprilis* 1820 *cor. R. P. D. Meo Spada*. At in themate, de quo agitur nullum prædictæ limitationi locum esse posse Patres optime constituerunt.

4 Non etenim legitur in contractu inter RR. PP. Carmelitas Excalceatos Ferrariæ, et Marcum de Raspis anno 1696 inito, quod Canone, ab hoc, bujusque successoribus, usus nomine, solvendus esse deberet « *libero, e franco da ogni tassa imposto, e da imporsi* » nec quod deberet « *il peso delle contribuzioni stare esclusivamente a carico del Livellario* » sed pure, ac simpliciter in Instrumento videtur annua præstatio ab usuario promissa « *pro usu, et nomine usus scutorum* 650 *singulo onno solvendorum habito respectu ad rationem scutorum quatuor, et unius tertii pro quolibet centenario, et anno* » Deest itaque expressa conventio, ex qua Luzzatus, qui in jura Carmelitarum successit, quoad dominium directum bonorum, quæ Raspio ad usum concessa fuere, contendere, queat, totum Dativæ Realis onus a Cajetano Raspio, qui nunc eorum bonorum usuarius est, esse ferendum. Perperam vero omnimodam intributionum solutionem per usuarium Raspium susceptam fuisse arguere conatur Luzzatus ex eo, quod contraheutes convenerint rependenda fuisse a prædicto usuario « *di uso netto senza aggravio a detti podri scudi* 650 *l'anno* » Primum enim hoc pactum reperitur inter conventiones, quæ Instrumenti stipulationem præcessere, non autem in ipso Instrumento, in quo nulla fit mentio de exemptione canonis, *pro usu, et nomine usus* solvendi, ab oneribus; quare censendum est illud fuisse posteriori stipulatione sublatum. Quin obsit prædictas conventiones, vernaculo idiomate scriptas Instrumento adnexas fuisse; id enim factum videtur ad supplendum iis, quæ in Instrumento expressa baud fuere, præsertim quoad æstimationem bonorum, ad cujus tramites annuus Canon augendus, vel imminuendus erat; numquam vero efficere potuit ut eæ conventiones in pretio haberentur quoad ea, de quibus in posteriori Instrumento expressim cautum fuit.

5 Verum, hoc etiam seposito, arida ea verba « *di uso netto senza aggravio* » tanti esse haud putarunt Patres, ut secum ferrent « *in termini, ed espressioni equivalenti* » pactum qnod Canon esse deberet « *libero franco da ogni tassa imposta, e da imporsi* » juxta Sanctionem Legum Sanctissimi Principis; vel stipulationem « *in qualunque modo* » quod « *il peso delle contribuzioni debba stare esclusivamente a carico del Livellario* » secundum Legem Gallicam, cum nulla de vectigalibus, futuris præsertim, et extraordinariis, quale est vectigal « *Dativa Reale* » mentio fuerit facta; cui opinioni optime adstipulatur sententia alias pandita a Consilio Rotali *in Romana Pecuniaria* 19 *Augusti* 1814 *coram Cavalli num.* 9 *et* 10, et a Sac. Nostro Ordine *in Confirmatoria* 6 *Martii* 1815 *coram Eminentissimo Cesarei*. Eo-

que magis ita concludendum esse censuerunt, quia, etiamsi ea verba «*netto di aggravio*» referri possent ad vectigalia, id tamen cohibendum esset ad vectigalia tum temporis existentia, vel quæ in posterum gravare possent prædiorum fructus, eorumque fructuarios, non vero ad ea extendendum esse, quæ futuris temporibus super bonorum proprietate imponi possent. Præsertim vero, cum illud accedat anno 1696 prævideri numquam potuisse, ut post plusquam sæculorum temporis lapsum, intributionibus, et realibus oneribus subiici possent bona ad religiosos Ordines spectantia, cum ex peculiari privilegio Ecclesiastici viri, eorumque bona anteactis temporibus nullis oneribus, et præsertim fundiariis subiicerentur. Non poterat igitur contrahentium voluntas ferri ad incognita, insueta, et prorsus imprævidibilia. Ita ad rem firmavit *Rota in Romana Pecuniaria* 11 *Januarii* 1805 *coram R.P.D. Meo Bussi* § 4, *et seq.*, *et in Confirmatoria* 21 *Junii ejusdem anni* § 2, *et sequen. coram Eodem.*

6 Patet ex hisce justitiæ omnino consonum esse, ut Raspius immunis declaretur ab ea rata vectigalis «*Dativa Reale*», quæ respondet dominio directo bonorum, quorum ipse est usuarius, et ad quam ferendam nulla vel expressa vel per equipollentia verba concepta conventio eum adigere potest. Quod vero justitia ei denegat, inutiliter Luzzatus assequi vellet ex æquitate, proponens quod, cum pactum in Instrumento usus fuerit, quod Canon *augendus*, vel *imminendus esset habito respectu ad valorem jurium*, *et bonorum*, et cum, uti ipse asserit, illorum jurium, et bonorum pretium nunc quam maxime adauctum fuerit, iniquum esset canonis quantitatem decurtare per deductionem ratæ commodi, dum potius augendus esset ob augmentum valoris bonorum. Primum enim spernenda hæc sunt, quia assertum bonorum valoris augmentum nullo modo evincitur.

7 Dein vero pactum illud in Instrumento appositum non respexit ad augmentum pretii bonorum, quod futuris temporibus quacumque ex causa evenire posset, sed cohibitum fuit ad bonorum æstimationem de tempore initi contractus; quoad hanc enim partes sese retulerunt ad peritiam Josephi Tieghi, qui eam constituit in scutis *quindecim millibus*, sed adjecerunt « *perchè l'accordato era che ascendendo alla somma di scudi* 15 *mila detto Raspi pagasse di uso annui scudi* 650, *perciò quando detto capitale si trovasse essere, o di maggiore, o di minor somma in tal caso l'uso sudetto debba accrescersi, o decrescersi a proporzione del valore di esso capitale*», hoc itaque pactum ad futuros eventus protendi nequit, et justam Tieghii æstimationem fuisse tenendum est, quia canon annuus in constituta quantitate scut. 650 fuit constanter persolutus. Demum vero Patres, animadvertentes ad rationem canonis in scutis *quatuor* cum *tertiario* in singula centena pretii bonorum, eam *gravamen* agnoverunt habito præsertim respectu ad tempus initi contractus, ita ut locationi perpetuæ potius quam Empbyteusi convenire videatur, et ideo iniquum esse putarunt usuarium gravare onere vectigalis pro rata etiam ad dominum directum spectante.

Et ita etc. Utraque etc.

FIRMANA

RESTITUTIONIS FRUCTUUM SUPER LIQUIDATIONE

Lunae 18 *Junii* 1821.

ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. Justum fructuum praetium, tuto erui valet, ex publicis Codicibus, in quibus quantum illud fuerit singulis annis inscribi solet.

2. In intraitus quantitate, addi debet quidquid per dolum aut errorem praetermissum fuit.

Quoad partitas, quae exitum respiciunt, respuendae sunt illae, quae omni sive facti, sive jure fundamento destitutae apparent - ib. -

3. *Nullam meretur mercedem, qui mala fide fundos occupat, fructus omnes haurit, eosque in suum commodum vertit.*

Qui praediis adstitit, quorum medietas sibi spectat, rem suam gerere videtur, neque ob id habet jus ad salarium - ibidem. -

4. *In rationum dispunctione, in calculo haberi debet, tam quod refertur ad introitum, tam quod refertur ad exitum.*

DECISIO XXXVI.

Pluribus Judiciis Sac. Nostri Ordinis damnatus fuit Jacobus Cesanelli erga Josephum Patrem. Fuit scilicet pronunciata nullitas donationis, quam de anno 1807 ipse a Patre extorserat. Dein imperata bonorum, quæ ante donationem in Patrimonio Cesanelli existebant divisio *pro Virili* inter Patrem, et filium. Postremo binæ prodiere Sententiæ *altera* ab Emeritissimo R. P. D. Odescalchi, *altera* a me signata, quibus eidem Jacobo indicta fuit restitutio fructuum ab eo perceptorum a die contestatæ litis ex ea bonorum parte, quam eousque, titulo destitutus, retinuerat, et Josepho tributum fuit adversus eum mandatum pro summa liquidanda. Hinc petiit Josephus filium adigi ad exhibendam juratam eorum fructuum notulam; eaque minime allata, sibi potestatem fieri ib litem jurandi. Petitionem exceperunt Patres die 5 Junii superioris anni Rescripto = *Ad D. Ponentem juxta petita, et cum omnibus facultatibus necessariis, et opportunis ad formam Reijudicatæ Rotalis* =. Quo adactus Jacobus, notulam redditus, et exitus tandem ad acta detulit, quo se Patris creditorem effecit in scutis 1260 ob. 35 4 atque postulavit, *che il Signor Giuseppe Cesanelli debba egualmente render conto de' frutti, e rendite percette sopra i beni riservati, che devono entrare in divisione a forma della cosa giudicata* =. Plura tum adversus eam notulam excepit Joseph; ex quo et hæc controversia totius Nostri Ordinis judicio fuit subjecta. Cum igitur hodie universæ Aulæ dubium proposuerim = *An, et pro qua summa sit locus executioni Mandati in casu etc.* = Jacobus inducias quaquaversus captare assuetus, a Judicio abfuit, ideoque Patres juxta Informantis Josephi vota responderunt = *Affirmative in omnibus pro summa scut.* 841 12 ½.

Quam sane Jacobus notulam exhibuit, eam cum evidenti falsitate, et errore exaratam fuisse, ejus Pater perspicue demonstrabat. Singulas enim illius perpendens, sive introitus, sive exitus partitas, justiori instituta supputatione, et authenticis adductis monumentis, facile evincebat omissiones quamplures, easque gravissimas: diminutiones quantitatis recollectorum generum: eorum pretia quam maxime decurtata: partitarum in exitu alterationes innumeras: solutiones non debitas, expensas minime factas, et passiva nomina conficta, vel aucta; Et quidem quoad partitas introitus a Jacobo adnotatas peculiari animadversione dignum videtur illud, valdo imminutis veris rerum pretiis, suum debitum vel ad minimum reduxisse. Quandoquidem justum fructuum pretium haud aliunde tuto erui valet, quam ex publicis Codicibus, in quibus quantum illud fuerit singulis annis inscribi solet. Porro quæ fuerint Annonariæ rei prætia in Oppido Murri Vallium obtinentia iis annis, qui in hac rationum redditione comprehenduntur, Codices illi ostendunt, quorum exemplar legitime extractum nostris oculis subjecit Josephus. Collatis cum hoc pretiis a Jacobo descriptis, ingens exurgit in Josephi Patris jacturam discrimen, tributoque Cerealibus, et musto, aliisque rebus vero, ac legali pretio, consequitur introitum bonorum, quem Jacobus adnotavit in scut. tantum 2390 32 ½ ad majorem exurgere quantitatem sc. 3294 40 ceu patet ex analytica demonstratione super singulis partitis, quam Joseph concinnavit, atque appositis probationibus munivit.

Perspicuis pariter probationibus ipse 2
evincebat plura in eadem Notula Jacobum prætermisisse, quæ pro eorum gravitate illius debito omnino erant adscribenda. Omisisse scilicet anno 1815 quantitatem recollecti musti, cujus valor summam attingebat scutorum *No-*

naginta: reticuisse anno 1817 rubra *Triginta* frumenti, quorum pretium erat scut. *quingentum decem*: occultasse tandem tum eodem anno 1817 tum in cæteris fabam, linum, Cannabem., fructus pecndum, et redditus Torcularis, et Canalium ad vinum conficiendum, eaque omnia diligenter adnotabat, totidemque documentis ostendebat Joseph Pater. Juncto itaque valore prætermissarum partitarum veri introitns quantitati, ductoque calculo, indubium est integram ejusdem Introitus summam ascendere ad scut. *quatuor mille biscentum triginta novem, et ob. quadraginta*. Quibus quoad introitum animadversis, ad ea expungenda, quæ exitum respiciunt, pergendo, respuendæ procul dubio eæ saltem partitæ sunt, quæ omni sive facti, sive juris fundamento destitutæ apparent.

3 Reque vera numquam addici Jacobo filio poterit quidquid in melioramentis super fundis sese impendisse asserebat. Cum namque de anno 1819 die 5 Junii, ad horum melioramentorum pretium assequendum Patribus petitionem proposuerit Jacobus per Memoriale rogante R. P. D. Odescalchi, merito rejectus fuit per Rescriptum = *Quoad melioramenta Nihil* =; Eliminanda pariter est ex partitis exitus summa scutatorum *nonaginta*, quam Jacobus credito suo adscripserat = *per assistenza personale, agenzia, e custodia de'generi* =, quia nullam Ipse merebatur mercedem dum mala fide paternos fundos occupabat, detinebatque, et illorum fructus omnes hauriebat, eorumque pretia in sibi utilioribus negotiis collocabat, quo tempore infelix Pater omnibus destituebatur vitæ præsidiis, cum ei ipse Jacobus filius licet Judicio compellatus, alimenta etiam denegaverit. Præterea vero et rem suam gessit Jacobus, si iis adstitit prædiis, quorum medietas postea eidem ex æquitate tantum addicta fuit, cum ex juris rigore Bona omnia uni Josepho Patri fuissent tribuenda. Cæteris exitus partitis vel ad justam quantitatem redactis, vel juribus quoad nonnullas Josepho præservatis inspiciendi acceptilationes, ex quibus constet de solutionibus revera peractis, compertum est totius Exitus summam, omnibus rite perpensis, haud excedere posse vim scut. 2315 30 dum e contra Jacobus illam evexerat ad longe majorem summam sc. 3659 68.

At quoniam et ipse Joseph Pater suam protulit redditionem rationum quoad parvos fundos sibi in donatione reservatos, palam fuit ex illa introitum exitum superasse in scut. 241 85. Quorum omnium consequens est, quod cum Jacobi filii rationum dispunctio ex veriori instituto calculo introitum exhibeat in scut. 4239 40. Exitum vero in scut. 2315 10, cujus dimidia pars, scuta nempe 962 05 restituenda est Josepho Patri. Detrahi autem ab hac summa debet medietas reliquatus rationum a Josepho Patre exhibitarum. At cum reliquatus iste conficiat vim scut. 241 85 ejus pars dimidia Jacobo filio tribuenda, erit scut. 120 92½. Qua dempta ab ea summa, quam Jacobus restituere Patri tenetur in scut. 962 06 liquidum superest Josephi Patris creditum in scut. 841 12 ½ pro quibus ei adversus Jacobum executivum tribui mandatum justitia exigit. 4

Atque ita, universa Aula mecum suffragia ferente, decisum fuit, altera tantum etc.

MELEVITANA CADUCITAS

Veneris 30 *Martii* 1821.

ARGUMENTUM

Ad incurrendam caducitatem necesse est contraventorem probe novisse testatoris voluntatem, ac quod caducitas fuerit indicta per modum conditionis.

SUMMARIUM

1. *Odiosa et aspera caducitatis poena quaelibet interpretatione avertenda est.*
   Praesertim vero cum questio sit inter personas sanguinis vinculo devinctas - *ibidem*. -
2. *Ad incurrendam caducitatis paenam necesse est, aliquem probe novisse testatoris voluntatem, et privationem emolumenti fuisse indictam sub conditione.*

3. *Dolus non praesumitur, itaque scientia in reo convento ab Actore est probanda.*
4. *Ut incurratur in caducitatem, ubi non fuerit per conditionem indicta, necesse est ut contraventor in mora constituatur.*

   Mora non contrahitur, nisi praecedat interpellatio judicialis, et Judicis decretum -ib.-
5. *Etiamsi testator conditionis verbo in testamento usus sit, attamen in dubio dispositio non conditionalis, sed paenalis potius est intelligenda.*
6. *Dies interpellat pro homine in pactis mere conditionalibus, minime vero in modalibus, et paenalibus.*
7. *Incivile est, eum velle exheredem fieri, quem quis tamquam coheredem persaepe ac in actis authenticis agnovit.*

DECISIO XXXVII.

Tres ex Joachimo fratre Nepotes erant Johanni Mariæ Cremona Melitensi, Carolus nempe Benedictus, et Joseph Galea. Cum postremus hic ad Sacros Ordines initiari cuperet de anno 1781, Patrimonii Sacri titulo ei tribuit Patruus usumfructum quarumdam, ceu illic nuncupari solent; *clausurarum* terræ jacentium in Insula = *del Gozo* = nominibus distinctarum = *tal Cala* = *tal Blata* = *et tal Hajan* = duraturum usque ad exitum vitæ ipsius Donantis. Obiit Johannes die 11 Junii 1789, ultimis exaratis tabulis, in quibus hæredes sibi nuncupavit prædictos Nepotes æquis partibus in semisse tantum hæreditatis suæ, alio semisse aliis relicto: quoad alterum vero ex iis, Clericum nempe Josephum, præcipue cavit, ut, dimisso favore Fratrum, quem eidem in Patrimonium Sacrum constituerat, usufructu prædiorum = *tal Cala* = *tal Blata* = *et tal Hajan* = symbolam eidem relictam satis haberet, illique, si huic dispositioni minime paruisset, caducitatis pænam indixit, duobus prædictis ejusdem fratribus in hæreditaria illius portione substitutis.

Paucos attamen post menses ab obitu Testatoris, Octobri nempe anni 1789, Urbem petiit ejus Nepos Josephus, ubi studia ad Sacerdotium obtinendum necessaria suscepit, explevitque curiculo *vigintiquinque* fere annorum, quibus elapsi ad Patrios Lares tandem remeavit. Tum primum eidem innotuit, quid jamdiu defunctus Patruus Johannes in supremo, quod condiderat elogio, quoad ipsum disposuisset, ideoque statim Testatoris voluntatem implendam curavit, dimisso scilicet favore fratrum prædictorum bonorum usofructu; quod, ut rite perficeret Melitensem Episcopum adire debuit, eoque auctorante, pensionem quamdam Ecclesiasticam usufructui eorum prædiorum, ex quo Sacrum ejus Patrimonium constabat, subrogare potuit.

Cessionem hanc ratam habuit Carolus, Benedictus vero palam improbavit, et in *caduci* pœnam Josephum incidisse dictibat. Quare, ut sese in pacifica possessione hæreditariæ symbolæ tueri valeret, debuit hic, ope Monitorii, quod Pragmatici nuncupant *jactationis jactationum*, Benedicto diem dicere ad Tribunal Vicarii Generalis Melitensis, a quo caducitatis querela illico rejecta fuit. Huic sententiæ album calculum adjecerunt A. C. Triumviri, a quibus provocante Benedicto, Causa ad Sac. Nostrum Ordinem delata est; ideoque Patribus hodie resolvendum proposui Dubium = *An sit locus caducitati in casu etc.* et vadimonium deserentibus pupillis, et minoribus filiis, hæredibusque jam defuncti Benedicti Galea, sive hujus Vidua, illorumque Matre, et Tutrice Marianna de Jesu Maurin, atque Angelo Antonio Mangiatordi Procuratore, per obitum Benedicti, domino litis effecto, Responsum accepi = *Negative* =.

Et sane perpendentibus legum nostrarum humanitatem, quæ ingenita quadam inclinatione a pænis infligendis semper abhorruerunt, facile patebit in themate aptius nullum dari potuisse responsum. Odiosam siquidem, et vel nimis asperam caducitatis pænam qualibet interpretatione, et vel tantummodo probabili excusatione avertendum esse tradunt Doctores, quos inter *Honded. cons.* 58 *num.* 37 *et seq. lib.* 1 *Menoch. cons.* 903 *num.* 11, *et Rota in Recent. decis.* 320 *n.* 10 *part.* 17, præsertim vero, cum istiusmodi quæ-

stiones inter personas sanguinis vinculo mutuo devinctas, ac prout in præsenti specie, inter Fratres exardescant; quia naturali etiam æquitate docemur summi juris rigorem, maxime inter propinquos, temperandum esse, tum in caducitate, tum in alia quacumque pæna infligenda, dum in odium pænæ rigor ille coerceri solet etiam inter cæteros, nullo affinitatis nexu conjunctos *Cephal. cons.* 8 *n.* 3 *Calvin. de æquitate lib.* 1 *cap.* 6 *n.* 8 *Rot. in Recent. decis.* 480 *num.* 5 *part.* 19 *tom.* 2.

2 Præterea ad hanc infligendam pænam nonnullæ a Legibus requiruntur conditiones, quas in themate omnino desiderari compertum est. Ut enim quis renunciari possit ab hæreditate, legato, vel alio quolibet emolumento caducatus, necesse est illum probe novisse testatorem, sive aliam personam quid imperasse, aut statuisse, et hoc neglecto, sive omisso, privationis emolumenti ejusdem pænam indixisse; quia ab æquitate, justitiaque obsonum esset in ignorantem sævire, in quo neque dolus, neque delictum esse potest, et dolo, delictove deficiente, pænam irrogare, præsertim odiosissimam caducitatis, esset absurdum. Atqui hujusmodi scientia, utique ab eo debet ostendi, qui Actoris partes sustinet, et quidem iis probationibus, ex quibus non præsumptiva, et generica, quæ in præjudicialibus omnino repellitur, sed certa, et specifica in reo scientia erui valeat, ceu monent *Nat. Cons.* 636 *num.* 192 *Ruin. cons.* 118 *circa finem vers. Et ideo lib.* 2 *et firmatum prostat in Recent. decis.* 559 *n.* 5 *part.* 5 *tom.* 2 *decis.* 130 *n.* 26 *part.* 6 *decis.* 26 *num.* 16 *part.* 9 *dec.* 547 *n.* 17 *cor. Lancetta*, *et dec.* 800 *n.* 23 *et* 24 *cor. Molines.*

3 Verum in hac probatione etiam in præactis Judiciis Actores penitus deficiebant; et aliunde non desunt conjecturæ, quæ Clericum Josephum Galea ignorasse potius, quam scivisse præcipuam dispositionem Patris demonstrant. Abfuit siquidem ille a Patria per integros fere annos *viginti quinque*, quo tempore Romæ moratus fuit, studiis tantummodo incumbens ad Sacerdotium obtinendum accomodatis, vix autem illuc rediit, ac disposita patrui quoad se rescivit, illico voluntati illius parere non detrectavit, et cessionem ususfructus a Testatore præscriptam favore fratrum emisit: ex quo inferri debet, cum etiam ante illud tempus, sibi injuncto muneri fuisse satisfacturum, nisi patrui voluntatem penitus ignorasset. Rursus nec sola hæc scientia in eo, adversus quem caducitatis quæstio excitatur sat legibus visa, ut caducatus renuncietur; sed insuper interpellationem requirunt, cujus ea vis est, ut que potestas, ut contraventorem in mora constituat, neque amplius ejus purgatione possit juvari. Demum exigunt etiam Decretum Judicis, et in hujus spretum, contraventionem dispositioni Testatoris ad tradita *per Merlin. de legit. lib.* 5 *tit.* 2 *quæst.* 21 *n.* 10. Nisi igitur hæc omnia præcessisse Benedicti hæredes ostendant, frustra caduci judicium contra Josephum tentabunt.

Et male proponunt ipsi Johannem 4
Mariam Testatorem non pure, sed sub conditione, Josephum ad suæ hæreditatis sextantem vocasse, ex eo quod, dum prælegatum eidem assignavit adjunxit = *sotto le infrascritte condizioni, e non altrimenti ec.* = et illum hæredem suum nuncupavit ea lege, ut usumfructum duorum prædiorum favore fratrum, vel statim dimitteret, ut inde inferre possint Josephum in conditione apposita implenda defecisse, ideoque hæreditati quodamodo valedixisse. Tenor siquidem Testamenti contrarium prorsus evincit. Prima namque cera scripsit idem Testator prælegata nonnulla favore singulorum fratrum Galea, nulla adjecta Lege, sive onere, mediis dein tabulis eosdem Fratres hæredum titulo honoravit, nullo pariter apposito onere, sive conditione; demum rebus aliis cunctis dispositis, ad oneris injunctionem, et caduci pænam in Josephum indictam devenit.

Hinc, nisi verborum cortici hærere 5
velimus, cum in exarando Testamento, vel in quacumque alia explicanda voluntate primo confertur emolumentum, pure, ac simpliciter, mox, sejuncta ora-

tione, lex aliqua, sive onus adiicitur, sub pæna ei indicta, qui emolumentum quæsiverat quamvis conditionis verbo usus sit Testator, attamen dispositio non conditionalis, sed pænalis potius, ac modalis intelligenda est. *Aretinus in Leg. Titia* 134 *num.* 3 *de verb. obligat. quem sequuntur Peregrin.* de *Fideicom. Art.* 11 *numer.* 29 *Card. de Luca eod. tract. disc.* 154 *numer.* 12 *Palma Nepos Allegat.* 368 *num.* 2 *Constant. Vot.* 295 *et* 186 *et firmatum est in Decis.* 124 *num.* 4 *et seq. coram Molines Decis.* 71 *num.* 5 *coram Veri, et Decis.* 318 *num* 25 *coram Riminaldo*: Ex quo sequitur, non posse Josephum caduci pænæ subiici ab hæreditate, legatove Patrui sui, quia cessionem ususfructus statim non explevit; cum enim Johannis Mariæ dispositio modalis sit, sive pænalis, non est ille pæna plectendus durissima, antequam curæ omnes, cauthelæ, ac monitiones, quas Legum humanitas exigit, erga eumdem adhibitæ demonstrentur.

6 Deterius vero insistunt Benedicti hæredes verbis, quibus Testator in explicanda sua voluntate quoad cessionem ususfructus Josepho præscriptam usus fuit, nempe = *che seguita la sua morte esso Signor D. Giuseppe sia tenuto, ed obligato di subito cedere* =, ut ex his arguant diem implendæ voluntatis præfinitam fuisse quæ pro homine interpellare deberet juxta *Text. in Leg. Magnam Cod. de contrahen., et committ. stipulat.* Etenim præterquam quod præceptum illud = *cedere subito* = impleri themate haud poterat, quia ususfructus ille, qui cedi debebat ex præcisa voluntate Donantis Patrimonium Sacrum Josephi constituebat, ideoque de eo sine Episcopi venia quomodocumque disponere nefas erat, quemadmodum statutum prostat in SS. Canonibus Concilii Tridentini *Sess.* 22 *de Reformat.* Accedit alia ratio, utique scilicet diem, juxta allegatam Legem interpellare valere pro homine, attamen id in jure cautum esse tantum, ubi res sit de pactis mere conditionalibus, minime vero in modalibus, et pænam contraventori infligentibus, in quibus nemo a purgatione moræ excluditur nisi vera præiverit interpellatio, quæ diei præfinitione suppleri non potest *Decis.* 403 *num.* 8 *et seq. coram Olivatio.*

Tandem incivile est Benedictum, sive, quod idem est, ejusdem Filios, hæredesque hodie velle exhæredem fieri Josephum, quem persæpe, tum ipse Benedictus, tum alter exfratribus Carolus, tamquam cohæredem habuerunt. Prostat siquidem in actis Authenticis Carolum locasse cuidam Michaëli Muscat = *due chiuse di terra disgiunte site, e poste nell'Isola del Gozo, ed in contrada la Madur denominate una Xarata Tamburlia, e l'altra ta Gebel Hamar* = quæ in Joannis hæreditate fuerunt = *si a nome proprio, che de' suoi fratelli.* Fratres autem illi erant tantummodo Benedictus, et Joseph. Rursus constat eumdem Benedictum locasse aliam, quam ibidem vocant terræ clausuram *Vier Bingemma* nomine fratris Joseph, qui eam ex communis Patrui testamento acceperat. Quæ omnia, cum Josephum tamquam cohæredem a cæteris fratribus agnitum, babitumque ostendant, illum pariter a quolibet exclusionis conamine vindicant juxta *Text. in Leg.* 23 § 1 *ff. de inoff. Testamento.* 7

Atque ita etc. altera tantum etc.

MACERATEN SEU PISAUREN

NULLITATIS EXECUTIONIS

Lunae 9 *Aprilis* 1821.

ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. *Exequutio, facta praeeunte Judicis Mandato, et pro quantitate in mandato ipso contenta, justa semper praesumitur.*
2. *Qui exequutionis nullitatem allegat, nullitatem ipsam evendentissimis probationibus ostendere tenetur.*
3. *Juxta articulum 1281 Judiciariae praxeos, exequationi nullitatis nota impingitur tantum* - se siansi fatte oltre la somma contenuta nel mandato, e non siansi buonificati ti pa-

gamenti fatti al creditore posteriormente alla Sentenza. -

Solutiones ut novationem Sententiae inducant, oportent quod sint peractae - posteriormente alla Sentenza - ibidem. -

4. *In distractione pignoris per deliberationem, excessus vel minimus nullitatem parit, quod secus evenit in sola mandati exequutione, per quam debitor a possessione non amovetur.*

DECISIO XXXVIII.

Residuum crediti frugiferi, in ratis persolvendi, ad vim usque Scutatorum 1366 et obul. 66 Anno 1814 contracti, quo Marchionissa Lucretia Erculania pollebat adversus Annam Arcangeli, ejusque Virum Franciscum Orlandi, ab anno usque 1816 numerata Erculaniæ respondenti pecunia, ut acquisiverat Antonius Ricci Pisaurensis, de cujus honestate, quam summa cum injuria prædicti Conjuges in dubium revocare apud Signaturæ Tribunal ausi fuere, luculentissimam perhibent fidem innumeri testes omni exceptione majores. Cum vero die 20 Martii 1817 jam venisset tempus præfinitum solutioni primæ ratæ, quin debitores obligationi satisfacere curassent, quo in casu ex apposita pactione, jus erat Creditori integrum petendi caput *mancanda la Signora Arcangeli al puntual pagamento di qualcuna delle suddivisate rate, e suoi frutti in scadenza, si intenda, e si abbia per scaduta l'intiera somma rimanente* = Hinc die 12 Augusti anni 1817, judicium instituit Riccius adversus præfatos Conjuges ad Tribunal, quod in prima actione jus dicit Anconæ, votisque consonam obtinuit Sententiam, tum qnoad sortem scut. 1366 et obul. 66 tum etiam quoad fructus decursos, et non solutos, eo usque efficientes vim scutatorum 68 et obul. 35, Ad Signaturam Justitiæ confugerunt tum debitores, quæ devolutivam tantum appellationem eis concessit pro rata scut. 600 per clausulam *sine præjudicio* in reliquis vero respondit *Si quid exequendum, et omnia eidem, et amplius.*

Solutis itaque a Conjugibus scutis 600 actum iterum de Caussa fuit apud Maceratenses Appellationis Judices, qui mense Julii 1819 primæ actionis Tribunalis Sententiam quoad sortem probarunt, quoad fructus autem revocarunt. Hujusce Sententiæ effectum præpedire, aut saltem remorari sategerunt debitores ad Signaturæ Tribunal, sed eorum conatus in irritum cesserunt. Quare die 3 Januarii 1820 Riccius, sequutæ solutionis in scutis 600 immemor, exequutioni submisit pro integro Credito binas ex tribus partibus domus Fani Fortunæ positæ, ad debitricem Annam Arcangeli pertinentes: antequam vero ad subhastationem et deliberationem Riccius veniret, nullitatis exequutionis querelam apud idem Maceratense Tribunal Anna debitrix proposuit, causans quod ea commissa fuerit pro summa scutorum 1215 31 haud deductis Scutis 600 antea solutis. Sed inutiliter, quia bornm scutorum 600 solutio præcesserat Sententiam, et Mandatuni, ex quibus exequutio fuerat expleta. Hinc iterum ad Signaturam Justitiæ convolavit, a qua cum Causa ad nostrum S. Ordinem remissa fuerit, dissolvendum, hodie proposui dubium *An constet de nullitate exequutionis in casu etc.* cui Patres, silentibus debitoribus, responderunt *Negative.*

Tritum per ora eorum, qui in Foro versantur, excurrit adagium, præsumptionem semper stare pro validitate exequutionis, quæ facta dignoscatur, præeunte Judicis Mandato, et pro quantitate in Mandato ipso contenta *ad Text. in leg. 2 cod. de Officia Civil. Judic.*; ita ut, qui illius nullitatem allegat, et exequutionem deleri postulat, nullitatem ipsam, Legibus exosam, quocumque ex capite evidentissimis probationibus ostendere teneatur ad firmata *in Decis.* 512 *num.* 8 *et* 9 *p.* 14 *decis.* 169 *num.* 4 *et* 5 *p.* 16 *in recent., et in decis.* 166 *num.* 1 *coram Molines.* Atqui exequutio, de qua quæritur, facta fuit = *in forza di un mandato esecutivo reale rilasciato dal Tribunale di Appello* =. Mandatum autem hoc ad tramites præcedentis Sententiæ vim continebat scutatorum 1366, et obol. 66. Ergo, cum Riccius ad exequutionem devenerit = *per* 1

la somma di scudi 1215 31, = ea scilicet, quæ in Mandato continebatur, longe minori, ceu acta ejusdem exequutionis perhibent, palam est hanc, utpote Mandato apprime consonam de excessu redargui minime posse.

2 Quin rem mutet solutio scutatorum 600, quam Conjuges debitores post Rescriptum Signaturæ Justitiæ expleverunt, quæ originariam debiti quantitatem imminuit; Ad tramites siquidem Legum nuperrimarum, ac præcipue *Articuli* 1281. Judiciariæ Praxeos Codicis exequutioni summam vere debitam excedenti nullitatis nota impingitur tantum = *se l'esecuzione siasi fatta oltre la somma contenuta nel mandato, e non siansi buonificati li pagamenti fatti al Creditore POSTERIORMENTE alla Sentenza, o Decreto etc.* =. Exceptis autem duobus hisce casibus, quorum nullum prorsus in themate verificari palam est, regula, vel in ipsa frontem ejusdem *Articuli*, constituitur = *Si sosterrà per la somma dovuta un'esecuzione fatta per una somma eccedente, benchè l'esecuzione sia caduta sopra un pegno vivo* = Præterea nil antiquius, etiam ante legum novissimarum promulgationem, quam ut exequutiones, præsertim reales admissæ pro summa in Mandato comprehensa serventur pro summa debita. *Decis.* 86 *apud Post. de subhast. num.* 1, *et num.* 6 *decis.* 562 *num.* 21 *et* 574 *numer.* 22 *coram Bichio, decis.* 124 *num.* 12 13, *et* 14 *coram Dunozet Sen. Decis.* 481 *P.* 19 *Recent. Tom.* 2 *num.* 9 10, *et decis.* 487 *num.* 2 *cor. Molines.*

3 Neque in re adeo explorata recte obiicerent debitores agi hic de solutione, quæ apocham præsefert posteriorem Sententiæ, ac Mandato Judicum prioris instantiæ, ut inde novationem, seu extinctionem Mandati ipsius inducant. Quia id recte forsan illi opponere valerent, si Mandatum illud exequutioni datum fuisset, deque illius Mandati exequutionis excessu nunc ageretur. At aliter profecto se res habet: Sententia quippe priorum Judicum, ab iisque concessum Mandatum nil habent commune cum exequutione, quæ admissa evincitur = *in forza di un Mandato esecutivo rilasciato dal Tribunal di Appello* = quod certe novatum, vel extinctum non fuerat per interpositas solutiones. Et sane, dum supra relatæ Legis *Articulus* = ait = *POSTERIORMENTE alla Sentenza, o Decreto* = patet sese referre voluisse ad Sententiam, Decretumve, cujus vigore peracta fuit exequutio; minime vero ad alias Sententias, sive Decreta, quæ forte præcesserint.

Quod etiam æquitati, a qua jus nostrum dissociatur nunquam congruere 4
manifestum est. Etenim, licet Creditor partem debiti receperit; tamen, si mandatum pro integra quantitate obtinuit, quia debitor omisit solutionem ante Sententiam allegare, excusandus est, si et ipse omisit solutam summam deducere. Quare æquitas exigit, ut pro actus validitate tuenda sufficiat etiam post exequutionem deducere solutiones præcedentes Sententiam, ut illa pro summa debita servetur; præsertim quia sola mandati exequutio debitorem a possessione non amovet, secus ac fit in distractione pignoris per deliberationem in qua idcirco excessus vel minimus nullitatem parit. *Sallust. Tyber. in Prax. lib.* 1 *Cap.* 37 *num.* 4, *Ridolphin. in Prax. Part.* 1 *Cap.* 6 *num.* 23 *decis.* 91 *num.* 6 *coram Burat.* Modificari igitur, everti vero nunquam poterit exequutio rite, ac recte a Riccio expleta.

Atque ita etc. altera tantum etc.

MONTIS ALTI SEU FIRMANA

DOTIS SUPER FRUCTIBUS

Lunae 29 *Januarii* 1820.

ARGUMENTUM

Fructus dotis quantitativae haud amplius debentur post solutum matrimonium, quum conventio cohibita intelligi semper debeat ad tempus quo Matrimonium est duraturum. Ubi vero agatur de Matrimonio soluto per obitum viri, ad condicendos fructus sufficit sola interpellatio contrajudicialis; vero si res est de Matrimonio soluto per mortem Uxoris, legitima Castrensium interpellatio ne opus est.

SUMMARIUM

1. *Fructus dotis quantitativae, soluta ob Uxoris obitum matrimonio, non debentur nisi legitima praecesserit requisitorum Castrensium interpellatio.*
2. *Connubio ex Uxoris funere dissoluto, neque dos est amplius, neque onera Matrimonii supersunt.*
   Filiorum sustentatio haud est proprie onus Matrimonii, sed obligatio, quae independenter a dote, patri incumbit - ibidem. -
3. *Obligatio solvendi fructus dotales, habito respectu ad onera Matrimonii, cohibita intelligi debet ad tempus, quo Matrimonium est duraturum.*
   Nunquam praesumitur, contrahentes stipulari voluisse interusuria, jure divino, canonicoque improbata - ibidem. -
4. *Dotis creditum, soluto matrimonio, sterile evadit, et conventio de solvendis fructibus usurariа labe infecta est.*
5. *Dos non supplet locum legitimae, ubi ex statutaria jure, faeminae a successione arcentur.*
6. *Dos tunc solummodo in locum legitimae succedit, ejusque fulcitur privilegiis, cum faeminae a successoribus arceantur propter dotem, non vero propter masculos.*
7. *Fructus dotales, habentur tamquam adventitia, in quibus patri competit usufructus.*
   Ubi agitur de pupillorum substantia, usurae debentur loco damnorum et interesse ab illo, cui investiendi onus spectabat - ibidem. -
8. *Si res est de Matrimonio soluto per obitum viri, viduae superstiti, ad fructus dotales pecuniae assequutionem sola sufficit interpellatio extrajudicialis.*
   Ut vero usurae condici possint, ubi agitur de matrimonio soluto per obitum mulieris, haud una sat interpellatio, sed caetera concurrant oportet requisita, quae indigitat Paulus de Castro - ibidem. -
9. *Nullius est momenti ad fructus assequendos asserta pecuniae investendae occasio, si ea specifice debitoribus denunciata non fuerit.*
   Debitoris confessiones, vel tacitae agnitiones, nullius momenti sunt, si res sit a lege reprobata - ibidem. -
10. *Interpellatio ad fructus dotalis condicendos, per aequipollens suppleri potest tantum in casu, quo Matrimonium solutum sit per mortem Viri.*

DECISIO XXXIV.

Dum, anno labente 1798, in Oppido Montis Georgii, nuptiæ conciliatæ fuere inter Franciscam Tentoni, et Paschalem Giovannini, in nuptialibus tabulis Sanctes, Franciscæ Parens, nec non Josephus, et Vincentius, ejus Fratres, dotem ei constituerunt in quantitate scutatorum *Septingentorum*, quam tamen, dotis causa, ad consulendum familiæ decori, ad vim usque Scutatorum mille in iisdem tabulis extulerunt. Quoad vero dotis hujusce promissæ numerationem inducias sibi stipulari Tentonii voluerunt; quare conventum fuit, persolvendam illam esse = *in termine di anni quattro* = addita tamen promittentium obligatione = *di pagare allo Sposo i frutti compensativi alla ragione di Scudi quattro e mezzo per cento in moneta Sonante, come sopra* = ; ac adjecta etiam hac lege « *e non isborsando l'accennata Somma entro il prefisso termine, si obligano a pagare i detti frutti sino al totale sborso di detta dote.*

Susceptæ autem obligationi stato tempore haud satisfecere Tentonii; atque interim de anno scilicet 1805, diem obiit Supremum Francisca, tribus ei Superstitibus filiis, Raphæl, Marianna, ac Theresia. Cum vero promissæ usuræ, quarum cursum, soluto, per Franciscæ obitum, matrimonio, cessavisse omnes fortasse ignorabant, æquo mitiores Giovanninio viderentur, facile ab altero ex Tentoniis fratribus, Canonico Joanne Baptista Syngrapham de anno 1807 obsignari obtinuit, qua ipse, fratrum etiam nomine, debitum dotis rursus professus, fructuum in posterum præstandorum quantitatem adauxit ex Scutatis annis, pro integro capite, 31 et obol. 50 ad annua Scutata 46, ipsamque dotem sese traditurum intra annum 1810 pollicitus fuit. Dein, cum debitores fructuum solutionem interdum neglexissent, hinc, eodem Anno 1807 per epistolas cum Giovanninio egerunt de adinvenienda sub cambiali nomine summa Scutatorum circiter centum, cujus tum ipsi debitores esse pro decursis usuris falso putabant, quod Cambium pro eis inivisse, et pecuniam ex eo haustam in satisfactionem prædictorum dotalium fructuum sibi addixisse, Giovanninius asseruit.

Postea vero, cum Tentonii agnovis-

sent dotales fructus, post Franciscæ obitum, absque caussa fuisse solutos, eoque magis adauctos; atque etiam in eam venissent opinionem, quod dotis caput reductioni esset obnoxium plures Giovanninio excitarunt quæstiones contendentes *primum* tribuendam ipsis esse reductionem capitis dotis, utpote constitutæ de tempore, quo viliores monetæ species in commercio reperiebantur; dein fructus, post solutum matrimonium per mortem Franciscæ, sine usuraria pravitate exigi haud posse, *hinc* indebite illos auctos fuisse per Syngrapham anni 1807, *demum* nullo modo extitisse cambium quod a se initum Giovanninius, uti superius enarratum fuit, asserebat.

Ex partium compromisso harum omnium quæstionum definitio, R. P. D. Auditore SSmi auctorante, ad S. Nostrum Tribunal remissa fuit « *Videntibus OO. DD. præviis duabus, et appellatione remota* » Quatuor idcirco concinnata fuere Dubia, quorum *primum* de reductione Capitis Dotis, et *alterum* de dotis fructibus hisce conceptum verbis « *An sit locus solutioni fructuum dotis post obitum Franciscæ, seu potius fructus persoluti sint in sortem imputandi, in casu etc.*, in Comitiis diei 28 Februarii elapsi anni 1820 proposita, et dirempta a Patribus fuere responsis votis Giovanninii undique consonis, ut patet ex Decisionibus *Montis Alti seu Firmana Dotis Super reductione* coram emeritissimo R. P. D. Odescalchi, *et Eadem Super fructibus* ejusdem diei *coram eodem*, qua superius relato quoad *fructus* Dubio ad quod præsens spectat Decisio responsum fuit « *Affirmative, ad primam partem, Negative ad Secundam* ». Præterea insequentis Mensis Maii die 12 ab eodem R. P. P. Ponente proposita fuere reliqua duo Dubia *Super Augmento Fructuum, et* Super *validitate Cambii*, quæ Tentoniis vadimonium deserentibus, pro Giovanninio resoluta videntur in Decisione *Montis Alti, seu Firmana Dotis super Augmento fructuum*, et altera eumdem præseferente titulum, ac diem *super Validitate Cambii*. Sublata dein prima quæstione *de reductione dotis* per renunciationem liti a Tentoniis emissam, firma remanente prosequutione judicii quoad alias quæstiones, suffectus ergo superius laudato R. P. D. Odescalchi primum in Rotali Conventu diei 15 Junii 1820, Patres interrogavi de ulteriori sententia quoad *dotales fructus* per assuetam Dubii formulam « *An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu etc.*, et tum judicium fuit comperendinatum. Hodie vero idem proposui Dubium una cum altero Super *fructuum Augmento*, de quo agit contemporanea Decisio, atque, rebus a Tentoniis illustriori in loco positis, Responsum accepi « RECEDENDUM A DECISIS.

Dotis, de qua res est, usuras, etiam 1
post Franciscæ funus, esse a Tentoniis præstandas in anteacta causæ disceptatione, non ideo Patres censuerunt, quia perspectum haberent dotis non solutæ fructus, disjuncto conjugii vinculo per mortem Uxoris, liberis superstitibus, viro ex juris dispositione debitas esse; sed quia, quidquid esset de hac summopere inter Doctores exagitata quæstione, alia pro Giovanninio concurrere videbantur ad dotales fructus assequendos rationum momenta, quæ maturiori examini subjecta tanti hodie Patribus visa non sunt, ut hi fructus ei possint addici; ex juris vero dispositione hoc haud deberi, re intimius perscrutata, constituere haud dubitarunt. Et re quidem vera dotis quantitativæ fructus, soluto, ob Uxoris obitum, Matrimonio, ab eo, qui dotem promissam, sive constitutam adhuc non tradidit, ex Juris censura præstandos haud esse, nisi legitima præcesserit Requisitorum Castrensium interpellatio, satis exploratum facit Saniorum Jurisconsultorum veneranda auctoritas, et constans S. Nostri Ordinis Sententia, quas exhibent *Gratian. Discept. Foren. Cap.* 427 *num.* 1 *Boss. de Dote Cap.* 20 *num.*77 *Carocc.Discept.*6 *num.*25 *Card. de Luca de Dote disc.* 161 *num.* 59 *Const. ad Stat. Urb. Adnot.* 34 *Art.* 2 *num.* 176 *et Postius resolut.* 77 *n.* 1 *et Rot. in Decis.* 292 *num.* 1 *coram Cavalerio*; *Decis.* 1572 *num.* 11 *coram Coccino*: *Decis.* 457 *num.*

20 corom *Merlino, Decis.* 260 *num.* 1 corom Cerro; *et in Carpenetoroten. Pecuniario super* 1 *Dubio* 9 *Junii* 1747 § 10 *coram Clemente: in Cesenaten Dotis super restitutione in integrum* 27 *Februarii* 1758 § 4 *coram Ratta*; *in Anconitana, seu Senogallien. Fructuum Dotis* 12 *Junii* 1797 § 3 *corom Acciajuoli, et in Confirmatoria diei* 7 *Maii* 1802 *per tot coram nunc Emo Cesarei.*

2 Et sane, cum ea sit fructuum dotalium destinatio, ut, matrimonio constante, viro ad sustinenda illius onera inserviant, quæ in mulieris tantummodo alimonia decentique exhibitione consistunt, æquum profecto est, connubio ex Uxoris funere dissoluto, nil ulterius exigi posse horum fructuum nomine; extincto siquidem Matrimonio, neque dos est amplius, neque matrimonii emolumenta, neque onera, cum *non Entis nullæ sint qualitates.* Quin rem mutet, Francisca defuncta, filios superfuisse; horum namque sustentatio haud est proprie onus Matrimoni, sed hæc Patri incumbit, qui eos alere teneretur, seposita etiam dote, si quæ fuerit constituta, ejusque fructibus « *Castill. de Aliment. cap.* 51 *num.* 1, *Adden. ad Gregor. decis.* 573 § *final., Grotion. disceptot. Foren. cap.* 427 *num.* 4, *et sequ., Urceol. Consult. Foren. cap.* 15 *num.* 1 *Posthius resolut.* 77 *num.* 1 *Cord. de Luca de Dote disc.* 161 *num.* 59, *et seq.*; *Palma decis. Lucen.* 31 *num.* 19 *et sequ., et Rota in decis.* 1572 *num.* 12 *corom Coccino decis.* 360 *num.* 5 *coram Cerro, decis.* 453 *num.* 20 *coram Merlino, et in superius laudata Anconitano, seu Senogallien fructuum Dotis* 12 *Junii* 1797 § 4 *cor. Acciajuoli.*

3 Quibus in Jure positis, ad severiorem trutinam revocanda PP. visa sunt, quæ Giovanninius in præcedenti Caussæ discussione proponebat, ut controversos Dotis fructus debitos fuisse defenderet, eaque nullomodo opponi posse luculentissimæ Juris dispositioni arbitrati sunt. Et primo non bene contendebat ipse usuras, de quibus quæstio est, seorsim quoque a Jure, *ex pacto* sibi debitas esse: Licet enim in nuptialibus tabulis, dum Franciscæ dos a Teutoniis constituta fuit, contemplata appareat = *la soprovvenienza della prole* =, et quamvis in iis expresse cautum fuerit = *Non isborsando l'accennato somma entro il prefisso termine si obligono* =, dotis nempe promissores, = o *pagare i detti frutti sino al totole sborso di detto dote* = attamen mentio illa de = *sopravvenienzo della prole* =, præter quamquod est, potius Tabellionis loquacitati quam contrahentium volantati tribuenda, est dein coercenda intra limites superius panditæ a contrahentibus voluntatis. Cum enim obligatio, pro solutione fructuum, a Tentoniis suscepta videatur, habito respectu ad onera Matrimonii, quæ Giovanninius subire debebat, et quæ eo dissoluto, prorsus evanuerunt, evanescere etiam debuisse ex promittentium voluntate fructuum præstandorum pactionem necesse est, quæ nonnisi ad tempus, quo Matrimonium esset duraturum, inita intelligi debuit. Idemque tenendum est de posteriori pactione quoad fructuum solutionem, cum pateat eam respexisse ad dotis usuras solvendas, quoad dotis natura, ac indoles extitisset; at si, soluto matrimonio, hæc dotis natura, ac indoles cessat, cessare quoque debuit ejusmodi stipulationis vis; et re quidem vera, si aliud contrahentes sensissent, haud sane cavissent interusuria fuisse solvenda = *sino ollo sborso di detto dote* =, sed *sino ollo sborso di detta sommo* = Cui interpretationi, quæ dotalium fructuum cursum, soluto per mortem Uxoris Matrimonio, excludit, eo firmius Patres adhærendum putarunt, quia alias usura erumperet a Jure Divino, Canonicoque improbata quam contrahentes nullo modo valuisse præsumendum est; et ne velle quidem, nisi legitimo modo potuissent.

Quod adeo veritati consonum est, 4 ut contra Juris dispositionem, quæ dotis creditum sterile esse, matrimonio soluto, constituit, nisi Requisita Castrensia, quæ minime evincit Giovanninius luculentissime accedant, nulla admittatur, etsi apertissimis verbis expressa de fructibus pecuniæ in dotem constitutæ rependendis conventio, ut-

pote quæ usuraria labe infecta esset, bonisque moribus contraria, nec potest privatorum conventionibus, quod Jure Divino, atque humano illicitum est, licitum fieri, uti in terminis docuerunt *Bellon. Consil.* 64 *per tot.*, *Post. Resolut.* 77 *num.* 2 *et sequ. Urceol. Consult. Consult. Foren. cap.* 15 *num.* 22 *Card. De Luca de Dote disc.* 61 *num.* 60, *Constant. ad Stat. Urb. Annot.* 34 *art. num.* 181, *Palma decis. Lucen.* 31 *num.* 32, *et Rot. dec.* 1572 *num.* 32 *coram Coccino, decis.* 360 *num.* 24 *coram Cerro*, *in Cæsenaten. Dotis super Restitutione in integrum* 27 *Februarii* 1758 § 7 *coram Ratta, in Anconitana, seu Senogallien. fructuum Dotis* 12 *Junii* 1797 § 8 *cor. Acciajuoli, et in confirmatoria diei* 7 *Maii* 1802 § 8 *cor. nunc Emo Cesarei.*

5 Neque firmiori fundamento inniti compertum fuit, quod ad controversos fructus obtinendos, secundo loco proponit Giovanninius ex dispositione Statuti Montis Georgii, cujus manca, ac mutila particula, quam ipse in prima Causæ disceptatione exhibuit in eam opinionem Patres adduxit, ut Dotem Franciscæ loco legitimæ habendam esse putarent, ita ut juxta notissimas juris dispositiones e propria ejus indole ac natura fructus gignere deberet. Verum integra, ut par erat allata supradicti Statuti Rubrica, facile innotuit dotem Franciscæ constitutam numquam posse ad illius Legis Municipalis censuram loco legitimæ subrogatam intelligi. Reque vera Statutum illud Agnationem conservadam primum considerat, eamque ponit, uti finalem causam exclusionis fæminarum; incipit enim = *pro Agnatione conservanda ordinamus* = Atque agnatis Masculis tantummodo ad successionem vocatis expressim fæminas, tam dotatas, quam indotatas ab omni successione removet, etiam feminarum, ac dein eas dotari jubet, si nubant, atque, donec nuptui tradantur exhiberi ab iis, quibus dotandi onus incombit, quin ipsis, vel quid minimum tribuat, sive jure legitimæ sive ob incongruitatem dotis.

6 In jure autem exploratum est, quod tunc solummodo dos in locum legitimæ succedit, ejusque fulcitur privilegiis, cum nempe fæminæ a successionibus arceantur propter Dotem, non vero propter masculos, neque aliunde appareat Statuta eis quotam legitimam voluisse minuere, juxta distinctionem traditam *post Caetrens. in leg. Titio centum* § *Titio n.* 8 *de condit. et demonstrat.*, *Honded. cons.* 46 *lib.* 1, *Constant. ad Stat. Urbis annot.* 35 *art.* 2 *num.* 80 *Thomat. decis. Maceraten.* 203 *num.* 16, *et Rot. in decis.* 46 *num.* 8 *post Bonden. Collect. legal. tom.* 1. Cæterum omnis hac de re exulat quæstio, cum Statutum Montis Georgii fæminas excludere propter masculos; ideoque earum dotem in legitimæ locum haud succedere decisum jam fuerit a Rota Maceratensi, teste *Thomat. decis.* 152 *num.* 1, *et sequ.* Non est igitur, cur Giovanninius eo sub nomine, quod Franciscæ dos legitimæ vice fungatur, post eam defunctam, dotalia exigere posset interusuria, quia matrimonio soluto, ea dos sterile pecuniarum creditum evasit, ut in terminis firmavit superius citata *Anconitana, seu Senogallien. Fructuum Dotis* 12 *Junii* 1797 § 5 *et* 6 *cor. Acciajoli.*

Nullius etiam ponderis esse compertum fuit tertium argumentum, quo Giovanninius controversos fructus vindicare conabatur, contendens rem esse de pecunia pupillari quæ nunquam infrugifera jacere debeat. Primum enim frustra filiorum jura quoad dotis fructus proponit Giovanninius, quia hi non ad filios, sed ad ipsum pertinuissent, ex usufructu patri debito in bonis adventitiis filiorum *ad Text. in leg.* 6 *Cod. de bonis quæ liber.*, atque ideo e pecunia, ad filios quoad proprietatem tantum spectante, usuras ipso assequi numquam potuit, absque Castrensium Requisitorum interpellatione. Præterea, etiamsi de pupillorum substantia res esset, non ideo e sterili pecuniario debito usuræ a Tentoniis essent præstandæ. Quamvis enim ex jure obstrictus sit ad usuras pecuniæ pupillaris præstandas loco damnorum, et interesse, is, cui illius investiendæ o- 7

nus spectat, qualis est tutor juxta censuram *Textus in L.* 7 § 3 *ff de Administr. et Juris Tut., et tot. tit. Cod. de Usur. pupill.*, cui perperam innititur Giovanninius, hæc tamen juris dispositio inutiliter proponitur contra eos, quibus investiendæ pecuniæ munus haud incumbit, quales in themate sunt, quoad dotem Franciscæ constitutam, fratres Tentonii, qui curare haud debebant de pecuniæ ab ipsis debitæ investimento, nec obstricti esse poterant ad usurarum deficientium damnum pupillis sarciendum; Investimenti onus ad Giovanninium tantum, uti filiorum substantiæ administratorem, spectasset; hinc, si ipse interpellationem Requisitorum Castrensium omittendo, creditum dotale sterile reddidit, frustra pupilli, quavis in hypothesi, a Tentoniis repeterent quod ex parentis oscitantia amisissent, ad firmata in simili casu in *Decis.* 360 *num.* 9 *cor. Cerro.*

8 Futile etiam prorsus esse agnoverunt Domini id omne quod demum Giovanninius asserebat, ut defectum interpellationis Requisitorum Castrensium suppleret; Quam siquidem ipse ostentabat, extrajudicialis interpellationis præsumptio, exhibitis epistolis, in quibus Tentonii etiam post Franciscæ obitum inducias ab eo ad solutiones perficiendas sæpe impetraverunt, corruit omnino, quia hæ epistolæ petitionibus capitis constitutæ dotis respondent, non usurarum. Præterea, ad usuras jure petendas, Giovanninio baud profuisset *extrajudicialis* interpellatio, cum neque *judicialis* satis esse potuisset. Non enim res erat de Matrimonio soluto per obitum viri, quo in themate, ideo, Viduæ superstiti, dotis adhuc creditrici, ad fructus dotalis pecuniæ assequutionem sola sufficit interpellatio, quia ex dote quantitativa fructus petendi, loco alimentorum, jus habet; sed agebatur de matrimonio soluto per obitum Mulieris, quo in casu, ut usuræ possint condici, haud una sat est interpellatio, sed cætera etiam concurrant oportet requisita, quæ indigitat *Paulus de Castro in L.* 3 *ff de eo quod certo loco*; *Ridolphin. in Prax. part.* 1 *Cap.* 8 *num.* 263, *et Rot. in Recent. Decis.* 401 *num.* 40 *Part.* 16 *alibique passim.*, nemque, præter crediti petitionem et constitutionem debitoris in mora, promptam investiendi pro creditore occasionem, hujusque occasionis amissionem ex debitæ pecuniæ defectu sine quibus requisitis rite, recteque interpellatis dotales usuræ, post uxoris funus exigi nequeunt, vel a viro, vel ab uxoris hæredibus, ut casum a casu distinguendo tradit *Decis.* 244 *num.* 8 *cor. Molines et decis.* 224 *num.* 21 *cor. Riminaldo.*

Quin Giavanninio prosit Septimii 9
Nobili testimonium proferre, qui fenebrem ab ipso pecuniam ad rationem decuncem requisivisse declarat, ex quo ipso arguere satagit pecuniæ investiendæ occassionem, hujusque, pecunia haud sibi numcrata, amissionem. *Primum* enim spernenda prorsus est unici Testis fides: *dein* nullius momenti esset ad fructus assequendos asserta hæc pecuniæ investiendæ occasio, cum ea specifice debitoribus denunciata non fuerit, *per Cyriac. Controv.* 546 *num.* 13, *Urceol. Consult. Forens.* 84 *num.* 3 *et Rot. cor. Coc. Decis.* 498 *num.* 2, *et in Romana Pecuniaria* 20 *Martii* 1747 § 6 *coram Bussio*, *et in Ravennaten.*, *seu Æsina Pecuniaria* 27 *Januarii* 1759 § 7 *coram. Canilliac.* Nec pluris faciendæ sunt debitorum assertæ agnitiones per Giovanninium elicitæ, *vel* ex iteratis solutionibus usurarum post obitum Franciscæ, *vel* ex Syngrapha Canonici Tentonii Anni 1807; qua ipse fructuum debitum admisit; Hæc namque omnia errori potius, ac metui, ne Giovanninius ipsos illico ad dotem numerandam adigeret, tribuenda sunt; et nil prodesse possunt ei, qui nullo jure, sive usuras, sive declarationes illas exigendi pollebat; et cum Giovanninio nec ipsum expressum usuras solvendi pactum prodesse demonstratum fuerit, eo minus ullius ei præsidii esse possunt debitorum, vel agnitiones tacitæ, vel confessiones uti S. Ordo constituit *in Decis.* 360 *num.* 18 *et seqq. coram Cerro*; *in Ravennaten.*, *seu Æsina Pecuniaria* 29 *Januarii* 1759

§ . . . . *coram Canilliac., et in Camerinen. Condictionis indebiti* 27 *Junii* 1796 § 3 *cor. Gardoqui.*

10 Cum vero legibus omnibus contraria ea usurarum dotalium petitio dignoscatur, et nullius esse ponderis, quæ efferebantur a Giovanninio argumenta ad fructuum perceptionem defendendam jam liquido constet; perperam demum confugiebat ipse ad res inter alios actas, et judicatas nonnullas allegans S. Nostri Tribunalis Decisiones, in quibus statuitur interpellationem ad fructus dotales condicendos per æquipollens suppleri posse. Compertum namque est illas respicere ad omnino diversam thesim, solutionis, nempe Matrimonii per mortem viri, in qua, ceu superius dictum fuit, jus est Viduæ fructus dotales loco alimentorum assequendi; numquam vero constitutum fuit, quod, per Uxoris obitum soluto Matrimonio, ad dotalem pecuniam frugiferam efficiendam necessaria Requisita Castrensia possint per equipollens suppleri. Consequitur itaque ex hisce omnibus post Franciscæ funus dotalis pecuniæ fructus a Giovanninio ejus viro exigi haud potuisse, atque indebite exactos in diminutionem capitis illius dotalis pecuniæ esse imputandos.

Atque ita, Universa Aula mecum suffragium ferente, in conflictu Partium decisum fuit.

MONTIS ALTI SEU FIRMANA

DOTIS

SUPER AUGMENTO FRUCTUUM

Lunae 29 *Januarii* 1821.

ARGUMENTUM

Argumento non indiget.

SUMMARIUM

1. *Contrahentium declaratio, non sufficit ad abstergendam a contractu labem usurariam.*
2. *Corruit obligatio, quae ex falsa causa suscepta demonstratur.* *Pupillorum favor, tanti valere nequit, ut ejus promovendi gratia, leges quae publicum ordinem respiciunt, possent everti - ibidem. -*
3. *Testis, qui neque Argentarii, neque Proxenetae qualitate est indutus, nullam fidem meretur, quoad promptam collocandi pecuniam occasionem.*

DECISIO XL.

Narrat altera hujusce diei mea Decisio, cui titulus *Montis Alti, seu Firmana Dotis super fructibus.* Paschalem Giovannini, post obitum suæ Uxoris Franciscæ Tontoni, qui contigit die 5 Maii 1805, ab uno ex fratribus Tentonii, Canonico Joanne Baptista, syngrapham obsignari obtinuisse, die 21 Aprilis 1087, qua hic, cæterorum, quoque fratrum nomine, ita sese devinxit = *Non volendo di vantaggio ledere l'interesse de'nostri Nepoti mi obligo anche a nome de'miei Fratelli con la Clausula de rato, alias de proprio, aumentare della rata* = fructus nempe dotis Franciscæ constitutæ = *a scudi quarantasei annui da incominciare il primo Gennaro* 1807 = Et quoniam hac subsequenti stipulatione ii fructus augebantur, quos minime deberi Tentonii Fratres contendebant, hinc ex generali compromisso inter ipsos, et Giovanninium inito, de hoc etiam disputare oportuit sub dubii formula = *An sit servandum augmentum fructuum dotis ad formam contractus anni* 1807 *in casu etc.* = qua proposita in Rota diei 12 Maii nuper elapsi anni silentibus Tentoniis, Responsum prodiit = *Affirmative* = teste *Decisione Montis Alti, seu Firmana Dotis super augmento fructuum* a R. P. D. Odescalchi eadem die edita. Verum iterato hodie, etiam super hac quæstione, certamine, et re magis a Teutoniis illustrata, sciscitanti mihi = *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.* = Patres responderunt = *Recedendum a decisis.*

Et sane, cum nullo jure permittatur 1
usurarum dotalium condictio post solutum, ex Uxoris funere Matrimonium, ni præcesserit rite recteque interposita Requisitorum omnium Castrensium allegatio, nullus profecto supererat du-

bitationi locus, quin, et eo fortius, illarum augmentum Giovanninio esset denegandum. Ex iis vero rationum momentis, quæ in superius enunciata hujusce diei altera mea Decisione fusius exposita fuere, cum satis pateat, Giovanniuium necessaria ad illas exigendas usuras requisita minime evincere, perperam ipse obtrudit eam debitorum declarationem anni 1807 de majori lucro, quod e pecunia creditor assequi potuisset; actum namque esset de mulctandis, coercendisque usuris, si una contrahentium declaratio, ad improbatæ pactionis labem abstergendam sufficeret, uti S. N. Ordo docuit in *Camerinen. Condictionis indebiti* 27 *Junii* 1796 §. 5 *cor. cl. me Gardoqui.*

2 Quin vel minimum Giovanninio prodesse valeat id, quod Tentonii Fratres in eamdem Syngrapha anni 1807 inconsulto professi fuerunt, sese scilicet nolle ulterius pupillis, eorum Nepotibus, præjudicium inferre, quod his obvenisset, si primum conventas tenues usuras in posterum etiam ipsi solvissent, ideoque illas usque ad annua *argentea quadraginta sex* adaugendas existimarunt. Primum siquidem nimis generica ejusmodi promissionis allata causa, nempe = *l'interesse dei Pupilli* = nil efficere valet; dein nullum revera pupillorum damnum erat pertimescendum, quia ad eos ususfructus maternæ dotis minime pertinebat, sed ad eorum Patrem; atque ideo ex falsa causa obligationem illam corruere patet. Præterea perpetuo obstabit superius etiam allata ratio, nullam scilicet, quibuslibet amplioribus verbis conceptam contrahentium declarationem supplere posse Requisitorum Castrensium defectum quorum necessitatem induxit frequens nimis usurarum perceptio, quæ Societatis pestis est, atque in damnum irreparabile pauperum vergit. Tandem nec pupillorum favor, etiamsi in themate adesset tanti esse valeret, ut ejus promovendi gratia, Leges, quæ publicam utilitatem, et ordinem respiciunt, possent everti, et usurarum perceptio esset probanda, ex simplici promittentium pactione in apocha, quæ, cum in ea omnia desiderentur, quæ ad fænebre malum evertendum in jure requiruntur, nullam meretur exequutionem.

Neque demum ex depositione Testis *Septimii Nobili*, cujus nulla in Syngrapha anni 1807 mentio occurrit, satis evincere poterat Giovanninius sese promptam habuisse occasionem pecuniam utilius collocandi *decunci* nempe usura. Testis quippe *unicus* erat Septimius, neque Argentarii neque Proxenetæ qualitate indutus, atque ideo prorsus spernendus, ac præterea de prompta asserta hac pecuniam collocandi occasione in ipso stipulationis actu una cum aliis Castrensibus requisitis defuit prorsus necessaria denunciatio, qua deficiente, justa, ac prudens S. Ordinis Severitas in fænore coercendo bujusmodi testimonia semper repellit, secus enim ampla sterneretur via illicitas assequendi usuras fæneratoribus, quibus perfacile esset testes, illi similes, expiscando adinvenire, ac ita Legum censuram declinare. 3

Et ita, OO. DD. mecum suffragium ferentibus, definitum fuit. Utraque etc.

MONTIS ALTI SEU FIRMANA

DOTIS SUPER VALIDITATE CAMBII

Mercurii 31 *Januarii* 1821.

ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. *Ab ipso judicii limine ejiciendus est Actor qui nullam intentionis suae probationem affert*
2. *Nemo praesumitur adeo oscitantem in rebus suis, ut pecuniam tradat, absque acceptilatione, vel alio documento.*
3. *Cambium quod ex falsa causa contractum fuisse apparet, sat id est ad illius nullitatem constituendam.*
4. *Ratihabiri non potest quod nullum ab initio est.*
5. *Quoties de actus alicujus validitate disputatur toties implicite de ejus quoque existentia quaeratur oportet.*

DECISIO XLI.

Quantitativæ dotis, Franciscæ Tentoniæ Paschalis Giovannini Uxori, ab hujus Parente, ac Fratribus constitutæ, fructus sese posse exigere putans Giovanninius, soluto etiam per Franciscæ obitum matrimonio, atque id primum per errorem, Tentoniis concedentibus, quod tamen, quia Castrensia deerant Requisita, usurariam pravitatem præseferre, atque ideo consistere haud posse in proxime Superioribus Comitiis diei 29 hujusce mensis Januarii firmatum a N. S. Ordine fuit, testibus duabus per me editis *Montis Alti, seu Firmana Dotis.* Decisionibus, altera super *Fructibus*, altera super *Augmento fructuum*, exeunte anno 1807 scuta circiter *centum* pro decursis auctisque usuris a Tentoniis sibi deberi asserens, ut quoquo modo hanc pecuniæ vim, una cum aliis fructibus assequeretur, missis ad Fratres Tentonius epistolis, ab bis mandatum sibi dari obtinuit ad Collybisticum contractum, pro ea pecunia assequenda, ipsorum nomine ineundum. Perfectum hinc per publicum Instrumentum cambium cum quodam Philippo Cortesi; nomen deinde ab hoc cessum cuidam villico Dominico Marlonghi; huic, cum dies collybisticæ pecuniæ restituendæ venisset, se proprio ære eam solvisse, neque tamen sive accæptilationem ullam, sive cambialem Apocham, (quod enim cambium per publicum Instrumentum initum fuisse primum asseruerat, dein per privatam Apocham confectum dixerat) ab eo accepisse, quia Villicus ex arbore in terram delapsus subito occubuerat, nullis pene allatis probationibus, narrabat.

Quoniam vero, præter dotis, fructus, eorumque augmentum, quæ jure eidem a S. Ordine in superius citatis Decisionibus, ut jam expositum fuit, denegata fuere, bujus quoque Cambii caput, usurasque a Tentoniis ipse repetebat, hinc in compromisso super omnibus controversiis inter ipsum, et Tentonios obsignato, de bujus etiam cambii validitate quæstio compræhensa fuit, ac S. Nostro Ordine proposita a R. P. D. Odescalchi sub Dubii formula = *An constet de validitate Cambii, ita ut debeantur fructus in casu etc.* = cui in Rota diei 12 Maii nuper elapsi anni, Giovanninio tantum judicio sistente; responsum fuit = *Affirmative* = Auditis tamen hodie etiam Tentoniis, quærenti mihi, prælaudato R. P. D. Odescalchi suffecto = *An sit standum, vel recedendum a Decisis* = Patres responderunt esse = *Recedendum a Decisis* =.

1 Quippe, si contra actorem, qui nullum afferat intentionis suæ validum fundamentum semper est pronunciandum, ab ipso judicii limine ejiciendus erat Giovanninius, qui, nedum validitatem, sed ne existentiam quidem asserti cambii ostendere valebat. Modo namque publicum exaratum instrumentum, modo privatam apocham conscriptam ajebat, quin tamen unquam, sive instrumentum, sive apocham afferret. Quæ autem dictitabat de cessione nominis ab asserto creditore Cambii Cortesio favore Villici Morlonghi peracta, deque hujus casu ex arbore, properaque morte, ita, ut nec loqui, nec tradere potuerit ipsi Giovanninio, sive acceptilationem, sive saltem Apocham contractus, ut ex hisce fucatum erueret defectus probationum causam, ab omni verosimilitudine quam longissime aberrant, ex ore tantum ipsius Giovanninii Cambium propugnantis pendent, et prorsus falsa esse haud levia desunt argumenta.

2 Etenim nemo unquam sibi suadere poterit Giovanninium adeo in rebus suis gerendis oscitantem hominem esse, ut voluerit Villico Morlonghio, et fructus, et caput asserti Cambii repræsentare, quin vel acceptilationem ullam vel saltem ejusdem contractus apocham ab eo unquam exigeret: Rursus ipse met Giovanninius haud obscura falsitatis hujus cambii, vel invitus, indicia ostendebat, dum ad illius existentiam probandam omni prorsus monumento distitutos defunctorum Cortesii, et Morlongbii cineres excitabat, et dum, postquam in epistola publicum instrumentum de eo extare dixerat, dein, mutato sermone, privatam Apocham conscriptam fuisse

asserebat. Deinde Villicum Morlonghi soluto fato correptum fuisse falso omnino ipse narrabat, dum satis aliunde e testimonio Parochi compertum fuerat, illum, post plurimum dierum morbum, in proprio lecto occubuisse; quare optime Patres animadvertebant, ne responsionis quidem honorem hæc omnia mereri.

3 Hisce omnibus superaccedit quod quælibet quæstio super asserti hujusce Cambii existentia omnino supervacanea merito videatur cum ejus nullitas sit manifestissima. Quid quid enim ad cambii validitatem tuendam Giovanninius proponit, falso innititur supposito, fructus nempe dotales, ad quos rependendos cambium initum fuisse dicitur, jure exigi potuisse a Giovanninio: Cum etenim in proxime Superiori Rotali Conventu constitutum fuerit, eas dotales usuras, soluto, per Uxoris funus, Matrimonio, ob requisitorum Castrensium defectum haud exigi, eoque minus augeri potuisse; non est igitur cur in cambii validitate discutienda sit longius immorandum; quandoquidem ea sola animadversio, quod nempe Cambium ex falsa causa contractum fuisse appareat, sat, abundeque est ad illius nullitatem constituendam.

4 Neque epistola, qua alter ex fratribus Tentoniis Giovanninio, quod collybo pecuniam adinvenisset plaudebat, neque fortasse subsequutæ ratihabitiones ullam nullitati asserti Cambii medelam afferre valent: Hæc namque omnia illi tantummodo innituntur fundamento, quod scilicet fructuum dotalium creditum Giuvannini favore consisteret, atque ad hanc erroneam opinionem sunt omnino referedna: Cum itaque ex sæpedictis Decisionibus constet, creditum illud nedum evanuisse, sed ne quidem unquam extitisse, concidant quoque necesse est, quæ de epistola, deque ratihabitionibus a Giovanninio proponnntur ad cambii validitatem defendendam.

5 Perperam denique confugiebat Giovanninius ad futiles exceptiones depromptas a Dubii formula Partibus circa hanc quæstionem exhibita, autbumans haud licere de cambii existentia ambigere, quum de illius validitate proposita fuerit disputatio. Seposito siquidem quod inutile sit de Cambii inexistentia quærere, cum ejus nullitas perpicua dignoscatur, exceptio eliminatur animadversione, quod non aliam ob causam ea sub formula conciliatum fuit Dubium illud, quam quia Tentonii contendebant controversos fructus, qui Cambii stipulationi causam dederunt ob usurariam pravitatem debitos haud fuisse, et idcirco cambium consistere haud posse; et quia Giovanninius proponebat ac mordicus tuebatur se cambium inivisse = *a loro carico* =, ex quibus pernecesse cambium reapse initum fuisse putandum erat, quod tamen hodie a veritate alienum esse compertum fuit. Cæterum nunquam probari posset, quod ob eam Dubii formulam in controversiam adducere haud liceret collybi existentiam; quoties quippe de actus alicujus validitate disputetur, toties implicite de ejus quoque existentia quæratur oportet, quæ si forte deficiat, et validitas evanescat necesse est; cum nil tam nullum dici possit, quam id, quod nullomodo existit.

Atque ita etc. Universa Aula mecum suffragante decisum est. Utraque etc.

PERUSINA

LIBERATIONIS A MOLESTIIS

Veneris 1 Junii 1821.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur « DECISIO XI ».

SUMMARIUM

1. Praedium transit in haeredem, cum iisdem juribus, et obligationibus quibus ejusdem Auctor tenebatur.

Venditor, ejusque haeres tenetur servare emptori pacificam rei emptae possessionem, ac molestias quae ex re empta superveniunt, in se suscipere - ibidem -

Eo magis sunt suscipiendas molestiae, si originem ducant ex dolo venditoris - ibid. -

Dolum praesumitur in venditore, si vinculum cui fundum erat obnoxium, non ignorabat - ibidem. -

2. *Tam venditor, quam solidalis fidejussor qui sese obstrinxerunt* - alla manutenziane del quieta e pacifico possessa, alla liberazione di tutti i danni, e di ogni evizione - *statim ac tertius immissionem ad rem venditam obtinuerit, commissa videtur stipulatio, et molestias ex pacto debentur.*

3. *Ubi molestias debentur ex pacto, quaerendum non est, an molestiae illatae justas fuerint nec ne, sed sufficit tantummodo demonstrare eas extitisse.*

Emptori, qui contra venditorem agit ad damna ob rem liberam non traditam, simul competit remedium retinendi praetium donec res libera efficiatur - ibidem. -

DECISIO LXII.

Annam et Angelam germanas sorores Sensi in Civitate Perusiæ ortas, ac degentes de Anno 1795 reciprocum conscripsisse Testamentum, eoque Laicalem Cappellaniam in V. Ecclesia RR. PP. Bmæ Virginis Servorum post ipsarum mortem instituendam præcipisse, ac illi in Dotem assignasse amplum quoddam prædium = *nelle pertinenze di S. Egidio* = adjectis conditionibus, ut hujus dominium, et possessio penes Cappellanum pro tempore maneret, cum perpetuo onere tot Missas quolibet anno celæbrandi, quot prædii redditus concederent, et jus nominandi earum successores, et descendentes haberent, ea Lege, quod nominatio fieret intra quindecim dies a morte Testatricium vel Cappellani, quibus elapsis, nulloque nominato Clerico, facultas nominandi ad Priorem V. Ecclesiæ S. Martini Perusiæ deferretur, narratum fuit in hujus Causæ præcedenti mea Decisione, vulgata die 26 Junii elapsi Anni 1820. Et pariter in illa fuit expositum, Annam Sensi constantem in pandita voluntate obiisse, Angelam vero consilium mutasse, non modo Pium Legatum revocasse, sed prædium etiam, quod erat Cappellaniæ, Dotis nomine, addictum, tamquam liberum vendidisse Antonio Baldella, pretio constituto scutorum mille biscentum, amplissimis formulis evictione ad emptoris indemnitatem promissa, et accedente ex parte mulieris Georgi Monotti solidali fidejussione.

Angela quoque dein defuncta, ejus hæredem Monottium a nominatione Cappellani, pro ea etiam Cappellaniæ parte, quæ ab Anna Sensi voluntate pendebat, abstinuisse; ideoque R. Priorem S. Martini nominasse R. Nicolaum Brugalassi, atque huic duplici Sententia, altera scilicet Curiæ Episcopalis Perusiæ, altera Tribunalis Collegialis A. C, in gradu Appellationis immissionem ad medietatem Prædi = *S. Egidio* = concessam fuisse, et eodem judicio Monottium quoque Baldellio emptore pro liberatione a molestiis fuisse lacessitum, et Vicarium Generalem Monottium absolvisse, Tribunal vero A. C. illum condemnasse; hinc rem ex Decreto Signaturæ Justitiæ ad S. Nostrum Ordinem conscendisse dirimendam sub Dubii formula = *An constet de re judicata, seu potius de causis restitutionis in integrum* = et, judicio haud sistento Monottio, Patres respondisse = *Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam* =; omnia hæc etiam recenset, prædicta superior Decisio. Iterato hodie certamine, iterumque ab judicio absente Monottio, cum Patres interrogaverim = *An sit standum, vel recedendum a decisis.* = Responsum accepi juxta Informantis vota = *In Decisis.*

Quam siquidem Baldellius promovit 1
actio, non modo in apertissima juris dispositione, sed etiam in pactionibus luculentissimis sat firmum habet præsidium. Et sane, quoad primum, Monottius hæres est ex testamento Angelæ Sensi, quæ Prædium Baldellio divendidit; in eum, tamquam hæredem, transierunt cum juribus, et actionibus obligationes omnes, quibus ejusdem auctrix tenebatur, ideoque ad ea omnia obstringitur. quæ illa prædii, de quo res est, venditrix, si adhuc sospes esset, præstare deberet. Atqui nil vulgatius, certiusque in jure est, quam quod venditor teneatur defendere em-

ptorem, eique servare quietam, et pacificam rei emptæ possessionem, et molestias quascumque, quæ de re empta supervenerint, in se suscipere ad *Text. in L.* 1 *ff. de obligat. L. Ex empto ff. de act. empt. L. Si Emptor* §. *Vacua ff. de Act., et per Mangil. de Evict. Quæst.* 17 *n.* 5 *Card. de Luca de Empt. Disc.* 13 *n.* 8 *Rota in Dec.* 195 *n.* 2. *cor. Tanara in Romana Applicationis super Liberatione a Molestiis* 13 *Junii* 1752 §. 3. *cor. De Vais*, cæterosque allegatos in supradictæ meæ Decisionis §. 3. Quæ juris regula eo firmius in themate tenenda videtur, quia molestiæ originem habuerunt ex dolo venditricis, quæ vinculum, cui prædium erat, saltem pro medietate, obnoxium, haud ignorans, rem non suam nihilo socius Baldellio vendidit. Itaque, cum ejus quodammodo facto evenerit, quod molestiis Emptor subjectus fuerit, et prædi medietatem amiserit, quia, si Angela haud reticuisset hanc medietatem Cappellaniæ addictam mansisse, eam procul dubio ipse haud emisset; eo magis igitur juris rigor expostulat, ut Angela, quæ molestiis, et damnis causam dedit, sive Monottios, qui eam repræsentat, molestias suscipere, ac damna reficere teneatur *Rot. in Rom. Liberationis a Molestiis* 6 *Julii* 1804 §. 4. *cor. Guardoqui*; *in Urbevetana, seu Bolneoregien. Liberationis a Molestiis* 10 *Martii* 1815 §. 3 *et* 5 *cor. Tassoni*, *et in Confirmatoria* 6 *Junii ejusd. anni* §. 3 *et* 4 *cor. Ead.*

2 Ad pacta vero quod attinet, et conventiones, statim sese offert disertissima illa, qua Angela fidem interposuit de omnimoda rei venditæ libertate, et explicite evictionem promisit. Monottius vero accedens uti solidalis Fidejussor, ac principalis obligatus, eam in se suscepit obligationem. Testes sunt publicæ tabulæ, in quibus Angela sub juramenti vinculo, et sub Camerali obligatione sese erga Baldellium emptorem obstrinxit = *alla tradizione della cosa libera, ed alla manutenzione nel quieto e pacifico possesso, e liberazione da tutti, e singoli danni, spese tanto giudiziali, che stragiudiziali, e generalmente di ogni evizione* = et inferius vel ipse Monottius addidit = *Sebbene sappia non essere a cosa alcuna tenuto a favore di Baldelli, accede in sicurtà, ed in solido si obbliga con detta Sig. Angela per sicurezza della sopra promessa evizione, e manutenzione nel possesso di detto predio, volendo esser tenuto, come principalmente, ed in solido obbligato* =. Cum erga molestiæ adeo supervenerint, ut immissionem ad rem venditam Brugalassius obtinuerit, plane commissa videtur stipulatio, et, quoniam quod semel placuit amplius displicere nequit, et ipso naturæ jure quisque promissionem servare tenetur, hinc liberationem a molestiis Baldellius a Monottio consequi debet, tam ex jure, quam ex pacto *Rot. in Dec*; 64 *n.* 1 *cor. Bichio* cum aliis allegatis in præcedenti *Decisione* §. 4.

Quibus positis inani labore objeceretur *sive* molestias, quas Brugalassius intulit injustas fuisse Baldellium integrum conventum pretium nondum exsolvisse. Nam ad primum quod attinet, quærendum nunc non est an molestiæ illatæ justæ fuerint nec ne, sed sufficit tantummodo demonstrare eas extitisse, ut venditor ad emptorem ab iis liberandum, et ad evictionem præstandam damnetur. *Dec.* 657 *n.* 4 *et* 5 *cor. Molines Dec.* 229 *num.* 10 *et* 11 *cor. Herzan, in Romana, seu Viterbien. Liberationis a Molestiis* 4 *Julii* 1803 §. 4 *cor. Rusconi, in Romana, seu Viterbien. Liberationis a Molestiis* §. 4 *cor. Tassoni*, et molestias in facto extitisse haud licet in dubium revocare, cum binæ prostent Sententiæ, quibus Baldellius medietatem prædii dimittere coactus fuit, damnaque, et expensas Brugalassio reficere. Secundæ vero objectioni obstat in primis factum, cum ex documentis exhibitis satis constet integrum pretium a Baldellio persolutum fuisse; obstat dein juris dispositio, cum emptori, etsi integrum pretium haud exsolverit, duplex præsto sit remedium, ut scilicet contra venditorem agat ad damna, et interesse, ob rem libere non traditam, simulque pretium retineat, donec res, si forte ex aliquo onere deterior tra- 3

dita fuerit, libera efficiatur, ceu ad rem advertit *Constant. ad Statut. Urbis Annot.* 27 *Art.* 1 *num.* 4 *Rot. in Romana, seu Asculana Evictioni super solutione pretii* 4 *Junii* 1770 §. 1, *et* 2 *cor. Riminaldo.*

Atque ita etc. Altera tantum etc.

ROMANA ALIMENTORUM

Lunae 15 *Januarii* 1821.

ARGUMENTUM

Nurui sunt ab avo alimenta praestanda, dum in viduitate manet, habita ratione ad loci consuetudinem, numerum filiorum, ac propriam qualitatem.

SUMMARIUM

1. *Uxori viro orbata, ac in viduitatis statu permanens, sunt ab Avo praestanda alimenta juxta conventa in tabulis nuptialibus.*
   Ac ipsi tribuenda est, quidquid deesse potest ad suam congruam exhibitionem - ibid. -
2. *Patre defuncto, onus alendi nepotes avo incumbit ex sola juris dispositione.*
   In praefinienda alimentorum quantitate, ratio habenda est, de personarum numero, conditione, qualitate, ac de viribus patrimonii illius, qui alimenta praestare debet - ibid. -
3. *Nurus dum vidua manet, ac cum filiis vivit, considerari debet uti addicta familiae avi, sique talem exhibitionem praeberi oportet, qualem si cum illo vitam ageret.*
4. *Alimentorum mensura nedum attemperanda est numero ac conditioni personarum, verum loci ac regionis consuetudini.*
5. *Praeter omnia ad victum necessaria in alimentis statuendis, in calculo haberi oportet, quidquid impenditur pro famulis, pro domus pensione, pro vestibus, pro onorariis Medici, ac Chirurgi, ac medelarum pretio.*
   Alimenta sunt praestanda anticipate, saltem de mense in mense - ibidem. -
6. *Judicum, non testium est officium rerum conditiones, ac circumstantias perpendere.*
7. *Filiae a sinu matris, quae alterius viri amplexus non quaerit, et quae earum educationi diligenter incumbit, non sunt divellendae.*
8. *Contra viventis patrimonium nulla legitimae petitio admittitur.*
   Avus neptum, ex praedefuncto filio, Administrator est in vim avitae potestatis - ibid. -
9. *Alimentariae praestationes, etiam post Res judicatas immutari possunt, si de rerum circumstantiis immutatis doceatur.*

DECISIO LXIII.

Gratas adeo acceptasve babuit Joseph Vitellius ditissimus in Urbe Negociator, idemque opulentissimus Urbanorum, rusticorumque bonorum possessor, nuptias conciliatas inter, forma, moribus, ac animi Dotibus, præstantissimam puellam Theresiam, filiam Caroli Seraphin, alterius e Sacri Palatii Apostolici Patronis, e Collegio, publicisve muneribus insigniti, et Philippum, ipsius Josephi filium, ut in tabulis nuptialibus, die 7 Maii anni 1816 confectis, Judicis auctoritate intercedente, declaraverit, nec Dotem, nec mundum muliebrem, quæ omnia sponsæ pater pro facultatibus offerebat, se velle recipere, ex quo Theresiæ successionum jura reservata fuere; atque insuper si futuro viro superstes ipsa extitisset, menstruam, ei, quousque in viduitatis statu permansisset, scutorum *quindecim* præstationem constituerit, in cujus correspectivitatem ipsa renunciationem emisit quibuscumque juribus, quæ super viri, socerive patrimonio, in casu viduitatis ad ipsam spectare potuissent, ex dispositione etiam notissimæ *Auth. Praeterea Cod. unde Vir, et Uxor*, quæ specialiter in renunciationis tenore fuit expressa.

Communi itaque placito, et summa animorum consensione in Sacra Familiæ Vitelliæ Theresia concessit. Verum quod fausto omine Matrimonium initum videbatur, tristem deinceps exitum habuit. Primum enim Josephi cum Conjugibus vitæ consortium, anno 1818 fuit dissolutum; sed paulo post Joseph filium, seorsim ab eo cum uxore, geminisque filiabus infantibus degentem ad se revocavit, ut ipsum sibi in perampla sua Negociatione, reique familiaris administratione adjutorem haberet, quamvis ab Uxoris amplexibus haud secederet; eique, præter absolutam exhibitionem, ac convenientem operæ mercedem, menstrua scuta sexaginta in usuris, ac filiolarum sustentationem

assignavit. Dein vero miserabili casu, dum Philippus patris operariis lapidicinam effodientibus, superiore nunc elapso anno 1820, advigilabat, hujus fornix subito disruptus ruit, suaque mole illius corpus contrivit. Quo infelici adulescentis fato vidua, mæroreque oppressa, extitit Theresia, quæ gravida a viro relicta, haud admodum post ejus funus, aliam peperit filiam, et ita neptum Josephi numerus ad tres usque accrevit. Hæ, donec vixerunt, scuta menstrua sexaginta viduæ earum matri pro alimentis Joseph rependere haud renuit, uti semper post filii etiam obitum præstiterat, antequam tertia ortum habuisset neptis; sed harum altera, Maria nempe, ad decimum octavum ætatis mensem jam perventa, diuturno morbo sublata, die 14 Junii prædicti anni 1820, in id consilii venit, ut contenderet menstrua tantum scuta *triginta quinque* a se eo nomine suppeditanda esse; *quindecim* nempe Theresiæ, juxta conventa in nuptialibus superius recensitis tabulis, et scuta *viginti* in alimenta germinarum parvularum neptum, quarum altera, scilicet Francisca vix *tertium* ætatis suæ annum excedens, altera, Carolina maternum lac sugens.

Obstitit Theresia inopinatæ Soceri contentioni, verum, cum nil apud eum amice proficere potuisset, supremum Sacratissimi Principis solium, vel invita, adire coacta fuit: ejusque petitio, quod nempe R. P. D. Auditori Sanctissimi injungeretur « *che immediatamente faccia somministrarle dal Suocero le mensualità decorse, e nel tempo stesso fissi, e determini la somma da doversi anticipatamente in ogni mese pagare dal Suocero sudetto, avuto riguardo alle forze, e dovizie del patrimonio Vitelli, e alla nascita, qualità, e condizione dell'Oratrice* » excepta fuit peculiari Pontificis Rescripto » A MONSIGNORE UDITORE, CHE PROVEDA EFFICACEMENTE; « ad cujus tramites Eximius hic Præsul, nostri Sacri Tribunalis honos nuper, et decus » *FACTO VERBO CUM SANCTISSIMO, nec non utendo facultatibus sibi specialiter tributis, mandavit per modum provisionis subministrari instanti scuta SEXAGINTA in singulos menses, incipiendo a die prima Junii 1820, anticipate solvenda, pro quibus relaxavit mandatum* », et insimul quæstione super hac alimentorum præstatione Sacro Nostro Ordini definiendam commisit *ab omnibus Dominis, præviis duabus, appellatione remota*. Propositum vero a me in hodiernis Comitiis Dubium » *An, quomodo, et in qua summa duabus Pupillis, et Viduæ præstanda sint alimenta, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* », tota Aula, me haud excepto, suffragante diremptum fuit responso *Affirmative in menstruis scutis SEXAGINTA; anticipate præstandis, et esse relaxandum mandatum* ».

Hæc sane præstationis alimentariæ præfinitio mitissima ipsimet Vitellio videri debet, si ad promissa erga nurum, hujusque paternam originem, ad avitam erga neptes obligationem, ad sui ditissimam conditionem, juxta quam et neptes, et ipsa earum mater, donec cum iis permaneat, et Vitelliæ adhæreat Familiæ sunt exhibendæ; et ad proprium etiam judicium, ac observantiam animum parumper advertat. Primum etenim, quoad viduam Theresiam, solemnis extat Josephi, ac defuncti viri promisio, in nuptialibus tabulis diei 7 Maii 1816 emissa, quibus uterque, in amoris significationem non solum, sed dummodo in viduitatis squallore maneret, si viro superstitem esse ei contigisset, et dummodo notissimo beneficio *Auth. praeterea Cod. Unde vir., et uxor.* valediceret, menstrua scuta QUINDECIM ab ipsorum patrimonio percipienda, illi, donec viveret, constituerunt, et voluerunt insuper, ut a parente oblatam dotem, una cum mundo muliebri, illa haud reciperet; ac vix siverunt, ut sarta tecta ad successionem in parentum, ac collateralium hæreditatis jura ei servarentur. Quare, nedum indubium est ea quindecim menstrua scuta, alimentorum nomine, cum ipsa, viro orbata, in viduitatis statu permaneat, ei esse a socero præstanda; sed patet etiam, præter hanc præstationem, ipsi tribuendum esse quidquid in hac Urbe Principe deesse potest ad con- 1

gruum exhibitionem fæminæ honestissimo loco natæ, quæ, donec cum filiolis vivit, earumque educationi incumbit, in paternam domum sese recipere haud potest, ut ibi juxta suam conditionem alatur; et, seorsim a patre vivens, nil ab eo petere potest, cum jura ipsi reservata in tabulis nuptialibus cohibita fuerint ad successiones hæreditarias, ex quo ipsi tantum liceret dotem a parente postulare, si ad secunda vota transiret. Quibus positis, nemo unquam dixerit mulieri honestissimae conditionis, Romae ad alimenta sat esse scuta QUINDECIM in singulos menses, cum in hac Urbe domorum pensiones, et pretia rerum omnium, quæ ad victum, vestitumque oportent, præter etiam legitimum modum evehantur.

2 Quo vero ad alimenta neptum Josephi, omnes clamant Leges, Patre defuncto, illorum onus Avo incumbere: id statuit *Text. in Leg. Si quis a Liberis ff, de Liberis agnoscendis*; *id docent Coccejus Dissert. proaemial ad Grot.* 12 § 166 *Ferrar. Bibliothec Juris* § *Alimenta numer.* 19 *Surd. de Alimentis tit.* 1 *quaest.* 13 *numer.* 11 *Bossius eodem Tractat. Cap.* 7 *numer.* 28 *et seq.*; id demum semper firmavit Sacer Noster Ordo, ut videre est in *Decis.* 350 *numer.* 3 *Part.* 18 *Recen in Decis.* 51 *num.* 3 *tit. de Miscellaneis coram Falconer.*, *et novissime in Ferrarien. Alimentorum*, *nec non Traditionis puellae* 4 *Julii* 1817 § 5 *coram R. P. D. meo Spada.* Non itaque ambigendum, quin Josepho Vitellio insit in genere obligatio alendi binas parvulas neptes Fraciscam, ac Carolinam ex prædefuncto filio Philippo ortas, ac insimul ejus nurum, harum matrem, donec cum his vivat. Ad quantitatem vero horum alimentorum præfiniendam IN SPECIE, optime viderunt Patres in calculo PRIMUM habendum esse numerum personarum, quæ alendæ sunt; SECUNDO harum personarum conditionem, ac qualitatem; TERTIO statum, ac vires patrimonii illius, qui alimenta præstare debet *ad Text. in Leg. Jus. Alimentor. ff. Ubi pupill. educ. deb.*, *et Leg. Cum plures* § *final. ff. de administrat. Tutor. Boss. de Alimentis. Cap.* 3 *numer.* 7 *Samminiat. Controv.* 81 *numer.* 23 *Gratian. Discept. Foren. Cap.* 613 *numer.* 4 5 *Sorr. Var. Jur. Quaest. part.* 2 *Tit.* 12. *Quaestio.* 59 *numer.* 12 *Rota in Rec. Dec.* 241 *num.* 12 *part.* 19 *Decis.* 184 *in fin. coram Paenia*, *et Decis.* 40. *num.* 7. *coram Herzan.*, *et in Ferrarien. Alimentorum*, *nec non Traditionis puellae* 4 *Julii* 1817 § 6 *coram. R. P. D. meo Spada.*

Ad numerum personarum quod spectat, vidimus superius *tres* esse, quibus ab Josepho alimenta debentur; binae nempe ejus neptes, Francisca, ac Carolina, atque ejus nurus, harum mater Theresia, quæ donec cum iis vivat, earumque incumbat educationi, Vitelliæ familiæ partem constituit, ad firmata *per Rotam in Ferrarien. Alimentorum*, *nec non Traditionis puellae* 4 *Julii* 1817 § 6 *in fin. coram. R. P. D. meo Spada.* Harum vero conditionem spectatissimam esse neminis est ignotum; nam parvulæ, in quibus Josephi Avi sanguis excurrit, hujus opulentiæ, statusque, quam rerum omnium copia, ac affluentia insignem facit, participes sunt: in Theresia vero, nedum eadem pro nunc, ac filiolarum, conditio est consideranda, sed præterea spectanda est illustris qualitas, ejus paternae familiae, cum ortum habuerit a parente in Album S. A. P. Patronorum de Collegio cooptato, quive dudum, tota plaudente Urbe, publicis muneribus fungitur. Quæ demum sit amplitudo patrimonii, quo pollet Joseph Vitellius, luculentissima demonstrant monumenta ab ipsomet in dubium haud revocata, e quibus patet ipsum tot bona, vel rustica, vel urbana possidere, que ei annum præstant reditum scuta *sexdecim millia* excedentem; cui addendum est quidquid ei provenit e conspicuis creditorum frugiferis nominibus, atque e latifundiorum conductionibus, vel redemptionibus confectionis, aut refectionis viarum, et fructuosissimis negociationibus feni, silicium, calcis, coenerorum, ac etiam gemmarum; hinc ipsum tota 3

Urbs videt insignes, Ædes, praetiosissima suppellectili instructas, inhabitantem, frequenti famulatu stipatum, opipare viventem, elegantibus vectum corrubus, ita demum sese exhibentem, ut Optimatum magnificentiæ æmuletur. Prædives itaque hic bonorum possessor, ac negociator, qui more nobilium, uti par est, vivit, cuive, post uxorem compositam, unica tantum alenda remanet filia, neptibus, ex filio Philippo infelici casu in ipso juventæ flore prærepto, quæ in hujus jura successerunt, et nurui, ejus adhuc familiae addictae, exhibitionem præbeat oporret, qualem præberet domi suæ, si secum ipsæ vitam agerent.

4 Verum, nedum numero, ac conditioni personarum, quibus alimenta debentur, et statui illius, qui ea præstare tenetur, eorum mensura attemperanda est; sed præterea Domini consuetudinem, ac qualitatem regionis, seu Loci, ubi præstanda sunt, attendendam esse viderunt *ad Text. in Leg. Si cui ff. de annuis Legatis Boss. de Alimentis Cap.* 3 *num.* 73 *Rota Decisione* 112. *num.* 6. *coram Tanara Decis.* 5. *num.* 6 *coram Riminaldi*, *et in Ferrarien Alimentorum*, *nec non Traditionis puellae Julii* 1817 § 6 *coram R. P. D. meo Spada*, uti etiam perspectissimum ipsis fuit in alimentariae præstationis quantitate constituenda rationem habendam esse, præter cibum, ac potum, vestesque, de habitatione, famulatu, medicinalibus, et medici et chirurgi honorariis, aliisque, quæ in civili societate necessaria sunt; quae omnia non ad tramites indigentiae, sed juxta familiarum decus, commensuranda sunt, ut tradunt *Luc. de Scovitutibus Disc.* 67 *num.* 3 *Boss. de Alimentis Cap.* 3 *num.* 83 *Rota Decis.* 5 *num.* 7 *et seq. coram Merlino*, *Decis.* 735 *num.* 19. *sequen. coram Molines. Decis.* 312 *num.* 6. 7. *coram Rezzonico*, *et in Ferrarien. Alimentorum*, *nec non Traditionis puellae* 3 *Julii* 1817 § 6 *coram R. P. D. meo Spada.*

5 Quibus omnibus in genere constitutis, descendentes Patres ad præfinitionem alimentariæ præstationis debitæ neptibus Josephi, statuerunt binas oportere ancillas, ad eas procurandas, ac ideo pro harum mercede menstrua scuta *duodecim* minimum esse insumenda, opus etiam esse famulo, qui domesticis incumbat officiis, cui menstruum saltem scutorum *septem* salarium tribuendum esse dixerunt: menstrua etiam scuta *quinque* pro domus pensione necessaria esse putarunt; scuta dein *viginti* in singulos menses, seu scuta *decem* in utramque neptem pro victu, et vestibus statuerunt; ac demum alia *tria* menstrua scuta pro onorariis medicis, ac chirurgi, ac medelarum pretio supputarunt Hæc omnia, in unum collecta, menstrua conficiunt scuta *quodraginta septem*; ac nil fuit in calculo habitum, quod fines necessitatis excedat in alimentis præstandis puellulis, quæ sunt de Familia Vitellia, et in hac Urbe, ubi rerum pretia, domorum pensiones, famulorum Salaria, omnia demum ad victum necessaria, præter etiam momum evehuntur. Eis igitur scutis menstruis *quadraginta septem* additis scutis menstruis *quindecim*, Theresiae ex pacto debitis, quam mitissime cum Josepho agi compertum fuit, si in menstruis tantum scutis *sexaginta*, secundum R. P. D. Auditoris Sanctissimi Decretum, alimentaria præstatio pro ipsius Josephi neptibus, ac nuru præfinita esset. Si vero aliquis excessus in prædicta supputatione alimentorum suarum neptum ab Josepho detegeretur, cogitet ipse, calculum initum fuisse de rebus dumtaxat absolute necessariis, et nil nurui ejus fuisse tributum, præterea scuta *quindecim*, quamvis hujus jura superius fuerint demonstrata, quare huic invidere haud potest, quod in hujus exhibitionem commodiorum cedat quidquid in neptum alimentaria præstatione constituta forte superabundet. Quælibet ita exulet oportet Josephi querela super praedicta alimentariae praestationis quantitate, uti etiam justissimum S. Tribunalis judicium ignoscere debet quoad modum hujusce præstationis repræsentandæ anticipate saltem de mense in

mense mandato in id Theresiæ tributo; secus enim alimentis nurus, neptesve aliquo mense carerent, si mensis exitum ad prostrationem exigendam expectare deberent.

6 Nullo autem in pretio habenda esse Sacer Ordo censuit testimonia ab Josepho allata, ut judicibus suaderet scuta menstrua *viginta* ad ejus neptum alimenta satis, superque esse. Peculiares namque, quæ nostro in themate concurrunt circumstantiæ attendendæ sunt, qaarum potissima est Josephi conditio, ejusque divitiæ, e quibus inter Urbis primores possessores fundorum, ac negociatores recensetur; atque judicium, non testium officium est rerum circumstantias, ac condictiones perpendere, et judicia proferre, ut docet *Bartolus in Leg. qui Testomentum ff. de Testamen, Innocen.*, *et DD. omnes in Cap. cum Coussam Tit. de Testibus*, atque firmat *Rota Decisio* 32 *num.* 8 *coram Merliao Decis.* 544 *n.* 5. *in Recen. part.* 18. *Tom.* 2., *et in Ferrarien. Immissionis super reservatis in Senteatia super reservatis in Sententia A. C.* 22 *Januarii* 1770 §. 3 *coram Ratta*, *et in Ferrarien. Legati* 15 *Aprilis* 1785 § 11 *corom Azedo*.

7 Praeterea testimoniis ab Josepho allatis ejusmetipsi judicium ac observantia adversatur. Ipse namque, dum filius Philippus vivebat. ac ab ipso seorsim degebat, omnimodam huic praestabat exhibitionem, præter convenientem mercedem operæ, quam in ipsius negociationibus curandis impendebat, ac una simul menstrua suppeditabat scuta *sexaginta* in exhibitionem ejus Uxoris, ac binarum filiolarum; oamdemque praestationem, Philippo defuncto, viduæ repraesentare perrexit, antequam etiam tertiam filiam, post mariti obitum, a quo gravida fuit relicta, ipsa peperisset. Dedecet ipsum itaque nunc adversus proprium judicium, ac observantiam insurgere ad Rotam in *Decis.* 207 *in fin. coram Lancetto*, *et Decis.* 1194 *numer.* 16, *et Decis.* 1299 *numer.* 7 *coram Eodem et in Perusina Assignamenti* 18 *Februarii* 1768 § 11 *corom Riminaldi* in *Confirmatoria* 17 *Junii ejusdem Romana Assignamenti* 6 *Maii* 1803 § 4 *coram Tassoni*. Quin prosit Josepho proponere neptum alimenta, si erudiendae in aliquo Virginum Sacrario Monialibus credantur, nec ad scuta *decem* menstrua in singulas adscendere posse. Primum enim, id earum tenellæ ætati non convenit; ac præterea a sinu matris, quæ alterius viri complexus non quærit, earumque educationi diligentissime incumbit, divellendae non sunt, ad firmata per *Rotam in Ferrarien. Alimentorum*, *nec non Traditioni puellae* 4 *Junii* 1817 § 14 *coram R. P. D. Spada*, et sub amantissimæ matris cura, accedente etiam ipsius Avi Josephi consilio, et praesidio, si fuerit, earum institutioni, ac boaae valetudini consulendum est.

At, si Patres posthabenda duxerunt, 8
quæ protulit Vitellins ad decurtandam alimentariam pro neptibus præstationem, respuendum etiam viderunt argumentum, quod, ad illam, ultra modum ab Auditore Sanctissimi provisorie prescriptum, augendam, adversus Vitellium deducitur, a legitima, quæ ad ejus neptes ex praemortui ejus filii juribus super ejus Patrimonio spectare poterit, *Duo* siquidem, eaque momentosissima hoc eliminant argumentum. *Primum* quod nulla contra viventis patrimonium legitimæ petitio admittenda est; bujus enim quantitas tum supputatur, cum eo defuncto, a quo legitima debetur, de ejus hæreditatis viribus constat. *Alterum*, quod neptes Josephi ejus potestati subsunt, ex quo quidquid in ipsas ab eo proficisceretur, ad eum pleno jure spectaret, administratione haud excepta, cum Avus neptum, ex prædefuncto filio, administrator sit in vim paternæ, sive avitæ potestatis; *per Fabr. in Cod. Lib.* 5 *Tit.* 17. *de Legti. Tutel.*, *et in Tract. de erroribus Pragmoticor. Error.* 7 *Dec.* 6, *et Rota in Fanen. exhibitionis Pupille* 23 *Januarii* 1897 § 2 *cor. Soderino*.

Ulla etiam haud opus esse jurium re- 9
servatione ad augmentum praefinitae alimentariae praestationis Sacer Ordo

vidit, si, aucta Josephi neptum ætas, majores impensas pro earum exhibitione, ac educatione requrtat, quia explorati juris est, alimentarias praestationes, etiam post Res judicatas tum immutari posse, cum de rerum circumstantiis immutatis doceatur, siculi obfirmavit S. Auditorium in *Romana Alimentorum super Augumento 27 Januarii 1752 per tot. coram Bussio, et in Confirmatoria 15. Maii ejusdem anni §. 4. coram Eodem, et in Salernitana Alimentorum 3. Decembris* 1751. § 3 *coram Amadeo*. Ipso itaque jure Josephi Neptibus, sive earum Matri, si una cum eis vivere pergat, ipsarum nomine licebit, cum rerum circumstantiae tractu temporis immutatae id exposcant, de alimentariae praestationis augumento actionem proponere, et supervacanea est ad praesens quaelibet hac de re jurium praeservatio.

Et ita, Universa Aula, mecum suffragante, definitum fuit. Utraque et.

ROMANA NULLITATIS

REDUCTIONIS FRUCTUUM CENSUUM

Veneris 15 *Junii* 1821.

ARGUMENTUM

Loca Pia possunt censuum fructus decurtare, etiam sine Beneplacito Apostolico, si rem agant aperte Ecclesiae utilem. Beneplacitum Apostolicum praesumitur intercessisse, post triginta annorum observantiam, si de actu necessario res sit, neque hoc casu intrent termini Constitutionis *Urbani VIII.*

SUMMARIUM

1. *Juris praesumptio, nisi contrarium demonstretur, semper stat pro publicarum tabularum justitia, ac validitate.*
   Actus robur, diuturna annorum observantia, quam maxime adauget - ibidem. -
2. *Si Moniales convenerunt, quoad fructuum censuum reductionem* - capitolarmente congregate - *atque Monasterii Moderatoribus probantibus, nihil hujus actus legitimati deest.*
   Pontificii Indulti auctoritas manet semper integra, nec cessat ex decursu paucorum annorum - ibidem. -
3. *Ubi res est de actu non voluntario, sed omnino necessario, Moniales nullo Beneplaciti Apostolici interventu opus habent.*
   In retrovenditione census, oportet ut praecedat disdicta per duos Menses ante, a Bulla Piana praescripta - ibidem. -
4. *Jus unius ad quidquam ab altero obtinendum, hujus obligationem ad illi id praestandum secumfert.*
5. *Praesumi non potest, ut quis otiosam retinere vellet pecuniam, potius quam census impositos extinguere, vel eorum fructus ad mitiorem rationem redigere.*
6. *Ubi ex retrovendittione census, damnum oriretur, actus per quem assentitur ad fructuum reductionem, potius quam voluntarius, dicitur necessarius,*
7. *Verba quae ad Tabellionum formularium pertinent, et quae in omni prorsus Instrumento apposita videntur, non immutant naturam, ac indolem actus.*
8. *Defectus expressi Beneplaciti Apostolici, per observantiam triginta annorum; remittitur, si de actu agatur Ecclesiae necessarius; neque hoc casu locum sibi vindicat* Urbani VIII *Constitutio.*
9. *Census redemptio si sit oblata in nummariis proxime reprobandis, et antequam bimestris disdictae a Bulla Piana praescriptae laberetur, retrovenditia haud reputatur actus necessarius.*
10. *Ubi pecunia redundat, impossibile fere est census inire sub fructibus majoribus ratione quadranti.*
11. *Exempla investimentorum pecuniae ad trientem et semissem etiam rationem, in pretio haberi nequeunt, ubi agitur de exigua pecunia foenori data hominibus nullius notae.*

DECISIO XLIV.

Anno 1736 dum maxima in commercio versabatur pecuniæ copia, ita ut ea vix ad *quadrantes* usuras collocari posset, Dux Michæl Angelus e perillustri Cajetana Gente, cum plurimo gravaretur aere alieno a suis Majoribus gravi sub foenore contracto, supplex adiit Sanctæ Memoriæ Pontificem Clementem XII ab eo petens = *volergli benignamente permettere, che possa prendere a cambio, o censo limitato da qualunque persona tutta quella somma, che occorrerà per estinguere li sopra espressi debiti, che gli anteriori chiamati hanno contratta con usure, ed interessi grandi* =

Annuit Pontifex, et Chirographo obsignato die 7 Octobris prædicti anni 1736 nedum ei facultatem tribuit fideicommissaria Familiæ Cajetanæ Bona hypothecæ mancipandi pro fænebri sumenda pecunia, sed etiam expressim jussit, quod illius Familiæ creditores = *siano tenuti a ricevere li capitali dei Censi quando li stessi creditori non volessero loro medesimi farne la riduzione a quella usura, che si trovasse da altri; dichiarando inoltre, che tutte, e singoli creditori sudetti, e qualsivoglia privilegiati, privilegiatissimi sieno tenuti, ed obbligati, siccome noi efficacemente li obblighiamo a dover ricevere li Capitali dei sudetti Censi imposti a loro favore, e ad essi in qualsivoglia modo spettanti.* =

Hoc uti Chirographo neglexit Dux Michæl Angelus: non ita vero ejus Filius Dux Franciscus, cui parens Patrimonii administsationem cesserat. Ipse enim, cum ex dote ab Uxore Theresia Corsinia ad scuta usque *quadraginta millia* recepta, et ex creatione Census in conspicua sorte scutorum 43954 erga Gentem Gabrielliam ad mitem annuum fructuum scutorum 2, et ob. 80 in singula centena capitis, permagnam conflasset pecuniæ vim, æri alieno dimittendo, vel hujus usuris imminuendis juxta Clementinum Chirodraphum sedulo incubuit. Plures e creditoribus fuerunt, qui capita ipsis debita recipe re malucrunt; plurimi vero, quos inter Loca Pia, ad servandam hypothecarum anterioritatem, et vitandum periculum novæ collocationis pecuniarum ad exiguas usuras scutorum *duorum cum dimidio*, vel etiam *duorum* tantum in singula centum, fructus Censuum, ad majorem rationem constitutos, imminuere, et Censuales Contractus cum Cajetana Gente firmos servare selegerunt. Hos inter ad numerantur Mignanellii, qui fructus Census, in sorte scutorum *undecim millium* a scutis *quatuor et obul.* 50 in singula centum libenter reduxerunt ad scuta *tria*; atque Prudentia Soderinia, quæ pariter *ad effectum vitandi restitutionem Census Scutorum* 4200 impositi cum fructibus ad rationem scutorum 4 et 50, hoc reduxit ad rationem scutorum *trium pro centenario et anno*; Ven. Collegium etiam Salviati, auctorantibus tantum ejus Moderatoribus RR. PP. DD. Castellio, et Olivatio S. Nostri Ordinis Decano, et nulla Pontificia intercedente venia =*ad effectum vitandi restitutionem Census in sorte principali Scutorum* 1000 *impositi ad rationem Scutorum* 4 *pro singulo centenario, reduxit ad annuam rationem scutorum* 2 90 *in singula centum* = Horum vero, aliorumque exempla sequentes Moniales SS̃mæ Conceptionis Campi Martis, quas erga Cajetana Gens ab anno usque 1668 binos imposuerat Census cum fructibus ad *trientem* rationem, alterum in sorte scutorum 3000, alterum in sorte scutorum 8300, anno 1758, = *capitolarmente congregate* = illorum Censuum fructus, ope publici Instrumenti, reduxerunt ad rationem *quadrantem*, et ita novi investimenti, forsan minus tuti, et cum minori fructu incommodum vitarunt, atque anterioritas antiqui cum prænobili, ac prædiviti Familia sarta tutaque ipsis mansit.

Fructuum Censuum raductionem, uti alii Cajetanæ Gentis Creditores, Moniales etiam SS̃mæ Conceptionis, earumque Monasterii Moderatores pacifice semper a prædicto anno 1758 servarunt; quin immo ipsæ solemnibus actubus annis 1808 et 1816 eam obfirmarunt. Verum repente, post constantem *sexaginta* annorum observantiam, anno exeunte 1817 judicium ipsæ instituerunt adversus Ducem Henricum Cajetani, defuncti Ducis Francisci Filium coram Juridico A. C. Conventu, postulantes declarari nullam reductionem fructuum Censum anno 1758 solemniter conventam, atque insimul prædictum Ducem damnari ad repræsentanda scuta 6780, in supplementum defectus integræ solutionis usurarum ad rationem *trientem*, juxta originariam impositionem Censuum anni 1668, et ad solvendos, ad hanc rationem, fructus in posterum decurrendos. Monialium spem fefellit illius Tribunalis Sententia, cui album adjecit calculum Sacer Noster Ordo, ad quem Caussa in

gradu appellationis conscendit; proposito damque per me Dubio = *An constet de nullitate reductionis fructuum Censuum, ita ut sit locus solutioni eorum ad formam Instrumenti impositionis Censuum, et pro qua summa sit relaxandum mandatum in casu etc.* = post semel, iterumque Patrum suffragia scissa, in Comitiis dierum 23 Junii 1820, et 30 Martii hujusce anni, hac mane universa Aula respondit = *Negative in omnibus* =.

1 Et sane, cum a Monialibus Vener. Monasterii Sanctissimæ Conceptionis Campi Martis querela proponatur de nullitate reductionis fructuum censuum a *trienti* originaria ad *quadrantem* rationem, quam ipsæ = *capitolarmente congregate* = per solemnes tabulas convenerunt ad vitandum damnum, quod ipsis obvenire poterat ex restitutione sortis, quam Cajetanus Dux secus erat expleturus, et ex qua ipsis, præter amissionem anterioritatis fere sæcularis censualium jurium, periculum etiam imminebat novi investimenti minus tuti, et cum minori fructu, hæc prorsus est rejicienda querela, deficiente certissima, et numeris omnibus absoluta assertæ nullitatis demonstratione, cum juris præsumptio, nisi hujusmodi, demonstratio proferatur, publicarum tabularum justitiam, ac validitatem semper vindicet, ad tradita per Rotam passim, et præsertim in *Anconitana Concursus* 5 *Februarii*, 1753 § *finali coram Calcagnino, in Verulana Spolii* 1752 § 7 *coram Amadeo*; *et in Interamnen. Nullitatis Extinctionis Cambii* 6 *Martii* 1809 § 7 *coram Piccolomini*. Quod eo magis tenendum est, quia ab anno 1758, quo fructuum reductio fuit conventa, ad annum 1817., Moniales, nedum constanter, et ulla absque contradictione, censuum fructus ad hujus reductionis mensuram receperunt, sed immo judicialibus, et extrajudicialibus actubus hanc reductionem confirmarunt; juris namque præsumptioni accedit diuturna *sexaginta* annorum observantia, quæ actus robur quam maxime adauget, sicuti in longe infirmioribus terminis constitnit *Rota in Ferentina Exequutionis Contractus* 22 *Junii* 1801 § 4 *in fin. coram Priolo*. Stet igitur oportet fructuum reductio, ita ut in posterum ad *quadrantem* rationem solvendi sint, et eo magis nulli potest esse locus supplemento quoad fructus jam per *sexaginta* annos ad eam rationem solutos, cum Cajetanos, prætar solemnis conventionis auctoritatem, bona fides tueatur.

Ut itaque Moniales assequi valerent, ut Censuum fructus, saltem in poste- 2
rum, ad trientem originariam rationem eis esse a Cajetanis solvendos constitueretur, opus eis fuisset evincere, in reductionis fructuum actu vel *extrinsecus*, vel *intrinsecus* fuisse peccatum; id vero nedum ipsæ haud præstiterunt, sed immo contrarium apertissime patuit. Quoad actus enim *extrinsecam* formam inconlroversum est, fructuum Censuum reductionem a Monialibus fuisse conventam, ope publici Instrumenti, postquam ipsæ in id assensum præbuerant, = *capitolarmente congregate* =, atque Monasterii Moderatoribus probantibus; nil itaque actui tam rite expleto obiici potest. Inutiliter vero proponitur defectus Apostolici Beneplaciti. Hoc enim *nec* defuit; *nec*, si révera defuisset, ex ejus defectu actus corruere posset. Non defuit profecto; quia satis abunde ejus vices gessit Clementinum Chirographum, quo Duci Michæli Angelo Cajetano potestas facta fuit, novo alieno ære contracto, vetustum sub majori foenore, quo gravabatur, dimittendi, et lex imposita fuit quibuscumque creditoribus quamvis = *privilegiati privilegiatissimi* = recipiendi = *li Capitali dei Censi imposti a loro favore* = seu = *farne la riduzione a quella usura, che si trovasse da altri* = Nedum igitur permissum, sed etiam injunctum fuerat Monialibus per illud Pontificium Chirographum receptioni sortium Censuum, sive illorum fructuum reductioni, ad mensuram, quæ in commercio tunc erat communis, assentiri, atque ideo ipsæ Pontificia intercedente Venia, fructuum reductionem convenerunt. Quin rem mutet, Clementinum Chirographum signatum fuisse anno 1736, et ad fructuum reductionem inter Ducem Cajetanum, et Moniales de-

ventum fuisse anno 1758, etenim Pontificii Indulti auctoritas manebat semper integra, nec cessare poterat ex decursu præsertim paucorum annorum ad *Text. in Cap.* 6 *de regulis Juris in* 6 *et Gonzalez ad Reg.* 8 *Canc. Gloss.* 66 *num.* 13, *et Rot. dec.* 42 *num.* 7 *p.* 1 *in Recen. Decis.* 2148 *num.* 3 *cor. Coccino, et dec.* 77 *num.* 27 *cor. Ansald.*

3 Verum admissa etiam hypothesi, quod absque Apostolica Venia prædictæ reductioni fructuum Moniales fuerint assentitæ. quam quidem hypothesim falsissimam esse jam superius fuit demonstratum, non ideo tamen id quidquam validitati actus detraxisset, quia non res est de Monialium actu *voluntario*, sed de actu omnino *necessario*, quo in themate nullo Beneplaciti Apostolici interventu opus erat, per *Fenzon. ad Statut. Urbis lib.* 1 *Cap.* 103 *num.* 1 *Gratian. discept.* 831 *num.* 2 *Rot. post Cenc. de Censibus Dec.* 186 *num.* 6 *Dec.* 245 *num.* 12 *p.* 7 *Decis.* 104 *n.* 14 *p.* 13 *in recen. Dec.* 1075 *num.* 8 *cor. Lancett. Dec.* 333 *num.* 4 *cor. Rezzonico, et in Romana Nullitatis Extinctionis Cambii* 17 *Junii* 1805 *§ ultimo coram Emo Rusconi, et in Romana Nullitatis Extinctionis Cambii* 26 *Aprilis* 1806 § 5 *cor. Rmo P. D. meo Decano Serlupi* = Atque id adeo verum est ut etiam in retroventitione Census, ad quam præcedat oportet disdicta per duos Menses ante a Bulla Piana præscripta, tamen, hac quamvis deficiente retroventitionis actus dicatur necessarius, ita ut, qui contrahere nequeunt absque solemnitatibus, censuum capita recipere possint sine harum interventu, uti tradit *Constantinus ad Statutum Urbis Annot.* 44. *art.* 6 *num.* 653, *et firmat Rot. dec.*526 *n.*2 *et seq.cor.Buratt.*

4 Necessitas autem, in qua Moniales versabantur, redigendi *a triente ad quadrantem* rationem Censuum fructus, manifestissime dignoscitur ex simplici inspectione Clementini Chirographi, cujus vis inconcussa manebat anno 1758 uti superius fuit constitutum. Si namque anno 1736 Sanctæ Mem. Pontifex Clemens XII Duci Cajetano facultatem impertivit = *di poter prendere a Censo, o Cambio limitato tutta quella somma, che occorrerà per l'estinzione dei Censi* = et, si insimul jussit = *che i Creditori sieno tenuti a ricevere li capitali dei detti Censi, quando non volessero loro medesimi farne la riduzione a quella usura, che si trovasse da altri* =, atque hanc obligationem extendit = *a tutti, e singoli creditori, e qualsivoglia privilegiati privilegiatissimi* =; nemo non intelligit ortum ex hoc Chirografo jus fuisse Cajetanis adigendi eorum creditores, quamtumvis privilegiatos, ad Censuum retroventitionem, aive ad horum fructuum reductionem ad mensuram in commercio communiter obtinentem, et ortam simul fuisse Monialibus binorum Censuum creditricibus, Ecclesiæ Piorumve Lucorum privilegiis non obstantibus necessitatem recipiendi a Cajetanis illorum Censuum Capita, sive illorum fructus ad prædictam reducendi mensuram. Jus quippe unius ad quidquam ab altero obtinendum, hujus obligationem ad illi id præstandum secumfert; atque hoc in themate eo fortius teneatur oportet, quia Monialibus prædicta obligatio erga Cajetanum Ducem retrovendendi census, vel eorum fructus reducendi expressim a Pontifice indicta fuerat.

Quod autem Cajetanus Dux Censuum retroventitionem, vel eorum fructuum reductionem vellet, uti poterat, a Monialibus exigere, ita ut hæ ad alterutrum præstandum coactæ essent, dubitare non sinit conspicua pecuniæ vis scutorum *octuaginta quatuor millium*, quam ipse partim collegerat ex Uxoris dote in scutis 40000, et partim ex Censu in sorte scutorum fere 44000 imposito erga Gentem Gabrielliam, sub fructu scutorum 2, et 80, in singulos annos, et centena capitis, et ejus sedulitas in redimendis censibus, quibus erga alios gravabatur, vel eorum fructuum reductione assequenda, cujus rei exempla præbet quod ipse cum Mignanelliis, Soderiniis, Opere Pio Ornanio, Ven. Collegio Salviati, aliisque creditoribus egit, et ex quo concludendum est, fieri nunquam potuisse, ut ipse ociosam retinere vellet collectam pecuniam, potius quam Census erga 5

Moniales impositos extinguere, vel sibi consulere per eorum fructuum reductionem ad mitiorem rationem, quam juxta eam pecuniam ipse collocare poterat.

6 Nec ullius ponderis Patribus visum est objectum a Monialibus propositum, quod nempe Censuum retroventitio actus erat necessarius, sed non item eorum fructuum reductio ad mitiorem rationem, quæ ab earum arbitrio pendebat, et idcirco ipsas voluntarie, non necessitate coactas, illi reductioni assentitas fuisse. Et reapse cum constet Censuum retrovenditionem Moniales effugere non potuisse, et constet pariter anno 1758 pecuniam in commercio adeo redundantem fuisse, ut collocari haud posset nisi ad rationem *quadranti* etiam longe minorem, ut patet ex pluribus Instrumentis investimenti pecuniarum per Ducem Cajetanum adductis, et ejus facto, e censu scilicet ab ipso imposito erga Gabriellos in conspicua summa scutorum 43954 cum annuo fructu scutorum 2 et obul. 80 in quælibet centena capitis, hinc manifeste colligitur, quod si Moniales Censuum sortes a Cajetano Duce recepissent sub fructu *quadranti* etiam longe minori, et præterea amisissent fere sæcularem anterioritatem jurium censualium, atque securitatem, quam præbebat investimentum cum prænobili, ac prædiviti Cajetana Gente. Ad hæc itaque vitanda damna, et ad consulendum utilitati Monasterii necesse Monialibus erat vetustos cum Cajetanis census firmos servare, et absque inani circuitu novi Investimenti, et quam maximi detrimenti periculo, eorum fructus = *ridurre a quella usura che si trovasse da altri* =, uti præscripserat Clementinum Chisographum. In dubium igitur revocari haud potest, quod in hisce circumstantiis assensus reductioni fructuum Monialibus esset necessarius, magis etiam quam Censuum retrovenditio, et quod ad reductionis actum roborandum nulla opus fuit Apostolica Venia, ut articulo mature discusso docuit *Card. De Luca in conflictu leg. Observ.* 201 *num.* 2 *et in Disc.* 6 *de Alienat. num.* 5 *et* 6, *et in tract. De Ceasibus disc.* 14 *n.* 4.

Quin ad excludendam necessitatem in actu reductionis fructuum Censuum 7 utiliter a Monialibus proponatur, defuisse in Instrumento explicitam reductionis causam, scilicet ad effectum evitandi restitutionem Censuum, atque in eo Instrumento scriptum fuisse quod ipsæ ad reductionis actum devenere = *di loro spontanea volontà* = non etenim opus erat in Instrumento causam explicare, ex qua reductio fructuum Monialibus necessaria, atque utilis erat, quia hæc erat notissima, nam certissimum erat, Cajetanum Ducem potuisse, atquo etiam voluisse Census redimere, sicuti superius fuit demonstratum, et manifestissimum erat detrimentum, quod Monialibus imminebat ex Censuum retrovenditione, uti pariter superius demonstratum fuit. Quæ vero verba in Instrumento leguntur = *di loro spontanea volontà* = ad Tabellionum formularium pertinent, et in omni prorsus Instrumento apposita videntur, quamvis res sit de actubus necessariis retrovenditionis Census, extinctionis Cambii, et similibus, ad quos alter e contrahentibus officio etiam Judicis adigi potest, ut pateat nec vim, nec metum contrahentes ad actum impulisse.

Cum itaque ex huc usque deductis 8 manifestissima sit necessitas, et utilitas reductionis fructuum Censuum, et accedat illius observantia per annos *sexaginta*, in hypothesi etiam defectus Beneplaciti Apostolici, *extrinseca* actus forma nullitatis argui numquam posset, quamvis per Urbani VIII Constitutionem sæcularis cursus requiratur ad roborandos contractus alienationum ab Ecclesiis, ac Locis Piis initos absque expressa Apostolica Venia. Hæc namque Urbani VIII Constitutio locum sibi haud vindicat quoad prædictos contractus, qui Ecclesiis, Locisve Piis necessarii, atque utiles fuerint; quo in casu omnia removet objectum defectus expressi Beneplaciti Apostolici sola *triginta* annorum observantia, *Gonzalez ad reg.* 8 *Cancellariæ Gloss.* 12 *num.*

77 *Ciarlin. Controvers.* 39 *numer.* 9 *Pacion. de locato Cap.* 14 § 11 *num.* 10 *et* 19 *Rot. Decis.* 1169 *numer.* 4 *et seqq coram Emerix Decis.* 329 *num.* 15 *coram Ansald., et Decis.* 186 § *altera coram Rezzon.*

9 Et id adeo verum est, ut alia Loca Pia, quæ Cajetano Duci anno 1758, ad vitandam Censuum retrovenditionem, censuum fructuum reductionem tribuerunt, ulla absque Apostolica intercedente Venia, quæ inter præsertim Ven. Colleg. Salviati, a quo, auctorantibus tantum ejus Moderatoribus, R. P. D. Olivatio S. Nostri Ordinis Decano, et Eminentissimo Castellio, fructus Census, in capite Scut. 10000 ab annua originaria *trienti* ratione ad scuta imminuta fuerunt 2 et ob. 90 in singula capitis centena, nullam unquam de hac imminutione querelam moverunt. Quod vero a Monialibus proponitur exemplum improbatæ reductionis fructuum Census impositi a Duce Cajetano erga Anconitanum Pium Opus Ornani absque re prorsus est, ideo namque eam S. Noster Ordo improbavit reductionem, ex defectu etiam Beneplaciti Apostolici, quia Census redemptio a Cajetano oblata fuit anno 1798 in nummariis jam fere prorsus mense Junio diffamatis schedis, antequam bimestre disdictæ a Bulla Piana præscriptæ laberetur, et ideo ante bimestris lapsum census retrovenditio necessaria haud erat, et quia reductio fructuum conventa fuit a Chiappinio, nulla ad id facultate prædito, uti patet ex Decisione hac super re edita in *Romana, seu Anconitana Nullitatis Reductionis fructuum Census* 26 *Junii* 1816 *coram Tassoni.* Immo hoc exemplum adversus Moniales retorquetur, quia, cum antea fructus cum eo Pio Opere reducti fuissent ad mitiorem mensuram, ad census retrovenditionem vitandam, hæc vetus reductio firma stetit, dum nova, anno 1798 conventa fuit abrogata ex peculiaribus expositis rationibus.

10 Constituta validitate actus reductionis fructuum Censuum quoad ejus *extrinsecam* formam, et demonstrata illius actus necessitate, atque utilitate, corruit quidquid ei *intrinsecus* obiiciunt Moniales; omnibus enim jam fuit superius occursum. Quod vero proponitur de majori utilitate, quam assequi ipsæ potuissent ex Censuum retrovenditione, *vel* quia pecuniam, a Cajetano Duce ipsis redditam, si Census retrovenditi fuissent, impendere potuissent in æris alieni dimissionem, aut in acquisitionem bonorum; *vel* quia facile erat novos census inire sub fructibus majoribus ratione *quadranti*, spernendum omnino est. Non etenim evincunt ipsæ, Monasterium gravatum fuisse alieno ære sub usura *quadrantem* excedente, aut paratam habuisse opportunitatem acquirendi bona, e quibus majores fructus percipere posset; quod profecto in tanta pecuniæ copia impossibile prorsus fuisse videtur; nam, cum pecunia redundat, bonorum, omniumque venalium rerum pretia eveuntur ex emptorum concursu, et vendendi deficiente necessitate.

Quo autem ad exempla investimentorum pecuniæ ad trientem et semissem etiam rationem, quæ Moniales afferunt, hæc in pretio haberi nequeunt *tum quia* hæc spectant ad exiguas pecuniæ quantitates fœnori datas hominibus nullius notæ, qui largiori usura periculum illorum amissionis creditoribus forsan pensarunt: *tum quia* alia innumera eis opponuntur exempla investimentorum illius ævi ad usuram *quadranti* minorem; *tum quia* demum, cum a Monialibus collocanda fuisset, si census Cajetano Duci retrovendidissent, conspicua pecuniæ vis scutorum fere 12000, demonstrandum ab ipsis esset, hujuscemodi etiam pecuniæ summas cum prædivitibus Familiis ex Optimatum genere, qualis est Cajetana, sub fœnore, communem excedente mensuram, fuisse collocatas. Fieri itaque non potuit quominus firma renunciaretur prædicta fructuum censuum reductio, itaut recte, juxta eam, ii fuerint a Cajetanis soluti, et æque sint in posterum solvendi. 11

Et ita ab Universa Aula definitum fuit Utraque etc.

ROMANA PECUNIARIA

Lunae 15 *Januarii* 1821.

ARGUMENTUM

Ex Statutaris Urbis dispositione, quodlibet creditum, post sexdecim annorum silentium praesumitur extinctum, nisi per Actorem contrarium evidenter probetur. Natura obligationis, qualitas creditoris et debitoris, maxime conferunt ad inducendam, vel excludendam praesumptionem solutionis.

SUMMARIUM

1. *Qui ad crediti solutionem obtinendam agit, crediti subsistentiam tam in genere, quam in specie evincat oportet.*

   Post longaevum temporis spatium, altumque silentium jugiter servatum, creditum ex jure praesumitur - ibidem. -
2. Caput 158 ad Statutum Urbis, *cuicumque vel privatae, vel publicae scripturae vim omnem adimit post sexdecim annos, quia praesumitur facta solutio, nisi contrarium per creditorem legitime probetur, vel nisi contraria praesumptio praeponderans adducatur.*

   Judicium semper est ferendum ad tramites legum, quae obtinebant tempore quo fuit initus contractus. - ibidem -
3. *Ubi agitur de obligatione, absque ulla mora implenda, et de conspicua pecuniae vi, Negociator solertissimus, et quod magis Haebreus, non siluerit per multos annos, si obligatio non extincta fuisset.*

   Crediti sterilitas, ac optima debitoris qualitas, gravissimum extinctionem debiti argumentum praebent - ibidem.
4. *Inverresimile omnino est, quod quis suo debitori solvere velit, si credito adversus illum adhuc polleret*

DECISIO XLV.

Chirographo, diem 23 Martii 1898 præseferente, Angelus et Joseph fratres Tabanella, sese obstrinxerunt ad tradendum Israëlitæ Isac Baraphæl » *dentro il termine di Lunedì prossimo, e non più tardi libre sei oro in verga di carati diecinove per saggio di bontà al prezzo stabilito di scudi due e baj. ottanta al denaro* » omnium damnorum, in casu inadimplementi refectionem promittentes, ac scuta *bismillia* sese recepisse declararunt » *in anticipazione di detto contratto* » Quid de hoc contractu, qui intra biduum, vel triduum exequutionem habere debebat, evenerit, latet prorsus. Id certum sequiori tempore plura Baraphael inter ac Tabanellios, Angelum præsertim, intercessisse negocia, illud præcipue Anni 1811, quoad commeatus Gallicarum Stationum Anxuris, et S. Felicis, ex quo Baraphæl plures pecuniæ quantitates Angelo exsolvit, ac die 17 Aprilis 1812 sese ejus debitorem renunciavit in scutis 585 et ob. 76, quæ ei intra viginti dierum spatium repræsentare promisit, nil de ullo adversus eum credito ex eo contractu anni 1798 proveniente, mussitans; atque altum pariter de hoc asserto credito silentium servavit, dum pro viribus sesse eximere studuit a solutione debiti, quo erga Tabanellium tenebatur ex illo commeatuum negocio, tam usque ad Annum 1811, quam ad exitum anni 1812 producto. Sed anno tantum 1819 primum protulit, ad vitandam hujusce debiti solutionem, superius recensitum Chirographum apud Supremum Signaturæ Tribunal, et dein coram Juridico A. C. Consessu; atque id inutiliter omnino, quia quælibet Baraphæl exceptio proposita ad compensationem assequendam, et ex eo desumpta Chirographo explosa prorsus fuit, cum Judices vidissent » *che il preteso credito di Baraffæl di Scudi 2000 si deve presumere estinto dopo il corso di venti anni.*

Tum ipse, quod frustra per modum exceptionis creditum proposuerat, utilius per viam actionis proponere sibi blanditus fuit. Nam die 28 Februarii 1820 coram iisdem Judicibus A. C. Tabanellium vadatus fuit, illorum *bismillium* scutorum solutionem postulans, quin præter sæpius memoratum Chirographum anni 1798, ullam crediti probationem proferret. Hinc illico ejus inanes conatus Sententia illius Tribunalis, lata die 25 Julii ejusdem anni 1820, repulsi fuere. Per appellationem vero ab hac Sententia ab ipso interpositam, Causa venit ad Sacrum Nostrum Ordinem, quam hodie dirimen-

dam proposui sub Dubii formula = *An constet de credito ita ut sit relaxandum Mandatum in casu etc.* = At, qui mordicus judicium instituerat, ac fuerat prosequutus, Baraphael non defensionem, sed libellum ad comperendinatum obtinendum exhibuit, necessaria documenta sibi adhuc invenire datum haud fuisse causans, ac præcipue sese ostensurum jactitans, ideo de asserto credito tamdiu tacuisse; quia Tabanellius debitor, vix obligatione suscepta, antequam eam impleret, ab Urbe recesserat, atque hinc ad novissima usque tempora abfuerat, quod Domini cum perspicuis factis pugnare videntes, induciis denegatis, illico responsum de dere = *Negative* in *omnibus* =.

1 Et sane, qui ad crediti solutionem obtinendam agit, atque ad hunc effectum exequutivi mandati relaxationem postulat, illius crediti subsistentiam tam in *genere*, quam in *specie* evincat oportet *Rota passim, et praesertim in Romana Pecuniaria* 21 *Januarii* 1791 *coram Parracciano in Urbevetana Censuum* 13 *Maii* 1791 *coram Acciajoli* §. 2 *et in Asculana Dotis* 23 *Junii* 1806 §. 3 *coram Piccolomini*. Hinc itaque cum Baraphæl de asserto adversus Tabanellium credito *bismillium* scutorum, quod desumere contendit a Tabanellii obligatione tradendi auri laminas sex pondosus, cepta die 23 Martii 1798 ejusque contextim emissa declaratione de scutis *bismillibus* ab ipso Baraphæl in illius auri pretii partem receptis, nullatenus doceat; de eo credito haud constare, et mandati relaxationi locum haud esse concludendum pernecesse est. Et revera nil aliud proferre ipse voluit, nisi illius obligationis, et declarationis obsoletum chirographum exhibitum *primum* anno 1819 apud Signaturæ Tribunal ad appellationem obtinendam a Sententia A. C. Met diei 18 Decembris 1815 qua ipse debitor erga Tabanellium declaratus fuerat ex negocio commeatuum partis Gallicarum Copiarum, quod eos inter annis 1811, et 1812 intercesserat, et *deinceps* eodem anno 1819 coram A. C. jusdicentibus Triumviris, ut hujusce debiti cum prædicto asserto credito compensationem assequeretur. Sed frustra protulit. Nam per bujus Tribunalis sententiam in rem judicatam transactam compensatio fuit rejecta, quia perspectissimum fuit, quod post tantum temporis spatium, altumque silentium jugiter a Baraphæl servatum creditum illud ex jure = *deve presumersi estinto* = Sat itaque esset ad actionem a Baraphæl propositam prorsus eliminandam juxta ejusdem Tribunalis A. C. posterius Judicatum, ea super prolatum die 25 Julii 1820 prædictæ rei judicatæ exceptio, cujus tanta est auctoritas, ut inter easdem partes ac super eadem re pro lege habenda sit ad *Text. in leg.* 3. *ff. de exceptione rei judicatae Voet. in Pandect. lib.* 44. *tit.* 2 *num.* 3. *et seq. Rota Decis.* 1041 *Tom.* 4. *coram Molines num.* 47 *et alibi passim*,

Verum, seposita etiam re judicata , 2
assertum Baraphæl creditum ex ineluctabili juris præsumptione omnino extinctum renunciandum esse in dubium revocari nequit. Diem siquidem 23 Martii 1798 præsefert Tabanelli obligatio de auro Baraphæl tradendo , ejusque declaratio de summa scutorum *bismillium* in illius prætii partem recepta , atque hæc obligatio inter *bidum vel triduum* ad summum erat implenda, nempe = *nel prossimo Lunedì , e non più tardi* = Ab ea autem temporis epocha ad diem, qua primum Baraphæl illius obligationis, ac declarationis chirographum a Tabanellio conscriptum , uti unicum sui adversus hunc crediti fundamentum exhibuit, ad annum scilicet 1819 plus quam *viginti* effluxere anni, et per tam longum temporis spatium nunquam Baraphæl Tabanellium judicialiter, vel extrajudicialiter interpellavit de adimplemento obligationis, quæ fere ulla absque mora exequutioni danda erat, nec de credito , quod ortum habuisset a *bismillium* scutorum restitutione per Tabanellium debita, si ipse auri laminas stata die haud tradidisset; aut itaque dicendum est Tabanelli obligationem fuisse impletam , aut locum in themate sibi ineluctabiliter vindicat censura Statuti Urbis in *Cap*. 158

de præscriptionibus, quæ cuicumque vel privatæ, vel publicæ scripturæ debitum ex cujuslibet generis contractu præseferenti vim omnem adimit post *sexdecim annorum* lapsum, quia *præsumitur juris præsumptione facta solutio, nisi contrarium per creditorem legitime probetur, vel nisi contraria præsumptio præponderans, ac prævalens adducatur*. — Hinc proposita per Baraphæl actio protinus est reiicienda per *Rotam in Romana, seu Cornetana Salviani* 11 *Februarii* 1755 §. 3 *coram Caprara, in Confirmatoria diei* 15 *Martii* 1756 §. 3 *coram Eod., et in Romana Pecuniaria* 14 *Martii* 1757 §. 2 *coram Borull in Confirmatoria* 6 *Junii ejusdem anni* §. 2 *coram Eodem et in Romana Cambii, et Fructuum* 4 *Martii* 1887 §. 2 *coram Soderino*. Quin rem mutet notissimus Motus proprius Sanctissimi Principis diei 6 Julii 1816 quo Statuta abrogata fuere, a die namque 23 Martii 1798 ad prædictam diem 6 Julii 1816 jam *duo de viginti* effluxerant anni. Quare Statuaria præscriptio quoad Baraphæl assertum creditum plusquam ad terminum fuisset perducta ante Motus proprii promulgationem, seposita etiam quæstione, quæ proponi posset, si tunc *sexdecim* anni effluxi adhuc non fuissent, cum de eo credito judicium sit ferendum ad tramites Legum, quæ obtinebant quo tempore fuit contractum.

3 Hac igitur fultus juris præsumptione agentem Baraphæl Tabanellius semper repellet, et illi incumbit onus eam præsumptionem excludendi concludentissimis allatis probationibus, quæ evincant nomen prædictum extinctum haud fuisse ad tradita per *Marescott. Var. resolut. Cap.* 67 *num.* 37 *Conciol. ad Statut. Eugub. Rubric.* 50 *mum.* 7 *Costant. ad Statut. Urbis Annotat.* 43 *Art.* 1 *num.* 251, *et Fructuum* 4 *Maii* 1787 §. 9 *coram Soderino*. At non solum hujusmodi probationea nunquam a Baraphæl alatas fuisse certum est, sed immo firmissima præsto sunt argumenta, quæ juris præsumptioni de illius nominis extinctione maximam vim abdunt. Eruitur *primum* ex conditione obligationis a Tabanellio erga Baraphæl suscepta, et utriusque eorum qualitate. Si etenim die 23 Martii 1798 promisit Tabanellius sese intra biduum, vel triduum = *non più tardi di lunedì prossimo* = Baraphæl traditurum sex laminarum auri pondo, et si Baraphæl illi in anteceessum et prætii partem Scuta *bismillia* numeravit; nemo unquam suadere sibi poterit de obligatione, fere ulla absque mora implenda, et de cospicua pecuniæ vi Tabanellio data, silere per annos plusquam *viginti* potuisse Baraphæl negociatorem solertissimum, et quod magis est Hebreum, nisi vel obligatio fuisset exequutioni data, vel ipsi fuisset pecunia restituta, sicuti quoad negociatorem, Hæbreum præsertim, ac obligationem ad breve tempus, et sterile creditum, animadvertunt. *Cyriac. controvers. Foren.* 516 *num.* 15 *Constant. ad Statut. Urbis annot.* 48 *art.* 4 *num.* 242 | 243, *et firm. Rot. Decis.* 126 *num.* 19 *coram Merlin. Decis.* 974 *num.* 13, *et* 14 *coram Amato. Dunozet. et in Romana, seu Caprara*. Eoque magis tenendum est inverisimile prorsus esse, ingentem Scutorum *bismillium* summam ociosam tamdiu Baraphæl relinquere potuisse penes Tabanellium, a quo facile eam repetere poterat, vel frugiferam apud illum efficere, quia de ejus idoneitate, ac soliditate ipse Baraphæl perspicuus testis est. Cum eo enim, præter alia negocia, illud etiam contraxit Anno 1811 super commeatubus Gallicorum Stationum Auxuris, et S. Felicis, a quo procul dubio sese abstinuisset, si Tabanellii soliditas, et fides ei perspecta haud fuisset: optimam vero debitoris qualitatem gravissimum extinctionis debiti argumentum prebere tradunt *Pacion. Cons.* 113 *num.* 6 *Andreol. Controv. Foren.* 216 *num.* 19 *Surd. Decis.* 105 *num.* 1 *Constant. ad Statut. Urb. Annot.* 48 *Art.* 234 *et Rot. Decis.* 125 *num.* 22 *coram Merlin*.

Nec audiri meretur Baraphæl, dum assert, uti asseruit in libello ad comperendinatum obtinendum porrecto, sese non sponte, sed necessitate coactum silentium de prætenso credito per tot Annos servasse, quia post susceptam 4

obligationem Tabanellius ab Urbe recessit, quin ulla de eo ad annum usque 1817 haberi potuerit notitia. Id enim nedum haud probatur, sed immo factis luculentissimis ipsius Baraphæl excluditur. Porro hic anno 1811 cum Tabanellio superius recensitum commeatum Gallicarum Stationum Auxuris, et S. Felicis contractum inivit, et in eo ad exitum anni 1812 perstit, ac præterea a die 17 Aprilis anni 1815, qua se debitorem illius ex eo contractu declaravit, usque ad annum 1819, judicio adversus illum stitit mordicus hujusce debiti solutionem vitare studens. Non erat igitur absens Tabanellius, quocum ab anno 1811. hæc omnia Baraphæl agebat. Animadvertendum vero hic est ad aliud momentosissimum argumentum estinctionis cujuscumque debiti Tabanelli ex contractu anni 1798, quod suppeditant Baraphæl facta quoad negocium commeatuum. Ipse in hujus negocii causam plures Tabanellio, easque conspicuas pecuniæ summas exsolvit; Ipse Tabanellii ex eadem causa sese debitorem dixit: Ipse omnem movit lapidem ad hoc debitum imminuendum, ejusque solutionem vitandam, vel protrabendam, nec unquam de suo illo asserto credito ante annum 1819 quidquam mussitavit. At profecto nec aliquid Tabanellio Annis 1811 et 1812 solvisset, nec sese deinceps ejus debitorem renunciasset, si revera subsistens fuisset anterius illud ejus creditum scutorum millium. Concludendum itaque est, assertum hoc creditum prorsus extinctum fuisse, cum Juris præsumptioni a Statuti Urbis Censura inductæ, tot validissima accedant illius extinctionis argumenta, quorum vel unum sat est ad actionem a Baraphæl propositam repellendam, sicuti Sacer Ordo animadvertit in *Romana Cambii, et Fructuum* 4 *Maii* 1817 *coram Soderino* §. 5. Hinc jure merito responsum fuit, non constare de credito Baraphæl, nec idcirco pro hoc credito mandatum exquutivum ipsi tribuendum esse.

Et ita etc. Unica etc.

ROMANA PECUNIARIA

Lunae 3 *Decembris* 1821.

ARGUMENTUM

Donec perdurat tempus ad deliberandum, si quis interea haereditati sese non immiscuit, haereditatem ipsam repudiare semper potest, absque quod indigeat Inventarii confectione. Ad inducendam qualitatem haereditariam ob immixtionem, requiruntur actus, qui citra jus, nomenque haeredis fieri nequeunt.

SUMMARIUM

1. *Aliud est quod quis teneatur de proprio, aliud quod raepresentare debeat bona haereditaria*
2. *Quando perdurat etiam tempus ad deliberandum, nec quis sese haereditati immiscuit semper potest haereditatem repudiare, neque opus habet conficere inventarium, vel rationes reddere.*
3. *Nulla praesumi potest voluntas adeundi haereditatem hominis, qui in misera prorsus conditione constitutus, animam, inter egestatem expiravit.*
4. *Ubi de haereditatis aditione res est, ne inconsulta faeminae sese in haereditatibus implicent, Judicis Auctoritas, caeteraeque solemnitates requiruntur.*
5. *Qualitas haereditaria nequit amplius in discrimen revocari, ubi jam fuit per rem-judicatam exclusa.*
6. *Ex bonorum communione inter fratrem ac sororem, nulla conjectura erui potest quoad haereditatis aditionem.*
7. *Ad probandum, quod quis haereditati sese immiscuerit, requiruntur actus, qui, nonnisi ab haerede fieri possunt, et citra jus, nomenque haeredis peragi nequeunt.*
8. *Si frater alterius fratris debita solvit, id liberalitatem, potius quam qualitatem haereditariam evincet.*
9. *Si bona qui acceperit in solutionem sui crediti, ob id exclusa manet qualitas haereditaria.*
10. *Exclusa qualitate haereditaria, nemo tenetur ad solvenda alterius debita.*

DECISIO XLVI.

Post obitum Comitis Michaelis della Torre quatuor superstites ejus filii, *Joannes Maria*, scilicet, *Paulus Hieronymus*, *Joannes Franciscus*, ac *Maria Victoria*, inita transactione cum Paula Lecci Michaelis Vidua, eorumque Matre, patri-

monium defuncti, quod fere universum consistebat in promptuariis, et domibus in Civitate Centumcellarum extantibus, inter se diviserunt ac Paulæ, pro suis quibuscumque juribus, tot ejusmodi bona assignarunt, quot vim scutatorum 765 conficerent, quam portionem subinde Paula in Mariam Victoriam oneroso titulo transtulit: Hæc prudenti gestione res suas moderabatur; At Joannes Franciscus, cæteris etiam fratribus vita functis, brevi gravissimum æris alieni pondus contraxit. Censum namque primum scutatorum 360 et obul. 28 erga Familiam Bossi, alterum dein favore Ven. Conventus Montis Sancti super sua Centumcellensium bonorum parte imposuit: Hanc rursus imminuit, dum de anno 1755 scutatis *termillibus* a R. C. A. acceptis, fassus fuit in syngrapha = *vi rimane inclusa la terza parte dovuta alla Signora Maria Vittoria mia sorella* =; quapropter eidem cessit = *per l' entrante rata, e quantità la liberazione da esercitarla sopra la porzione, che a me possa appartenere dei Magazzini con Stanze superiori situati in Civitavecchia* = Præterea eorumdem ad se pertinentium bonorum portionem vendidit Margaritæ Giovannelliæ De Gregoriis de mense Maii 1756 pretio scutatorum *bis millium*. Tandem de Mense Junii ejusdem anni reliquam eidem Margaritæ cessit partem pretio scutor. *mille octingentum septuaginta quinque*.

Ære alieno obrutus, ac rerum omnium inopia, vel ad incitas redactus apud Sororem Mariam Victoriam fere nudus dein ipse confugit, ac penes eam intestatus diem vidit extremam de mense Maii anni 1776. Licet nulla huic esset hæreditas, cavere tamen sibi voluit Victoria, quæ idcirco, quam ex Lege adire poterat, fratris hæreditatem solemni actu repudiavit. Post hæc Creditores Joannis Francisci, præsertim Censuarii, in fundos a Margarita Giovannellia possessos irruere cæperunt, quæ ut hujusmodi vexationes removeret, illos ære suo pro vi scutatonum 2141. 34 dimittere satius duxit. Nonnulli alii Creditores in Mariam Victoriam surrexerant Fratris hæredem eam esse rati, at eorum conatus, ea exclusa qualitate, in irritum cessisse publica testantur acta. Et, cum, labente anno 1782, promptuaria omnia, quæ tum Victoria, tum Margarita possidebant, reparationibus indigere viderentur, vadatæ apud Ærari Præfectum ambæ mulieres a conductoribus fuerunt, ac mordicus contendente Margarita reparationes a sola Victoria, tamquam Francisci, qui eas in venditionibus in se susceperat, hærede perficiendas esse, prodiit nihilominus Sententia; qua utraque mulier = *pro rata commodi* = damnata fuit.

Mariæ Victoriæ ex testamento successit Marchio Joseph Ossoli, qui Fabro Murario Antonio Cioli integrum reparationum illarum pretium numeravit, sibi attamen servato jure indemnitatem pro rata petendi = *contro la Signora Compossed̃itrice di essi Magazzini* =. At deinceps Vincentius, cæterique de Familia de Gregoriis, qui Margaritæ postmodum defunctæ concesserant, Adversus Marchiones Antonium, et Philippum Ossoli, Josephi successores agere cæperunt, contendentes hos, utpote hæredes mediatos Mariæ Victoriæ della Torre, quam Fratris Joannis Francisci hæredem fuisse asserebant, ad id restituendum teneri, quod Margarita de Gregoriis persolverat creditoribus ejusdem Joannis Francisci, qui, dum Promptuaria, domusque Margaritæ vendiderat ad evictionem præstandam sese obstrinxerat. Res primum acta fuit coram Judicibus, qui, Gallis imperantibus, in Prima actione jus dicebant, atque ii, Actorum petitione rejecta, jus tantum his reservarunt, adversus bona hæreditaria Joannis Francisci judicium prosequendi. Ab hac Sententia protinus ad Rotale Consilium, quod S. Nostri Ordinis anno 1814 gessit vices provocarunt De Gregoriis, ac concinnata formula Dubii = *An, et in qua summa constet de credito, ita ut sit relaxandum mandatum, seu potius obstet repudiatio in casu etc.* Responsum *Affirmative ad primam partem, et constare de credito in summa scut.* 1080, *et esse relaxandum mandatum, et negative ad secundam* =.

Obtinuerunt. Restituto dein S. N. Ordine in Comitiis diei 18 Junii 1818 Marchionibus Ossolis silentibus, ea Consilii Rotalis Decisio fuit confirmata. Proposita verum iterum Causa in Rota 17 Maii 1819 R. P. D. Meo Isoard Ponente, et utraque parte certante, sub Dubio = *An sit standum vel recedendum a decisis* = Rescriptum prodiit = *Quoad credita contra bona hæreditaria Joannis Francisci in Decisis, in reliquis recedendum a decisis*, Novæ tamen Audientiæ beneficio a De Gregoriis impetrato, et me R. P. D. Meo Isoard suffecto, PP. sum hoc mane sciscitatus = *An sit standum in primo, et secundo, seu potius in tertio loco decisis* = Et responsum accepi = *In tertio loco decisis* =.

1 De credito enim, quo Margaritæ Giovannelliæ de Gregoriis hæredes pollent, quodque ex indemnitate provenit, quam Joannes Franciscus eidem Margaritæ præstare tenebatur, nulla amplius institui poterat disputatio; utpote, quod non modo ipsi Marchiones Ossolii haud inficiabantur; Sed insuper illud agnitum, ac perpetuo confirmatum fuerat, tum a Consilio Rotali, tum S. Nostri Ordinis Decisionibus; At non exinde recte inferri posse Patribus visum est a Maria Victoria, vel a Marchionibus Ossoliis ejus mediatis hæredibus esse rependendum, sed potius excludendam quoad eos Actorum petitionem omnino esse putarunt, addita tamen horum favore, quæ Tribunali Primæ Instantiæ placuit, reservatione, scilicet = *Salvi i dritti da sperimentarsi, come, e se di ragione contro i beni ereditarj di Giovanni Francesco della Torre*, uti statuit prior Decisio *R. P. D. Mei Isoard diei* 17 *Maii* 1819 § 2. Reque vera, cum judicium Actores de Gregoriis in Marchiones Ossolios, tamquam Mariæ Victoriæ hæredes instituerunt id præcipue posuere, Mariam nempe Victoriam fratris Joannis Francisci hæreditatem adivisse, atque ideo in Marchiones Ossolos, tamquam Joannis Francisci hæredes mediatos actionem suam sese optimo jure convertere potuisse.

2 Vorum id, quod uti certum proponebant Actores, neque in facto, neque in jure consistit. Præterquam quod enim hæreditatis aditio, quam in Maria Victoria ipsi supponunt, res facti est, neque idcirco unquam credenda, nisi reapse evenisse ab iisdem Actoribus dilucide demonstretur ad tradita *per Menoch. de præsumpt. lib.* 4 *præs.* 49 *numer.* 4 *Mantica de conject. libr.* 12 *tit.* 10 *numer.* 1 *Rota decis.* 1141 *numer.* 3, *et in Tusculana dotis* 27 *Martii* 1756. §. 7. *coram Borull.*, constat imo e contra Mariam Victoriam, non modo fratris hæreditatem adeundi voluntatem minime explicuisse, sed, imo cum termini prorogationem ad deliberandum utrum hæreditatem ipsam adire, vel potius respuere sibi expediret, ab Judice obtinuisset, paulo post publico, ac solemni actu aperte declarasse fraternam hæreditatem ex lege sibi delatam sese acceptam habere nolle, eamque omnino recusare. Quin obstet Mariam Victoriam, neque inventarium confecisse, neque reddidisse rationem. Etenim, cum prorogationem temporis ad deliberandum a Judice fuisset assequuta, cumque ære alieno pergravatam depræhendisset hæreditatem, nec sese illi immiscuisset, hæreditatem ipsam nondum agnitam poterat repudiare, cum jure liceat hæreditati valedicere, in qua nulla quis in parte se immiscuit; ut monet superior *Decis.* § 5.

Ro autem vera hæreditas etiam quælibet desiderabatur cui se immiscere, aut quam adire Maria Victoria posset, universum siquidem Joannes Franciscus suum patrimonium profunderat, atque ære alieno, longe superante illius vires, obrutus, tanta inopia, et egestate premebatur, ut noctu Sororis domum petere coactus fuerit = *involto in una copertaccia senza neppure il cappello, e tutto tremante per il freddo* = Quem ut vidit Soror = *mossa a compassione si levò un materazzo del di lei letto, che per quella sera fu posta sopra certe sedie di paglia; e così in somma miseria convisse colla detta sua Sorella, finchè passò all' altra vita nudo, come era nato* =, ut informatissimi Testes affirmant. Hisce adstipulatur etiam Parochi testimonium asserentis 3

sese rogatum fuisse = *a voler far trasportare occultamente il cadavere alla chiesa, ad effetto di non far comparire al popolo la meschinità, con cui si fosse portato* = cui petitioni adherere Parochus cum vellet = *la suddetta Sorella non volle, e lo fece trasportare, ed esporre con un mediocre funerale* = Nulla igitur in Maria Victoria voluntas præsumi potest adeundi hæreditatem hominis, quem in abjecta prorsus conditione constitutum, sola fraterna charitate mota domi suæ receperat, qui item = *in somma miseria* = semper apud eamdem vixerat, quemque postremo = *nudo, come era nato* = animam expirare suam viderat.

4 Eoque minus ex jure hæc hæreditaria qualitas in Maria Victoria excogitari poterat. Namque ipsa adire minime poterat hæreditatem, quam reapse noluit adire. Pervulgatum siquidem est Municipales nostras Leges, ut feminei sexus infermitati consulerent, mulieribus: nisi certis adhibitis solemniis, cujuslibet negotii gestionem vetuisse, ex quo earum jura, ac proprietates in aliquod discrimen adduci possent. Quas Statutarias Leges maxime sibi locum vindicare compertum est, ubi de hæreditatis aditione res sit, adeout, ne inconsolto fœminæ sese in ipsis hæreditatibus implicent, Judicis Auctoritas, causæ cognitio, cæteræque solemnitates per quam maxime merito requirantur, ut tradit *Constant. ad Stat. Urb. Adnot.* 44 *Artic.* 5 *numer.* 404 *Card. de Luca tit. de hæred. disc.* 14 *numer.* 4., *et sequen.*, *et Rota Decis.* 328. *numer.* 10 *coram Molines*, *et decis.* 20 *numer.* 19. *tit. de haered. coram Falconier.*, ut præcedens statuit *Decisio coram R. P. D. Meo Isoard* § 8. Ergo, cum Maria Victoria hæreditatem fratris adire absque solemniis omnino non posset, neque voluisse dicendum est, cum voluntas hominum a potestate dimediatur: et quilibet actus in hanc causam a fœmina gestus insana bili nullitatis vitio corrueret.

5 Accedit quod, quod jam usque ab anno 1782, Maria Victoria et Margarita Giovannellia de Gregoriis a conductoribus Promptuariorum, quorum ipsæ habebant dominium, in judicium vocatæ fuere, ut restaurationes, quibus locata ædificia indigebant, perficerent, atque ut superius dictum fuit, molestias hasce in solam Mariam Victoriam convertere Giovannellia summa contentione pertentavit, mordicus propugnans eam esse Joannis Francisci hæredem, qui dum eadem horrea Giovannelliæ vendiderat, restaurationes, in iis forte in posterum perficiendas, in se susceperat. Attamen Judex Giovannelliae hanc postulationem respuens, illico imperavit ab ambabus mulieribus = *fieri acconcimia pro rata commodi* = Quas autem expensas Antonio Ciolio Fabro Murario, Marchio Joseph Ossolius, hodiernorum reorum Auctor, persolvit, patula adjecta jurium reservatione rependit scilicet *Salve tutte le ragioni, ed azioni di poter sempre, ed in qualunque tempo domandare da detto Signor De Gregoriis il pagamento della sua tangente per detti lavori* = Patet itaque, ne dum ex rebus gestis, atque ex juris dispositione, sed etiam ex rejudicata Mariam Victoriam nunquam fratris sui fuissa hæredem, ut recte concludit sæpedicta *Decis.* § 6.

Qualibet exulante expressa hæreditatis aditione, cum e contra sat, superque constet de illius repudiatione, perperam Margaritæ De Gregoriis hæredes ad tacitam aditionem, seu pro hærede gestionem in Maria Victoria demonstrandam confugere assolent, nonnullis allatis conjecturis, quas Patres prosus sprevere. Nullo enim in pretio habendum, quod Actores asserunt Margaritæ creditum, tam ab Joanne Francisco, quam a Victoria dimittendum fuisse, quia contendunt ipsi in universali bonorum communione eosdem vixisse, ex qua quidam communione hæreditatem quoque Joannis Francisci a Maria Victoria aditum fuisse arguunt. Præterquam quod enim nulla esse poterat cum Joanne Francisco decoctore, et Victoria divite universalis communio, qualis ad hoc opus omnino requireretur, patet ex publi- 6

cis tabulis totius patrimonii sui venditiones solam Joannem Franciscum peregisse, quin unquam accita fuerit Victoria, multoque minus, quin assertos inter socios pretium ullum fuerit divisum. Eam denique assertam universalem communionem prorsus explodit emissa ab ipso Joanne Francisco declaratio, tunc cum in correspectivitatem summæ scutor. trium millium a R. C. A. perceptæ = *in cui vi rimane inclusa la terza parte dovuta alla Signora Maria Vittoria mia Sorella* = huic concessit = *in compenso la libera azione di esercitarla sopra la porzione, che a me possa appartenere dei Magazzeni* = Hec sane non universalem communionem, sed potius condominium evincunt, ideoque exulat omnino quælibet aditæ hæreditatis conjectura; quæ cæterum aditio nunquam ex bonorum communione inter fratrem, ac sororem asserta erui sane posset, repudiata enim hæreditate aditio ex nuda possessione desumi nequit.

7 Deterius vero, sive prædictam communionem, si hæreditatis aditionem ex eo inferre conahantur Actores, quod scilicet, fratre vita functo, Maria Victoria exegerit horreorum pensiones ad Joannem Franciscum pertinentium: siquidem, cum hic ab anno usquo 1755 in causam scutatorum *mille*, quæ sororis vice a R. C. A. exegerat, quæque in suos usus converterat, eidem Sorori eas ædes, ac horrea cessisset = *trasferendole il totale, ed assoluto dominio, da poterlo esercitare senz' alcun mandato di Giudice, o interpellazione giudiziale* = manifestum est Mariam Victoriam, non hæredis nomine, neque ex jure hæreditario, sed proprio, pensiones Ædinm exegisse, quas onoroso titulo frater ei cesserat, neque hæreditaria qualitas ab ea exactione erui posset, ad quam concludenter probandam ii requirnntur actus, qui, nonnisi ab hærede fieri possunt, et citra jus, nomenque hæredis peragi nequeunt; ut notum cuique est, et docet sæpe laudata *Decis.* § 4.

8 Quin ullo in pretio habendum sit unius testis dictum asserentis Marchionem Ossolium, mortuo Joanne Francisco e Mariæ Victoriæ domo penes se ipsum transtulisse = *un sacco di scritture, che gli dette la Signora Contessa Maria Vittoria* =, ant alterius testis, qui narrat quamdam pecuniæ quantitatem sese a Maria Victoria accepisse = *per una balla di tabacco, che nell' anno 1777 vendei al Signor Conte Giovanni Francesco* = Quod enim spectat ad scripturas per Marchionem Ossolium acceptas, cum nullo modo probetur easdem ad Joannem Franiscum spectasse, cumque e contra ad Mariam Victoriam reapse pertinuerint, ridiculum plane esset hæreditariam qualitatem ex sola scripturarum, quæ cæterum defunctum minime respiciebant traditione, ac vicissim acceptione eruere. Quod autem attinet ad pretium = *della balla di tabacco* =, quod Mariam Victoriam solvisse de anno 2777 testis alter deponit; id liberalem potius sororem, ob fratris memoriam, fuisse evincit, quam hujus hæreditatem revera adivisse. Præterea testis hic de falso revincitur, cum anno 1777. Joanni Francisco tabacum sese vendidisse asserat, dum e contra eumdem Joannem Franciscum anno 1776 mortem obiisse scimus, ut probat dicta prior *Decis.* § 5.

Studio autem prorsus inani hæredes 9
de Gregoriis alia plura proponebant, ut ostenderent domus, et promptuaria omnia olim ad Franciscum spectantia in superstitem Sororem Mariam Victorium, et postea in Marchiones Ossolios gradum fecisse, etsi nunc a quodam Guglielmio retineantur. Etenim, si Joannes Franciscus suam eorumdem fundorum partem, æque ac illam fratrum, quorum hæres fuerat, Margaritae de Gregoriis vendiderat, quæ hona modo etiam mulieris hæredes possident perneccsse est concludendum, quod ea bona, quæ nunc Guglielmius detinet, ad Mariam Victoriam spectaverint; nunquam vero ad Joannem Franciscum, quem sua omnia alii vendidisse constat.

A vero autem maxime aberrant te- 10
stes ab Actoribus inducti, dum asse-

runt, quod = *dopo la di lui morte* = nempe Joannis Francisei = *la Signora Contessa Maria Vittoria ha ritenuto tutto il mobilio, ed altro appartenente al detto Signor Conte Giovanni Francesco.* Namque nullas habuisse Franciscum suppectiles, imo oppignorasse quidem scimus *thoracem, femoralia*, atque *pallium*, quæ tamen ad vestitum necessaria sunt. Immo, ne lectum quidem habuisse eumdem eonstat; eum = *pregò la Sorella, non sapendo più, come fare, di volerlo tener seco* =, veluti testes gravissimi deponunt. Itaque, si rebus omnibus ad vitam omnino necessariis, si lecto, si domo carebat Joannes Franciscus, aut falsum dixerunt testes, dum deposuerunt Mariam Victoriam aliquam suppellectilem penes Joannem Franciscum repertam retinuisse, aut suppellex, et mobilia, de quibus ipsi loquuntur, propria erant ejusdem Mariæ Vietoriæ. Exclusa itaque in Marià Vietoria hæreditaria fratris Joannis Francisci qualitate, uti nulla de Gregoriis actio competiisset adversus eam pro assequendis ereditis, quibus Margarita eorum Auctrix contra eum pollebat, ita actio hæc nunquam utiliter proponi potest in Ossolios, Mariæ Victoriæ hæredes mediatos; quare merito confirmata fuit præcedens R. P. D. mei Isoard Decisio, quæ ab hac actione Ossolios absolvit, sarto, tectoque servato prædictorum Auetorum jure contra bona, quæ forsan ad Joannem Franeiscum spectantia invenire possint.

Et ita ete. Utraque etc.

ROMANA PRAELATIONIS

Veneris 6 *Julii* 1821.

ARGUMENTUM

Ad perfectionem emptionis venditionis, non requiritur instrumentum, sed sat est quod partes convenerint de re ac pretio. Ac si bini existant emptores, illi est danda praelatio cui prius res fuerit tradita, nisi in mala fide versetur, seu nisi habuerit certam ac individuam scientiam anterioris contractus.

Coram De Cursiis Tom. I.

SUMMARIUM

1. *Qui judicio contendit praelationis, demonstret necesse est, vel temporis anterioritate in contracta pollere; vel potioritate juris.*
2. *Ad emptionis venditionis perfectionem inducendam, sufficit consensus, re, et pretium absque ope scripturae.*
   Contractus perfectioni robur etiam superaccedit ex publici Instrumenti confectione - ibi -
3. *Epistolae, ac agnitiones posteriores plene probant legitimum mandatum ad contrahendum fuisse impertitum.*
4. *Nulla lex vetat, quem posse duobus uti procuratoribus, mandatum ad perficiendum, et exequendum contractum tribuere.*
   Quia statim ac contrahentes de re et pretio convenerint emptio venditio perfecta dicitur, ita ei in instrumento aliqua conditio immutata fuerit, non ob id contractus perfectio a dis stipulationis instrumenti repeti debet - ibidem. -
5. *Res-judicata nedum afficit Auctores contra quae prolata est, sed etiam illos qui ab Auctoribus causam habent.*
   Qui a Sententia appellavit, fecit eum judicium, ac Sententia, ei vires re-judicatas acquisivit, contra ipsum facit statum - ibid. -
6. *Judicium redditum in causa status omnes indistincte afficit, et realem contra quoscumque, etiam in judicio non comprachensos, exceptionem parat.*
7. *Simulationis gravissimum praebet argumentum, quod quis aeertum documentum ad acta non detulerit.*
8. *Nulla fides haberi potest testi, qui varius est, et modo unam rem, modo aliam narrat.*
9. *Donec contractus perfectus non sit, quislibet potest de re sua libere disponere, ac cum altero contractum inire.*
10. *Inter binos emptores, illum cui prius res tradita fuit, etiamsi posterius emerit, esse praeferendum, explorati juris est.*
11. *Ad effectum ut ille, cui prius res tradita sit excludatur a praelatione, requiritur quod sit in mala fide, seu quod habuerit anterioris contractus specifica, ac individua scientia.*
12. *Scientia in emptore inducta dici non potest ex actu judiciali, si hic fuit editus postquam in possessione jam versabatur.*

DECISIO XLVII.

Rustica, ac urbana bona, quæ in Agro Romano, et Romae possidebant Comites Mapheii Veronenses, quæve inter præcipua erant duo latifundia =

Sacco Pastore, *et Castello Arcione* =, primum Camillo Merollio, alterum Michaeli de Cæsaris locatum, vendere cum ipsi constituissent, una cum quodam credito adversus Gentem Barberiniam Sciarra, Petrum Morosi, ut optatam perficere venditionem curaret, Romam miserunt, eique præscripserunt ut in id incumberet junctis studii cum R. Alexandro Saluccio, qui Romæ prædictorum Comitum negociis præerat, et cui ipsi per epistolam Morosio creditam, suam bona vendendi voluntatem aperuerunt. Venit ad Urbem Morosius Mense Septembris anni 1815, vendenda bona perlustravit, et ad emptorem inveniendum animum appulit. Sed, cum Saluccium venditioni advertantem invenisset, id Josepho Morio, qui Veronae erat Maphejorum generalis ad negocia procurator, statim nunciavit, et ab eo responsum accepit die 9 Octobris ejusdem anni = *abbenchè al Signor Salucci poco piaccia la Risoluzione*, *lasciamo*, *che dica ciò che vuole*, *e noi proseguiamo le trattative* =.

Hoc autem accepto responso efficaciter de venditione agere Morosius cepit cum Dominico Phanuccio, qui Vincentii Gratiolii necocium gerebat, quive sese bona emplurum obtulit pretio = *di lire italiane sessantamila pagabili nell' atto dell' Istromento* = aliisque sub conditionibus. Morius vero, de hoc monitus ei scripsit, sub die 3 Decembris prædicti anni, ut aliquod pretii augmentum obtinere curaret. Sed insimul, per aliam epistolam ei scriptam eadem die a Valentino del Pesce, altero Familiæ Maphejæ administro, ei nunciavit = *che nel caso disperato di non potere aggiungere qualunque somma alle sessanta mila lire è già autorizzato il Signor D. Salucci a fissare il contratto*, *e fare l' Istromento anche per il prezzo suddetto*, *talchè le sia di norma* = uti revera Saluccio contexim mandatum a Mapheis fuit datum = *colle facoltà di poter deliberare la vendita*, *purchè segua per il prezzo non minore di italiane lire sessanta mila* =. Hinc itaque Morosius Phanuccium ad bonorum pretium augendum adduxit, et per epistolia hinc inde transmissa emptionis venditionis contractum cum eo conclusit die 12 Decembris anni 1815, constituto pretio = *in scudi dodicimila*, *o lire* 64200 = eique promisit sese curaturum = *di concertarsi con il Signor Alessandro Salucci per fissare il giorno e l' ora della stipolazione dell' Istromento*.

Renuit tamen Saluccius ad Istrumenti stipulationem devenire. De hoc itaque Morosius Phanuccium monuit die 8 Januarii 1816, eique insimul omnia remisit monumenta, quibus sua jura quoad initum contractum foveret. Tum Phanuccius die 9 ejusdem Mensis Januarii adivit Tribunal A. C., petens adversus Saluccium, uti Mahejorum procuratorem, ut terminus ei præfigeretur = *ad effectum stipulandi Instrumentum venditionis* = et eo, quamvis acriter obsistente, Judex, die 7 insequentis Februarii, Decretum protulit, quo = *prefixit citato terminum quinque dierum*, *ad effectum stipulandi Instrumentum venditionis bonorum*, *quo termino elapso mandavit stipulari ex Officio per Notarium causae* = Quæ cum rescivissent Mapheii, primum visi sunt Saluccio velificari, sed deinceps, re melius perpensa, Judicatum A. C. acceptum formiter habuere, aliumve elegerunt procuratorem, nempe Barcenni Ducem Joannem Torlonium, qui Instrumentum emptionis venditionis cum Phanuccio stipularetur; quod solemniter factum fuit, receptis a Torlonio in actu stipulationis, pretii bonorum nomine, scutis *tercentis* super *duodecim millibus* sicuti publicæ testantur tabulae diei 18 Aprilis ejusdem anni 1816. Hac vero eadem die Phanuccio sese Vincentii Gratiolii negocium gessisse pari solemnitate declaravit, et Gratiolius, in quem bona per Instrumentum prædictum fuerunt amplissimis clausolis translata eorum realem possessionem die 22 ejusdem Mensis adeptus fuit.

Repente tum prodiit Camillus Morollius, qui asserens sese a die usque 8 Januarii 1816 prædicta bona emisse a Saluccio Maphejorum Procuratore, Monitorio expedito adversus Pha-

nuccium, quo, et Gratiolum compræhendi postmodum curavit ad eorum possessionem sese immitti postulavit, petita etiam purgatione attentatorum ob possessionem a Gratiolio captam. At e conspectu Reijudicatæ die 7 Februarii superius recensitæ, tam Monitorium prædictum, quam alia Merolli Acta ab Eminentissimo Signaturæ Justitiæ Præfecto circumscripta fuere. Nec meliore fortuna Joseph Merollius Camilli, interim defuncti, frater, et tutor ejus filiarum, hoc tutorio nomine appellationem ab ea A. C. Rejudicata utpote sese, prædicto nomine, *tamquam tertium* lædente, interposuit; nam hanc appellationem una cum omnibus Actis, quæ eam sequuta fuere, plenum Signaturæ Tribunal circumscriptionis ope pariter delevit. Hinc ipse ope sequestri quamdam pecuniæ vim, quàm Saluccio in causam emptionis bonorum solutam fuisse asserebat recuperaro a Mapheis curavit. Hinc etiam ipso et Tribunali A. C. Sententia, Reijudicata vires nacta, et Sacri Nostri Ordinis Decisione diei 5 Julii 1819 edita a R. P. D. meo Marco, cui titulus *Romana Affictus*, damnatus fuit ad rependendas Gratiolio, uti bonorum Comitum De Mapheis emptori, pentiones Latifundi = *Sacco Pastore* = ipsi a Mapheis locati, et deinde Gratiolio venditi. Hisce tamen non obstantibus, judicium adversus Gratiolium coram A. C. Juridico Conventu instituit super prælatione in contractu emptionis venditionis prædictorum bonorum, et quamvis rejectus illius Tribunalis Sententia, diei 15 Decembris 1819, quæ vulgata fuit die 15 Martii anni 1820, appellationis ope ad S. Nostrum Tribunal Caussam deferri curavit, Infeliciter vero, quia mo hodie Dominis proponente Dubium = *An sit locus praelationi, ita ut sit stipulandum Instrumentum in casu etc.* = jura Gratiolii prevaluerunt, ac Responsum prodiit *Negative in omnibus*.

1 Qui namque in hoc odioso prælationis judicio, quod tendit ad dejiciendum a bonorum possessione emptorem, qui eam per legitimum solemnem contractum adempta, jam plurium Annorum spatio retinuit, actor est Merollius, evincere profecto deberet ejus defunctum fratrem Camillum Gratiolio praestitisse, *vel* temporis anterioritate in contractu, *vel* potioritate juris. Neutrum vero a Merollio probari Patres agnoverunt; immo eis compertissimum fuit Gratiolium utroque præ Merollio pollere, et ideò optimo jure huic petitam prælationem denegarunt, uti ei jam fuerat ab A. C. Juridicis denegata. Et sane, quoad tempus, quo bonorum venditio a Mapheis erga Phanuccium, sive Gratiolium perfecta fuit, solemnes prostant tabulae a Duce Torlonio, uti venditorum procuratore, cum emptore exaratæ, die 18 Aprilis anni 1816, quibus declaratum fuit emptionem venditionem jamdiu, ope Morosii, et Josephi Morii, fuisse cum Phanuccio tractatam, atque conclusam, ac tantum defuisse Instrumenti stipulationem, ad quam deveniendi mandatum fuerat datum Sacerdoti Saluccio, qui eam explere renuit, et ideo solemnibus iis tabulis partes voluisse a *render definita ogni controversia, e procedere all' Istromento di vendita nei modi, e forme fra esse stabilite* = Ne dum itaque eæ testantur tabulæ emptionem venditionem in puplicum Instrumetum fuisse redactam dio 18 Aprilis anni 1816, et ab usque die Phanuccio, sive Gratiolio jus ad bona fuisse acquisitum, sed demonstrant etiam contractum longe ante, die nempe 12 Decembris anni 1815, fuisse perfectum, et insequenti Mense Aprilis Instrumenti solemnitatem ei accessisse.

2 Do hujusce vero contractus perfectione a die usque 12 Decembris anni 1815 dubitare non sinunt Epistolia, quæ inter Morosium, et Phanuccium diebus 11 et 12 illius mensis intercesserunt. Scripsit Phanuccio Morosius priori illa die = *Che li suoi principali Signori Conti Maffei sono contenti di stipolare il Contratto di vendita con V. S., solo che ella si disponga ad aumentare il prezzo a scudi dodicimila romani; attendo il suo consenso. Ella con-*

servando la presente mia, ed io quella, che sarò per ricevere in risposta saremo entrambi obbligati, coiè io per fare eseguire la stipolazione del Contratto dal Signor Alessandro Salucci in nome dei Signori Maffei, e V. S. su la base della sua risposta di mantenere l'obbligazione di compra, se sarà per acconsentirvi = Cum vero eadem die Phanuccius, responso scriptis Morosio dato, pretii augumento ad scuta *duodecim millia* assensum præbuisset, iterum in sequenti die 12 Decembris Morosius ei scripsit = *Jeri sera ho ricevuto la sua risposta alla mia dello stesso giorno* 11 *corrente: giacchè ha accettato il partito di pagare il prezzo dei Beni dei Signori Conti Maffei in scudi dodicimila, o lire 64200 così resta conchiuso, e difinito il Contratto, ed avrò cura di concertarmi col Signor Alessandro Salucci per fissare il giorno, e l'ora della stipolazione dell' Istromento.* =. Ea igitur die 12 Decembris 1815 perfectus extitit contractus inter Phanuccium, et Morosium, Maphejorum nomine, cum tria adfuissent requisita *consensus* nempe *res*, *et pretium*, quæ ad emptionis Venditionis perfectionem inducendam ulla absque ope scripturæ, quæ ad memoriam tantum contractus servandum adhibetur, sufficiunt *ad Text. in Leg.* 2 *ff. de emptione, et venditiane, Leg.* 1. *ff. de rerum permutatione* § 2. *Leg.* 8 *ff, de periculo, et commodo rei vendit. Instit. lib.* 3 *tit.* 24 *de Emptione, et venditione* § 1, *et Vinnium in hunc* § *Cujac. tom.* 7 *pag.* 687 *litt. A. Connar.* in *Comment. Jur. lib.* 7. *cap.* 6. *numer.* 2 *Rot. in Firmana Venditionis, et Attentatorum* 28 *Jannarii* 1754 § 6 *coram Vicecomite, et in confirmatoria* 28 *Junii ejusdem anni* § *coram Figuera* =. Cui Contractus perfectioni rohur etiam superaccessit ex eo, quod, cum Morosius vidisset Saluccium alterum Maphejorum Procuratorem, ad instrumentum stipulandum, moras huic stipulationi nectentem, et etiam repugnantem, de hoc Phanuccium monuit, epistolio dato die 4 Januarii 1816, atque adjecit = *perchè faccia ella quelche crede a proposito per obbligare il detto Signor Salucci al dovere, le unisco qui le carte principali di mia corrispondenza relativa al Contratto da me seco lei conchiuso per la vendita dei beni, ed avuta tanto coi Signori Maffei, quanto coi sig. De Mori, e Salucci e la Copia della procura, che il Signor Salucci ha ricevuta dai miei Signori Principali.*

Injuria vero Morosii facultates eum ineundi contractum in dubium revocat Merollius. Hæc namque luculentissime evincuntur, *primum* epistola, qua Mapheii ipsum ad Urbem missum, ad bonorum venditionem procurandam, comitati fuerunt; *dein* epistoliis, quibus Saluccius illorum bonorum Administrationi Romae praepositus, bonorum conductores invitavit ad ipsum, uti Maphejorum Mandatarium agnoscendum; *demum* vero epistola, qua Morius generalis Maphejorum Veronæ ad negocia procurator, Morosio, nuncianti Saluccium bonorum venditioni adversum esse scripsit = *l' Agente suddetto Signor Saluccio non deve entrare nei nostri piani; dunque lasciamo, che dica ciò che vuole, e noi proseguiamo le trattative. All' Agente fu scritto nuovamente, onde contribuisca alle ricerche ove occorresse, Ella agisca, e si presti per l' interesse Maffei* = Quibus accedit alia epistola Morosio a Valentino del Pesce Maphejorum, altero ex administris scripta, qua jubente Morio, ci fuit nunciatum = *Che nel caso disperato di non potere aggiugere qualche somma alle sessanta mila lire è autorizzato il Signor Salucci a fare l'Istromento pel prezzo suddetto* =; uti revera Saluccio chirographum procurae a Mapheis transmissum fuit = *con facoltà di deliberare la vendita per quel prezzo che riuscirà di ricavare non minore di lire sessantamila* =. Quamcumque dubietatem quoad Morosii facultates ad bonorum emptionem venditionem incundam pro Mapheis hæc profecto removent. Denique quod rite ea fuerit die 12 Decembris anni 1815 cum Phanuccio inita testes sunt ipsi Maphei, qui deinceps, Saluccio ad stipulationem Instrumenti devenire renuente, 3

Mandatum Duci Torlonio dedere ad hoc stipulandum instrumentum de emptione venditione cum Phanuecio antea contractu = *col mezzo del Signor Pietro Morosi loro incaricato in Roma, e del Signor Giuseppe de Mori loro agente in Verona.*

4 Quin rem mutet mandatum ad stipulandum Instrumentum, primum Saluccio, non Morosio fuisse datum. Instrumentum namque non ad *perfectionem*, sed ad *probationem* tantum contractus pertinebat, ideo optime stare simul poterant Morosii facultates ad contrahendum, ac illæ Saluccii ad contractus initi probationem curandam, uti postrema hæc potestas rite deinceps, quoad jam perfectum contractum Torlonio Duci fuit tributa. Nulla vero lex vetat quem posse duobus uti procuratoribus, altero ad perfectionem, altero ad probationem, et exequutio, nem contractus, uti docent, *post Textin Lege si quis cum Procuratore §. unius, et leg. qui duas ff. de Procuratoribus Altimar. quest.* 24. *numer.* 52. *Golin de Procurator. part.* 1. *cap.* 4. *numer.* 10 *Gratian. discept.* 201 *a numer* 20. *ad* 28, *et Rot. cor. Ansaldo Dec.* 68 *numer.* 42 =. Nullius etiam ponderis Patribus visa sunt objecta, quæ Merollius ad eam contractus perfectionem excludendam depromit, *vel* ex epistolis, quæ postea inter Maphejos, et Saluccium intercessere quoad novum Oblatorem, *vel* ex ea a Morosio Mapheis scripta, qua ipso declaravit se nunquam venditionem esse perfecturum, nisi sibi insigne *quinque millium* librarum præmium, cum mediatore contractus partiendum, concederetur. Nil enim Phanuccio; sive Gratiolio, cujus personam ipse gerebat, nocere potest quidquid Mapheii Saluccio scripserint ad ei velificandum, vel ad proprium commodum, injusta nempe spe ducti majorem ex alio contractu assequendi utilitatem. Morosii vero epistula eo tendens, ut conspicuam a Mapheis pecuniæ vim carperet, nullo est in pretio habenda, quia pugnat cum superius recensitis epistolis Phanuccio ab ipso scriptis, quibus emptio venditio perfecta, et absoluta fuit. Futile demum est argumentum, in exclusionem perfectionis contractus ante diem 18 Aprilis 1816 a Merollio depromptum ex eo, quod in Instrumento hac die exarato pretium a Gratiolio solutum videtur in scutis *tercentis* super *duodecim millibus* die 12 Decembris anni 1815 constitutis. Hoc enim in Instrumento contractus uti jam absolutus fuit declaratus, siculi superius fuit demonstratum, et parvum hoc augmentum, præter quam quod ad causam fructum decursorum, aut aliam quamcumque in Instrumento non expressam referri potest, inducere profecto nequit discrimen notatu dignum inter pretium die 12 Decembris constitutum et illud in actu stipulationis Instrumenii repensum.

Contractus perfectio erga Phanuccium a die usque 12 Decembris 1815 ita in eluctabiliter probata, et a contrariis vindicata objectis, eo magis certa fit, cum eam constituerit perfectissima res Judicata Tribunalis A. C., qua die 7 Februarii anni 1826. Phanuccio contra Saluccium postulante = *praefigi terminum pro stipulatione Instrumenti, quo elapso stipulari ex Officio* = Decretum fuit = *praefixit terminum citato quinque dierum ad effectum stipulandi Instrumentum venditionis bonorum ad formam epistolarum, quod termino elapso mandavit stipulari ex Officio* = Hæc itaque Res judicata impedimentum semper ineluctabile Merollio opponet, quominus ipse negare valeat eam contractus perfectionem. et legitimam super. ea posteriorem Instrumenti stipulationem per Ducem Torlonium, Maphejorum Procuratorem, Saluccio suffectum. Quin audiendus sit Morollius, dum contendit ea se Rejudicata affici non posse, quia *inter alios* orta fuit, nec sibi uti *tertio* opponi potest. Plura hoc destruunt objectum. Primum enim Merollius caussam habet a Saluccio, et Mapheis, quos contra ea prodiit Resjudicata, eaque fuit constitutum Phanuccium inter, et Maphejos emptionem venditionem fuisse absolutam, antequam de hac cum ipso 5

Merollio ageretur, uti actum fuisse ipse asserit die 8 Junuarii 1816. Quæ igitur Saluccio, et Maphcis obstat res hæc judicata, Merollio etiam obstare debet, qui suum ad bonorum emptionem jus metitur ab eo tempore, quo ipsos vendendi, bona jam vendiderant Phanuccio, potestate fuisse destitutos fuit declaratum *ad Text. in leg. Modestinus ff. de solut., et lege Nemo plus ff. de regulis juris, et Roc. disput. juris selectar. cap.* 10, *Rodolphin. allegat.* 3 *numer.* 7, *Rot. in Recent. part.* 7 *decis.* 429 *numer.* 38 *decis.* 634 *numer.* 12 *coram Olivatio, et in Faventina Immissionis* 17. *Januarii* 1777 §. 3 *coram Herzan.* Dein obstat res judicata Merollio, quia ipse eam sibi propriam fecit, dum ab ea, quamvis inutiliter, provocavit, declarans = *Valde se laesum, et gravatum* esse eo judicato, *et magis etiam lædi, et gravari in futurum*; nec ei itaque licet Phanuccii contractum, Sententia, a qua ipse appellavit, probatum, in discrimen revocare dum hæc stat Sententia, quam contra se ipsum etiam latam agnovit, quæve absolutissimæ reijudicatæ vires est nacta.

6 Præterea res judicata prodiit *in caussa Status*; ea namque decisum fuit constitisse de expleta a Mapheis erga Phanuccium bonorum venditione, qua constante, profecto Mapheii nulli alii bona vendere poterant. Realis ergo Phanuccio adversus quoscumque, atque ideo etiam adversus Merollium, non personalis tantum contra Maphejos, et Saluccium exceptio fuit acquisita. Explorati namque juris est judicium redditum in *causa status* omnes indistincte afficere, *et realem* contra quoscumque, in eo judicio quamvis non compræhensos, exceptione parare *juxta Text. in leg. resjudicata ff. de regulis juris, in leg. Ingenuum ff. de statu hominis; in leg. Peremptorias ff. Sententias rescindi non posse, et Gratian. discept. foren.* 466. *numer.* 9., *et Rot. coram Priolo decis.* 414. *numer.* 4, *et decis.* 15 *numur.* 8. *cor. Falconer. tit. de rebus creditis, et in Romana Dotis* 30 *Aprilis* 1756 § 7 *cor. Stadion, et in Reatina Immissionis* 11 *Februarii* 1757 §. 3. *coram Paracciano, et in Setina seu Terracinen. jurispascendi super bono jure* 14 *Januarii* 1771 § 20 *coram De Veri, in Sutrina Manutentionis* 18 *Aprilis* 1785 § 1 *coram Resta, et in Romana, seu Ostien.* 10. *Martii* 1820. § 9 *coram Odescalchi.* Demum Merolli actioni adversus prædictum contractum insuperabilis obicis esse rem Judicatam A. C. sancitum fuit Signaturæ Justitiæ Decretis. Expedito namque Monitorio, a Merollio adversus Phanuccium, et Gratiolium super *observantia* et *exequutione* asserti contractus cum ejus defuncto Fratre initi, et excipiente Gratiolio hanc instantiam pugnare cum prædicta rejudicata, hac vix a Gratiolio prolata, Monitorium, omniaque acta, quæ id sequuta fuerunt, circumscriptionis ope prorsus fuerunt deleta.

Hæc quidem caussam pro Gratiolio conficiunt, quia evincunt contractum cum ipso, sive Phanuccio, initum fuisse die 12 Decembris anni 1815, Merollius vero ejus fratrem Camillum cum Saluccio contraxisse asserit die 8 Januarii 1816, ex quo manifesta est Gratiolii anterioritas quoad tempus contractus. Verum seponi etiam possent, quin ullum exinde Gratiolio præjudicium oriretur. Quavis nempe in hypothesi emptionem venditionem Maphejos inter, per eorum Procuratorem Ducem Barcenni Torlonium, et Gratiolium, die saltem 18 Aprilis anni 1816, fuisse initam; qualibet controversia vacat. At Merollium bona a Saluccio emisse ante eam diem, nempe 8 Januarii 1816 nedum dubium est, quod ad Merollii actionem pro prælatione eliminandam sat superque esset, sed etiam firmissimis id iscluditur argumentis. Nil sano aliud Merollius profert ad assertum die 18 Januarii 1816 contractum cum Saluccio initum evincendum, nisi Saluccii Syngrapham, qua hic a Merollio scuta *mille* in partem pretii bonorum recepisse declaravit, et quæ ea die conscripta dicitur, et Salucci testimonum ad eam se referens, eamque probans, quod testimonium, uti referens, eadem vi pollet, ac relatum, 7

ita ut, hoc corruente, et illud corruat oportet. At quoad assertam hanc Syngrapham Patres primum animadverterunt, prorsus esse a verisimilitudina alianum, qnod, si revera ea die fuisset exarata, prolata a Saluccio non fuerit in judicio in sequenti die a Phanuccio contra ipsum instructo, nt ipsum ad stipulationem Instrumenti amptionis venditionis bonorum erga sesa adigeret, et praeterea nihil Saluccium in eo judicio de hoc asserto contractu mussitasse; quod de illius simulatione ineluctabile præbet argumentum, præsertim cnm quamvis Merollius in Monitorio dia 20 Aprilis anni 1816. expedito, in vim assertae hujus Syngraphæ productam affirmaverit eam fuisse die 30 præcedentis Mensis Martii, nullum taman hujusce in actis productionis afferatur Monumentum, ex quo rite conijcitur eam fuisse exaratam eadem die qua Monitorium fuit expeditum, ut ita Merollii actioni fundamentum extrueretur.

8 Quod eo magis perspicuum fit ex eis, quae Saluccius Mapheis scripsit, longe post eam diem 8 Januarii, et ex Maphejorum epistolis pariter post eam diem Saluccio datis. Epistola enim quam die 23 Martii 1816 ad Maphejos Saluccius misit, loquens de asserto secundo Oblatore nempe Merollio, eis nunciavit = *Strinsi con questo secondo, e ne rieevetti seudi* 2000 *per li quali glie ne feci la rieevuta sotto il dì* 8 *Febraro* = pugnant hæc apertissime, ut quilibet intelligit, cum Syngrapha, quæ diem habet 8 Januarii ejusdem anni, tam quoad quantitatem receptæ pecuniæ, quæ iu Syngrapha enunciatur in scutis 1000, tam quoad tempus receptionis, et assertae perfectionis contractus. Praoterea in omnibus aliis epistolis ad Maphejos pariter missis suminopera semper varius, et inconstans Saluccius fuit, dum de Merollio scripsit; modo enim cum *offerentem*, modo emptorem enunciavit; quandoque pecuniam ab eo, depositi nomine, quandoque, nomine arrhæ, quandoque, in partem pretii, recepisse declaravit: dixit etiam sese ea pecunia uti non possa in Maphejorum commodum, nisi Merollio assentiente, quod emptionis venditionis perfectioni adversatur. Demum prædicta epistola diai 23 Martii 1816 apartissime professus fuit, contractum cnm secundo Oblatore Mcrollio perfici non potuisse = *mi sono affaticato per farlo venire a tutte quelle condizioni, che gli ho deseritte: aver fatto tutto ciò dopo* = nempe = *dopo l' inibizione* = *era tutto inutile, perchè in giudizio non potevano aver valore, e prima non si potevano fare per le ragioni addottegli.* = Monstrant hæc omnia profecto evidenter contractum com Merollio nunquam revera fuisse perfectum; ejus namque perfectio ante diem 9 Januarii, qua Phanuccius contra Saluccium judicium instituit, ut eum cogeret ad redigendum in publicum Instrumentum contractum cum ipso a Morosio conclusum, manifestissime excluditur; post vero illud judicium institntum, et pro Phauuccio omnino absolutum, nulli alii contractui perficiendo Saluccio, ac Mapheis via patuit.

Illustriori etiam in loco rem ponunt 9
Maphejorum responsa ad Saluccii literas. Eorum siquidem alter, aliorum nomine, die 25 Januarii ejusdem anni 1816 Saluccio scripsit = *Osservo ciò che ella ha nuovamente operato col nuovo Oblatore per procurare novi vantaggi* = Rursus = *Osservo ciò ehe desidera l' Acquirente per sua maggior Cauzione mediante un Memoriale al Papa, per cui non dissento, che sia presentato, tanto più che, ottenuto l' intento, come ella fa sperare, viene tolto ogni sospetto all' aequisto* = Tandem = *Intanto sia eerto, ehe altre lettere dal Signor Mori non si scriveranno, tantopiù ehe vedo per di lei parte, ehe il Contratto avrà l' effetto bramato* Porro enunciationes hæ perspicua probant die illa 25 Januarii contractum cum Morollio perfectum non fuissc, omnemqna fidem assertaa Syngraphæ diei 8. Januarii quoad hujusce contractus perfectionem adimunt. Si itaque anteqnam judicio, ut superius dictum fuit ageret Phanuccius ad suum tuendum contractum,

Merollium nullam cum Saluccio contraxisse bonorum emptionem ineluctabiliter demonstratum est; et si in dubium revocari nequit ex ea judicii institutione ademptum Saluccio, et Mapheis fuisse quodlibet jus cum Merollio contrahendi, sat superque est ad Phanuccii, sive Gratiolii anterioritatem in contractu constituendam Instrumentum, de hoc contractu inter ipsum, et Ducem Turlonium, Maphejorum Procuratorem, confectum die 18 Aprilis 1816 *in* hypothesi etiam, quæ ex superius deductis falsissima dignoscitur, quod hic contractus a die usque 12 Decembris anni 1815 perfectus per Morosium, Maphejorum nomine, cum Phanuccio non fuerit.

10 Jure igitur repellit Gratiolius Merollium ex *anterioritate* temporis in contractu. At eo magis actionem ab hoc, ad prælationem obtinendam, institutam ipse eliminat, quia ipse bonorum possessionem ademptus legitime fuit ex Instrumento predicto diei 18 Aprilis 1816, quo bona in eum translata fuere = *in pieno diritto, e senza bisogno di alcun altro Atto, anche con la piena clausola del costituto, ed effetto del precario.* = Quæ clausola ita pollent, ut ex eis dominium, et possessio bonorum plene in emptorem transferatur, nec ullo ipso indigeat materiali possessionis actu ad tradita per *Tiraquell. in Tractat. de const. posses. part.* 1 *num.* 3, *et seq. et Rot. in Camerinen. Spolii* 22 *Martii* 1784 § 3 *coram Suderino*, *in Firmana Manutentionis* 5 *Junii* 1784 § 2 *cor. Origo. in Confirmatoria* 8 *Aprilis* 1785 §. 4. *cor. Eod.*, *et in Urbinaten. Cappellaniae* 4. *Julii* 1785 §. 3 *coram Strasoldo* = Quibus, et materialis possessionis actus sub die 22 ejusdem Mensis Aprilis, retrotrahendus ad dicem exarati Instrumenti, superadcessit. Exploratissimi vero juris est inter binos emptores, illum cui prius res tradita fuit, etiam si posterius emerit, esse præferendum; per notissimum *Text. in leg. Quoties C. de rei vindicatione*, *et Glossam ibi*, *atque Rotam passim ut Dec.* 58 *num.* 9 *cor. Olivatio.*

Perperam autem huic juris inconcussæ regulae Merollius limitationem opponit, quod ea locum sibi haud vindicet, cum de *fraude et mala fide* emptoris, cui res tradita fuit constet ex scientia, quam ille de anteriori alterius contractu habuerit. Etenim ad hanc admittendam limitationem opus esset evidentissima probatione quod in Gratiolio adfuisset scientia *certa specifica individua non controversa* asserti anterioris contractus cum Merollio a Saluccio initi, qua deficiente probatione num. quam ipse malæ fidei argui poterit. *per Rot. decis.* 113 *num.* 11 *coram Ansald. decis.* 95. *num.* 5. *coram Riminald. in Romana Nullitatis Contractus* 3. *Junii* 1757 § 16 *coram Ratta*, *in Fanen. legitimorum* 11 *Maii* 1792 §. 11 *coram Soderino*, *in Veliterna Exequtionis* 8 *Julii* 1808 § 6 *coram Bardaxi*, *in confirmatoria* 30 *Januarii* 1809 § 8 *coram Eodem*, *vel in aliis duobus confirmatoris* 23 *Junii* 1815, *et* 9 *Februarii* 1816 *coram Emo Rusconi.* 11

Hæc vero probatio nullo modo a Merollio affertur. Inanie namque sunt, quæ ipse ad prædictam scientiam in Gratiolio evincendam proponit. Libellus siquidem, qui dicitur a Saluccio exhibitus coram A. C. in quo mentio asseritur facta de contractu cum Merollio inito inducere in Gratiolio eam scientiam non valet, quia non constat ei illum innotuisse, eumque omnia in illo contenta scivisse, et quia hic libellus ab eo spernendus fuisset, ut fuit ab Judice spretus. Inutiliter vero prorsus scientiam in Gratiolio inductam dicitur ex Monitorio die 20 Aprilis a Merollio expedito; nam ea die Gratiolius possessionem bonorum jam fuerat adeptus in vim Instrumenti amplissimis constituti, et præcarii Clausolis vallati uti superius demonstratum fuit. Juris itaque potioritate una cum temporis anterioritate manifestissime Gratiolio favente, fieri non potuit, quin Merollio petita in emptione bonorum prælatio a PP. denegaretur. 12

Et ita etc. Utraque etc.

—

ROMANA PRAELATIONIS

Veneris 26 *Januarii* 1821.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur « DECISIO XXI et DECISIO XLVII ».

SUMMARIUM

1. *Ubi res est non de distractione judiciali, sed de venditione voluntaria, emptoris electio pendet a venditoris arbitrio.*
2. *Si venditor per Edicta, nulla sese devinxit obligatione meliorem oblatorem praeferendi, sed declaravit se velle oblationes tantummodo* - prendere in considerazione - *praeferre ex oblatoribus illum potest, quem sibi magis placet.*
3. *Fraudem, et circumventionem intercessisse praesumi non potest, ubi pars ipsa, vel ejus procurator deliberationibus adstiterunt.*
4. *Quod fuerit definitiva deliberatio excluditur ex eo, quod in Edictis propositum fuit* - Che si dovessero rinnovare le notificazioni per invitare altri Oblatori. -
5. *Absurdum esset deliberantem a nova pollicitatione excludere voluisse illum, qui caeteros omnes in prima auctione vicit.*
6. *Quamvis expressa verba desint, tamen semper praesumendum est, deliberantes facultatem impertiri voluisse veterem oblationem in nova licitatione superandi.*
7. *Ex Pauli V Constitutione, deliberatio facta favore ejus, qui plus obtulit, infirmatur, nisi constet de intimatione facta ei, qui prius licitando vicit, ut possit iterum, si vellet per totam sequentem diem plus offerre.*
8. *Praedicta Pauli V dispositio locum sibi vindicat tam inter licitatores praesentes, quam inter absentes.*

DECISIO XLVIII.

Edictis a cætu creditorum Patrimonii Francisci Lisoni, qui alieno ære obrutus decesserat, propositis, ad alliciendos, qui sese empturos hujus Patrimonii bona offerrent, potiorem oblatorem inventum fuisse Jacobum Bartolinium, scuta 2440 exhibentem: Creditores deinceps collegialiter, secundum legum præscripta, congregatos die 14 Junii 1819, ad majorem sibi utilitatem parandam, constituisse, ut alia affigerentur programmata, ad inveniendos alios oblatores, qui darent intra quindecim dierum spatium = *le loro offerte maggiori a quella del Signor Bartolini* = addito, quod, eo termino elapso = *si prenderanno dai Signori Creditori le opportune, le più convenienti deliberazioni* =; Bartolinii oblationem tum superasse Anasthasiam Tojetti, quæ scuta obtulit 2707, nova legitima indicta, ac habita Congregatione die 6 Julii 1819, eosdem Creditores postea accepto hanc Anasthasiæ oblationem habuisse, ea sub conditione, ut Bartolinio concederetur terminus dierum trium = *per dichiarare, se voglia coprire la stessa offerta, o nò* = et id eam ob causam, quia = *nella precedente Congregazione* = ea nempe diei 14 Junii 1819 = *si ebbe in vista la offerta, che aveva data lo stesso Signore Giacomo Bartolini* = Bartolinium superasse Anasthasiæ oblationem, cum scuta exhibuisset 2710; Anasthasiam nihilo tamen minus apud A. C. Juridicos institisse, ut emptionis venditionis bonorum instrumentum eum ipsa conficeretur, ad tramites prædictæ ipsius oblationis, et votis consonam obtinuisse Sententiam, obsistentibus quamvis superius memoratis Creditoribus, et Bartolinio; demum conscensa Caussa ad S. Nostrum Tribunal, ex appellatione Bartolinio indulta, eam Sententiam fuisse revocatam, dum in Comitiis diei 16 Junii superioris anni proponenti mihi dubium = *An, et cujus favore sit procedendum ad stipulationem Instrumenti in casu etc.* Responsum datum fuit = *affirmative favore Jacobi* = fuse narrat illius dici Decisio, per me vulgata. Nil vero Anasthasiæ profuit facta potestas de hujus Decisionis viribus disserendi. Hodie namque Patres interrogavi = *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.* = et incunctanter ipsi = *In Decisis* = responderunt.

Quæ duo namque præcedentis De- 1
cisionis fundamenta sunt, ita consistere viderunt Patres, ut convelli nequeant. Ad stipulationem siquidem Instrumenti emptionis venditionis bono-

rum, posthabita Anasthasia, cum Bartolinio procedendum est, *primum*, quia Creditores Patrimonii Lisonii, horum bonorum domini effecti, prælationis jus ei tribuerunt, quod ipsis facere liberum erat; *dein*, quia ei prælationem jura dant, æquitas confirmat. Quandoquidem res erat de distractione bonorum, baud quidem mere judiciali, itaut quærendum sit an bona necessario deliberanda essent, nec ne, favore illius, qui cæteros omnes in oblata pecuniæ vi superasset, sed de venditione *voluntaria*, in qua exploratum est emptoris electionem a venditorum arbitrio potuisse omnino pendere, quibus idcirco liberum erat Bartolinio potestatem facere Anasthasiae oblationem superandi, quod sane procul dubio eo magis tenendum est, cum in affixo licitationis programmate nullum irrepserit verbum, ex quo contrahendi cum meliore oblatore erui valeat obligatio, sed immo deliberatio Venditorum arbitrio fuerit reservata: ad tradita per *Posth. de Subhast. Decis.* 30 *num.* 1, *et sequen.*, *et Rotam in Pisaurea.*, *seu Anconitana Bonorum super Praelatione* 22 *Junii* 1742 § 6 *coram Vice comite*; *in Romana Affictus* 9 *Junii* 1749 z 12 *coram Molino*, *in Caesenatea. Praelationis* 26 *Junii* 1752 § 7 *coram Cortada*, *in Romana Affictus* 22 *Junii* 1761 § 4 *coram Herreros et in alia Romana Affictus* 14 *Maii* 1770 § 5 *coram Riccio.*

2 Jure itaque potuerunt Creditores Bartolinio concedere, ut oblationem Anasthasiæ superaret, ut potc qui nulla sese devinxerant obligatione, sive in *genere* meliorem oblatorem præferendi per edictum ab iis primo vulgatum, in quo declararunt se velle oblationes tantummodo = *prendere in considerazione* = sivo *in specie* quoad Anasthasiam, quæ licet, secundis a Creditoribus expositis programmatibus, quantitatem a Bartolinio in prima anctione exhibitam superasset, probe tamen sciebat Creditorum cætum baud alia conditione oblationes quaslibet accepturum, quam ea in iisdem edictis proposita = *per prendere le convenienti determinazioni* =, quæ verba quamlibet Venditorum obligationem erga meliorem Oblatorem prorsus excludebant, ut in terminis firmavit S. Tribunal *in Bononien. Praelationis Affictus* 6 *Martii* 1780 § 6 *coram Litta*, *et in Confirmatoria* 5 *Junii ejusdem anni* § 8 *coram Eod.* =, ideoquo contendere se nunquam posse optime noverat, ut sua oblatio præ cæteris etiam minoribus reciperetur, nullumque idcirco agnoscere debebat jus ex ea sibi unquam quæsitum fuisse; atque ideo Creditores ejusdem oblationem accepto babere potuerunt absquo ejus injuria = *colla infrascritta condizione, che siccome nella precedente Congregazione si ebbe in vista la offerta, che aveva dato il Signor Giacomo Bartolini*, *e si propose*, *che si dovessero rinnovare le notificazioni per invitare altri Oblatori*, *preservando allo stesso Bartolini di coprire la stessa offerta*, *hanno perciò ingiunto al Signore Luigi De Rossi*, *come Procuratore del Signore Bartolini, di farlo intendere allo stesso Giacomo Bartolini per dichiarare nel termine di tre giorni decorrendi da oggi*, *se voglia coprire la stessa offerta* = Uti probat præcedens Decisio § 4.

Quamobrem, cum Bartolinius eo sibi servato jure utendum duxerit, et oblationem Anasthasiæ infra triduum superaverit, hinc, quemadmodum conditio defecit quoad Fœminam, cui idcirco nil superfuit sperandum de jure quod sibi ex sua oblatione quæsitum authumabat, ita quoad Bartolinium impleta fuit; meritoque Creditores hunc quia majorem exhibebat pecuniæ quantitatem, illi præferendum existimarunt. 3
Et frustra regerit Anastbasia ex errore Creditores in Congregatione diei 6 Julii 1819 professos fuisse sese in præcedentibus Comitiis diei 14 Junii ejusdem anni jus Bartolinio præservasse novas oblationes superandi, quia nulla in horum actis scripta occurrit ejusmodi reservationis mentio; atque inde inferre conatur ex falsa Causa, et suadente Bartolinii Procuratore, suam oblationem ea sub conditiono a Creditoribus accepto habitam fuisse. Nam limites omnes probabilitatis excedit,

quod Creditores in posteriori Congregatione Bartolinio facultatem dederint oblationem Anastbasiæ superandi, non ex conscientia consilii, quod ipsi, vel nuperrime, cœperant, et quod maximum est, adstantibus, ipsius Fœminæ Procuratore, una cum illius Viro Francisco Frontonio, et Judice auctorante, sed ex falso supposito, et a Procuratore Bartolinii quodammodo circumventi, quod ab ipsa Anastbasia esset probandum, nec ullo modo probatur.

4 Præterea, dum ex parte Anasthasiæ quælibet desideratur hujus assertionis probatio, acta ipsa Congregationis diei 6 Julii 1819 contrarium demonstrant, quia testantur = *che nella precedente Congregazione si ebbe in vista la offerta, che aveva dato il Signor Giacomo Bartolini, e si propose, che si dovessero rinnovare le notificazioni per invitare altri oblatori preservando allo stesso Signore Bartolini di coprire delle offerte* = Etenim, licet in ante actis Comitiis hujusmodi reservatio scriptis reapse tradita haud fuerit, id tamen ex Sanctione Judiciarii Codicis necessarium fuisse male proponunt Anasthasiæ Defensores, et satis superque fuit in ea posteriori Congregagione dictum fuisse = *si ebbe in vista la offerta, che aveva dato il Signor Bartolini* = adstantibus præsertim, et adprobantibus, sicuti superius animadversum fuit, Judice ipso cl. mem. Præsule Mastai, atque una cum aliis Creditoribus Patrimonii Lisoni, Frontonio, Anasthasiæ Viro, ejusque Procuratore Ciatti, qui omnes illud ipsum fassi fuerunt, et ideo Bartolinio jus tribuerunt = *di coprire delle offerte* = Sane, seposita etiam expressa in prioribus Comitiis hujusmodi reservatione, hæc satis evincunt apertissimum Creditorum voluntatem jus illud Bartolinio concedendi, nec ipsis quidem Creditoribus displicere hodie posset, quod semel placuit. Et revera hanc ipsi voluntatem haud impugnant, sed immo contra Anasthasiam acriter defenderunt ita ut huic haud liceat jus *tertii* præsertim inviti, contra Bartolininm proponere.

5 Tantum itaque abest, quod ea Creditorum declaratio in Congregatione diei 6 Julii 1819 emissa, de jure, quod in præcedenti conventu reservatum Bartolinio ipsi voluerunt, sit referens sine relato, ut immo per necesse sumenda sit, uti supplementum omissionis, quæ in actis prioris illius conventus reperta fuit. Constitutum siquidem fuerat in iis antecedentibus Comitiis, ut programmata affigerentur ad alliciendos Oblatores, qui emitterent = *la offerta maggiore a quella del Sig. Bartolini* = at ex hoc tacite huic jus reservatum patet novas oblationes superandi, præsertim ex bis insequentibus verbis = *e non trovandosi maggiori offerte, si prenderanno le opportune deliberazioni dai Signori Creditori* = Cum enim haud esset putandum Bartolinium, post illud Edictum, aucturum fuisse suam oblationem, hinc æquum, justumque erat illum de novis oblationibus, suam excedentibus, certiorem fieri, ut posset, si vellet, illos superare; alioquin dicendum esset Creditores perpetuo ab emptione excludere voluisse illum, quod iniquum absurdumque fuisset. Si igitur dixerunt Creditores in posteriori Conventu, quod in priori Congregatione servatum jus illud Bartolinio fuerat, id scripsit utiliter confirmarunt, quod revera cogitatum, atque animo habitum, et verbis tantum expressum ab ipsis fuerat in illa præcedenti Congregatione.

6 Nimia præterea curiositate haud inquirendum videtur, et quid reapse voluerint, aut scripserint Creditores in Congregatione 14 Julii 1819, ut quæ fuerit in sequentibus Comitiis eorum voluntas dignoscatur. Horum siquidem acta haud stricte evincunt Creditores sese retulisse ad priora Comitia, nec excludunt, quod potius eam facultatem Bartolinio ipsi tribuere voluerint ex novo consilio. Quamvis enim verborum cortex ad ea priora Comitia spectet, æquitas attamen, et vera Creditorum utilitas suadet, illos in sequenti Congregatione novam etiam, quatenus fuerit opus, facultatem Bartolinio impertiri voluisse Anasthasiæ oblationem superandi, *tum* quia ipse in pri-

mis licitationibus cæteros omnes vicerat, *tum* quia id præseferebat repetitum Creditorum Votum = *di vantaggiare la loro utilità* = atque ipsis utilius erat, post Anastbasiæ oblationem, aliud prætii augmentum sibi quærere per novem Bartolinii interpellationem.

7 Facto deinde Creditorum, qui uti jam fuit demonstratum, prælationis jus Bartolinio dare voluerunt, ac potuerunt, adstipulatur etiam jus ipsum, et a jure nunqnam dissocianda æquitas, quod alterum a me editæ Decisionis immotum constituebat fundamentum. Etenim tum licere Venditori, meliori allata conditione, addicere posteriori Offerenti, cum prior peratus non sit plus adiicere luculenter dispositum prestat in *L. 7. et* 8. *ff. de in diem additione*, quod licet de in diem additione constitutum appareat, in cæteris etiam licitationibus obtinere in præcedentis meæ Decisionis § 7 pluribus allatis Doctorum Sententiis, ac Decisionibus demonstratum fuit. Ubi etiam animadverti fortius in nostro Foro id juris esse ex Constitutione Pauli V., videnda in *Bullario Mainardi Tom.* 5 *p.* 4 *pag.* 23, quæ jubet deliberationem factam favore ejus, qui plus obtulit, omnino infirmari, nisi constet de intimatione ei facta, qui prius licitando vicerat, ut posset iterum, si vellet, per totam sequentem diem plus offerre.

8 Hanc vero Pontificiam Legem, quæ hujusmodi intimationes præscribit, necessario respicere etiam licitationes, quæ inter absentes fiunt, immo ad hos præsertim spectare quia nulla inter Licitatores præsentes intimatione opus est, multis pariter allegatis Interpretum, ac rerum judicatarum auctoritatibus in ejusdem Decisionibus § 8 comprobatum est. Tandem huic Juris nostri Sententiæ apprime convenit in themate ipsa naturalis æquitas, quia per quam durum esset Bartolinium, qui cæteros omnes oblatores in primis auctionibus vicerat, qui item, dum, post illius oblationem, nova programmata a Creditoribus vulgata fuere ad alliciendos, qui eam vincere vellent, huic suæ oblationi nil tum ab ipso superaddendum esse bona fide, ac non immerito putarit, durissimum inquam, et iniquum prorsus esset, ipsum perpetuo ab emptione excludi, quod utique factum fuisset, si prout Anastbasia contendit hujus oblatio, quæ illam Bartolinii excesserat, denunciata ipsi minime fuisset, ut posset ab ipso superari.

Atque ita præcedens Decisio confirmata fuit. Utraque etc.

ROMANA SEU BONONIEN PECUNIARIA

QUOAD

MODUM ET TEMPUS SOLUTIONIS

Lunae 2 *Aprilisis* 1821.

ARGUMENTUM

Ubi solutioni non fuerit dies praefinita, vel fuerit ad placitum partis remissa, intrat arbitrium Judicis ad praefiniendum tempus, quod tamen coerceri debet intra decennium. Cujus lapsus, si peculiares circumstantiae id exigant, eumi debet non a die stipulationis, sed a die contestationis judicii.

SUMMARIUM

1. *Ex notissima lege Curabit cod. de Act. empt., emptor donec pretium non numeravit, tenetar rependere fructus compensativos.*

   Si solutioni non fuerit dies constituta, tempus Judicis arbitrio definiendum est – ibid. –
2. *Ubi agitur de solutione indefinite conventa, aut in debitoris placitum collata, arbitrium Judicis coerceri debet intra decennium.*
3. *Solutionis implementum permissum ad placitum partis, intelligi haud debet, ut emptore vivente peti non possit, sed imo haec conventio ita intelligenda, ut post mortem emptoris, arbitriam ad ejus haeredis produci nequeat.*
4. *Etiamsi conventum fuerit, quod solutio fieri deberet – a rate – nihilominus si decennium effluxerit a die stipulationis, absque quod ulla rata persolveretur, termini dilationis non intrant in tempore ex Judicis arbitrio praefiniendo.*
5. *Quando agitur de ingenti summa annumeranda, biennium tantum ad solutionem perficiendam constitutum, valde angustum temporis spatium reputatur.*

6. *Arbitrium Judicis quoad temporis solutionem, accomodari debet circumstantiis, ac pactis.*

Si debitor versatur in bona fide, ac peculiares circumstantiae id exigant, decennii cursus arbitrio Judicis remissus, sumi debet non a die stipulationis, sed a die motae litis - ibidem. -

7. *Nimis angustus terminus reputatur, si ratarum solutiones ita una alteri proximae sint, ut universae pecuniae numeratio quasi unico contextu perfici debeat.*

8. *Etsi post praeterlapsum decennium, debitor amiserit facultatem solvendi per ratas, nihilominus ex aequitate non est si hoc remedium denegandum, dummodo ratae conspicuae sint.*

DECISIO XLIX.

Solemnibus emptionis venditionis Tabulis die 1. Maii anni 1799. confectis, omnia quæ in Bononiensi provincia possidebat tam rustica, quam urbana Bona, vendidit Advocato Augustino, et Jacobo Philippo Fratribus Monti Excmus Princeps Philippus e Prænobili Columniensium Gente tum Neapolitani Regni Magnus Comestabilis. Pretium constitutum fuit in scutis *sexaginta millibus*, quorum solutio quoad scuta *decem millia* in actu stipulationis ab emptoribus fuit expleta; quo vero ad reliqua scuta *quinquaginta millia* fuit dilata, depactis = *li frutti compensativi alla ragione di scudi TRE, e bajocchi* 65. *per ogni centinaro, sd anno* = ab ipsis emptoribus rependendis = *sino a tanto non avranno a loro arbitrio, e piacere sod'sfatto detto intiero rssiduo di prezzo, il cui pagamento, quante volte vogliano li detti Compratori, s Loro sffettuare si conviene, che sseguir si possa anche a rate non minori di scudi diecimila l'una col preventivo avviso, e disdetta di tre mssi avanti* = Quoad vixit Princeps venditor Fratres Monti conventas usuras repræsentarunt, nil vero pretii nomine persolverunt, quamvis per vicennium a venditione inita ipse supervixisset. Sed, eo defuncto, Eminentissimus Cardinalis Rivarola, cui Columnensis Patrimonii administratio fuerat concredita, illius conspicuæ summæ exactionem diutius negligendam esse haud putavit, ut præsertim partem æris alieni, quod sub longe gravioribus usuris Princeps contraxerat, dimittere posset.

Verum solutionem Montis negantibus, atqua contendentibus eam injuria peti, quia e prædictis *quinquaginta millibus* scutorum reservativum censum contractum fuisse asserebant, opus fuit eis diem dicere mense Junii anni 1819. coram Juridico A. C. Conventu, qui, Sententia lata die 11. Septembris ejusdem anni 1819, decrevit = *essere ripstibile la somma di scudi* 50000. *residual prezzo* = modum tamen solutioni adiiciens, ut nempe solutio fieret intra *vicennii* terminum = *da sffettuarsi però in rate alla ragione di scudi diecimila in ogni quadriennio* =. Utraque autem parte ab hac Sententia provocante res definienda conscendit ad Sacrum nostrum Tribunal, a quo Collegii A. C. judicium confirmatum fuit quoad Fratrum De Montis obligationem repræsentandi prædictam pecuniae vim; reformatum fuit vero quoad solutionis tempus, ac modum; nam *biennii* tantum terminus ad solutionem explendam fuit Montis constitutus; uti patet ex elucubratissima Decisione die 20. Martii superioris anni a *R. P. D. Meo Gamberini* edita; et subsequenti Sententia Rotali ab ipso subsignata. Tum Montii Supremum adiere Tribunal Signaturæ, appellationem postulantes tam super solutionem scutorum 50000. ab utraque Sententia demandata, quam super modo, et tempore hujus solutionis perficiendæ, in quibus Sententiæ discordes fuerunt. Quoad *primum* rejecti fuere Rescripto = *Nihil, et amplius* = Quoad *alterum* ulla absque difficultate appellationem obtinuerunt. Orta itaque rejodicata super obligatione prædictorum Fratrum rependendi prædictam summam, nunc quæritur tantum *in specie* de solutionis tempore, ac modo; quare Rotali Sententia in hac parte ad trutinam revocata, proposita per me hoc mane Dominis fuit assueta Dubii formula = *An Sententia Rotalis sit confirmanda, vel infirmanda in casu etc*, = cui Responsum accepi = *Sententiam Rotalem esse confirmandam juxta modum* = nempe = *per decennium a dis motae litis*.

Plane jam Re judicata constitutum 1
fuit residuum pretium Bonorum, quæ a Principe Philippo Columna emerunt

anno 1799. Fratres Montii, ad scuta *quinquaginta millia* adscendens, ab iis esse Principis hæredibus repræsentandum, eliminato prorsus reservativo Censu, quem pro ea summa, et super iis Bonis Montii impositum fuisse tuebantur. Atque id optimo jure, nam, cum initus fuisset emptionis venditionis contractus, et cum, illico a Montiis emptoribus in causam pretii Bonorum solutis scutis *decem millibus*, pro reliquis scutis *quinquaginta millibus* ipsi sese obstrinxerint ad rependendos fructus compensativos juxta notissimam Legem *Curabit C. de action. empt.* donec = *sino a tanto che* = eam summam venditori haud numerassent, absurdum est proponere illius summæ irrepetibilitatem contra indolem, et naturam Contractus emptionis, et venditionis, vel Census reservativi nomine, vel alia ex quacumque causa; Quod vero nulla in contractus tabulis solutioni illius summæ dies fuerit constituta, sed res emptorum placito fuerit permissa, id nil aliud efficere potuit, nisi ut, vel Judicis arbitrio solutionis tempus præfiniendum esset, vel intra decennium a stipulatione contractus esset coercendum; uti egregie disseruit, et solidissime firmavit numeris omnibus absoluta superius relata *R. P. D. Mei Gamberini* Decisio in hac causa edita, quam Rotalis Sententia subsequuta fuit Rei judicatæ vires in hac parte nacta. Nulla itaque amplius est, aut esse potest quæstio de obligatione Fratrum de Montiis solvendi prædictum residuum bonorum pretium, et illud tantum statuendum est quo tempore, quove modo hoc pretium sit numerandum.

2 Qua in re, cum discordes fuerint inter se Sententia Trium Virorum A. C., quæ *vicennium* Montis indulsit, solutione in ratas quadriennales scutorum *decem millium* diribita, et Sententia Nostri Sacri Ordinis, quæ *biennium* tantum concessit; Domini, utriusque examine suscepto, utramque peccare agnoverunt; primam, quia nimis amplum terminum constituit, alteram, quia hunc nimis cohibuit. Quoad enim illam, nempe Sententiam A. C. perspectissimum ipsis fuit quod, etsi, ubi contrahentes nihil de tempore solutionis explendæ caverunt, et nullam huic certam præfiniverunt diem, res ab Judicis arbitrio pendere debeat, hoc tamen non temere interponendum est, sed ita ut quantum fieri potest ab Juris præceptis non recedat *per Menoch. de Arbitrariis Jud. lib. 1. quæst. 6. num. 6. Tritsch. in Opusc. Varior. Tom. 2. part. 3. Tract. 12. num. 19. Andreol. Controv. Foren. 52. num. 16. Rot. in Recen. Decis. 329. num. 4. part. 2., et Decis. 178. num. 31. part. 1. in Albanen. Prioratus super Pertinentia Patronali 17. Aprilis 1761. §. 28. coram Zelada.* Explorati autem juris est, cum agitur de solutione indefinite conventa, aut in debitoris placitum collata, ut arbitrium Judicis intra decennium coerceatur, quia hoc tempus satis idoneum, ampliumque est ad quælibet conficienda negotia, habito præsertim respectu ad mortalis ævi brevitatem, uti docet *Bartolus in Leg. hæc venditio ff. de contrahenda emptione*, et perpetuo tenuit *Rota* testibus præsertim *Decis, in Eugubina Dotis, et Fructuum 18. Junii 1713. §. consequutive coram Scotto: in Ariminen. Pecuniaria 9. Decembris 1718 §. ultimo coram Cerro: in Camerinen. Pecuniaria 30. Junii 1758. §. 8. coram Vicecomite: in Romana Pecuniaria 20. Martii 1794. §. 3. coram Soderino: in Senogallien Pecuniaria 21. Junii 1805. §. 2. coram Cæsarei: in Romana seu Portuen. Pecuniaria 21. Martii 1807. §. 8. 9. coram R. P. D. Meo Bussi: in Romana Pecuniaria 4. Julii 1808. §. 5. 6. coram R. P. D. Meo Serlupi Decano, et præcedenti in hac Caussa Dec. 20. Martii superioris anni §. 2. et §. final. coram R. P. D. Meo Gamberini.* Hinc manifestissimum fuit A. C. Triumviros boni, et æqui limites quam longe prætergressos fuisse, dum Montiis, qui jam per *vicennium* prædictum residuum pretium retinuerunt sub tenui compensativa usura *scutorum 3., et obul.* 65. in singula centena capitis, et singulos annos, aliud ad illud numerandum *vicennium* concesserunt, quamvis per ratas quadriennales scutorum *decem millium* esset repræsentandum; ita namque cum maxima hæ-

redum Principis Philippi jactura omnimodum solutionis implementum *ad quadraginta* annos fuisset dilatum.

3 Prorsus vero spernenda visa sunt ea, quæ Montii proponunt ut solutionis tempus, ac modum ab A. C. Sententia constitutum defendant. *Primum* enim nullius ponderis sunt allata exempla *trigenariae*, vel *quadragenariae* dilationis debitoribus indultæ ad debiti solutionem, quæ desumunt a quibusdam Sacri Ordinis Decisionibus. Hujusmodi namque dilationes, cum ab jure, et æquitate prorsus abhorreant, concedi haud potuerunt, nisi id peculiaribus circumstantiis, et conventionum tenore exigentibus, uti videtur in objecta Decisione *Romana Pecuniaria* **24.** *Martii* **1794.** *coram Soderino*; et præterea in aliis allatis Decisionibus, nempe, *Romana Pecuniaria* 20. *Januarii* 1807. *coram R. P. D. Serlupi Decano, et Confirmatoria diei* 2. *Maii ejusdem Anni coram Eodem, et Ariminen. Pecuniaria* 3. *Julii* 1818. *coram R. P. D. Meo Tiberi*, nedum Sacer Ordo haud recessit a regula Juris, quod Judicis arbitrium in solutionis tempore præfiniendo decennium excedere non possit, sed immo eam firmavit, quia solutionem *illico* a Debitore explendam esse constituit, cum non solum per decem Annos, sed per longe majus tempus *viginti*, *triginta*, aut *quadraginta* annorum eam ipse perficere neglexerit, sicuti ex facti speciebus, et verbis harum Decisionum patet. *Dein* quod solutioni implementum permissum fuerit placito = *dei detti Compratori, e loro* = perperam id ita sumitur, ut exinde eruatur, solutionem ita dilatam fuisse, ut, emptoribus viventibus, peti haud posset; Sed immo hæc conventio ita intelligenda est, ut post mortem emptorum arbitrium ad eorum hæredes productum fuisse difficilius statueretur, sicuti hujusmodi arbitrium in hæredibus debitoris exclusum fuit in citata *Ariminen. Pecuniaria* 3. *Julii* 1818. *coram Tiberi*; seu ita sumenda est, ut, si emptores ante expletum decennium a die stipulationis diem obiissent supremum, arbitrio eorum hæredibus uti liceret; in omnibus autem conventionibus, iis etiam, quarum exequutioni brevissimum tempus sit præfinitum, semper contrahentium obligationes, vel jura ad eorum etiam hæredes protenduntur, cum nihil incertius sit progressu mortalis vitæ.

Nullum demum sibi quærere Montii præsidium possunt ex ea conventione, quod solutio impleri posset etiam = *a rate non minori di scudi* 10000. *quante volte vogliono i detti Compratori, e loro effettuare il pagamento* = Nam, seposito etiam, quod hæc facultas cobibita dici posset intra *decennium* a die stipulationis, non tamen ex ea conventione erui posset quod post vicennium elapsum, Judicis arbitrium, quoad solutionem explendam, coerceri nequivisset tempore longe minori altero *vicennio* a Sententia A. C. indulto. Poterat enim solutio perfici per ratas conventas multo breviori temporis spatio. Ea vero, quæ Montii proponunt de ipsorum angustiis, et de difficultate inveniendi pecunias, vel vendendi Bona, ut exinde arguant *quadriennio* saltem ipsis opus esse ad quamlibet ratam scutorum *decem millium* parandam, nec posse ipsos conveniri, nisi quatenus ipsorum facultates patiantur, juxta sanctionem *Legis* 30. *Cod. de Pactis*, probari nequeunt, postquam ipsi jam *per viginti* annos debitum bonorum residuum pretium retinuerunt, nec unquam illius partem saltem persolvere curarunt, quod ullo absque incommodo perficere potuissent intra tam longum temporis cursum; eorum itaque negligentia in eorum commodum verti nequit. Nil autem pro ipsis desumi valet e facultate solvendi *a rate* pro ipsorum etiam hæredibus conventa, uti *superiori* §. demonstratum fuit, cum hæredum mentio brevissimo etiam tempori, ad pactorum exequutionem præstituto, optime conveniat. 4

Ex hisce itaque omnibus patet excessus Sententiæ Tribunalis Collegialis A. C. in præfiniendo tempore, et modo solutionis residui pretii emptorum bonorum, quod in scutis *quinquaginta millibus* hæredibus defuncti Principis Columna debent Fratres Montii, atque ideo consequitur merito confirmationis robur tribuisse Patres Rotali Sententiæ in ea parte, qua illum excessum improbat. At hanc Rotalem Sententiam probari non 5

posse in altera parte, qua Montis *biennium* tantum ad solutionem perficiendam constituit, facile agnoverunt. Cum enim de ingenti summa numeranda agatur, Montii in angustias coniicerentur, eorumque fortuna prorsus verteretur, si ad eam repræsentandam in adeo brevi temporis spatio adigerentur: quod severitatis, non arbitrii esset, a Judice ex æquo interponendi. Qua in re præsertim perpenderunt Patres Montios, donec vixit bonorum venditor Princeps Philippus, non temere sese a solutione residui pretii bonorum abstinuisse, sed ex rationabili credulitate, ac bona etiam fide, quia indefinitum arbitrium ipsis quoad solutionis implementum in emptionis Tabulis datum, dummodo fructus compensativos ad conventam rationem rependerent, confirmavit quodammodo proprio facto ipse Princeps creditor. Ipse enim constanter siluit, ac nunqnam ab eis debiti pretii solutionem, vel in toto, vel in parte petiit; atque ita se gessit, quamvis, pecunia indigens, eam fænori accipere in prægrandi quantitate coactus fuisset sub longe gravioribus usuris semissibus, ac etiam majoribus, dum ex illo bonorum pretio fructus compensativos exigebat ad rationem tantum scut. *trium*, et obulorum 65. in singula centena capitis, et singulos annos; ex quo Montii arguere potuerunt ipsos a Creditore de solutione implenda numquam fuisse requisitos, quia hic intelligeret, id ei per contractus tabulas non licuisse.

6 Quæ cum animadverterint Patres Rotalem Sententiam ita corrigendam putarunt, ut arbitrium quoad solutionis tempus, et modum Juri, ac pactis accommodari possit. Quo namque ad Jus, etsi hujus regula sit, ut superius dictum fuit, quod, collata in debitoris placitum solutione, hujusmodi facultas intra decennii fines sit cohibenda, tamen, cum boni viri arbitrium, quo solutionis tempus est praefiniendum, abhorreat ab juris apicibus, respuat severitatem, et humanitatem sequi debeat per *Menoch, de arbitr. lib.* 1. *quaest.* 8. *num.* 34. *Spada cons.* 278. *num.* 1. *Scaccia de Sententia gloss.* 7. *num.* 9. *Rota in recen. part.* 2. *Dec.* 284. *num.* 5. *part.* 8. *Decis.* 61. *num.* 1. *Decis.* 311. *part.* 17. *numer.* 1. *Decis.* 1016. *numer.* 2. *coram Molines, et Decis.* 320. *num.* 2. *coram Ratto*, non ita stricto intelligendus est decennii cursus, ut ejus initium pernecesse sumi debeat a die stipulationis; sed, si peculiares circumstantiæ id exigant, constitui possit a die petitæ per Creditorem solutionis. Hinc igitur, cum bona fide Montii de perficienda solutione non cogitaverint, antequam nomine hæredum Principis Philippi mense Junii Anni 1819. judicialiter interpellati fuissent, uti superius fuit demonstratum, et de ingenti summa repræsentanda res sit, æquum visum fuit ut *decennii* terminus ad debitum dissolvendum Montis præstitueretur, sed simul ut hujus termini initium sumendum esset a die motæ litis prædicto mense Junii Anni 1819., ut ita mense Junii Anni 1829. solutio absoluta esse debeat.

Conventioni etiam congruit terminus 7 ita præfinitus, quia si emptoribus facultas data fuit numerandi residuum Bonorum pretium = *anche in rate non minori di scudi diecimila l'una, con preventivo avviso di tre mesi avanti* = satis longum est *decennii* spatium, ut per illud emptores tributa facultate commode uti possint, si velint; dum contra nimis angustus fuisset *biennii* terminus; per eum enim ratarum solutiones ita una alteri proximae fuissent, ut debitæ pecuniæ numeratio quasi unico contextu perfici debuisset, nec frui debitores potuissent commodo ejus paulatim parandæ juxta conventionem.

Hæc solutionis implendæ tempus re- 8 spiciunt. Quo vero ad illius perficiendæ modum, juri, et pactis consonum hunc Domini agnoverunt si libera emptoribus relinquatur facultas numerandi debitum pretium = *anche a rate non minori di dieci mila scudi* = Juri siquidem, quia huic haud repugnat solutio expleta per ratas, cum hæ præsertim conspicuæ sint. Pactis, quia quod sibi emptores arbitrium solvendi per statutas ratas tributum voluerunt, sartum eis tectumque servatur. Utrique parti igitur æqua videri debet Rotalis Sententiæ modificatio a Sacro Ordine prescripta, quod nempo residuum

pretium hæredibus defuncti Principis Columna a Montiis rependatur, non intra *biennium* a die litis absolutæ, sicuti hæc Sententia constitueral, sed intra *decennium* a die *motae Litis*, atque bis liberum sit solutionem perficere, si velint = *anche a rate non minori di scudi dieci mila l' una con preventivo avviso di tre mesi avanti* =.

Atque ita definitum fuit in utriusque partis conflictu.

ROMANA SEU BONONIEN PECUNIARIA

QUOAD

MODUM ET TEMPUS SOLUTIONIS

Veneris 6 *Julii* 1821.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur « DECISIO XLIX. »

SUMMARIUM

1. *Ubi solutio remissa fuit quoad tempus in arbitrium partis, recte per Judicem definitur quod solutio perfici debeat intra decennium a die motae Litis.*
2. *Cum nullibi in jure constitutum sit a quo tempore initium sumere debeat decennium debitori indulgendum, pendet a Judicis arbitrio utrum calculari debeat a die initae conventionis, vel potius a die judicialis interpellationis.*
3. *Cum Judicis arbitrium abhorreat ab juris apicibus, si bona fides in debitore concurrat, recte statuit decennii initium sumendum esse a die interpellationis.*
4. *Solutio per ratas inutilis prorsus foret, si ratarum solutiones ita una alteri succedere deberent, ut fere unico contextu debitum extingueretur.*
5. *Ubi conditio fuit collata in arbitrium partis, nequit actus, qui mere facultativus fuit, in coactivum converti.*
6. *Fructus qui debeatur in vim legis Curabit* Cod. de act. empt , *non dicuntur civiles, sed naturales et compensativi.*

Fructus compensativi, semel conventi, nequeunt augeri, ob interpellationem requisitorum Castrensium, si debitor non fuerit in mora constitutus - ibidem. -

DECISIO L.

Scuta *quinquaginta millia*, quae residuum conficiunt pretii bonorum in Bononiensi Provincia jacentium, quorum venditio anno 1799 pro scutis 60,000 a Principe Philippo Columna, nunc defuncto, perfecta fuit erga Advocatum Augustinum, et Jacobum Philippum Fratres Montios, cum hi post *vicennii* lapsum solvere negarent, opus fuit Praenobilibus Filiabus, et Haeredibus praedicti defuncti Principis diem eis dicere mense Junio anni 1819 coram Juridico A. C. Conventu, et quamvis debitores caussarent reservativum censum pro ea summa cum Venditore contractum fuisse. Juridici illi, hac reservativi Census fabula eliminata, per Sententiam latam die 11 Septembris ejusdem anni, ipsos ad residuum illud solvendum damnarunt, modo tamen solutioni adjecto, nempe, ut haec solutio intra alterius *vicennii* spatium perficeretur = *in rate alla ragione di scudi diecimila in ogni quadriennio* = Neutri ex partibus haec arrisit Sententia. Hinc, re ad S. Nostrum Ordinem delata, Tribunalis A. C. judicium confirmatum fuit quoad debitorum obligationem *scuta illa quinquaginta millia* repraesentandi; reformatum vero, quoad solutionis tempus, et modum, cum *biennii* terminus Montiis ad solutionem implendam fuerit praestitutum, ut consultissima monstrat Decisio R. P. D. mei Gamberini diei 20 Martii 1820., cui Rotalis accessit Sententia, a qua Montii appellationem assequi tantum potuerunt quoad solutionis *tempus, ac modum*, quaeve super hac tantum parte ad trutinam revocata in Comitiis diei 2 Aprilis hujusce anni 1821, reformata fuit, me Patres de ejus viribus interrogante, responso = *Sententiam Rotalem esse confirmandam juxta modum*, nempe, *per Decennium a die motae litis* = Huic vero responso hodie confirmationis robur accessit; me enim quaerente = *An sit standum, vel recedendum a Decisis* = Patres = *In Decisis* = perstiterunt.

Nulla sane amplius quaestio super 1

obligatione Fratrum De Montiis rependendi Excmis Haeredibus Principis Columna scuta *quinquaginta millia*, quæ reliqua sunt e pretio bonorum, quae hic ipsis vendidit scut. 60 000; quorum *decem millia* emptores statim numerarunt, et quoad reliqua conventum fuit ab ipsis praestandos esse eorum = *frutti compensativi alla ragione di scudi tre, e baj.* 65 *per ogni centinaro, ed anno, sino a tanto non averanno a loro arbitrio, e piacere sodisfatto detto intiero residuo di prezzo, il cui pagamento, quante volte vogliono li detti Compratori, e loro effettuare, conviene, che eseguir si possa anche a rate non minori di scudi diecimila l' una col preventivo avviso, e disdetta di tre mesi avanti* = Haec siquidem obligatio jam firmiter per rem judicatam constituta fuit. Nulla pariter quaestio, quod probari nequeat Juridicorum A. C. Sententia quoad *tempus, et modum* implendae per Montios praedictae solutionis, nempe intra vicennium a die latae Sententiae, sive a die 11 Septembris anni 1819, et per ratas scutorum *decemmillium* de quadriennio in quadriennium repraesentandas. Excessum namque hujus Sententiæ *in eo tempore, et modo* præfiniendo apertissime demonstrat præcedens mea *Decisio a* § 4 *ad* 7, nec ullum est opus ea: quae ibi deducta fuere, iterum repetere, cum Montii non amplius illi Sententiae insistant, et *tempus, ac modum*, eis in praedicta mea Decisione ad solutionem perficiendam statutum propugnent, *decennium*, scilicet, a dio motae litis, quoad *tempus* et facultatem ipsis tributam solvendi, si velint, etiam per ratas juxta conventionem quoad *modum*.

2 At, cum Excmae praedictae Haeredes, adversus postremam Decisionem insurgentes, contendant tempus solutionis coercendum esse intra *biennium* juxta antecedentem R. P. D. mei Gamberini superius relatam Decisionem, atque huic consonam Rotalem Sententiam, vel saltem postulent, ut si hoc tempus amplietur, etiam ad *quinquennium* fructus solvendae a Montiis pecuniae augeantur praeter conventam rationem scutorum 3, et obul. 65 in singula capitis centena, et singulos annos, atque ipsi adigantur ad solutionem implendam intra praefinitum terminum per annales ratas scutorum *decemmillium*; et cum in hisce tota nunc resideat quaestio, Patres *jure, pactis, ac rei circumstantiis* iterum inspectis judicium novissime prolatum immutandum hand esse censuerunt. Ad Jus quod pertinet, verum quidem est, quod, si in contractu nulla debitori ad solvendum dies fuerit praestituta, et solutionis implementum fuerit in debitoris placitum collatum, res pendere debeat ab judicis arbitrio ita temperando, ut quantum fieri potest, Juris regulis consonum sit per *Monoch. de arbitrariis Judic. lib.* 1 *quaest.* 6 *num.* 2 *Pritschius in opus Varior. tom.* 2 *part.* 3. *tract.* 12 *num.* 19 *Andreol. Controv. Forens. Controv.* 52 *num.* 16. *Rot. in Recen. dec's.* 329. *num.* 4. *part.* 2., *et decis.* 178. *num.* 2. *part.* 1., *et in Albanen. Prioratus super pertinentia Patronali* 17 *Aprilis* 1761 § 28 *cor. Zelada*; et verum est etiam ex Doctrina *Bartoli in Lege haec Venditio ff. de contrahenda emptione* hoc Judicis arbitrium *decennii* finibus circumscribendum esse, ut saepissime constituit S. Ordo praesertim *in Eugubina Dotis, et Fructuum* 18 *Junii* 1713 §. *Consecutive coram Scotto*; *in Ariminen. Pecuniaria* 9. *Decembris* 1718 § *ult. coram Cerro*; *in Camerinen. Pecuniaria* 30. *Junii* 1758 §. 8. *coram Vicecomite, in Romana Pecuniaria* 20 *Martii* 1794 § 3 *coram Soderino, in Senogallien. Pecuniaria* 21 *Junii* 1805 § 2 *coram Emo Cesarei, in Romana, seu Portuen. Pecuniaria* 21. *Martii* 1807. §. 8 9. *coram R. P. D. meo Bussi, et Romana Pecuniaria* 4 *Junii* 1808 § 5 6 *coram R. P. D. meo Serlupi Decano, quibus consonat prima in hac Causa Decisio* 20 *Martii* 1820 § 2, *et final. coram R. P. D. meo Gamberini, et mea subsequens diei* 2 *Aprilis hujusce anni* 1820 §. 4. Sed non minus verum est nullibi in jure constitutum esse a quo tempore initium sumere debeat decennium illud; quod Judicis arbitrium praetergredi non potest,

an nempe a die initae conventionis, seu potius a die qua Creditor debitae sibi summae solutionem judicialiter petiit.

3 Quibus positis, cum Judicis arbitrium abhorreat *ab Juris apicibus*, severitatem respuat, atque humanitatem sequi debeat, ad tradita *per Menoch. de arbitr. lib.* 1 *quaest.* 8 *num.* 34 *Spada cons.* 278 *num.* 1 *Scaccia de Sentent. Gloss.* 7 *num.* 9, *et Rot. in Recen. part.* 3 *decis.* 284 *num.* 5 *decis.* 6 *numer.* 1 *part.* 8 *decis.* 311 *num.* 1 *part.* 17, *decis.* 1016 *num.* 2 *coram Molines*; *Decis.* 320 *num.* 2 *coram Ratto*, *quibus innititur superior mea Decisio* § 8, iterum Patres animadverterunt, quod si unquam casus fuit, in quo ex aequo hoc Judicis arbitrio solutionis implendae terminus *ad decennium* sit protrahendus, et bujus initium ducendum sit a die interpellationis Debitoris ad solvendum, hic certissime casus in præsenti themate verificatur, in quo a Montiis bona fide ab anno 1799, quo bona emerunt, ad mensem Junii 1819, quo ad scuta 50: 000 solvenda ab Exmis Haeredibus venditoris interpellati fuerunt, hujusce summae solutionem neglectam fuisse, compensativis interim fructibus representatis, evidentissime constat, tum, quia indefinitum arbitrium ipsis quoad solutionis implementum in emptionis venditionis Tabulis fuit tributum, *tum* etiam quia Principis Columna factum justam in ipsis credulitatem induxit, quod ad eam numerandam pecuniae vim adigi nunquam possent. Ille enim, quamvis pecunia indigeret, itaut adstrictus fuerit ad eam foenori accipiendam in prægrandi quantitate, et sub *semissi*, et graviori etiam usura, nunquam vel integram illam scutorum 50: 000 summam, vel bujus partem saltem ab ipsis postulavit, sed constanter tacuit, mitissimis illis fructibus scutorum trium et obul. 65 contentus, ex quo merito ipsa inducere potuerunt nil a prædicto Principe fuisse petitum, quia nil ab eo peti poterat. Hac igitur in Montii bona fide constituta justitia exigit, ut *decennium* eis ad solvendum debitum praestituatur, hujusce decennii cursus incipere debeat ab eo tempore, in quo creditoris, sive ejus haeredum instantia hanc eis bonam ademit fidem, sicuti ponderat praeterita mea *Decisio* §. 7.

Eoque magis hanc Patres tenuere 4 sententiam, quia eam conventioni etiam consonam agnoverunt. Etenim, cum in contractus tabulis cantum fuerit, quod emptoribus = *quante volte vogliano effettuare il pagamento* = hanc perficere liceret solutionem = *dell' intiero residuo di prezzo*, *anche a rate non minori di scudi diecimila l' una col preventivo avviso*, *e disdetta di tre mesi avanti* = hæc ipsis facultas concessa inutilis prorsus foret, si solutionis perficiendae terminus intra *biennii* fines coerceretur, quia ratarum solutiones ita una alteri succedere deberent, ut fere idem debitoribus esset, ac si unico contextu integrum numerarent debitum. Contra vero, amplius *decennii* spatium ipsis commodum praestat pecuniae paullatim parandae, ejusque ratatim, si velint, juxta conventionem solvendae, sicuti superior advertit *Decisio* § 8. Accedunt etiam ad S. Ordinis definitionis justitiam, aequitatemque demonstrandam potissimae rei circumstantiae, scilicet pecuniae in Provinciis Ecclesiasticae Ditionis, quae tamdiu per Gallos usurpatores expilatae fuerunt, caritas quam maxima, atque ideo summa in Montiis difficultas comparandi insignem pecuniae quantitatem ad scuta usque 50: 000, ex quo eorum fortuna prorsus everteretur, si *decennii* spatium eis ad solutionem implendam coangustaretur. Quod adeo verum est, ut ipsi, hac difficultate perterriti, emptorum bonorum, una cum melioramentis, restitutionem Exmis Venditoris haeredibus offerre haud dubitaverint.

Non itaque ulla subest ratio, ex qua 5 *tempus* ad solutionem perficiendam, *decennium* scilicet Montiis praestitutum decurtandum sit: ut Excellentissimae praedictae Haredes assequi studuerunt. Nec melioribus rationibus ipsas suffultas esse Patres putarunt, dum saltem obtinere conatae sunt, ut, quoad so-

lutionis *modum*, Montii adigantur ad eam implendam per ratas scutorum *decem millium* intra praefinitum terminum distribuendas. Etenim ex conventione inter ipsos et Principem Columna inita, quod = *il pagamento, residui pretii bonorum in scutis* 50,000 = *quante volte vogliono detti Compratori, e Loro effettuare, eseguir si possa anche in rate non minori di scudi diecimila l' una col preventivo avviso, e disdetta di tre mesi avanti* = argui nequit *vel* ob correspectivorum naturam, de qua *Rota in Recen. decis.* 315 *num.* 7 *part.* 17 *decis.* 36 *num.* 2 *coram Ninot. decis.* 280 *num.* 2 *Tom.* 5 *in Nuper.*, *et in Spoletana Manutentionis* 15 *Junii* 1764 § 7 *coram Olivatio*; *vel* ob damnum, quod secus ipsae Haeredes sentirent ex tenuissimarum, usurarum perceptione quamdiu praedictae conspicuae summae solutio differatur, dum ullo absque jure quam maxima exinde debitoribus obveniret utilitas contra tradita per *Jason cons.* 150 *num.* 18 *Fachin. controv.* 84 *num.* 9 *lib.* 1 *Rota in rec. decis.* 415. *num.* 8. *part.* 16., *et in Hortana, seu Narnien.* 18. *Junii* 1755 § 6 *coram Canilliac.* non, inquam, ex praedicta conventione argui potest Principi etiam Venditori, ejusque Haeredibus facultatem fuisse tributam emptores compellendi ad residuum illud pretium per easdem ratas dissolvendum. Verba enim conventionis = *il pagamento, quante volte vogliano li detti Compratori, e loro effettuare, si conviene, che eseguire si possa anche a rate* = perspicua sunt, atque ex iis manifestissime patet non obligationem emptoribus impositam fuisse solutionem per ratas perficiendi, sed in eorum arbitrium fuisse collatum; quare nefas esset *juris necessitati subiicere quod potestati permissum fuit*, nec facultativus actus in coactivum converti potest *per Text. in Leg.* 40 *ff. de Judiciis*, *et Menoch. de praesumpt. praes.* 123 *num.* 14 *Gratian. Discept. Forens. cap.* 26 *num.* 12 *Rota decis.* 420 *num.* 6. *coram Caprar. decis.* 152. *num.* 6. *coram Ratto decis.* 311 *num.* 21 *coram Olivatio decis.* 589 *num.* 4 *coram Eodem*, *et in Pisauren.*, *seu Senogallien. super Exfractatione* 15. *Junii* 1818 §. 2 *coram R. P. D. meo Martinez.*, *et in Confirmatorria* 22 *Januarii* 1819 § 3 *coram Eodem.*

Inutiliter etiam, praedicto solutionis *tempore*, ac *modo* stante, postularunt jam plures memoratae Exmae Haeredes augmentum saltem fructuum summae ipsis a Montiis debitae causantes exiguam eorum conventam rationem in scutis *tribus*, et obul. 65, in singula centena capitis, et singulos annos, uti etiam Castrentium requisitorum interpellationem, atque insuper majores usuras, quas ipsae pro aere alieno contracto rependere coguntur. Quo enim ad primum, compertum, Patribus fuit, fructus, ad praedictam rationem, conventos fuisse, non uti civiles, sed uti naturales, et compensativos, juxta notissimam censuram *Leg. Curabit. C. de act. Empt.*,. atque constitutos fuisse paulo infra taxam legalem, non ex Venditoris liberalitate, sed quia venditorum bonorum pretium, quod excedere baud potuisset scutorum 55,000, babito praesertim respectu ad circumstantias temporis, quo venditio fuit expleta evectum fuit ad scuta 60,000, atque ideo quod bonorum valorem superabat, fructuum modicitate fuit quodammodo pensatum. Dein, quoad requisitorum Castrensium interpellationem, eam frustra proponi apertissimum est, deficiente potissimo extremo morae Debitorum; ipsi enim ad solvendam debitam summam compelli nequeunt, nisi post *decennii* lapsum a die motae Litis, nempe nisi post adventum mensem Junii anni 1829 Demum quoad majores usuras, quas Exmae Haeredes pro aere alieno ab ipsarum Patre, et Auctore contracto rependunt, harum onus in Montios rejicere ipsis haud licere patet, quia illud haud fuit contractum ex eorum culpa, cum Princeps Philippus nunquam ab eis postulaverit pecuniam, eorum arbitrio solvendam, atque nunquam obtinere curavit, ut terminus ad hanc representandam eis, uti oportebat, constitueretur. His itaque 6

omnibus perpensis judicium in Comitiis diei 2 superioris Aprilis prolatum nullam mereri reformationem Patres censuerunt.

Et ita etc. Utraque etc.

ROMANA SEU URBINATEN

SUPER RESTITUTIONE FRUCTUUM

Lunae 5 *Februarii* 1821.

ARGUMENTUM

Omnes contractus expleti quoad bona nationalia, sub Gallica ditione, sunt nulli usque ab initio. Proinde Venditori, deest actio ad assequendum pretium non adhuc solutum. Ex sola aequitate, Princeps Edicto diei 24 *Octobris 1804*, primis Acquisitoribus rependi jussit – *la quarta parte del valore impiegato nei primi acquisti dei beni suddetti*. –

SUMMARIUM

1. *Contractus emptionis venditionisque de bonis nationalibus, sub Gallica Repubblica expleti, nulli irritique ab initio a Sacratissimo Principe fuerunt declarati.*

   Nemo plus juris in alium transferre potest, quam ipsi super re competit – ibidem. –
2. *Venditores bonorum nationalium, nequeunt agere ad assequendum pretium pro iis bonis depactum.*
3. *Ad pensandam jacturam, quam patiebantur bonorum nationalium acquisitores, Edicto diei* 24 Octobris 1801 *constitutum fuit, ut illis, rependenda esset.* La quarta parte del valore impiegato nei primi acquisti dei beni suddetti.

   Fructus ex bonis nationalibus percepti, ad illos dumtaxat pertinebant, qui pretium primitus exsolverant – ibidem. -
4. *Quarta pretii pars non integram indemnitatem constituebat, quam primis acquisitoribus bonorum nationalium Princeps concessit, sed illi pretii quartario addendi erant fructus per tempus occupationis bonorum percepti.*

   Quando exceptio est de jure tertii, sperni omnino debet – ibidem. –
5. *Contra publici Instrumenti fidem; probationes afferendae sunt nulli obnoxiae exceptioni.*

   Census ac monumenta publica potiora testibus sunt – ibidem. –
6. *Metus causa debet esse continua, ut consensus ab actu remotus esse dicatur.*

   Quidquid in judicium protulit defensor, a parte ipsa prolatum censetur – ibidem. –
7. *Ad effectum supputandi fructus perceptos a bonorum nationalium acquisitoribus, tempus sumi debet a die nactae possessionis usque ad gallorum expulsionem per Austrorum copias.*

   Lege Caesaria diei 31 Januarii 1800 *statutum fuit.* Che ognuno tornasse al possesso dei suoi beni di qualunque sorte – *ibidem.* –

   Limitatio huic dispositioni fuit adjecta cioè di quei beni, che non fossero stati distratti giacchè per le alienazioni seguite si dovrà osservare la legge del 1 Decembre 1799, – *ibidem.* –
8. *Bonorum nationalium acquisitores, possessionem non amiserunt, antequam prodiret Pontificium Edictum* 24 Octobris anni 1801.

DECISIO LI.

Quæ præclara artium Scientiarumque vetustissima monumenta Principis hujusce Urbis celebritatem augebant, uti nunc rursus, Deo dante, augent, cum ex notissima illa prima Pontificii Imperii Gallica oppressione, cui Tolentinatis Fæderis nomen fuit appictum, Lutetiam Parisiorum essent asportanda, Gallorum Sumptibus, hoc opus primum susceperunt Fratres Rossi, pacto cum iis, qui dicebantur – *Commissarii del Direttorio Esecutivo della Republica Francese in Roma* » pretio in *decem*, *et octo centenis millibus librarum Turonensium*, persolvendis in tot bonis a Gallis in Ecclesiastica Ditione occupatis, quæ vocabantur, *Nationalia*; et dein hujusce contractus onera ac commoda prædicti fratres cesserunt fratribus Sieubertiis, et Valaderio, ac Dorelio, cessionis præmio constituto in millibus *Centumquinquaginta* Turonensium librarum, per dationem in solutum respondentis partis Nationalium bonorum dissolvendis. Hinc die 22. Junii anni 1798. Perillerius, Præfectus Romæ Gallico Ærario, per solemnes tabulas Valaderio, Sociisve, partis pretii præfati nomine, plura in solutum dedit Nationalia bona, quedam præsertim in Picæno jacentia, et ad S. Ordinis Hyerosolimitani Commendas spe-

ctantia nuncupata = *di S. Marco di Fano, e S. Maria del Filotto; di S. Anastasia di Scapezzano, e S. Maria di Bodio, e di S. Patrignano di Sassoferrato in Perticaro.*

Hæc autem prædia prædicti Socii, qui numerata egebant pecunia, ad susceptum perficiendum negocium, die 10. Octobris ejusdem anni 1798., vendiderunt Crescentino Corradio Urbinati = *senza per altro la menoma garanzia, e per un Sacco d' ossa* = convento pretio argentorum = *colonnati di Spagna* 43906., *et ob.* 25. repræsentando intra *duorum de viginti* mensium spatio, datis in id a Corradio duodecim Cambialibus literis, eam summam conficientibus; ac solemniter in publico hujusce venditionis Instrumento repetitum fuit, quod societas vendens » *non dovrà esser tenuta ad altro che alla sola evizione pel fatto proprio* = ; reservato tantum empori, in casu amissionis bonorum, jus agendi contra Gallicam Rempublicam. Atque adeo probatus Corradio hic contractus fuit, ut, nacta prædiorum possessione, aliquas e cambialibus litteris ad summam usque scutorum *quinque millium* ante tempus præstitutum, libenter persolverit.

Empta deinceps prædia tranquille possidens, eorumque fructus percipiens Corradius, cambiales tamen literas, quarum solutionis dies venerat, haud exsolvit. Eaque possessio, fructuumque perceptio libera acquieta ei pariter fuit, etiamsi Gallis, anno exeunte 1799 expulsis, Austrorum dominatui Picæno bona num postea subjectum mansisset, hi namque siverunt Nationalia, a Gallis distracta, pacifice ab eornm acquisitoribus detineri, usque ad judicium de eorum alienationibus, ac acquisitionibus a consensu in id deputato proferendum. Sed die 24. Octobris anni 1801., Picæno jam sub Legitimo Pontificio Imperio restituto, tres nempe post annos a prædicta bonorum emptione per Corradium, Edictum prodiit Sacratissimi Principis Pii VII., quo alienationes bonorum Nationalium, per Gallos invasores expletæ, irritæ renunciatæ fuerunt, uti adversantes = *al dritto pubblico Ecclesiastico, e profano* » illaque bona legitimis Dominis reddita fuerunt, ea sub conditione quod, ad aliquatenus pensandam possessoribus, sive acquisitoribus illorum bonorum jacturam, ex illorum amissione obvenientem, = *si paghi ai medesimi la quarta parte del valore impiegato nei primi acquisti dei beni anzidetti* » : quæ compensatio æqua visa fuit, præter alias causas » *attesi altresì i frutti percepiti dai detentori nel tempo della loro occupazione* ». Tum itaque primum prædictorum prædiorum possessionem amisit Corradius, postquam ex iis per triennium, et ultra fructus perceperat, illorumque pretii, in scutis 43906. et ob. 25., ut superius relatum fuit, conventi, perexiquam tantum partem, scuta nempe *quinque millia* persolverat.

Plura post hæc adversus Corradium judicia instituta fuere pro solutione Cambialium, quas ipse in illorum bonorum pretium signaverat, quasve Societas venditrix in commercium posuerat, ita ut a pluribus giratariis possidebantur; sed semper Corradio Judices faverunt, quia præfatum emptionis venditionis contractum irritum usque ab initio, in vim recensiti Pontificii Edicti renunciarunt; ex quo nullam Corradio solvendi bonorum pretium, sive Collybi literas ex eo provenientes, obligationem inesse dixerunt, testibus pluribus S. Ordinis Decisionibus editis annis 1802. 1804. 1806. et 1807. *coram nunc Rmo P. D. Decano Serlupi.* Nec quidquam postea profecit ipsa Societas, quæ in anteactis judiciis haud fuerat vadata, dum pretii prædicti creditum contra Corradium defendere studuit. Nam, etsi Dubio a R. P. D. Odescalchi proposito die 5. Maii 1807., scilicet » *An et in qua summa constet de Credito, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* » vadimonium Corradiis, Crescentini heredibus, deserentibus, responsum fuisset » *constare de Credito, et mandatum esse relaxandum pro summa liquidanda* » attamen die 13. Februarii anni 1818., re ad trutinam revocata, Domini a *Decisis recesserunt*, ut monstrat illius diei De-

cisio *Romana*, *seu Urbinaten.* Pecuniaria *coram Eodem R. P. D. Odescalchi*, quam Rotalis Sententia sub sequuta fuit.

Tum e re sua duxit Valaderius proprio, ac Sociorum nomine, hanc Sententiam oppugnare quoad illam Crediti partem, quæ oritur a restitutione, per Corradium debita, fructnum ex emptis bonis perceptorum; atque a Signaturæ Tribunali obtinuit appellationem ab ea Rotali Sententia, et simul ut controversia de restitutione fructuum nostro Sacro Tribunali definienda proponeretur » *tamquam in prima cum facultatibus A. C.* » Utraque Causa mihi commissa, bina in hodiernis Comitiis Universæ Aulæ proposui Dubia: *Alterum* quoad prædictam Rotalem Sententiam, ad quod spectat contemporanea Decisio *alterum* super restitutione Fructuum; ita conceptum » *An et pro quo tempore sit locus restitutioni Fructuum*, *ita ut sit relaxandum mandatum in Casu etc.* = cui, Philippo, Aloysio, ac Joachim Corradiis silentibus, datum fuit Responsum » *Pro Informante* » nempe » *Affirmative pro tempore possessionis*, *et esse relaxandum Mandatum pro Summa liquidanda* ».

1 In dubium quippe rationabiliter revocari haud potest Crescentini Corradii, sive ejus hæredum obligatio restituendi fructus, quos ille percepit e Fundis a Valaderio Sociisve emptis, bonum pretio haud repenso, postquam emptionis Venditionisque contractus, uti nullus ab initio fuit renunciatus, atque ipse a bonorum pretio repræsentando fuit absolutus. Datio siquidem in solutum bonorum Nationalium a Gallica Republica erga Valaderium, ac Socios expleta, mercedis nomine, ipsi debitæ pro transvectione monumentorum Artium Scentiarumque Roma Lutetiam, Edictali Lege Sacratissimi Principis, diei 24. Octobris 1801., irrita, inanisque declarata fuit, utpote Ecclesiastico, ac prophano Juri publico repugnans, sicuti irriti inanesque declarati fuere quicumque hoc genus contractus. Hinc itaque concludendum est ex ea datione in solutum nullum prædictos Socios super bonis ad S. Ordinem Hyerosolimitanum spectantibus, quæ postea Corradio vendiderunt, jus nactos fuisse, atque ideo prorsus hac venditione cum Corradio egisse, quia in ipsum transferre non poterant ulla super iis bonis jura, dum bisce omnino illi destituebantur ad *Text. in Leg. nemo ff. regulis juris*, et quia ex actu nullo nullus umquam oriri potest effectus per *Rot. Dec.* 1073. *numer.* 13. *coram Lancetta Dec.* 1. *numer.* 3. *coram Falconerio de Fide Instrumentorum in Reatina divisionis Super liquidationi Fructuum* 4. *Januarii* 1784. §. 7. *coram Mannellio*, *et in Signina Petitionis Hæreditatis* 21. *Februarii* 1820. §. 8. *cor. R. P. D. meo Martinez.*

Atque bisce sane rationum Fundamentis Sacer Noster Ordo innixus, pluribus Decisionibus constituit nullam irritamque fuisse prædictam prediorum Venditionem emptionem inter Valaderium Sociosve ac Corradium initam, atque hunc idcirco ad conventum pretium exsolvendum adigendam non fuisse. Id præ cæteris firmant Decisiones *in Urbinaten. Cambialis* 20. *Januarii* 1804. §. 4. *coram nunc Reverendissimo P. D. Decano Serlupi*: *in Urbinaten. Cambialis scutorum* 3400. 4 *Junii* 1804. §. 2. *coram Eodem*; *in Urbinaten. Cambialis Scutorum* 3200. 20. *Februarii* 1804. §. 2. *coram Eodem*: *in Urbinaten. literarum Cambii quoad Summam Scutorum* 10006. 25. *Februarii* 1804. §. 2. *coram Eodem*, quibus consonat *Romana literarum Cambii* 21 *Junii* 1804 §. 3. *coram Gardoqui*, et novissime statuit *Romana sive Urbinaten. Pecuniaria* 13. *Februarii* 1818. §. 4. *cor. R. P. D. Odescalchi*, quam subsequuta fuit Rotalis Sententia, quæ Valaderium Sociosve, adversus Corradii haeredes, agentes ad consequutionem asserti crediti ex pretio venditorum bonorum, quæ Corradius post triennalem possessionem, Melitensi Ordini, antiquo Legitimo Domino; in vim Superius recensiti Pontificii Edicti, restituere debuit, prorsus repulit. Si igitur nulla fuit prædiorum per Corra- 2

dium acquisitio; si ab illorum pretio dissolvendo ipse fuit absolutus, nullo jure potuit sibi addicere ac retinere fructus, ab eisdem prædiis, donec ea detinuit, perceptos, et hi ab ejus hæredibus restituendi sunt, illus ad quos spectant.

3 Manifestissima est igitur hæredum Crescentini Corradii obligatio quoad prædictorum fructuum restitutionem. Nec minus apertum est Valaderii, Sociorumve jus ad eos condicendos. Exegisset quidem Sanctionis Legum vigor ut, expulsis invasoribus, bona ab iis ablata legitimis dominis, hisce ab illegittimis detentoribus essent restituenda, una cum fructibus ab ipsis detentoribus, ullo absque jure perceptis. Sed hunc rigorem Sacratissimi Principis æquitas, ac indulgentia temperavit; nam, ad pensandam aliquatenus jacturam, quam pati debebant nationalium bonorum acquisitores, dum ea legitimis dominis reddere cogebantur, postquam ab invasoribus ea receperant, vel pretio soluto, vel in satisfactionem suorum in illos Creditorum, sæpius memorato Edicto diei 24 Octobris 1801 constitutum fuit, ut illis, acquisitoribus rependenda esset = *La quarta parte del valore impiegato nei primi acquisti dei beni anzidetti* = quæ compensatio Pontifici æqua visa fuit = *Attesi altresì i frutti percepiti dai detentori nel tempo della loro occupazione* =; Hinc, non legitimis bonorum dominis fuisse restituendos, sed in comodum acquisitorum prædictorum bonorum, quamvis acquisitio illegitima declarata fuisset, perceptos ex iis bonis, per tempus occupationis fructus, ex Legislatoris voluntate cedere debuisse evidentissimum est. Ad Valaderium itaque Sociosve, qui prædiorum, quæ Corradio vendiderunt, amissionis jacturam senserunt, fructus ex iis percepti pertinere debebant, quia ipsi illorum pretium exsolverant, ob pensatam cum eo partem ipsorum Crediti, derivantis ex mercede pro monumentorum transvectione conventa; Corradius contra, cum ab illorum pretio repræsentando immunis factus fuisset, damnum ex illorum amissione passus non fuit; bona enim una cum bonorum pretio retinebat; nec sibi compendium addicere poterat, quo, partim saltem, pensanda erant damna, quibus prædictus Valaderius ac Socii fuerant subjecti.

Quin Corradiis obiicere prodesset Valaderium Sociosve quartam partem pretii, quo prædicta bona in solutum acceperant, a Melitensi Ordine juxta Pontificium Edictum habuisse, atque ideo nullam eis actionem adversus ipsos Corradios superesse. Non etenim hæc quarta pretii pars integram indemnitatem constituit, quam primis acquisitoribus bonorum nationalium concedere placuit Sacratissimo Principi, quæve Valaderio ac Sociis debebatur quoad bona, quæ deinceps Corradio vendiderunt; Sed illi pretii quartario addendi erant fructus per tempus occupationis bonorum percepti, quos, cum Corradius ex emptione, nulla ac irrita renunciata, percepisset, primis bonorum Acquisitoribus ab ipso idcirco ii erant reddendi, quia ex emptione nullum jus ad illos percipiendos, retinendosve nancisci potuit. Extraneum etiam esset objectum quod Socii in liquidatione eorum Crediti adversus Gallicam Rempublicam, Parisiis expleta, haud exiguam pecuniæ vim assequuti fuerunt. Hæc siquidem liquidatio, ac pecuniæ consequutio ad implendam spectavit satisfactionem mercedis vis adhuc debitæ pro = *incassaggio, imballaggio, e trasporto di oggetti d'Arte da Roma a Parigi* =, quo super nullum Corradio jus erat; non vero ad eos indemnes faciendos de Nationalium bonorum, quæ in illius mercedis partem jam habuerant, amissione. Præterea vero in hypothesi etiam, quod pecuniæ eis a Repubblica Gallica datæ fuissent in illius indemnitatis Causam, id inutiliter proponerent Corradii hæredes, quia Corradius, nec mercedis nec nomine indemnitatis, uti non primus bonorum acquisitor, sed possessor ex titulo, prorsus, usque ab initio, nullo renunciato, nullam sibi indemnitatem asserere poterat; atque hæc esset exceptio de jure tertii prorsus reiicienda per Rotam 4

Dec. 552. *num.* 3. *coram Olivatio et in Verulana Gymnasii Franchi super jure nominandi*, *et administrandi* 2 *Decembris* 1817 § 7 *coram R. P. D. Bussio, et in Confirmatoria* 5 *Junii* 1818 § 3 *coram Eod.*

5 Spernendum pariter esset objectum de simulata per Corradium emptione bonorum, et de ejus nomine ad hanc verbo ac Specie tenus accomodato pro Vallaperta, vero illorum bonorum emptore, qui ipsum Corradium incusso metu, ad id coegit. Contra namque publici Instrumenti fidem, quod Corradium bonorum emptorem demonstrat, probationes afferendæ essent nulli obnoxiæ exceptioni, præsertim cum agatur de odiosissima vis metusque querela; secus enim de actus veritate ambigi nequit ad *Rot. in Dec.* 1117 *num.* 3 *coram Lancetta, et Dec.* 187 *num.* 17 *coram Olivatio* = Nec bujusmodi probationem inducere possent quorumdam testium dicta, quia = *Census ac monumenta publica potiora testibus esse* = ait = *Celsus in leg.* 10 *ff. de probationibus*, et firmat *Rota dec.* 214 *num.* 3, *et dec.* 558 *num.* 3 *coram Penia*: *dec.* 447 *n.* 3 *coram Bichio decis.* 90 *num.* 8 *coram Cerro dec.* 856 *num.* 4 *Seq. coram Molines Cons. Rot. in Romana Pecuniaria* 23 *Septembris* 1814 § 13 *coram Isola.*

6 Præterea plura sunt, quæ assertum metum, assertam simulationem eliminant. *Primum*: quippe non continuo, et brevi unius horæ Spatio de ea emptione, ac venditione actum, ac conclusum fuit; sed per biduum ea de re contrahentes discusserunt; hinc *in facto* prorsus inverisimile apparet Corradium intra biduum e Vallapertæ manibus evadere non potuisse, ut adversus illatam vim incussumque metum reclamaret, et sese a nomine contractui accomodando eximeret; juris vero notissimi est metus caussam debere esse continuam, ut consensus ab actu remotus esse dicatur ut docet *Vinnius Partit. Juris lib.* 2 *cap.* 53 *Dein* Corradius libere, suove nomine contraxisse luculentissime demonstravit, dum partem conventi prætii, aliquas nempe Cambiales literas, in illius Causam a se signatas, sponte libenterque usque ad scuta *quinquemillia* ante præfinitam solutioni diem rependit. *Demum* vero quodlibet removet dubium judicialis hæredum Corradii confessio, qui coram Sacro Ordine declararunt Corrudium revera illum emptionis contractum iniisse, emptamque possedisse bona, eorumque percepisse fructus; illud tantum contendentes brevem, nec annum excedentem, atque baud pacificam eam fuisse possessionem, ob belli Motus, Militaresque incursus. Quam Confessionem frustra convellere studerent Corradii, quia non ab ipsis emissa directo fuerit, sed in scriptis ab ipsorum defensore exhibitis. Defensor namque a suis Clientibus tantum rei gestæ notitiam habere potuit; hinc quidquid hic protulit ab ipsis prolatum censetur, uti animadvertit *Rota in Romana Pecuniaria* 28 *Februarii* 1818 *coram R.P. D. Bussio* § 6 *et in Confirmatoria ejusdem anni diei* 4 *Maii* § 7 *coram Eodem.*

Pespicua ex bisce omnibus fit Corradiorum obligatio ad restitutionem erga Valaderium, Sociosve *omnium* fructuum, quos Crescentinus illorum auctor percipit prædiis nulliter ipsi a Societate venditis. Ut *omnes* vero restituantur, tempus spectandum est, per quod bonorum possessio penes Crescentinum extitit. Qua super re ad omnem removendam quæstionem, et ad constituendos illius possessionis fines, sat est convertere oculos ad emptionis tabulas, quæ diem præseferunt 10 Octobris 1798., ut exinde illius initium sumatur. Ab ea epocha usque ad Gallorum expulsionem per Austrorum copias in controversiam adduci nequit quod Corradius quietam habuerit bonorum possessionem, ac fructuum perceptionem. Nec secus evenit, Austris Picænum tenentibus; etenim Imperiali lege diei 1 Decembris anni 1799., per Austrorum Ducem Vulgata, constitutum fuit = *sulle diverse alienazioni dei fondi, che in tempo dell' estinto Governo si chiamavano Nazionali*, *rimanendo ciascuno al possesso dei fondi sudetti, non dovrà seguire di essi ulteriore innovazione, finchè non venga altrimenti* 7

disposto = Pari autem Lege Cæsarea die 31 Januarii 1800., dum statutum sub Art. 24. fuit = *Che il Principato torni al possesso dei suoi beni di qualunque sorte; che tornino parimente le Comunità al possesso dei loro beni Comunitativi, i Patroni, ed i Beneficiati al possesso dei Patronati, e Beneficj* = expressa, ac apertissima limitatio huic dispositioni fuit adjecta = *cioè di quei beni, che non fossero stati distratti, giacchè per le alienazioni seguite si dovrà osservare la Legge del* 1 *Dembre* 1799.

8 Donec itaque Picænum sub Gallorum, et deinceps Austrorum dominatu stetit, empta bona Corradius tranquille ac libere possedit, atque ex hisce fructus percepit; nec hac possessione, ac fructuum perceptione destitutus fuit ante promulgationem sæpius memorati Edicti Pontificii, die 24 Octobris anni 1801 vulgati. Hinc patet a die 10 Octobris anni 1798., qua Corradius prædia a Valaderio Sociisve emit, ad diem 24 Octobris anni 1801., quo illud Pontificium Edictum prodiit; plusquam triennale tempus lapsum fuisse, et per id temporis spatium Corradium e bonis emptis fructus percepisse, quod ejus hæredes prædictis Sociis nunc, uti superius fuit demonstratum, restituere debent. Quo vero spectat ad Corradiorum debitum, hoc nomine in specie constituendum, de eo liquidatio perficienda erit, habita in calculo perceptorum fructuum quantitate, a Valaderio Sociisve demonstranda, atque deductis pro Corradiis Summis ab ipsis solutis, vel ipsis reficiendis.

Et ita, Omnibus Dominis mecum Suffragium ferentibus resolutum fuit. Unica etc.

ROMANA SEU URBINATEN

PECUNIARIA

Lunae 5 *Februarii* 1821.

ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. Ex nullo, irritove contractu nulla ad emptorum bonorum pretium dissolvendum actio oriri potest.

2. Bonorum nationalium emptione sublata, ac pretio non soluto, acquirentes, debitores tamen semper permanent fructuum, quos ex iis bonis perceperunt.

DECISIO LII.

Josephum Valaderium, ejusque Socios, adversus Crescentini Corradii hæredes actionem proponentes, ad assequendum pretium prædiorum, ad inclitum Hyerosolimitanum Ordinem spectantium, quæ a Republica Gallica eisdem Sociis in solutum data, et ab iis Crescentino vendita die 10 Octobris 1798 habita fide de eo pretio, deinceps ex Sacratissimi Principis Edicto diei 24 Octobris anni 1801, legitimo Domino restituta fuerant, repulit Sacri Nostri Auditorii Sententia, post Decisionem die 13 Februarii 1818, a R. P. D. Odescalchi subsignata, qua constitutum fuit nullatenus constare de Sociorum credito, quia emptio bonorum per Crescentinum contracta nulla usque ab initio agnita fuit. Quia vero Socii, ni bonorum pretium, eorum saltem fructus a Crescentino perceptos, dum bona possedit, sibi restituendos esse non immerito putarunt, a Supremo Tribunali Signaturæ, Appellationem ab ea Sententia postularunt, ad illius obicem removendum, et assequuti fuere; atque una simul obtinuerunt, ut Sacro Nostro Ordini committeretur *tamquam in prima*, definitio controversiæ super restitutione fructuum. Duo itaque Dubia hac mane omnibus Dominis dirimenda proposui, quorum *primum*, ad fructuum restitutionem pertinens, Corradiis vadimonium deserentibus, pro Valaderio Sociisve fuit resolutum, uti testatur altera hujusce diei hac super quæstione mea Decisio. Præsens etiam quoad Creditum sub formula = *An Sententia Rotalis sit confirmanda, vel infirmanda in casu etc.*, pariter Corradiis silentibus, juxta Valaderii, Sociorumve Vota, direptum fuit Responso = *Sen-*

tentiam Rotalem esse confirmandam juxta modum in Decisione exprimendum = exploso nempe iterum asserto Sociorum Credito, nomine pretii bonorum, probato vero quoad horum fructus, eis a Corradiis restituendos.

1 Actionem ad venditorum bonorum pretium a Corradiis hæredibus obtinendum, quam Valaderius Sociive proposuerunt omni juris præsidio destitutum fuisse merito Rotali Sententia, quæ in hac parte confirmatur statutum fuit. Bonorum namque venditio, per prædictos Socios erga Corradium expleta, adversans fuit = *al dritto pubblico Ecclesiastico*, *e delle Genti* = atque ideo usque ab initio irrita, uti irrita fuit datio in solutum illorum bonorum per Gallicam Rempublicam erga eos Socios peracta, qualis declarata fuit per Pontificium Edictum diei 24 Octobris 1801. Hinc ex nullo, irritove contractu nullum ad emptorum bonorum pretium dissolvendum obligationem Corradius in se suscipere potuit, nec ipse ejusve hæredes, adigi poterant ad pretium hoc repræsentandum, post bona, ex eo Edicto, legitimo Domino restituta; Atque nullum illius pretii nomine Creditum sibi Socii asserere poterant. Quod quidem et hi optime noscunt, qui confirmationem Sententiæ Rotalis libenter acceptam habent quoad illud pretium, sed eam tantum reformari petunt, ita ut in Crediti exclusione *in genere* baud compræhendatur exclusio Crediti *in specie*, a fructuum restitutione eis debita provenientis.

2 Qua in re eorum petitio justitiæ consona est. Etenim quæ Pontificia lex contractus bonorum Nationalium irritans ita, ut hæc ad legitimos Dominos reverterentur, Sacrum Ordinem impulit ad excludendum Societatis Creditum, superius recensiti pretii nomine, eadem Judices cogit ad probandum creditum ejusdem Societatis, proveniens a fructuum restitutione, quam eis per Corradios heredes deberi luculentissime patet ex rationum momentis, quæ mea contemporanea Decisio, super hac controversia vulgata deducit, ac constituit. No itaque Societatis actione, quoad hoc creditum, restituendorum fructuum nomine, Rotalis Sententia super Credito in genere ullius obicis sit eam ita reformare justum æquumque est, ut a solutione pretii bonorum rite Corradii immunes facti dicantur, non vero a quovis erga Valaderium Sociosve debito absoluti renuncientur, quia, bonorum emptione sublata, ac pretio non soluto, debitores existunt fructuum, quos ex iis fundis absque titulo perceperunt, quivo ad prædictos Socios spectant, ex Pontificis Lege, uti eos ipsis addicit mea contemporanea Decisio. Quem modum confirmationi Sententiæ merito Domini adjecerunt.

Et ita Universa Aula, me haud excepto suffragante, resolutum fuit, Altera tantum etc.

ROMANA SEU URBINATEN

SUPER RESTITUTIONE FRUCTUUM

Lunae 18 *Junii* 1821.

ARGUMENTUM

Habes in superiori quae confirmatur « DECISIO LI. »

SUMMARIUM

1. Idem est titulum nunquam extitisse, vel eum usque ab initio nullum fuisse declaratum.

Ex Edicto SSmi Principis 24 Octobris 1801 *omnes indiscriminatim nulli renunciati fuerunt usque ab initio, uti radicitus infecti, tam originarii, quam subsequutivi contractus acquisitionis bonorum nationalium - ibidem.* -

2. Ex memorati Edicti Sanctione, nedum soluti pro bonis pretii quadrans, sed etiam fructus ab acquirentibus percepti sunt primis acquisitoribus addicendi.

3. Quadrantis pretii restitutio, et perceptorum fructuum retentio indulta a Pontificia lege fuit, habitu tantum respectu ad originarias acquisitionis modos - ed al valore impiegato nei primi acquisti dei beni. -

4. Fructus, per tempus gallicae occupationis percepti e bonis nationalibus, primis acquisitoribus eorum tantummodo ex praedicta Edictali lege sunt tributi.

5. *De fructibus haustis, post Gallorum expulsionem, n bonis nationalibus, primi acquisitores tantum rationem supputare debebant cum Rev. Cam. Apostolica.*
6. *Qui evictionem promisit tantum de facto proprio, si evictio evenit ex facto Principis, nd nullam praestationem tenetur.*

   Si proposita exceptio est de jure tertii, prorsus rejicienda est - ibidem. -
7. *Probata bonorum possessione, nulla oriri potest quaestio quoad fructuum perceptionem in genere, quoe vero et quanto sit, id liquidandum in specie in suo congruo judicio est.*

DECISIO LIII.

Fructus prædiorum = *di S. Marco di Fano, e S. Maria del Filetto, di S. Anastasia di Scapezzano, e S. Maria di Bodio, e di S. Patrignano di Sassoferrato* = in Piceno jacentium, et ad Commendas Sac. Ordinis Hyrosolimitani spectantium, quæ a Gallica Republica, eorum occupatrice, Societas, a Valaderio, Sieubertiis, et Dorelio constituta, et nuncupata = *dei trasporti dei monumenti di arti, e scienze* = una cum aliis pluribus bonis in solutum acceperat, nomine partis mercedis operum, et refectionis expensarum, quæve deinceps Crescentino Corradio Urbinati, Anno 1798 vendiderat pretio = *di colonnati di Spagna* 43906. et obul. 25. = ab hujus filiis, et hæredibus restituendos esse prædictæ Societati, pro tempore possessionis a Crescentino detentæ, in summa liquidanda, deductis pro Corradiis pecuniæ quantitatibus ab iis, aut eorum patre eidem Societati solutis, quia juxtaa Edictum SSmi Principis, diei 24 Octobris Anni 1801 per plures S. Nostri Ordinis Decisiones, declaratus fuerat usque ab initio irritus contractus ille emptionis venditionis, uti præcedens ea datio in solutum, ita ut Crescentinus a pretii solutione fuerit absolutus constitutum fuit in Rotali Conventu diei 5 Februarii hujusce anni, Corradiis ab judicio absentibus, dum proposito dubio = *An et pro quo tempore sit locus restitutioni fructuum, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* =. Universa Aula, me quoque suffragante, respondit = *Affirmative pro tempore possessionis, et esse relaxandum mandatum pro summa liquidanda* =, sicuti patet ex Decisione sub ea die per me vulgata. Nil vero profuit Corradiis potestas eis facta deducendi sua jura adversus hanc Decisionem: nam quærenti mihi hoc mane = *An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu etc.* Patres = *In decisis.* = perstiterunt.

Id vero optimo profecto jure; quia, 1
titulo prorsus deficiente, prædiorum emptorum fructus Crescentinus percepit; idem namque est titulum nunquam extitisse, vel eum usque ab initio irritum, ac nullum fuisse declaratum, cum actus nullus nullum unquam gignere possit effectum, *ad Text. iu leg. nemo ff. de regulis juris*, et deducta in superiori *Decisione* §. 6. Quod vero emptio prædiorum, a Crescentino Corradio Cum Valaderio Sociisve inita nulla usque ab initio fuerit renunciata, constat *implicite* ex superius recensito SSmi Principis Edicto diei 24 Octobris 1801 quo declaratum fuit = *sulle basi più solide del Dritto pubblico Ecclesiastico, e profano di non poter ammettere in quelli i quali nell'epoca delle passate vicende acquistarono i fondi pubblici, conosciuti sotto il nome di Beni Nazionali, e l'esercizio di alcun dritto fondiario sopra i medesimi beni, come contrario alle regole della ragion pubblica, e della privata giustizia* =. Hoc siquidem Edicto omnes indiscriminatim nulli renunciati fuerunt usque ab initio, uti radicitus infecti, tam originarii, quam subsequutivi contractus acquisitionis bonorum Nationalium, atque ideo tam datio in solutum prædictorum prædiorum a Republica Gallica erga Valaderium Sociosve expleta, quam subsequens eorum venditio inter Socios, et Crescentinum contracta. Constat *explicite* declaratum fuisse hunc contractum omnino pariter usque ab initio nullum, quia id constituerunt innumeræ fere Sac. Nostri Ordinis Decisiones, quibus, hac attenta originaria contractus nullitate, Crescentinus, atque ejus filii, juxta eorum postulationes, constanter absoluti fuerunt a solutione pretii pro iis prædiis conventi, in cujus caussam plures Cre-

scentinus Cambiales literas scripserat, Societati, vel quibuscumque giratariis solvendas, sicuti, nonnullis tantum ex iis Decisionibus recensitis, statuit superior *Decisio* §. 7.

2 Quod itaque omni jure fuerit Crescentinus destitutus super fructibus bonorum, quorum emptio, ipsomet instante, nulla ab initio fuit declarata, quorumve pretium, si parvam hujus excipias partem, quam ejus hæredes repetent, numquam persolvit, evidentissimum est. Nec minus perspicuum est bosce fructus, absque titulo perceptos, Valaderio, Sociisve esse a Corradiis, Crescentini hæredibus restituendos. Manifestum est sane Societatis jus ex sæpius memorato Pontificio Edicto. Supremus siquidem Princeps, dum bona Nationalia, per Occupatores distracta, antiquis legitimis dominis ab eorum acquisitoribus restituti jussit, a sua tamen Clementia inductus = *a porre in opera verso i sudelti acquirenti* =, bonorum nempe Nationalium = *quella maggiore agevolezza, che la posizione economica di un'Erario, e Stato esausto, e scosso da tanti urti gli avessero permesso, all' oggetto di rendere con una parziale indennizzazione meno sensibile la perdita dei loro effetti sofferta nell' atto dell'acquisto dei fondi sudetti* - et perpendens - *che, attesi i modi, con cui sono seguiti per la maggior parte i pagamenti del prezzo dei beni comprati; ed attesi altresì i frutti percipiti dai detentori nel tempo della loro occupazione, tenendo quindi a calcolo queste riflessioni* - constituit - *di accordare ai medesimi la quarta parte del valore impiegato nei primi acquisti dei beni anzidetti* - Verba autem hæc Pontificii Edicti, ac ejus spiritus amice concurrunt ad evincendum quod, nedum soluti pro bonis pretii *quadrans*, sed etiam fructus, ab eis percepti, essent illorum primis acquisitoribus addicendi. Verba quippe: quia Pontifex loquutus fuit = *degli acquirenti* = et = *del valore impiegato nei primi acquisti* = Quin rem mutet usum eum fuisse etiam verbo = *detentori* = nam, cum in jure bonorum detentor, non dominus sit, qui ullo absque titulo ea retinet, Nationalium bonorum primi acquirentes, et emptores irrito, usque ab initio; acquisitionum titulo per illud Edictum facto; detentores merito appellati fuerunt.

Idem etiam sibi vult Legis spiritus, 3
et mens; quia, cum *quadrantis* pretii restitutio, et perceptorum fructuum retentio indulta a Pontifice fuerit, habito respectu ad originariæ acquisitionis modos, etc. *al valore impiegato nei primi acquisti dei beni* = præ oculis Supremus Princeps habere baud potuit, nisi primos bonorum Acquirentes, qui passi fuerunt = *la perdita dei loro effetti nell'atto dell'acquisto* =; qui aliquod sensere lucrum = *dai modi dei pagamenti dei prezzi* = qui demum pretium rependerunt = *nei primi acquisti* = numquam vero eos, qui ab illis bona emissent, cum eis bæc omnia convenire haud possent, tam, si solutionum modi in bisce subsequentibus emptionis venditionis, aut aliis similibus contractibus, tam si soluta pretia spectentur; multum enim discriminis intercedere poterat inter originariorum, et subsequutivorum contractuum conditiones. Animadvertendum præterea est, quod. si percepti fructus ex ea Edictali Lege non primis acquisitoribus, seu detentoribus bonorum essent addicendi, tribuendus etiam eis fuisset soluti pretii, sive valoris bonorum quadrans, quia tam eos fructus, tam hanc pretii partem, bonorum acquisitoribus Lex una oratione; et ex una eademque causa = *all'oggetto di rendere meno sensibile la perdita dei loro effetti nell' Atto dell' Acquisto dei fondi sudetti* = attribuit. Indubium vero esset neminem, e secundis emptoribus bonorum Nationalium. *quadrantis* soluti pretii restitutionem obtinuisse, exceptis forsan iis, qui per pretii solutionem, erga primos emptores expletam, in horum locum prorsus suffecti fuissent; qui casus a nostro themate omnino alienus est, quia Corradius emptionem cum Societate contractam irritam usque ab initio declarari, ac sese a pretii solutione liberari, non semel, sed pluries judicio obtinuisset.

4 Hisce, quæ luculentissime demonstrant omni jure caruisse Crescentium Corradium sibi addicendi fructus prædiorum, quæ nulliter a Valaderio Sociisve emerat, horumque jus ad illorum restitutionem obtinendam apertissimum faciunt, plura quidem, ut hanc restitutionem effugiant, obiiciunt Crescentini filii, et heredes. At ea omnia Patres prorsus sprevere. Inane primum censuerunt Corradiorum confugium ad pluries recensitam Legem diei 24 Octobris 1801, ex qua ipsi desumere conantur fructus a prædiis perceptos Gallica permanente occupatione, ipsorum patri, uti eorum possessori fuisse tributos; eos vero perceptos post Gallos expulsos usque ad diem restitutionis bonorum antiquis dominis, ad Societatem spectare non potuisse, quia de iis Rev. Cameræ Apostolicæ sive ejus Rm̃o Thesaurario ratio erat reddenda, ita ut Rev. Cameræ tantum illorum repetendorum jussit. Et sane, quoad primam objecti partem, superius jam fuit satis abunde demonstratum fructus, per tempus Gallicæ occupationis perceptos e bonis Nationalibus, primis acquisitoribus eorum, una cum pretii quadrante fuisse prædicta Edictali Lege tributos; Quare super hoc non amplius est immorandum.

5 Quo vero ad fructus ex illis bonis haustos, a Gallorum expulsione usque ad illorum restitutionem antiquis legitimis dominis, Patres optime animadverterunt non Societatem jus tertii, nempe Rev. Cameræ Apostolicæ proponere ad eos a Corradiis condicendos; sed immo hoc *jure tertii* ipsos abuti ad eos indebite retinendos. Præterea, perpenso ac intimius scrutato prædictæ Legis tenore, compertum eis fuit jus ad prædictos fructus, perceptos post cessatam Gallicam occupationem a Rev. Cam. Apostolica in Societatem fuisse translatum, ob peractam cum eis de hisce fructibus supputationem. Et re quidem vera, dum ea Lege constitutum fuit, quod bonorum acquisitores de iis fructibus rationes exponere deberent; Edicto alio R. P. D. Thesaurarii declaratum fuit = *che, sollecitandosi l'esecuzione di tal rendimento di Conti, si renderà più sollecito in sequela della correlativa liquidazione il conseguimento del quarto accordato* =. Patet hinc quadrantem pretii Nationalium bonorum acquisitores assequi nunquam potuisse nisi expositis de iis perceptis fructibus rationibus, et eorum expleta liquidatione. At Societas pretii quadrantem obtinuit; ergo de fructibus iis rationem antea reddidit, et ejus debitum exinde manans liquidatum fuit, atque persolutum, sive cum illius quadrantis respectiva parte compensatum, itaut ii fructus ejusdem Societatis proprii facti fuerint, ex quo eos repetere posset, si indebite ab aliis percepti fuissent.

6 Nec majoris ponderis visum fuit alterum Corradiorum objectum, quod nempe Societati fructuum repetitio, a Crescentino, fuerit præpedita ex promissa boic evictione in actu venditionis bonorum. Hanc enim evictionem promisit quidem Societas, sed tantum de facto proprio; quia vendidit = *senza peraltro la menoma garanzia, e per un sacco di ossa* =, et cum explicita declaratione = *non dovrà esser tenuta ad altro che alla sola evizzione pel fatto proprio* =. At bonorum evictio evenit ex facto Principis, non ex facto Societatis; hinc itaque uti hæc nulla adstringi potuit obligatione præstandi Corradio evictionem quoad vendita bona, ita adstringi nequibat ad ejus præstationem quoad bonorum fructus. Exulat, ergo notissimum axioma = *quem de evictione tenet actio eumdem agentem repellit exceptio*. Nec melius proponebant Corradii, injuria repetita Societate perceptos a Crescentino fructus, quis jam ipsa a Republica Gallica indemnitatem, ob amissionem bonorum assequuta fuerat. Quidquid enim sit de hac indemnitate, nam si Societas aliquam pecuniæ vim ab ea Republica obtinuit, hanc habuit in causam tantum satisfactionis mercedis ei adhuc debitæ pro = *incassaggio, imballaggio, e trasporto di oggetti di arte da Roma a Parigi* =, sat fuit Patribus, ad hoc objectum respuendum, animadvertere, quod proposita exceptio est *de jure tertii*, ideoque prorsus rejicienda, sicuti pluribus adductis respondit supe-

rior *Decisio* § 9. Atque id adeo verum est, ut baud obstante asserta ea recepta indemnitate, bonorum omnium, quæ in solutum Societas a Gallica Republica habuerat, in partem mercedis operum, et expensarum pro = *incassaggio imballagio ec.* =, pretii quadrantem obtinuit, et ideo pariter assequi debet fructus, qui una cum eo quadrante ex Pontificis indulgentia bonorum amissionem quodammodo pensare debebant.

7 Quæ duo demum ulterius Corradii obiiciebant; nempe Societatem frustra fructus prædictos ab eis repetere, *vel* quia de eorum per Crescentinum perceptione nulla affertur specifica probatio, *vel* quia hi compensandi essent cum scutis 5000 in pretii emptorum bonorum partem a Crescentino uti asseritur, solutis, brevi ac peremptorio responso Patres rejecerunt. Posita nempe, ac probata in Crescentino bonorum possessionę, nullam oriri posse quæstionem quoad fructus perceptionem *in genere*; quo vero ad eorum quantitatem *in specie* provisum jam satis fuisse decreta eorum restitutione *pro summa* liquidanda; quo demum ad prætensam compensationem, non hic agi de debito, et credito hinc inde inter partes dispungendo, sed tantum de constituenda Corradiorum obligatione restituendi fructus, quam excludere nequit propositum illud scut. 5000 creditum; cæterum Corradiis integrum semper esse jus pro hoc credito agendi, atque hoc etiam opponendi eorum debito ex fructibus prædiorum liquidationis ope, in vera quantitate constituendo.

Et ita, habita in reliquis relatione ad præcedentem Decisionem, resolutum fuit, omnibus Dominis, me haud excepto, suffragia ferentibus; Utraque etc.

ROMANA SEU URBINATEN

SUPER RESTITUTIONE FRUCTUUM

Veneris 7 Decembris 1821.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur « DECISIONES LI et LIII ».

SUMMARIUM

1. *Ex lege Edictali diei* 24 Octobris 1801, *nulla atque irrita usque ab initio, declarata fuit quaevis bonorum nationalium alienatio.*
2. *Ex qua lege pariter constitutum fuit, prioribus nationalium bonorum acquirentibus comodi debere soluti pretii quadrantem, atque una simul fructus ab iis bonis percepti.*
3. *Bonorum fructus, ex praedicta lege, spectant dumtaxat ad illos. qui ex restitutione prioribus legitimis dominis, damnum senserunt.*
4. *Nationalium bonorum primi Acquisitores, quadrantem persoluti pretii assequi non poterant, nisi post redditam rationem de fructibus, eorumque supputationem expletam.*
5. *Qui evictionem promisit* per il solo fatto proprio *evictionem praestare non tenetur, si damnum contigerit ex facto Principis.*
6. *Fructus bonorum nationalium, supputari debent a die contractus, ad diem in qua hae bona ad priores legitimos dominos reversa fuere.*

DECISIO LIV.

Binis jam Sacri Nostri Ordinis Decisionibus, altera diei 5 Februarii, altera diei 18 Junii hujusce labentis Anni, ab Universa Aula, tunc me quoque suffragante; emissis, ac a me vulgatis constitutum fuerat, fructus prædiorum = di *S. Marco di Fano*, e *S. Maria del Filetto*, di *S. Anastasia di Scapezzano*, e *S. Maria di Bodio*, e di *S. Petrignano di Sassoferrato* = in Piceno existentium, quæ ad Commendas S. Ordinis Hyerosolimitani pertinentia, ac utiliter, ei injuste a Gallica Republica Societati, nuncupatæ = *dei trasporti dei monumenti di Arti, e scienze* =, in solutum, mercedis homine, data, dein Anno 1798 per emptionis venditionis contractum, in Crescentinum Corradium Urbinatem translata fuere, uti fuse narrat mea prior Decisio, a Crescentini filiis, et hæredibus prædictæ Societati fuisse restituendos, pro tempore possessionis ab eodem Crescentino detentæ in summa liquidanda Non tamen fasces Corradii submiserunt, sed novæ Audientiæ beneficium implorarunt, atque obtinuerunt. Quapropter rursus hodie Universæ Aulæ

Dubium proposui = *An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu etc.* cui, judicii aleam Corradiis refugientibus, Responsum prodiit = *In Decisis* =.

1 Nec in aliam profecto Sententiam P. P. ivissent, etiamsi iterum sua jura Corradii deduxissent adversus inconcussa Decisionum, quæ confirmantur fundamenta. Emit onim Crescentinus Corradius qnædam e bonis, nuncupatis = *Nazionali* =, quæ Galli Valaderio Sociisve in solutum dederant. At nihil Corradium emisse manifestissimum est. Etenim = *Sua Santità* =, ceu patet ex Lege Edictali die 24 Octobris Anni 1801 a S. Principe lata = *intimamente persuasa su le basi più solide del dritto publico Ecclesiastico, e profano, che niun dritto di ricupera, o di ritensione competa a quelli, i quali nell'epoca delle notorie passate vicende acquistarono i fondi pnblici, conosciuti sotto il nome di Beni Nazionali, ha conservata sempre inalterabile la massima di non potere ammettere ai medesimi l'esercizio di alcun dritto fondiario sopra i medesimi beni, come contrario alle regole della ragion pubblica, e della privata giustizia* = Lex ergo dicta fuit ut nulla atque irrita habenda esset usque ab iuitio quævis illorum bonorum alienatio, et juxta hujus Legis præscriptum institit, et obtinuit Corradius ut emptiouis Contractus ab eo initus uullus omnino usque ab initio renunciaretur, et ipse ab obligatioue solvendi Societati illorum pretium immunis declararetur, testibus innumeris S. Nostri Ordinis Decisionibus, quarum nonuullas recenset prior Decisio § 7.

2 Si itaque ex Summi Priucipis Lege si, iustante ipsomet Corradio, nullus irritusve declaratus fuit prædictus emptionis venditionis Coutractus, et si quod nullum est nullum giguere potest effectum, sua sponte consequitur nil inter Corradinm, et Societatem per eam emptionem veuditiouem fuisse actum, atque ideo Corradium quovis titulo fuisse destitutum percipieudi fructus e bonis nulliter acquisitis, eosve esse ab ejus filiis, et hæredibus restituendos, ut recte statuit prior *Decisio* § 6, et posterior § 2. Quod vero bi fructus Societati restituendi sint in dubium revocari nequit. Id namque ei tribuit superius citata Edictalis Lex diei 24 Octobris Anni 1801; qua Supremus Priuceps, postquam imperavit nstionalia bona, per Occupatores Gallos distracta, legitimis Domiuis fuisse ab Acquisitoribus restituenda, uti justitia exigebat, tamen = *a porre in opera verso i sudetti Acquirenti la maggiore agevolezza, all' oggetto di rendere con una parziale indennizzazione meno sensibile la perdita dei loro effetti, sofferta nell'atto dell'acquisto dei fondi sudetti attesi i modi con cui sono seguiti per la maggior parte i pagamenti del prezzo dei beni comprati, ed attesi i frutti percepiti dai detentori nel tempo della loro occupazione, tenendo a calcolo queste riflessioni* = concessit = *ai medesimi la quarta parte del valore impiegato nei primi acquisti dei beni anzidetti* =. E quibus verbis Legis, ejusque spiritu apertissimus est prioribus natioualium bonorum acquirentibus concessum fuisse soluti pretii *quadrantem*, atque uua simul relictos fructus ab iis bonis perceptos, ut ita partim pensaretur damnum eis obveniens e bonorum restitutione, uti firmant præcedentes Decisiones prima § 8 altera § 3 4.

Perperam vero Corradii ad fructum restitutionem vitaudam eosque sibi addiceudos, proponebant Legem usam fuisse verbis = *frutti percepiti dai detentori* = atque exinde arguebant ex Legis sanctione jus ad fructus a bonis perceptos acquisivisse eorum patrem, secundum bonorum emptorem, qui ea retiuuit, non vero Valaderium Sociosque, qui ea acquisierant, ac statim vendiderant. Siquidem cum, qui nullo possidet titulo, non uti Dominus, sed uti detentor habendus sit, idcirco ad alienationum nullitatem magis explicaudam verbo illo = *detentori* = Legem fuisse usam dicendum est. Et sane, si ex iis Legis verbis intelligendum fuisset fructus a bonis perceptos non primis Acquisitoribus, sed quibus- 3

cumque posterioribus detentoribus fuisse addicendos, tribuendus his fuisset etiam soluti in bonorum acquisitione pretii *quadrans*, nam utrumque Lex una eademque oratione, et ex una eademque caussa pensandi nempe = *la perdita dei loro effetti nell' acquisto dei fondi suddetti* = bonorum acquisitoribus attribuit; quod absurdissimum esse et numquam fuisse factum demonstrat posterior Decisio § 4. Stet igitur bonorum fructus ad Societatem ex prædicta Lege spectasse, quia ipsa damnum ex bonorum restitutione prioribus legitimis Dominis sensit, numquam vero Corradio secundo Emptori, sive ejus filiis, et hæredibus, qui, cum ab eorum pretii solutione erga Societatem liberati fuerint, nullam tulerunt ex eorum restitutione jacturam.

4 Nec melius Corradii ad distinctionem confugiebant inter fructus a bonis perceptos, Gallica occupatione manente, eosque, quos Crescentinus percepit, post Gallos expulsos, asserentes horum condicendorum, non ad Societatem, sed ad Reverendam Cameram Apostolicam jus spectare, ita ut de iis Reverendissimo P. D. Thesaurario ratio sit ab ipsis reddenda. Primum enim uti PP. in præcedenti propositione Caussæ agnoverunt, Corradii, id proponentes, abutuntur *jure tertii* ad eos fructus injuria retinendos. Dein compertissimum fuit quodcumque jus super iis fructubus perceptis a Corradio, post Gallicam occupationem cessatam, a Reverenda Camera Apostolica in Societatem fuisse translatum ob peractam cum ea de hisce fructubus supputationem. Etenim, si præscriptum fuerat quod bonorum acquisitores da iis fructubus rationem reddere deberent, fuit per Edictum Reverendissimi P. D. Thesaurarii declaratum = *che, sollecitandosi l' esecuzione di tal rendimento di Conti, si renderà più sollecito in sequela della correlativa liquidazione il conseguimento del quarto accordato* =. Assequi igitur non poterant Nationalium bonorum acquisitores quadrantem persoluti eorum pretii, nisi post redditam de illis fructubus rationem, eorumque supputationem expletam. Hinc, cum Societas pretii quadrantem consequuta fuerit, concludendum per necesse est, quod de illis fructubus rationem reddiderit, atque, vel eos Rev. Cam. in numerata pecunia repræsentaverit, vel cum quadrantis pretii respondenti rata pensaverit, ita ut ejus proprii facti fuerint, eosque repetera posset, si indebite ab aliis fuissent percepti, uti reapse eos Corradius perceperat, sicuti ponderat posterior Decisio § 6.

Frustra etiam ad Instrumentum contractus emptionis venditionis inter Crescentinum, et Societatem initæ confugiebant Corradii, atque ex evictione a Societata promissa desumere conabatur, quod, si ipsa ex evictionis promissiona adstringebatur ad præstandumCorradio bonorum dominium, eo fortius exinde insuperabilis ortus fuit obex repetitioni fructuum, quos Corradius e bonis percepit, quia ipsi horum perceptio erat cum bonorum dominio a Societate Venditrice præstanda. Primum siquidem inaniter prorsus tabulas ipsi proferunt contractus, quem Sacratissimus Princeps nullum irritumque usque ab initio declaravit, cujusve nullitas ipsomet Crescentino, ejusve filiis instantibus, per Sac. Nostri Ordinis Remjudicatam fuit constituta. Dein Societas bona vendidit = *senza la menoma garanzia, e per un sacco d'ossa* = ita ut = *non dovrà esser tenuta ad altro che alla sola evizione pel fatto proprio* = quare, cum nulla contigerit evictio ex Societatis facto, sed ex Lege Principis contractus evanuerit, abs re prorsus est evictionis præstandæ pactum, et exulat notissimum axioma = *quem de evictione tenet actio eumdem agentem repellit exceptio* uti animadvertit posterior Decisio § 7. 5

Spreverunt etiam PP. quod Corradii proponebant, injuria nempe Societatem repetere fructus a Crescentino perceptos, quia ipsa de bonorum amissione fuerat a Republica Gallica indemnis facta. Si aliquam enim pecuniæ vim ab ea Republica Societas recepit, banc habuit in implementum 6

satisfactionis mercedis ei adhuc debitæ pro = *incassaggio*, *imballaggio*, *e trasporto di oggetti di Arte da Roma a Parigi* =; præterea hæc, quavis in hypothesi, rejicienda semper esset objectio, quia esset *exceptio de jure tertii*, ut statuit prior Decisio § 9, et posterior § 7. Patet itaque ex hisce omnibus perceptorum a Crescentino fructuum restitutionem Valaderio, Sociisve, Corradios illius filios, et hæredes effugere *in genere* haud posse, eosque supputandos esse a die initi contractus emptionis venditionis bonorum ad diem in qua hæc bona ad priores legitimos Dominos ex Lege diei 24 Octobris 1801 reversa fuere. Quo autem ad eorum quantitatem *in specie* hæc erit liquidationis ope constituenda. Demum a præsenti themate prorsus aliena est quæstio de asserto Corradiorum credito adversus Societatem ob bonorum pretii ei a Crescentino solutam partem, de qua eis integrum semper erit in congruo judicio sua jura deducere.

Et ita Omnibus suffragantibus Dominis, habita in reliquis relatione ad præcedentes Decisiones, resolutum fuit Altera etc.

ROMANA SEU URBINATEN

PECUNIARIA

Veneris 7 *Decembris* 1821.

ARGUMENTUM

Habes in superiori quae confirmatur - DECISIO LII -

SUMMARIUM

1. *Statim ac per legem Edictalem diei* 24 *Octobris* 1801, *nulli fuerunt declarati omnes contractus expleti quoad bona nationalia, irrita etiam evasit qualibet obbligatio ad bonorum pretium solvendum.*
2. *Fructus percepti a tertiis possessoribus bonorum nationalium, sunt restituendi, indemnitatis nomine, primis acquisitoribus.*

DECISIO LV.

Quovis adversus Crescentinum Corradinium Urbinatem, sive ejus filios, et hæredes, credito destitutum fuisse Valaderium ejusque Socios, quod ipsi sibi asserebant e Nationalibus bonis, pretio scutorum 43906, et obul. 25 ei venditis, die 10 Octobris 1798, atque ex SSmi Principis Lege diei 24 Octobris anni 1801 ad priorem legitimum Dominum, Sacrum nempe Ordinem Hyerosolimitanum reversis, statuit S. N. Ordinis Decisio diei 13 Februarii anni 1818 coram R. P. D. Odescalchi, et a pretii illorum bonorum solutione fuerunt Corradii immunes declarati, nam Dubio = *An, et in qua summa constet de Credito ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* =, quamvis die 5 Maii anni 1817 propitium Societati prodisset Responsum, tamen postea prædicta die 13 Februarii anni 1818 Patres *a decisis* recessere, et huic definitioni Rotalis accessit Sententia.

Tum Societas e re sua duxit a Signaturæ Tribunali postulare, ut sibi fas esset coram S. Nostro Tribunali judicium instituere super restitutione fructuum, quos Corradius ex illis bonis perceperat, et Rescriptum votis consonum obtinuit. Ne vero alicujus obicis ei esset superius recensita Sententia, quæ omne ejus creditum in genere excludebat, ab hac provocavit. Die itaque 5 Februarii hujusce anni 1821 proposita fuit utraque Caussa tam super restitutione fructuum, tam super illius Sententiæ viribus et probata Societatis postulatione quoad fructuum restitutionem, dubio quoad Sententiam = *An Sententia Rotalis sit confirmanda, vel infirmanda in casu etc.* = datum fuit Responsum = *Sententiam Rotalem esse confirmandam juxta modum in Decisione exprimendum* = nempe iterum exclusum fuit Sociorum creditum e bonorum pretio, probatum vero quoad horum fructus a Corradiis restituendos, ut monstrat mea illius diei Decisio. Rursus in hodiernis Comitiis una simul Caussæ, propositæ fuerunt, et firmum quoad utramque S. Ordinis stetit jam prola-

tum judicium, cum Universa Aula a me interrogata *tam* quoad quæstionem de fructibus, ad quam spectat contemporanea Decisio, *tam* quoad creditum in genere = *An sit standum, vel recedendum a Decisis* = Corradiis vadimonium deserentibus, responderit = *In Decisis*.

1 Nationalium quippe bonorum acquisitionibus irritis usque ab initio declaratis per Edictalem Legem SSmi Principis diei 24 Octobris 1801 iisque ad antiquos legitimos Dominos reversis, quodlibet evanuit Societatis jus obtinendi a Corradio pretium bonorum ad S. Hyerosolimitanum Ordinem spectantium, quæ huic Corradius restituere debuerat. Nullum itaque creditum Societas, hujus pretii nomine, de quo Corradio fidem habuit, adversus ejus filios, et heredes proponere jure potest, irrito namque facto contractu emptionis venditionis, irrita etiam evasit quælibet Corradii obligatio ad bonorum pretium solvendum.

2 At, sicuti ex contractus nullitate usque ab initio constituta, irritæ factæ fuerunt Corradii obligationes ex eo contractu susceptæ, ita nullo jure ipsum bona usque ab initio possedisse consequitur, ac ideo nec bonorum fructus sibi addicere ipsum potuisse, quosve percepit ab ipsius heredibus esse restituendos ex una eadem ratione, qua hi a pretii solutione fuerunt absoluti, nempe ex Contractus originaria nullitate, quia quod nullum est nullum unquam parere potest firmum effectum. Hos vero fructus, cum ad Valaderium Sociosvo spectare indemnitatis nomine, eisque esse restituendos demonstret contemporanea *super Restitutione fructuum* Decisio, perspicuum est quoad hos fructus de Societatis Credito adversus Corradios constare.

Et ita ab Universa Aula definitum fuit Unica etc.

ROMANA SEU TYBURTINA

PECUNIARIA

Veneris 23 *Martii* 1821.

ARGUMENTUM

Qui purgationis morae beneficio jurejurando valedixit, nequit amplius hoc beneficium implorare. Interpellatione hominis opus est in pactis mere paenalibus, minime vero in pactis conditionalibus, in quibus die interpellat pro homine, et quaevis extrajudicialis interpellatio sufficit.

SUMMARIUM

1. *Nihil naturali aequitati magis congruit, quam pacta, mutuo contrahentium placito convento, religiose servare.*
   Ubi inducias debitori fuerint indultae, sub expressa conditione, quod si ipse deficeret in rependendis binis ratis, capitis restitutioni fieret locus, ob pacti inademplementum, statim ac intercessit mora, stipulatio commissa dicitur – ibidem. –
2. *Ubi debitor in Instrumento jurejurando vallata purgationis moras beneficia valedixit, frustra hoc beneficium implorat.*
3. *Nulla opus est hominis interpellatione, cum lex, vel dies pro homine interpellat.*
4. *Interpellatio hominis, quae in pactis paenalibus requiritur ad poenam infligendam, haud prorsus requiritur in pactis conditionalibus in quibus dies pro homine interpellat.*
5. *Ad inducendam moram, quae ex inademplemento conditionis provenit sat est quaevis extrajudicialis interpellatio.*
6. *Creditor qui aliquam pecuniae vim recepit post editam Sententiam, sarctum, tectumque sibi jus reservans pro reliquo credito, nullam innovationem ipsi Sententiae affert.*

DECISIO LVI.

Feracissimos Agros in Territorio Tyburtino jacentes, quibus Galli occupatores Pontificiæ Ditionis, spoliaverant Venerabile Monasterium Divi Gregorii, empturi, Comes, Septimius Bischi, et Aloysius Severi, cum necessaria indigerent pecunia, fænebrem hanc ipsis suppoditavit, ad vim usque scutorum 4485 98 ½, Comes Antonius Brignole Sale Januensis, die 9 Mensis Martii anni 1812 sub mitissima quincunce u-

sura. Capitis restitutio conventa fuit intra *octennium*, ratatim etiam perficienda; usurarum vero solutio fuit promissa = *di sei in sei mesi posticipatamente* =, atque expressim cautum fuit = *che maturate due rate consecutive di frutti, e non pagate* = Debitores beneficium octennalis indultæ dilationis ad suppeditatæ pecuniæ restitutionem amitterent = *e sia, e resti in libertà di detto Signor Conte Brignole di domandare l'intiero suo Capitale unitamente ai frutti.* = Ita pecunia accepta Bischius, et Severios optatum emptionis contractum perficere potuerunt. Quæ vero *quincunces* usuræ quoquo modo depactæ Gallorom Legibus vigentibus, exigi jure poterant, restituto deinceps legitimo Sanctissimi Principis Imperio, suffultæ a Brignolo fuerunt Castrensibus requisitis, rite Debitoribus denunciatis, et judiciali Auctoritate probatis ad rationem *bessem*.

Promissam statis temporibus fructum solutionem, fere usque ab initio debitores neglexerunt, ita ut Creditor, ad eas obtinendas Tribunalia adire, et ad sequestra, et oppignorationes confugere coactus semper fuerit; benigne tamen cum iis agens, numquam suo jure, juxta conventionem, usus fuit, petendi, nempe ob eorum moram in solutione unius, alteriusve ratæ fructuum = *l'intiero suo Capitale unitamente ai frutti* =, ante diem illius restitutioni præstitutam. Interim vero, cum Severio placuisset a societate acquisitionis bonorum cum Bischio recedere, atque una simul ab obligatione pro fœnebri a Brignolio recepta pecunia liberari, non abnuit Brignolius, et ideo, die 16 Julii anni 1818., publicæ exaratæ fuerunt Tabulæ inter Bischium, Severium, et Marium Gramiccia, Brignolii Procuratorem, qoibus Severius omne suum Bischio cessit jos super prædictis acquisitis bonis, pro summa scutorum 357 50 = *a pareggio di qualunque interesse trà di essi passato* = quæ prædicto Mario Gramiccia solvenda essent, intra illius Mensis terminum; et dein Severius liberatus fuit = *da qualunque obligazione* = erga Brignolium suscepta, et Bischius a Brignolio agnitus fuit = *solo suo Debitore, e pagatore tanto della Sorte, e dei frutti* =.

Cum vero restitutioni sortis terminus constitutus, exitus nempe anni 1820 jam adventaret, et Bischius ulteriores quæreret inducias, facile ei fuit ob indulgentiam Creditoris obtinere = *Che detta sorte principale venga dal suddetto Signor Bischi estinta in rate alla ragione di scudi 500 all'anno, fino all' intiera sodisfazione*, = cum ipsius obligatione solvendi = *la prima rata nel mese di Decembre del corrente anno 1818., e così di anno in anno nella citata epoca fino alla totale estinzione* = cautum tamen sibi voluit Creditor, quod, si debitor detrectasset = *il pagamento di due rate consecutive, sia in libertà di detto Signor Conte Brignole di domandare il pagamento dell'intiera residual sorte, senza alcun benefizio di purgazione di mora, al quale detto Signor Bischi espressamente mediante il suo giuramento rinunzia* = atque adjectum expressim fuit, conventum id fuisse = *per patto, e non mai per pena, giacchè senza una tal condizione detto Signor Gramiccia nel nome suddetto, non sarebbe mai condisceso ad accordare la detta dilazione* = In hisce vero tantum novato superiori contractu anni 1812., quoad reliqua pacta in hoc contractu contenta constitutum fuit, quod = *non s'intenda mai derogato, nè fatta alcuna innovazione* = Quare indubium est ex duplici pacto jus Brignolio tributum fuisse repetendi a Bischio integrum suppeditatæ pecuniæ caput, si hic in conventis explendis solutionibus moram fecisset, nempe quoad binas fructuum Ratas, juxta primum contractum, subsequenti confirmatum, et quoad binas ratas Capitis, juxta contractum anni 1818.

Hinc itaque, cum Bischius, nec fructuum solutionem, nec conventarum ratarum sortis impleret, ita ut, ineunte anno 1820, præter fructus, haud solutæ fuissent binæ sortis ratæ, quæ numerandæ erant Mense Decembris anni 1818., eodemque Mense anni 1819 Brignolius tandem die 7 Januarii 1820, jure quod ipsi competebat ex duplici

Instrumento, uti coactus fuit diem Debitori dicendo apud A. C. Collegiali Tribunal, pro assequutione sortis sibi adhuc debitæ, una cum fratribus decursis, et non solutis; atque die 19 Februarii ejusdem anni Sententiam juxta propositam instantiam, acriter, qnamvis Bischio obsistente, obtinuit. Tum Bischius aliquid tam pro fructibus, quam pro sorte solvit, quod a Brignolii Procuratore Gramiccia receptum fuit mense Martii ejusdem anni = *a forma in tutto, e per tutto del Giudicato del Tribunale Collegiale dell'A. C. in prima Istanza emanato li 19 Febraro anno corrente, al quale non s' intenda fatta alcuna innovazione* = Appellatione deinceps Bischio a Supremo Tribunali Signaturæ indulta cum clausula = *De Appellatione, non retardata solutione ratarum decurrendarum* = et Caussæ definitione ad S. Nostrum Ordinem commissa, proposui hac mane Dub. = *An sit locus restitutioni sortis Cambii, et solutioni fructuum adhuc Debitorum in casu etc.* = quod Patres absolverunt responso = *Affirmative in omnibus.*

1 Et merito quidem. Nihil enim naturali æquitati, ac Legum Sanctioni magis congruit, quam pacta, mutuo contrahentium placito conventa, religiose servare, ut passim monet rota, præsertim *in Ferentina Juris redimendi* 5 *Martii* 1794 *coram Acciajoli* § 2 *et in Bononien. Pecuniaria* 4 *Julii* 1794 § 5 *coram Priolo*. Cum itaque Instrumento anni 1812. Bischius, una cum Severio erga Brignolium, qui fænebrem eis pecuniam dedit, convenissent = *che maturate due rate consecutive dei frutti, e non pagate, s'intendino decaduti dal termine accordato.* = ab octenni scilicet dilatione ad illius pecuniæ restitutiònem conventa = *e sia, e resti in libertà di detto Signor Conte Brignole di domandare l'intiero suo Capitale* =. Cum rursus in posteriori Instrumento anni 1818, in quo nihil quoad hoc pactum novatum fuit, Bischius, qui integrum debitum in se suscepit, longioribus ei ad hoc rependendum indultis induciis, capitis restitutionem sese expleturum promiserit per ratas Scutorum *quingentum* in singulas, incipiendo ab exitu Mensis Decembris anni 1818. = *con patto espresso, e reciprocamente convenuto, che mancando al pagamento di due rate consecutive sia in libertà di detto Signor Conte Brignole di domandare il pagamento dell' intiera residual sorte* = quoniam = *senza una tal condizione* = creditor = *non avrebbe mai condisceso ad accordare tal dilazione* = et cum demum in facto constet moram a Bischio factam fuisse, tum quoad fructuum solutionem, quam quoad geminas sortis ratas, quarum solutio perficienda erat in exitu anni 1818., et anni 1809., plano hinc consequitur stipulationem fuisse commissam, ita ut jure integri capitis restitutionem, una cum decursis, et non solutis usuris Brignolius petierit, atque hanc petitionem probaverit Triumvirorum A. C. Judicium, quod confirmari meretur, sicuti in terminis constituit *Rota in Romana Pecuniaria* 26 *Junii* 1815 § 6 *coram Piccolomini*. Eoque magis, quia Bischio induciæ ad debiti solutionem fuerunt ampliatæ cum expressa conditione, quod ipse haud deficeret in rependendis binis successivis constitutis illius ratis, adjecto in casu inadimplementi pacto resolutivo, cujus ea est vis, ut conditione haud impleta, consensus ab actu removeatur, perinde ac si nunquam intercessisset, ad firmata per Rotam passim, et præsertim *in Romana resolutionis contractus* 16 *Januarii* 1815 *coram Rmo P. D. meo Serlupi Decano* § 4 *et* 12.

Inani vero prorsus labore Bischius, 2
dum vel invitus, fateri coactus fuit fructus solutos, legittime a Brignolio fuisse exactas, ob rite post Pontificium Imperium restitutum Castrensia requisita ab hoc interpellata, ideoque eos in sortem imputari haud posse, ad moram in binarum ratarum hujusce sortis explenda numeratione climinandam suadere conatur, sese in mora constitutum haud fuisse, atque idcirco integri residui capitis restitutionem injuria adversus ipsum fuisse petitam. Plura siquidem hoc objectum funditus evertunt. Primo quippe prostat in Instrumento expresse renunciatio Bischii

purgationi moræ juramenti religione vallata; cautum namque fuit ut, deficiente Debitore in solutione, præstitutis temporibus, binarum ratarum, liceret Creditori integrum reliquum petere caput = *Senza alcun beneficio di purgazione di mora, alla quale detto Signor Bischi espressamente, mediante il suo giuramento, rinuncia* = quo in themate debitorem, qui pacta implere neglexit, frustra purgationis moræ beneficium, cui vale dixit, implorare, constans in jure est uti sæpissime Rota constituit, testibus præsertim *Dec.* 114 *num.* 17 *coram Crescentio*, *et Romana Pecuniaria* 26 *Junii* 1815 § 7 *cor. Piccolomini*.

3 Præterea haud res est de Debitore, cui ignotum fuerit quid quove tempore ab, ipso fuerit solvendum, ita ut ejus obligatio esset simpliciter contracta, et ad diem in certum, incertamve conditionem alligata, quo in casu æquitas postulet, ut ipse interpellatione moneatur = *per leg. si dies* 21 *leg. si penum* 24 *ff. quando dies legati cedat, Donell. ad Leg.* 37 *de verborum obligationibus num.* 3 *Zoessu ad Pandectas lib.* 22 *Tit.* 4. *de Usuris, et Fructibus num.* 50 *ad* 52 *et Voet ad Pandectas ibid. sub. num.* 26., *et Rot. in recen. Dec.* 192 *num.* 17 *p.* 5., sed agitur de obligatione ad diem certam, determinatum tempus contracta, de solutionibus nempe singularum ratarum in exitu cujuslibet anni a Bischio conventis, usque ad integram capitis debiti restitutionem, qua in thesi, cum ipse ignorantiam allegare haud posset, nil dubium quin nulla opus esset hominis interpellatione, cum Lex, vel dies pro homine interpellarent ad apertissimum *textum in Leg. Magnam Cod. de contrahenda, et committenda stipulatione, Voet ad Pandectas lib.* 22 *tit.* 1 *de Usuris, et Fructibus num.* 26 *aris Consil.* 19 *n.* 202., *et seq. Cravett. Cons.* 195 *num.* 4 *Thesaur Controver. Foren. lib.* 1 *Cap.* 34 *num.* 11 *Rot. in recen. Dec.* 85 *num.* 17 *p.* 4 *Tom.* 2 *Dec.* 783 *num.* 9 10 *coram Cerro D.* 114 *num.* 9 *et seq. coram Crescentio*, *in Centumcellarum Pecuniaria quoad Expensas*, *et Interesse* 20 *Junii* 1791 *coram Acciajuoli* § 5 *in Romana Contractuum super Emendatione damnorum* 9 *Junii* 1816, § 4 *coram R. P. D. Meo Bussi in Romana Pecuniaria* 26 *Junii* 1815., § 6 *et seq. coram Piccolomini*, *et in Romana Pecuniaria* 10 *Maji* 1816 *coram R. P. D. Odescalch* § 15 *etc.*

Accedit etiam *in facto*, quod obligatio repræsentandi integrum residuum debitum indicta Bischio fuerit si binarum ratarum solutionem neglexisset, 4
non per *modum poenae*, sed *per expressam conditionem, et pactum resolutivum*, sine quibus Creditor, uti superius expositum fuit, inducias ei haud concessisset = *e ciò per patto, e non mai per pena, giacchè senza una tal condizione ec.* = et firmum, immotumque esse in jure, interpellationem hominis, quæ in pactis *paenalibus* requiritur ad pænam infligendam, per Rotam in *Dec.* 403 *num.* 21, *et seq. coram Olivutio*, hanc prorsus requiri in pactis *conditionalibus*, in quibus diem pro homine interpellare indubium est, siculi, casum, a casu distinguendo, constanter firmavit Rota, uti monstrant *Dec.* 218 *p*, 5 *Tom.* 1 *n.*15 *seq. et Dec.* 112 *p.* 10 *num.* 9 10 *in recen. Dec.* 114 *num.* 13 *et seq. coram Crescentio*, *et in Romana Contractus super Comparticipatione* 27 *Februarii* 1815 § 7 *coram R. P. D. Meo Bussi*. Quæ vero omnes a Bischio afferuntur Doctorum, ac Tribunalium Auctoritates nil juribus Brignolii detrahere possunt, quia a themate prorsus extraneæ sunt; nam ad Emphyteusim, ac Emphyteutam, qui pacta haud servavit, respiciunt, et interpellatione deficiente, caducitatem excludunt et moræ purgationis beneficium admittunt, cum potissimum ob caussam, quia devolutio emphyteuticorum bonorum ad dominum directum gravissima poena est a jure inducta in protervum, ac contumacem Emphyteutam; quare nil communis habent cum casu, de quo agitur, in quo resolutio indultæ dilationis conventa fuit per apertissimam conditionem, absque qua, ea numquam a Creditore fuisset concessa = *giacchè senza una tal condizione detto Signor Gramiccia nel nome sudetto non sarebbe mai condisceso ad accordare la sudetta dilazione.*

5 Demum uec Bischi constitutio in mora, in hypothesi quod hæc necessaria fuisset, profecto defuisset. Mora est quippe pactorum implementi frustatoria dilatio; eaque iuducitur si quis opportuno loco, et tempore interpellatus uon implevit, ut inquit Marcianus *Leg.* 52. *ff. de usuris, et fructibus, et Paul. sentent. lib.* 3. *tit. ult. in fin.* atque ad eam inducendam sat est, vel unica, nedum judicialis, sed etiam extrajudicialis interpellatio = *ad Text. in Leg. Tit. Sejo* 37. §. *in fin. ff. de Leg.* 2. *leg. si ex legat.* 23. *ff. de Verborum obligat. Leg. Qui decem* 72. *ff. de solut. Villembach. ad Pandectas lib.* 22. *de usuris, et fructibus numer.* 15. *et Voet. eod. lib. et tit. numer.* 24. *et* 25. Negare igitur haud potest sese in mora constitutum a Creditore Bischius fuisse, qui perpetuo ab eo judicio pro fructibus lacessitus, itemque pro capitis ratis, quarum solutionis dies venerat, semper pertinaciter obstitit, sineus etiam, potius quam solveret, sua bona oppignorari, atque exequutioni subiici.

6 Hisce omnibus constitutis, et in aperto posito Brignoli jure repetendi a Bischio residuum crediti caput, una cum fructibus uou solutis, perperam a Bischio proponitur hoc jus Brignolium amisisse, quia post latam Juridici A. C. Conventus Sententiam, qua integra capitis restitutio, ob binas hand solutas ratas, decreta fuit Briguolius ab ipso aliqnam pecuniæ vim recepit. At non exinde creditoris jus sublatum fuit. Non euim, decreta iuduciarum resolutione, et mora debitoris coustituta, poterat hic Sententiæ fucum facere alicujus summæ, quam antea numerare debebat, solutione et Creditor suum amisisset jus eo tantum in casu, quo illi, pecuniam accipiendo, nuncium misisset per *Voet. ad Pandectas lib.* 22. *tit.* 1. *de Usuris, et Fructibus num.* 30. non vero, cum expressim illud sibi sartum, tectumqpe servatum voluerit, cum acceptilationem emisisset = *a forma in tutto, e per tutto del Giudicato del Tribunal Collegiale dell' A. C., emanato li* 19. *Febraro anno corrente, al quale non s' intenda fatta alcuna innovazione.*

Et ita etc. utraque etc.

ROMANA SEU TYBURTINA CAMBII

Veneris 4 *Maii* 1821.

ARGUMENTUM

Juxta *Benedicti XIV.* Constitutionem, quae incipit - *vix pervenit* - crimen faenoris committitur in mutuo tantum. Ac lex *si ibi decem ff. de pactis* non loquitur de contractibus frugiferis, sed de sterili pecunia in minori quantitate mutuata, ut major ejusdem quantitas reddatur. Proinde ubi in cambio immodicae fuissent stipulatae accessiones, pactum ipsum vitiaretur, quin totus contractus corrueret.

SUMMARIUM

1. *Instrumentum obligations Camerali, ac jurejurando vallatum, omnem respuit moram, ac celerem exigit exequutionem.*
2. *Exceptio usurae, nisi sit in continenti probata, nequit retardare judicium executivam sed amandanda est ad suam congruam sedem.*
3. *In re odiosa, et quae alterius famam laedit, non ex conjecturis, sed ex perspicuis tantum monumentis judicium proferri debet.*

   Ad gravissimum usurae crimen excludendum, quam maximi ponderis est, qualitas accusati, accusatoris, et natura contractus - ibidem. -
4. *In Mutuo tantum, juxta* Benedicti XIV Constitutionem *quae incipit* - vix pervenit - *faenoris crimen committi potest.*

   Decennalis contractus observantia, ac juge silentium, excludunt usurae praesumptionem - ibidem. -
5. *Si ex assertione testium et notarii, constat integram summam in ipso stipulationis actu fuisse numeratam, impossibile fere est quidquam faenoris causa fuisse detractum.*
6. *Deponere non est solvere, nec fieri potest cum deposito compensatio.*

   Ab ea die depositum solutionis vice fungitur, sistitque cursum usurarum, qua primum creditori liberum esse caeperit pecunia pro suo lubitu uti - ibidem. -
7. *Usura in illicito creditoris lucro consistit, atque in eam, non quid debitor amiserit, sed quid creditor injuste acquisiverit imputandum est.*

   Damna et id quod interest metienda sunt respectu habito ad creditorem, qui pecunias tradidit, non vero ad debitorem, qui eas recepit - ibidem. -
8. *In Cambio obliquo, sive indirecto, non improbatur pactio, ut cambii debitor teneatur*

aut eamdem, quam accepit pecuniam, aut tantundem in collybisticam negociationem erogare.

9. *Iniquum esset, ut qui commodum ex deposito sentiret, damnum deinde avertere vellet.*

10. *Fructus seu accessiones etiam in antecessum licite solvuntur tum in cambiis, tum in caeteris contractibus.*

Lex - si ibi decem ff. de pactis - *non loquitur de contractibus frugiferis, sed de sterili pecunia in minori quantitate mutuata, ut major ejusdem quantitas reddatur - ibid.* -

11. *Immodicae accessiones haud immutant cambii naturam, cujus substantia residet in pecuniae traditione, et in obligatione recipientis illas in cambiis erogandis, ac trasmittendi ad Emporia.*

Si in Cambio immodicae stipulatae fuerint accessiones, pactum ipsum vitiatur, quin totus corruat contractus - ibidem. -

12. *Aliud est inquirere de contractu turpi faenore inquinato, aliud inquirere de justa accessionum quantitate in legitimo probatoque contractu.*

Arbitrio Judicis usurarum moda ex more regionis, ubi contractum est, constituitur - ibidem. -

13. *Consuetudo de anno* 1807 *invaluerat in universa ecclesiastica ditione, ut cambia, census, aliique frugiferi contractus dextantibus, ac etiam majoribbs stipulatis accessionibus inirentur.*

14. *Ad accessionum consuetudinem statuendam, plurimum conferunt publicae rerum vicissitudines, quae pecuniam e medio commercii tollunt.*

15. *Credi non debet debitori pro se, et contra creditorem testandi.*

DECISIO LVII.

Publicis exaratis tabulis cambiale nomen, ad scuta usque *bismille*, sub die 5 Maii Anni 1807, juxta legum præscripta, erga honestissimum Advocatum Antonium Carosotti contraxit Antonius Petrucci; cui Tybur patria est. In ipso stipulationis actu integram eam pecuniæ vim Petruccius accepit = *in tante monete d'oro, ed argento costituenti tal somma* = Instrumento teste: cambio biennii terminus fuit præfinitus: pro Cambialibus lucris *dextantes* accessiones, baud quidem immodicæ, uti omnibus notum est juxta illius temporis circumstantias, et consuetudinem constitutæ fuere = *da pagarsi di semestre in semestre posticipatamente, ed in fine di ogni semestre* = et quoniam Petrucci res familiaris admodum erat implexa, ita ut ipse ad creditoris securitatem bona tantum obligare posset fidcicommissis obnoxia, quæ hypothecæ nexui mancipandi potestatem ipsi fecerat Pontificium Chyrographum anni 1805 hinc, ut cautius Carasottii indemnitati prospectum foret, quoad capitis restitutionem conventum fuit a Petruccio præstandam esse *entro il termine di un'anno da oggi decorrendo una sicurtà per sicurezza del Capitale del presente Cambio, altrimenti sia ipso facto il presente cambio repetibile* = quo vero ad fructus = *per maggior sicurezza e facilità della riscossione dei frutti* = tradita a Petruccio Carosotti fuit Cedula depositi, pridie ad vim scutorum *quatuor centum* apud Argentarium Xaverium Schultheis confecti, ipsique dati fuerunt = *Quattro ordini tratti dal detto Sig. Petrucci di scudi cento l'uno per il pagamento di detti frutti da pagarsi alle respettive scadenze dei semestri dal detto Banchiere in virtù di detti ordini tratti* =.

Datam post hæc; elapso a die initi Cambii anno, exhibendi fidejussionem fidem baud liberavit Petruccius, nec tamen ei Carosottius molestus fuit, et Cambium progredi sivit; quin imo, et binos pro accessionibus ordines ab ipso exigi permisit, ad summa cum liberalitate ipsius necessitatibus subvenit, pluries ipsi ad simplex mutuum pecunias suppetitando; atque adeo ipsi semper re, et Consilio in omnibus negociis præsto fuit, ut ipse in Epistola ei scripta fateri debuerit = *dopo Iddio, e la ragione, tutta la mia speranza consiste nella di lei persona* =: At hæc beneficia summa ingratitudine rependit. Etenim, ex Carosottii indulgentia, cambio progrediente, nedum fructuum solutionem detrectavit, ita ut tandem Carosottius, patientia rupta, judicio adversus eum agere anno 1817 coactus fuerit; sed etiam, cum ille apud A. C. Juridicos instituisset pro assequutione scutorum 800 in caussam residui capitis Cambii, majorem enim illius partem, ad scuta

nempe 1200, cesserat, ante Honuphrio Pescetellio, et scutor. 240, nomine fructuum; qui erant docursi, nec tamen soluti, opponere haud dubitavit usurariam pravitatem cambii, quod rite initum, costanti etiam plurium annorum observantia, jugique silentio confirmaverat; causans assertam prioris biennii anticipatam usurarum solutionem, atque barum excessum, ac exinde deducere studens, per indebitarum ac cessionum imputationem, in capitis extinctionem perficiendam, omne suum evanuisso debitum. Sed in irritum bi cessere conatus; nam Judicum prædictorum Decreto damnatus ipse erga Carosottium fuit ad scuta solvenda 1040, exeqnutivo etiam huic contra ipsum mandato tributo. Provocante dein ab hoc Decreto debitore, Caussa ad Sac. Ordinem conscendit, et semel iterumque anceps bæsit Patrum judicium. Hodie vero, ampliatis ad Universam Aulam suffragiis, proposito a me, R. P. D. Odescalchi suffecto, originario Dubio = *An Mandatum A. C. sit exequendum in casu etc.*, informante tantum Carosottio, responsum prodiit = *Affirmative* =.

1 Responsum profecto justitiæ undique consonum. Accepisse siquidem Petruccium a Carosottio vim scutorum *bismillium*, legitimi cambii nomine, *dextantibus* conventis accessionibus de semestri in semestre posticipate solvendis, ac eam pecuniæ quantitatem sese ipsum redditurum promisisse intra biennii lapsum a stipulatione contractus, a die nempe 5 Maii anni 1807, publicæ, riteque exaratæ testantur tabulæ, et constat bujus cambialis pecuniæ partem ad scuta usque 1200, Carosottium cessisse Honuphrio Pescetellio, ita ut ipsi debita remanserit scuta 800. Cum itaque non unus, et alter, sed jam plusquam *duodecim* elapsi ab ea die sint anni, nec Petruccius in controversiam adducat sese hanc cambialis pecuniæ partem in scutis 800. Carosottio baud reddidisse, uti etiam baud solvisse *trium* annorum usuras, quas Carosottius postulat, quæ summam conficiunt scutorum 240, in aperto est Petrucci erga Carosottium debitum; ex eo reliquo capite, et accessionibus conflatum, ad scuta adscendere 1040, et jure merito a Tribunali A. C. erga Carosottium adversus illum mandatum exequutivum fuisse decretum, in vim Instrumenti, obligatione Camerali, ac jurejurando vallati, quod omnem respuit moram, ac celerem exigit exequutionem per *Rot. in Montis Falisci Cambii super Capitali* 4 *Julii* 1753 §. 2 *coram Bussio, in Pontis Curvi Pecuniaria quoad sortem, et fructus Cambii* 14 *Junii* 1776 §. 3 *et* 4 *coram Mannelli, et in Confirmatoria* 21 *Februarii* 1777 §. 2 *coram Eodem.* =

Verum bujusmodi expeditissimæ Carosotti actionis effectum avertere studens Petruccius cambium fœneratitia pravitate infectum fuisse contendit, *duo* in id proponens; *primum*, usuras prioris bienni in scutis 400 fuisse in antecessum, in actu nempe stipulationis Instrumenti, solutas: *alterum* eas præter legitimum modum, ad *dextantem* scilicet rationem, fuisse conventus; atque hinc arguit per imputationem in caput crediti Carosottii usurarum, quas indebite solutas tuetur, prorsus illud fuisse sublatum. At perperam ontra solemnes tabulas, contra oblig. Cameralem, contra jurijurandi religionem exploratissimo credito in exequutivo judicio bas opponit exceptiones, quarum, vel ipsa dubietas sat est, ut hæ ad congruam amandentur judicium, quin per eas liquidissimi debiti solutionem remorari liceat, uti in præcisis terminis bujusmodi exceptionis usurariæ labis docet *Constantin. Vot. decis.* 107 *num.* 11, *et Vot.* 367 *num.* 18 *et seq. et* passim firmat Rota præsertim *dec.* 160. *num.* 1. *part.* 4 *tom.* 2 *in Recen., et in Romana Contractum Vitalitiorum* 25 *Junii* 1733 §. 11 *cor. Molino.* 2

Verum propositas exceptiones non dubias tantum esse, sed etiam firmo quovis fundamento destitutas esse facile dignoscitur. Et primo quidem tenendum est in re odiosa, quæ crimen sapit, quæve alterius famam lædit, non ex conjecturis, sed ex perspicuis tantum monumentis judicium proferri pos- 3

se; ut monet S. M. Benedictus XIV. in notissima Constitutione = *Vix pervenit* = *diei* 1 *Novembris* 1745 §. 8 *etc.* ad gravissimum usuræ crimen excludendum, quam maximi ponderis esse qualitates accusati, et accusatoris, et naturam contractus, qui usuraria labe infectus dicitur; quæ *tria* profecto in themate ad usuram eliminandam amice concurrunt. Quo enim ad accusati personam, Advocatum nempe Carosottium, ejus summa religio, et liberalitas erga egenos, et Causam Piam, ejusque animus ab illicitis abhorrens lucris luculentissimis evincitur testimoniis insignium Virorum. Ecclesiastica etiam dignitate fulgentium, quibus consonant ipsinsmet Petruccii declarationes, in Epistolis Carosottio datis emissæ, de iteratis gratuitis pecuniæ subministrationibus ab hoc receptis; præsumi vero nunquam potest hominem religiosum, liberalem, et a turpi lucro alienissimum, improbo fænori operam unquam dare potuisse, ut optime animadvertit Sacer Noster Ordo *in Eugubina Cambiorum super Reservatis* 21 *Aprilis* 1755 §. 5 *coram Elephantutio, et in Senogallien. Contractum* 26 *Junii* 1805 §. 3 *cor. Tassoni*. Accusatori autem Petruccio omnem adimit fidem manifesta ejus impudentia, et ingratitudo in Carosottium, cujus liberalitatem in pecuniis sibi gratuito suppeditandis post initum Cambium, etiam, si et verbo, et scriptis pluries declarasset, ejusque erga se beneficia adeo extulisset, ut ad eum scribere haud dubitaverit = *dopo Iddio tutta la mia speranza consiste nella sua persona, che sicuramente non mi abbandonerà* =, tamen deinceps fænore se ab eo fuisse præfocatum apud Tribunalia contendere haud erubuit, contra ineluctabilem præsumptionem, quam ad hanc prefocationem excludendam ejus beneficia, et benigna ejus erga ipsum agendi methodus præbebant; Siculi arguit *Rota in Eugubina Cambiorum super Resolutis, et Reservatis* 25 *Aprilis* 1757 §. 13 *cor. Canilliac.*

4 Improbi fænoris accusationem respuit etiam initi contractus indoles, ac natura, Cambium siquidem omnibus concurrentibus requisitis, quæ ad hujus contractus validitatem ac legitimitatem necessaria sunt, inter partes fuisse perfectum ex solemnibus tabulis perspicuum in facto est: in jure vero est exploratissimum in mutuo tantum damnatum fænus committi posse, uti docuit S. M. Benedictus XIV. in superius relata Constitutione = *Vix pervenit* = et traditum fuit a *Sacr. Penitentiaria in Voto relato post dec.* 160 *part.* 4. *Tom.* 2 *Recen. n.* 6 *et sequ.* et firmavit *Rota in Recen. Dec.* 160 *num.* 4 *Tom.* 2 *et Dec.* 260 *num.* 3. *part.* 19, *et in Faventina Manutentionis* 18 *Junii* 1794 §. 9. *coram Priolo.* Ad quæ omnia accedit etiam Petrucci plusquam decennalis contractus observantia, et juge silentium, quæ quamvis haud satis sint ad abstergendam a Contractibus usuræ labem, quæ *manifesta* sit, nequeunt enim contrahentes, quod illicitum ex jure est, licitum reddere, superabundant tamen ad excludenda assertæ usuræ argumenta *Rota coram Ansaldo dec.* 13 *num.* 12 *et in Senogallien. Contractum* 26 *Junii* 1805 §. 3. *coram Tassoni.*

Extrinseca hæc rationum momenta sat essent ad eliminandam exceptionem usurariæ pravitatis a Petruccio propositam adversus liquidissimum creditum, et expeditissimam Carosotti actionem. Re vero intrinsecus perspecta, eo magis inanis, ac omni fundamento prorsus destituta ea dignoscitur exceptio. Primum improbi fænoris Cambium pro Capite scutorum *bismillium* initum, arguit Petruccius, asserens prioris bienii usuras in antecessum, et in ipso stipulationis actu ad scuta usque *quatuorcentum* fuisse Carosottio repensas, atque ideo contendens hanc summam, uti indebite solutam, usurarum nomine, ab eo capite esse deducendam, ita ut ad scuta 1600 id sit redigendum. At a veritate prorsus alienum id esse plura demonstrant. Cambii siquidem tabulæ testantur Petruccium recepisse quantitatem = *di scudi duemila moneta Romana effettiva di argento, quali a Cambio limitato ora alla presenza sudetta il nomi-* 5

nato Signor Petrucci manualmente, ed in contanti ha, e riceve in tante monete Romane d'oro constituenti tal somma, che detto Signor Petrucci tira a se, chiamandosene contento, e sodisfatto = Rursus eædem tabulæ narrant conventum fuisse, ut Petruccius cambiales accessiones solveret = *di semestre in semestre posticipatamente, ed in fine di ogni semestre* = Tandem in iisdem scriptum est = *E per maggior sicurezza, e facilità della riscossione de' frutti del presente Cambio il sudetto Signor Petrucci ha depositato nel Banco dell' Illustrissimo Signor Saverio Scultheis la somma di scudi quattrocento ecc. avendone tratto detto Signor Petrucci quattro ordini di scudi cento l' uno per il pagamento di detti frutti da pagarsi alle respettive scadenze dei semestri da detto Signor Banchiere in virtù di detti ordini tratti* = Integra ergo scutata *bismillia* Carosottium numerasse, et Petruccium accepisse, nec quidquam nomine futurarum accessionum detractum tunc fuisse satis constat ex assertione testium, et Notarii, cui est fides habenda, *Rota post Cencium de Censibus decis.* 123 *num.* 1 *et in Recent. decis.* 160 *num.* 30 *p.* 4 *Tom.* 2.

6 Ejusdem exceptionis falsitatem ipsi ostendunt ordines pro posticipata accessionum solutione exarati. Cum enim Cambii Tabulæ diem præseferant 5 Maii anni 1807, *primi* ordinis dimissio perfici debebat a Nummularia Scultheis; nonnisi sex ab ea die elapsis mensibus, die scilicet 5 Novembris ejusdem Anni: sic etiam *secundæ* semestrali solutioni in separato ordine statuta fuit dies 5 Maii anni 1808 *tertiæ* dies 5 Novembris ejusdem anni; *quartæ* demum dies 5 Maii anni 1809, quas omnes solutiones, nonnisi, postquam statæ illæ venerant dies, peractas fuisse docent acceptilationes. Si igitur Petruccius ipse eam de pecunia a se deposita dixit legem, ne scilicet Carosottio, antequam præstitutæ venissent dies unquam tradi posset, si illa neque solvi antea potuit, neque reapse soluta fuit, calumnia profecto sapit contendere a scutatis *bismille*, quæ integra Petruccius accepit dicta die 5 Maii anni 1807, detrahenda esse argentea *quatuorcentum* in causam accessionum statis in ordinibus diebus soluta. Et sane depositum illud nunquam obiici posset, tamquam vera solutio, atque ita in caput controversi Cambii imputari, cum non unum, idemque sit deponere, ac solvere, ut vulgatum fert adagium, nec fieri possit cum deposito compensatio; ad tradita per Rotam in *Signina Pecuniaria* 30 *Januarii* 1804 § 6 *coram Resta.* Deinde in deposito quolibet inspici nunquam solet dies, qua illud fuerit peractum, sed præ oculis dumtaxat habenda est illius forma, et conditio, nec non dies, qua primum Creditori liberum esse cœperit depositam pecuniam accipere, eaque pro suo lubitu uti, quia tum depositum solutionis vice fungitur, sistitque cursum usurarum = *Rota in decis.* 557 *num.* 13 *coram Riminaldo, et in Decis.* 413 *coram Eodem* =.

7 Nec quod Petruccius deposita pecuniæ quantitate uti, illamque in trapæzyticis negotiis collocare nequiverit, aliter de causa creditoris Carosottii esset sentiendum. Hic enim non illico habuit pecuniam ab illo depositam, neque ea locupletior factus fuit. Usura in illicito creditoris lucro consistit, atque in eam, non quid debitor amiserit, sed quid creditor injuste acquisiverit imputandum est. Præterea vero Carosottio defuerunt integra scutata *bismillia*, quare, licet Petruccius ea scutata *quatuorcentum* deposuerit, quia tamen hæc soluta non fuerunt creditori in antecessum, sed suis loco, et tempore, et in causa haud quidem capitis, sed accessionum; hinc patet integræ cambii quantitates ulteriores etiam accessiones deberi. Etenim hæ vice damnorum et interesse præstantur: damna autem, et id quod interest metienda sunt respectu habito ad creditorem, qui pecunias tradit, non vero ad debitorem, qui eas recepit, ceu ponderat, *Rota in Recent. decis.* 401 *num* 19 *Part.* 16 *et decis.* 1181 *num.* 14 *coram Lancetta.*

8 Quibus accedit Petruccium depositum peregisse die 4 Maii 1807, cambii vero tabulas exaratas fuisse in sequenti die qua constat integram vim scutorum bismillium Petrucium, accepisse. Si ergo, hic, postquam depositum expleverat, in egram Cambialem pecuniam accepit, falso queritur sese, causa perficiendi depositi, haud potuisse scutata *bismillia* in trapezyticam negotiationem erogare. Quamquam, vel ex contractus initi natura, in Cambii tabulis, Petruccius promisit « *di Cambiare, e ricambiare, girare, e rigirare della somma di scudi due mila*, o *suo equivalente valore* »; qua posita obligatione, cum onus sive illas, sive alias quaslibet transmittendi in emporia pecunias in se debitor suscepisset, atque ita Cambium, quod nuncupant obliquum sive indirectum contractum esset, nihil sane Carosottii intererat quomodo acceptis pecuniis Petruccius uteretur, cum haud a jure improbetur pactio, ut Cambii debitor teneatur aut camdem, quam accepit pecuniam, aut tantundem in collybisticam negociationem erogare « *Rota in Romana seu Spoletana Cambiorum* 29 *Januarii* 1768 § 5 *coram de Comitibus, et in Romana Cambii* 16 *Junii* 1777 § 13 *cor. Azedo* ».

9 Sed tantum abfuit, ut ex eo deposito vel minimum Petruccio obvenerit præjudicium, ut contra non levem ex ipso senserint utilitatem. Haud aliter profecto ipse eam pecuniæ vim sibi credi obtinuisset, quam aut exhibita trapezytæ cautione, quam vulgo nuncupant «*Cedola Bancaria*» aut alterius bene nummati hominis fidejussione, pro quibus, sive alia quacumque intercessione, jure ab eo exigere potuisset intercessor assuetum præmium scutatorum duorum pro singulis centenis, et annis, ut Statuit *Rota in Recent. decis.* 121 *num.* 5 *p.* 13 *Decis.* 161 *num.* 2 *coram Ludovisio, et in Romana seu Januen. Pecuniaria* 16 *Maii* 1806 § 8 *coram Piccolomini*. Fidejussionem vero ipse præstitit nullam, ejusque vice depositum illud pro biennio tantum peregit: post hoc temporis spatium per alios decem annos stetit initum cambium, quemadmodum pro maxima parte stat adhuc, quin Petruccius ullam cautionem exhibuerit, vel aliud, præter illud, de quo sermo est, depositum expleverit: ducto itaque calculo facile innotescit eumdem scutata circiter *sexcenta* illius depositi causa lucratum fuisse. Contra vero damnum vel maximum Carosottius sentiret, si quam Petruccius opponere solet, imputatio depositi in cambiale caput admitteretur; biennii siquidem integras amitteret accessiones, eas dein valde imminutas pro insequentibus annis perpeti deberet. Quod eo iniquius videtur, quia indubia attestatione honestissimi Viri Xaverii Sculthcis, morte ejus etiam confirmata, et ex illius Nummulariæ libris comprobatum est, ipsum Petruccium, ita concedente Carosottio, ex deposito argenteorum *quatuorcentum* sibi postea sumpsisse scutata *biscentum*. Quin rem mutet in calce binorum ordinum, quibus exhibitis eam pecuniam habere potuit Petruccius, acceptilationem a Pacifico negociorum gestore Carosottii obsignatam extare; necessarium quippe ad exactionem hujus nomen erat, et idcirco subsignati jam ordines ab eo Gestore traditi fuerunt Petruccio, qui reapse illos exegit, prout supradicti Nummulariæ libri testantur.

Sepositis deinde etiam huc usque re- 10
censitis depositi conditionibus, et forma, vel ipsa anticipata futurarum accessionum solutio, quæ tamen, ut superius fuit demonstratum in themate locum non habuit, improbatum fœnus haud secum ferret; quia a jure, sive Civili, sive Canonico, exceptis Censibus, ob specialem Constitutionem San. Mem. Pii V vetita non est; dummodo accessionum Causa sit permansura, et nonnihil ea prosit debitori. Respicit enim illa haud quidem ad *substantialia*, sed tantum ad *accidentalia* contractum, qui idcirco nequeunt ob eam de fœnore redargui, ex Sententia S. Pœnitentiariæ, de qua in *Voto impresso post Decis.* 160 *p.* 4 *tom.* 2. *Recent. num.* 6 *et sequent.*, *et ipsa Decis.* 160 *num.*21. Hinc invaluit, accessiones etiam in antecessum licite solvi tum in cambiis, tum in cæteris contractibus, ut generatim tradunt *Ferrar. Bibliot. Can. Verb. Cambium Art.* 1 *num.* 43 *d. Vol. Sac. Penitentiæ impres.*

post. Decis. 160 *p.* 4 *tom.* 2 *Recent. n.* 12 *Mulier. in Promptuar. juris ad verb. Anticipatio tom.* 1 *num.* 9, *et Rot. post. Cencium de Censibus Decis.* 387 *num.* 9. Ita quoad Contractum Census de jure communi licitas esse anticipatas solutiones fructuum, secundum autem Constitutionem S. M. Pii V, Separatim disceptandum esse statuit. *Rota in Bononien. Census* 28 *Aprilis* 1600 *coram Pamphilio, quæ extat post eumdem Cencium de Censibus sub num.* 123. Quoad Societatem Officii eas omnino licere dixit in *Decis.* 160 *p.* 4 *tom.* 2 *Recent.*, et precipue demum quoad Cambium in *Decis* 104 *n.* 1, *et* 9 *eor. Ansaldo*. Neque ad rem a Petruccio allegari solent *Textus in L. Rogasti* 11 § *Si tibi decem ff de reb. Cred.*, *et in L. Si ibi decem ff de pactis* qui haud sane loquuntur de Contractibus frugiferis, deque anticipata accessionum solutione, sed de sterili pecunia in minori quantitate mutuata, ut major ejusdem quantitas redderetur, ut satis eorum verba ipsa demonstrant. Reliquæ vero, quas in præteritis Causæ propositionibus objecit, auctoritates sive ex *Cenc. de Censibus*; *sive ex Leotard. de Usuris quæst.* 63 *num.* 4 *et seqq.* de Censibus agunt de quibus præcipue disponit prælaudata Piana Constitutio, *Gratian. Discept. Foren. Cap.* 679 *num.* 30 *Rota in Decis.* 160 *num.* 36 *et seq. p.* 4 *tom.* 2 *Rec.*

11 Remoto itaque primi Debitoris Petruccii objecto de anticipata accessionum solutione, ex qua usurariam pravitatem Cambio inhrere ipse conabatur, licet illa etiam in Dubio qoolibet excludenda a Contractu fuisse per regulam, de qua in *Romana Nullitatis Contractuum* 30 *Aprilis* 1804 § 3 *coram Resta*; Haud majoris profecto ponderis detegitur alterum ab eo propositum objectum de accessionum ipsarum excessu, quia *dextantes* in collybisticis tabulis statutæ, ac promissæ fuerunt. Nam accessionem sive modus sive quantitas, ut jam superius dictum fuit, haud quidem ad *substantialia*, sed potissimum ad *accidentalia* Contractus pertinet, et quemadmodum immodicum pretium aut immodica pensio haud tollunt essentiam, et substantiam, sive emptionis venditionis, sive locationis Conductionis, ita immodicæ accessiones minime immutant Cambii naturam, cujus substantia residet in contrahentium Consensu, in pecuniæ traditione, et in obligatione recipientis illas in Cambiis erogandi, ac trasmittendi ad Emporia, nec illæ Contractum Cambii in mutuum fæneratitium vertere valent. At si immodicæ stipulatæ fuerint accessiones, pactum ipsum vitiaretur, quin totus corrueret Contractus, atque usuræ moderandæ essent eam ad quantitatem, quam trapezytica Negociatio juxta peculiares locorum circumstantias revera produxisset *Rot. in Decis.* 34 *et seq. Par.* 19 *Rec.*

Nullo verum fundamento carpit Petruccius, tamquam excessivam usurarum dextantium promissionem, quæ juxta temporis, quo initus Contractus fuit, difficultates debuit moderari. Quandoquidem ita se habet Commercii indoles ac status, ut nulla prorsus lege certa accessionum quantitas definiri queat, sed omnino variabilis esse illa debeat pro diversis locorum Consuetudinibus, temporum, et personarum Circumstantiis, ut præter Politicos Auctores docent *Fagnan. in cap. In Civitate num.* 22, *et seq. de usuris*, *Leotard. de usur. quæst.* 59 *n.* 22. *Caren. seu Monet. apud eum resolut.* 174. *Card. De Luca de Censibus discept.* 32 *num.* 17, *et Rota in Romana, seu Florentia Fructuum Censuum* 2 *Junii* 1815 § 10 *cor. Rmo P. D. Meo Serlupi Decano.* Et abs re hic reponit Petruccius nullum, sive loci, sive temporis adjunctum nullam consuetudinem tanti esse, ut fænoratitiosContractus validos efficere queat, ac licitum reddere, quod de sui natura iniquum est: Non enim hic agitur de tolerando ob consuetudinem contractu, turpi fænore inquinato, contra legum omnium censuram, et constantem Sac. Ordinis in hac re severitatem: sed tantummodo, quæ sit justa accessionum quantitas in legitimo; probatoque contractu inquirendum est. At ad eam prudenti arbitrio definiendam nil aptius esse potest singularibus locorum consuetudinibus, quæ rite recteque invaluisse deprehendantur, ut enim ait *Papinianus in*

Leg. 1 *ff de Usuris = Arbitrio Judicis usurarum modus ex more regionis, ubi contractum est, constituitur = Idemque statuunt Leg.* 10 § 3 *ff Mandati vel contr., et Leg.* 8 § *si post ff de Administrat., et peric. tut., ac tradunt Novarr. de Usuris num.* 140. *Cene. de Censibus quæst.* 47 *num.* 30 *in fine Fontanell.* de *pact. nupt. Claus.* 4 *numer.* 30 *in fine Fontanell. de pact. nupt. Claus.* 4 *num.* 8, *et Rota decis.* 1028 *numer.* 6 *coram Lancetta in Pontis Curvi Pecuniaria quoad sortem, et fructus Cambii* 21 *Februar. anni* 1777 § 4 *cor. Mannelli, in Romana, seu Florentina Fructuum Censuum* 2 *Junii* 1815 § 7 *coram Rmo P. D. Meo Serlupi Decano, et in Romana Pecuniaria* 7 *Februarii* 1817 *in fine coram Eodem.*

13 Consuetudo autem de anno 1807, quo Cambium, de quo quæritur, contractum fuit, haud Romæ tantum, sed in Universa Ecclesiastica Ditione invaluerat, ut Cambia, Census, aliique frugiferi contractus dextantibus, ac etiam majoribus stipulatis accessionibus inirentur. De illa quoad Urbem testimonium dicebant, quam plures ipsius Urbis Proxenetæ nec non Quæstor vectigali super Cambii exigendo deputatus; quoad vero Ecclesiasticæ Ditionis Provincias illarum Proxenetæ permulti, ac Magistratus. Item consuetudinem prædictam auctoritate sua obfirmarunt, tum Sac. Boni Regiminis Congregatio, tum ipsi Locorum Episcopi: ceu patet ex pluribus per Carosottium rite demonstratis exemplis, quibus accessit etiam illud Supremi Principis, de quo testatur S. Nostri Ordinis Decisio *Romana Pecuniaria* 1 *Februarii* 1809 § 8 *coram R.P.D. Meo Martinez, et Confirmatoria ejusdem anni* § 6 *coram Eod.* Quod non equidem insolens; nam remotiori etiam ævo, iisdem urgentibus calamitatibus, eadem obtinuit quod mensuram usurarum consuetudo, ut nempe sextantes, aut etiam majores illico exigere possent, ut refert *Surd. Cons.* 302 *num.* 19, et quoad fructus Locorum Montium non vacabilium institutorum a Clemente VIII. refert *Card. de Luca de Locis Mont. lib.* 1 *cap.* 2 *numer.* 10. Accedunt Summorum Pontificium Constitutiones; nam Martinius V. *in extravagan.* 1 *Empt., et Vendit.* perpetuorum redituum quantitatem juxtam dextantem definivit; idque confirmavit Calixtus III. *in Constit. pro parte eod. tit. de empt. vendit. Extravagan. Comm.* Nicolaus V. eamdem mensuram in Censuum fructibus probavit, teste *Duard. de Censibus in princ. et Card. de Luca de Censibus disc.* 32 *num.* 9 *et Rot. in Romana, seu Florentina fructuum Censuum* 2 *Junii* 1815 § 12 *coram R. P. D. Meo Serlupi Decano.* Hinc etiam S. Pius V. in Constitutione, quam de Censibus edidit, nil de eorum accessionibus disposuit, ac propterea implicite eam taxam probavit, ut ait *idem Card. de Luc. de Censibus* d. *discurs.* 32 *num.* 14. Et ubicumque illa viguit consuetudo semper dextantes usuræ petentibus addictæ sunt *Novarr. de Usuris num.* 8 *in fin. Cenc. de Censibus quæst.* 47 *num.* 20 § *Nec aliquid Gratian. cap.* 589 *n.* 16 *Rot. dec.* 1474 *numer.* 1 *coram Pen. decis.* 1028 *n.* 17 *cor. Lancetta.*

Et sane eam consuetudinem, præser- 14
tim circa tempora initi contractus ineluctabiliter defendunt publicæ rerum vicissitudines, et quas tulimus, calamitates. Anno siquidem 1795. Tolentini fædus nobis abstulit, *quinquages centena millia* scutorum in auro, et argento, tum facto, cum signato: *tricenties centena millia* petierunt de anno 1798 in papyracea moneta, quam cedulas nuncupabant. Sequenti anno abrogata fuit alia papyracea moneta, quam *assignati* = vocabant, quæque ad *centies centena millia* nummorum ascendebat. Annis demum 1800, et 1803 e commercio sublata fuit pecunia universa sive ex ære, et argento, sive ex solo ære conflata, quæ etiam peringentem constituebat quantitatem. Quibus pecuniæ ipsius vicibus, si omnia addantur a Populo tum passa infortunia, sive ex devastationibus Civitatum, et Oppidorum, sive ex avaritia Ducum, et Administratorum Democratici Exercitus, sive ex cæteris cuique bene notis eorum temporum ærumnis, facile patebit, nec decimam quidem pecuniæ partem tum in commercio versatam fuisse, si cum ea quantitate compararetur, quæ aut petierat, aut alio traducta fue-

rat. Hinc jure, meritoque in contractu celebrato eodem anno 1807 S. N. Ordo accessiones etiam dextantes admisit *in Imolen. Pecuniaria* 21 *Julii* 1817 *coram R. P. D. Meo Zinanni* atque etiam quoad contractus hic in Urbe initos *in cit. Romana Pecuniaria* 1 *Februarii* 1819. *coram R.P.D. Meo Martinez.*

Re huc perducta nil proficere potest
15 Petruccius, dum obiicit Chirographum, quod ipse signavit erga Petrum Sili, in quo a se promissas fuisse contendit usurarum usuras Cambii, quo erga Carosottium obstringitur. Assertio siquidem hæc in uno asserentis Petrucci residet, ore omni prorsus, vel levi probatione destituta. At nec crimina unius accusatoris assertione probantur, nec quisquam credet debitori pro se, et contra creditorem testanti. Quemadmodum etiam nullius momenti esse aperto dignoscitur, quam ille instituere solet, supputatio, ut suadeat Cambii caput per indebitarum accessionum imputationem fuisse peremptum. Quippe cum ea huc usque refutatis rationum momentis innitatur, cum illis, et ipsa ruat, necesse est. Cum itaque Carosottii creditum ex publicis emergat, tabulis, quæ in discrimen haud revocantur: cum verum non sit illum recepisse in ipso stipulationis actu futuras Cambii accessiones, quod etsi verum foret vetiti fœnoris vitium cambio haud inureret; cum demum immodicas, et excessivas fuisse minime ostendatur conventas collybi accessiones; plane ex hisce consequitur, mandatum A. C. debitæ exequutioni omnino demandandum esse.

Atque ita, Omnibus una mecum P. P. suffragium ferentibus, et in hodierna Causæ propositione vadimonium Petruccio primum deserente, resolutum fuit.

SABINEN IMMISSIONIS

Veneris 11 *Maii* 1821.

ARGUMENTUM

Ubi Testator vocaverit ad fideicommissum filios ex uno ac determinato Conjugio nascituros, nequeunt admitti filii qui ex secundis nuptiis proveniunt. Et sub nomine filiorum comprehenduntur etiam nepotes, si alias fideicommissum fieret statim caducum, et si praesumptiones ex voluntate testatoris sumptae concurrant.

SUMMARIUM

1. *In Testamentis* - verba » detti » predetti - *personas jam in dispositione nominatas repetunt cum suis qualitatibus.*

   Ubi Testator vocaverit filios, qui ex uno conjugio tantum procreati fuissent, filii qui ex secundis nuptiis provenerunt, ab omni successione prohibentur - ibidem.
2. *Ne Fideicommissum deficiat, et ad extraneos deveniat, receptissimum est, quod nomen filiorum ad nepotes porrigatur.*

   Quia Verba testatoris voluntati inserviunt idcirco in ea explicanda, non verborum cortici est inhaerendum, sed menti defuncti - ibidem. -
3. *Nomine filiorum, nepotes quoque ad fideicommissum testatorem vocasse, id gravissimum argumentum suppedit, quod alias, contra agnationis votum a testatore expressum, fideicomissum in filiis tantum vocatis caducum fieret.*
4. *Praesumi nequit, testatorem in fideicommisso ordinando juris dispositione deflectere voluisse.*

   Cum substitutionis effectus collatus fuerit in incertum, ac futurum eventum, filiorum nomen ita sumendum est, ut nepotes etiam comprehendit - ibidem. -
5. *Alienationis proibitio, atque indicta a testatore in haeredibus bonorum conservatio, argumenta sunt, quod filiorum nomen ad nepotes extendatur.*

   Justa est ampliativa dispositionis interpretatio, cum ratia eadem praedilectionis in nepotibus vigeat, quam in filiis - ibidem. -
6. *Cum de testatoris voluntate plane constet, filiorum nomine nepotes quoque includuntur, dispecta fideicomissi qualitate, sive scilicet ascendentale, sive transversale sit,*

   Verba - Figli di detti suoi eredi - *non tam adhibita videntur ad comprehendendos filios tantum, primi gradus, quam ad excludendos filios, qui ex ultera Matrimonio oriri possent - ibidem. -*
7. *Mater filiorum nomine, absque solemnitate, nequit repudiare hereditatem.*

   Repudiatio ad unum finem emissa, ad ulterum diversum protrahi nequit - ibidem. -
8. *Ad voluntatem testatoris dignoscendam quam maxime confert interpretativa observantia, cui primi haeredes causam dederunt.*
9. *Heres gravatus, qui partem hereditatis eausumpsit; peractas alienationes debet imputare in quartam Trebellianicam.*

DECISIO LVIII.

Nepti, Mariæ Clementiæ, quam ex germana sorore Maria Angelica, Paschali Sansonetti nupta, habebat Alexius Gengaroni Sabinus, quamve summe diligebat, nuptias cum Theophilo Saburri primum conciliavit, ac deinceps, cum supremam sibi diem adventare sentiret, ut ei amoris sui perenne relinqueret monumentum, testamento die 26 Augusti anni 1736 scripto, hanc de universa sua hæreditate legem dixit « *Nomina suoi Eredi universali Teofilo Saburri, e Maria Clemenza, Conjugi, suoi dilettissimi Nipoti, alli quali lascia tutta la sua Eredità, con questo però, che non possino li soprannominati Eredi vendere, nè impegnare, e che la sua Eredità debba restar per li figli di detti suoi Eredi.* Post hæc obiit Testator, ac, ipso jam defuncto, e prædictis Conjugibus ortum habuere filii, *Leo, Paulus, et Ignatius.* Matri impubes prædecessit *Leo*; deinde et ipsa obiit Maria Clementia; et post ejus obitum e vivis excessit etiam Ignatius. Cum vero Theophilus facile primæ Uxoris oblitus novas inivisset nuptias cum Catharina Loreti, filium ab hac suscepit Franciscum, qui genuit Ignatium, Dominicum, et Antonium. Paulus interea, unus e Clementiæ, ac Theophili filis superstes, Uxore ducta Petronilla Philippi, duos procreavit filios Antonium, et Ignatium. Hoc interim spatio Theophilus bonorum administrationi operam dabat: at, cum Paulus ægre ferret, ut ea præcipue bona, quæ ex Alexii Gengaroni hæreditate proficiscebantur ipse profunderet, administrationem totius rei familiaris, atque possessionem bonorum, quæ adhuc ex hæreditate prædicta extabant, tradi sibi ab ipso obtinuit. Hinc morti proximus, supremis tabulis die 25 Novembris anni 1785 exaratis, Theophilo patri legitimam reliquit « *in quelle ragioni, che il medesimo testatore* (Paulus) *ha contro lo stesso Teofilo suo padre di quelli beni, che il medesimo ha venduti, e che erano di pertinenza di esso Testatore, come provenienti dall' eredità della quondam Clemenza sua Madre* », ac suæ hæreditatis usufructu inter ejus patrem, uxorem, ac filios diviso, hos sibi ex asse proprietarios scripsit hæredes.

Mortuo Paulo, *Antonius, et Ignatius* ejus filii possessionem bonorum hæreditatis Gengaroniæ nacti fuere: quam quidem possessionem, nedum Theophilus, quamdiu vixit, sed etiam Franciscus ejus filius post ejus obitum, adeo probavit, ut *Antonius, et Ignatius* per annos fere *triginta* Alexii hæreditatem quiete, ac pacifice possederint. Verum Francisci filii Ignatius, Dominicus, et Antonius falsa adducti spe, Gengaroniam hæreditatem, aut integram, aut in parte aliqua sibi ipsis adscribi posse, uti Theophili ex filio nepotibus, ad eam occupandam judicio adversus ejus possessores *Antonium, et Ignatium* egerunt. Eos itaque primum vocarunt anno 1813 coram Irenarcha Montis Leonis, deinde apud Reatinum Tribunal; neutra tamen actione absoluta: illa ob recusatam conciliationem; hac ob Pontificii Regiminis restitutionem. Actum deinceps ab eis fuit coram Prætore Montis Leonis de immissione ad hæreditatem Gengaroniam, et fructuum restitutione. Actorum hic judex rejecit instantiam. Verum ad A. C. Tribunal delata Causa, petitam immissionem Juridici hujus Tribunalis decreverunt dandam Actoribus esse » *alla metà de' beni lasciati da Alessio Gengaroni* ». At, cum appellationis ope, res definienda venerit ad S. N. Ordinem, quamvis, me proponente in Comitiis diei 22 Januarii hujusce anni Dubium = *An sit danda immissio in casu etc.* = ampliatum judicium fuerit ad *Quintum, et Sextum*, tamen hac mane eidem proposito Dubio, responsum accepi = NEGATIVE =.

Et sane, cum Actoribus vocatio ad Gengaronii fideicommissum deficiat, petita immissio eis deneganda est per notissimum axioma « *substitutio de te non loquitur* » *ad Text. in leg. Commodissimæ ff. de vulg. Honded. Cons.* 18 *n.* 57 *lib.* 2, *Peregrin. de Fideic. art.* 1 *n.* 26 *Rot. decis.* 358 *num.* 1 *cor. Otthobon., et decis.* 93 *num.* 2 *part.* 17 *Recen.* Apertissima est siquidem testamenti litera, quo Alexius « *instituisce suoi Eredi Teo-* 1

filo Saburri, e Maria Clemenza Conjugi, alli quali lascia la sua Eredità, con questo però, che la sua Eredità debba restare per li figli di detti suoi Eredi ». Itaque, cum testato ad successionem taxative vocaverit filios, qui e Theophili, et Clementiæ conjugio procreati fuissent, uti demonstrant verba « *la detta sua Eredità debba restare per li figli di detti suoi Eredi* », quia idem est, quod ipse testator dixerit » *figli dei detti suoi eredi* », ac si dixisset, *figli dei detti Conjugi* », nam verba » *detti* » *predetti* » personas jam in dispositione nominatas repetunt cum suis qualitatibus *Bart. in leg. Talis scriptura § final. ver. quæro ff. de legatis, Ruin. cons.* 148 *Rot. in Recent. decis.* 95 *num.* 2 *part.* 5, *et decis.* 361 *num.* 2 *coram Olivatio*: sequitur inde, quod vocatione donati ii tantum dicendi sint, qui ex Theophilo, et Clementia Conjugibus originem duxissent, iis omnibus exclusis, qui ex altero Theophili conjugio derivare poterant. Jura igitur omnia *in uno Paulo ex illo Conjugio superstite* coaluisse manifestissimum est, quæ postea ita in ejus filios migrarunt, ut, qui ex secundis Theophili nuptiis provenerunt ab omni successione prohibeantur; *ad Text. in leg. Filius a Patre* 28 § *Si quis ex certa uxore ff. de liber., et posth. Menoch. de praesumpt.* 21 *num.* 9 *Mans. de Testam. tit.* 11 *quæst.* 4 *num.* 59 *Rota decis.* 1 *num.* 19 *de donat. coram Falconierio, et in Setina Primogenituræ* 15 *Februarii* 1745 § 16 *coram Elephantutio, in Tyburtina Fideicommissi, et immissionis* 14 *Martii* 1774 § 5 *cor. Ratta, et in confirmatoria diei* 20 *Martii* 1778 § 8 *cor. Eodem.*

2 Perperam autem ad immissionem sibi asserendam proponunt Actores, admissa etiam vocatione ad Fideicommissum Gengaronium cohibita ad filios ortos a Theophili, et Clementiæ conjugio, hoc Fideicommissum defecisse, quia filiis ex eo conjugio procreatis, Leoni nempe; Ignatio, et Paulo, Theophilus eorum Pater, onere restitutionis erga ipsos gravatus, superstes fuit, ex quo, substitutis e medio sublatis, cessatum fuisse, et in ipso Gengaroniam substantiam libera evasisse dicunt, ita ut ad ipsius hæredes mediatos, quales sunt ipsi Actores fuerit delata. *Paulus* enim, etsi, *viro adhuc Theophilo, decessisset*, duos tamen reliquit filios *Antonium, et Ignatium Juniores*, quos, mortuo Paulo Parente, ad Fideicommissum vocatos fuisse, indubium est; Siquidem ne testatoris vota inania fiant, ne fideicommissum statim deficiat, ne denique ad extraneos hæreditas fideicommissaria deveniat, receptissimum in jure est, quod nomen filiorum justa verborum interpretatione ad nepotes porrigatur, ut statuit *Text. in leg. Juxta* 202 *ff. de verb. significat., leg.* 220 *ff. eod. leg.* 59 *ff. de ritu nupt., Leg. Lucius ff. de hæred. instit. Leg. Gallius § Instituens ff. de liber. et posth. Leg. Uxorem § Concubinæ ff. de Legatis, Leg. filium ad Macedon., et Leg.* 1 § *Qui fuit de origine juris* — Quin obsit in themate notissima juris regula, ex qua *aliter filii, aliter nepotes appellantur ad Leg. Quod si nepot. ff. de Testam. Tut.* Nam ex Alexii testamentaria dispositione satis aperte patet, ipsum sub filiorum nomine, *nepotes quoque futuros* ad successionem vocare voluisse. Quapropter cum verba testatoris ejusdem voluntati inserviant, inea idcirca voluntate explicanda non verborum cortici, et vocabuli materiali, ac rigorosæ proprietati, sed testatoris menti, e conjecturis etiam elicitæ, inhærendum est, ita, ut potius sint verba testatoris inflectenda, quam ea testatoris mens frustranda, *ad Text. in Leg. Labeo in fin. ff. de Supellectil. legat., leg. non aliter* § 2 *de legatis* 3, *et Bald. in leg. Captatorias num.* 4 *Cod. de Testam. milit. Mantic. de conjectur. lib.* 3 *tit,* 11 *num.* 8, *et Rot. Decis.* 309 *num.* 27 *coram Riminaldo, et in Ravennaten. Legati* 19 *Januarii* 1818 § 9 *coram Odescalchi.*

Innumeræ vero conjecturæ, atque argumenta gravissima, Alexium nomine filiorum *nepotes quoque* ad fideicommissum vocasse aperte demonstrant. Principio, nisi ad Nepotes fideicommissum gradum facere diceretur, jam nulla extaret fideicommissi species, cum in filiis tantum vocatis caducum fieret fideicom- 3

missum institutum: Maxime quidem, cum contra quemcumque *amoris et benevolentiæ* ordinem extranei potius, quam descendentes a nepte testatori charissima ad successionem admitterentur. Ex altero enim Theophili cum Catharina Loreti conjugio, quod testatori esse haud potuisset, nisi quam maxime invisum, ortum duxerunt Ignatius, Dominicus, et Antonius in hoc judicio Actores, qui proinde, nedum nullo sanguinis vinculo cum Alexio testatore conjuncti sunt, sed etiam ipsi odiosi fuissent. Ad hoc igitur declinandum, evitandumque absurdum enorme, hoc sapientissime majores nostri statuerunt, ut, a rigorosa vocabuli significatione recedendo, filiorum nomine nepotes etiam vocati dicantur, et ad eos successio, nominatim a testatore filiis relicta, deferatur. uti docent *Fusar. de Fideicom. substit. quæst.* 320 *n.* 44, *et* 45 *Valent. de ultim. volunt. vol.* 45 *n.* 43, *et seq. tom.* 2 *part.* 1, *et* firmat *Rot. Recent. decis.* 206 *n.* 20 *p.* 6 *Decis.* 170 *num.* 13, *et decis.* 308 *num.* 14 *part.* 14 *Pisauren. Cappellaniæ* 9 *Februarii* 1756 § 9 *cor. Paracciano*, *Romana, seu Forosempronien. Immissionis* 31 *Januarii* 1755 § *fin. coram Eodem.*

4 Neque minoris ponderis ad recedendum a stricta verborum significatione, et filiorum nomen ad nepotes protendendum alteram *PP. existimarunt conjecturam* ab Ordine elicitam intestatæ successionis. Si enim *Alexius* intestatus decessisset, non descendentes a Theophili conjugio cum extranea fœmina Catharina Loreti successione donari potuissent, verum Clementiæ, Alexii ex sorore neptis, filii, vel nepotes in *Avunculi* majoris hæreditatem successissent. Hinc præsumi nequit, testatorem in fideicommisso ordinando ab juris dispositione deflectere voluisse, atque ideo tenendum est ipsum ad fideicommissum cum neptis filiis nepotes etiam vocasse, quid ei ab *intestato successissent*, sicuti indiscriminatim quoad fidecommissum, tam ab ascendente, quam a transversali institutum docent *Bartolus in leg. hæredes mei* § *Cum ita ff. ad Trebellian.*, *et Mantic. de conjecturis ultimæ voluntatis lib.* 8 *tit.* 8 *num.* 15. Accedit etiam momentosissima facti circumstantia, Alexium nempe fideicommittentem obiisse *Mense Augusti* 1736, eo scilicet tempore, quo filii ad successionem vocati nondum in lucem venerant: eis tamen *nascituris*, (quamvis ignotis, et incerte nascituris), ita ipse consuluit, ut eos in universa sua hæreditate primis hæredibus substituerit. Cum itaque substitutionis effectus collatus fuerit in *incertum*, ac futurum eventum, filiorum nomen ex receptissimo jure ita sumendum est, ut nepotes etiam comprehendat, ad tradita per *Peregrin. de fideicommiss. art.* 22 *num.* 50. *Mantica de conject. ultim. volunt. Vol.* 37 *n.* 22 *t.* 2 *par.* 1 *Rota coram Emerix Jun. dec.* 1229 *n.* 13 *rec. dec.* 102 *num.* 4 *par.* 4 *tom.* 2.

Plurimæ etiam supersunt conjecturæ, quæ filiorum nomen ab Alexio in substitutionis ordinatione adhibitum ad Clementiæ nepotes pertrahendum esse suadent. Ita urget animadversio, quod secus, ob filiorum Clementiæ mortem, antequam ea substitutio effectum habere posset, hæc inanis prorsus evasisset, nisi ad nepotes extenderetur, sicuti docet *Peregrin. de Fideicom. art.* 1 *n.* 32, *et firmat Rota in Romana, seu Bononien. Immissionis quoad fideicommissum Caroli Antonii Caccialupi Senioris* 4 *Junii* 1794 *coram Resta*. Idem fert commodum e substitutione, tam ad filios, quam ad nepotes profluens. Quin obstet gravati hæredis incommodum; primum, quia fideicommissum vocatorum bonum tantummodo respicit *per Bart. in Leg. liberorum ff. de verb. Significat.*, *Peregrin. de fideicomm. Art.* 22 *num.* 61, deinde quia hæres restitutione gravatus, nullum novum sentit onus, si nepotibus potius, quam filiis restituat, uti ponderat *Valent. de ultim. volunt. Vol.* 34 *num.* 74 *tom.* 2 *part.* 1. Hisce accedit alienationis prohibitio, atque indicta a testatore in hæredibus *bonorum conservatio*, ex qua, ne testatoris votum inane reddatur, filiorum nomen ad nepotes extenditur, *Rot. Recen. decis.* 6 *n.* 30 *part.* 5 *tom.* 1. Rationis denique identitas id suadet, ac postulat. Patet enim Alexium nonnisi ob *amorem*, summam-

que benevolentiam, qua in Mariam Clementiam sororis filiam ferebatur, hujus filiis nascituris fideicommissariam hæreditatem reliquisse. Ex eadem itaque causa, ob quam omnia bona sua filiis Clementiæ per fideicommissum reliquit, intelligitur nepotes quoque futuros vocasse, qui eamdem Alexii voluntatem possunt adimplere, quique eumdem secumferunt casum, ex quo idem oritur effectus. Quapropter æqua, justaque S. Ordini visa est *ampliativa* dispositionis *interpretatio*, cum ratio eadem prædilectionis, ac sanguinis in nepotibus vigeat, quæ in filiis adesse comperitur » *Valent. de ultim. volunt. not.* 18 *num.* 33 *tom.* 2 *part.* 2, *Fusar. de fideicom. subst. quæst.* 320 *num.* 36, *et* 37.

6 Cum vero agatur de personis, quæ, utpote consanguinitatis vinculo cum testatore conjunctæ, ei quam maxime dilectæ dicendæ sunt, nullum obstaculum oriri potest ex eo, quod Mariæ Clementiæ nepotes erga Alexium fideicommittentem in transversali cognatione reperiantur. Siquidem, cum de testatoris voluntate clare, planeque constet, constans in jure est filiorum nomine nepotes quoque inclusos dici, despecta prorsus fideicommissi qualitate, sive scilicet ascendentale, sive transversale sit, ut monent *Peregr. de fideicom. art.* 22 *n.* 61 *in fin. Valent. de ult, volunt. art.* 37 n. 12 *t.* 2. *p.* 1, *Rota decis.* 548 *num.* 56 *cor. Bichio, et decis.* 307 *num.* 1 *cor. Caprara*. E quibus omnibus apertissime intelligitur verbum *figli*, quod in Alexii dispositione legitur, addita qualitate » *di detti suoi Eredi*, scilicet, *Teofilo*, *e Maria Clemenza Conjugi*, adhibitum haud fuisse ad comprehendendos filios tantum primi gradus, sed ad excludendos filios, qui ex altero Matrimonio oriri posseut, non vero descendentes quoscumque e contemplato Theophili, et Mariæ Clementiæ conjugio, quia ea relatio, ad certum illud Mariæ Clementiæ, et Theophili conjugium, atque ad certas filiorum personas efficit, non ut dispositio ad filios primi gradus tantum circumscripta censeatur, verum, ut Parentum personæ designatæ dicantur, ex quibus filii, ac descendentes ad fideicommissum vocati, procedant oportet, sicuti optime ad rem argumentatur *Valent. de ult. volunt. vot.* 43 *num.* 9 *et seq. t.* 2 *p.* 1.

Hisce constitutis, extraneum prorsus 7
a re visum est *objectum repudiationis hæreditatis Theophili* a Reorum Conventorum Matre Petronilla Philippi emissæ. Primum enim hæc repudiatio ad particularem tantum Theophili hæreditatem, nunquam vero ad hæreditatem fideicommissariam Alexii Gengaronii respicere potuit; quod adeo verum est, ut in quieta, ac pacifica fideicommissi possessione prædicti Rei conventi manserint: Deinde nihili facienda esset hæc repudiatio; quam mater filiorum nomine absque ulla solemnitate emisit, *Rot. in Ferrarien. Patrimonii* 11 *Junii* 1785 § 3 *coram Riminoldo*, *Narnien. hæreditatis* 5 *Martii* 1792 § 6 *coram de Bayane, Romana dotis* 3 *Martii* 1801 § 3 *coram Gardoqui*, *et in confirmatoria* 5 *Maii* 1803 § *fin. coram Eod.* Patet insuper repudiationis finem hunc tantum fuisse, ut, cum creditores defuncti Theophili surrexissent, qui totum ejusdem patrimonium occupare conabantur, ab eorum actionibus, Petronillæ filii super propriis bonis immunes fierent. Hinc repudiatio, etsi valida quodammodo diceretur, commodum tantum filiorum repudiantis respexisset, atque idcirco ad unum finem emissa, ad alterum diversum, eisque noxium effectum protrahi nequivisset, veluti arguit *Cost. resolut.* 24 *num.* 64, *Rota decis.* 202 *num.* 16 *par.* 19 *tom.* 1 *Recent.*, *et decis.* 172 *num.* 9 *tom.* 6 *Nuperr.*, *et decis.* 85 *num.* 7 *coram Celso*.

Omne denique dubium removet pa- 8
cifica triginta annorum *observantia*, atque hæreditatis fideicommissariæ Gengaroniæ penes Paulum, ejusque filios possessio. Theophilus siquidem, cum cautionis loco Paulo ex primo Conjugio filio bona omnia fideicommissaria Gengaronia tradidisset, ne, quæ supererant, magis disperderentur, perspicua nepotum jura cognovit. Præterea conditum a Paulo testamentum probavit, quia, ipso Theophilo sciente, Pauli seu Clementiæ nepotes, quos bic hæredes scripserat, omnia Gengaronia bona pos-

sederunt; hanc vero possessionem, Francisco, Theophili ex secundo conjugio filio, annuente, semper ipsi retinuerunt. Itaque, si tum Theophilus, tum, quod quidem gravius est, Franciscus Alexii voluntatem ita interpretati sunt, ut Nepotes etiam fideicommittentem vocasse probarent, incivilis profecto, ac prorsus reiicienda dignoscitur actorum instantia, qua ipsi auctorum factum in discrimen adducere proponunt *Rota in Maceraten. exequutionis Apocæ* 11 *Januarii* 1808 § 11 *coram Eminentissimo Bardaxì, et in Ferentina recognitionis in dominum, et solutionis canonum* 9 *Junii* 1809 § 14 *cor. Eod.* Ad voluntatem autem Testatoris dignoscendam quam maxime pollere interpretativam observantiam, cui primi hæredes causam dederunt, qui, cum veram testatoris voluntatem scire dicantur, veri interpretes existimari solent, *docet cit. Valent. de ult. voluntat. vol.* 21 *num.* 86 *t.* 2 *p.* 1., *et Rota decis.* 104 *num.* 21 *part.* 16., *et dec,* 537 *n.* 11 *part.* 19 *tom.* 2 *Recent.*, *et Decis.* 165 *num.* 20 *coram Otthobon.*

9 Hisce omnibus ita firmissime constitutis, plane consequitur abs re prorsus esse, quæ Actores fuso sermone disserunt *de jure accrescendi inter Theophilum, et Clementiam* primos hæredes institutos, ac de jure Theophili ad consuccessionem in partem Gengaroniæ hæreditatis ad Ignatium ejus, ac Clementiae filium spectantem, qui intestatus obiit, ipso Theophilo patre, ac fratre Paulo superstitibus. Quidquid enim sit de eo accrescendi jure, quidquid de jure parentis consuccedendi cum filiis in haereditatem alterius ex hisce ab intestato defeuncti, ut hac quaestiones extraneae a themate dignoscantur, sat est animadvertere ad Gengaroniam haereditatem Reos conventos Clementiae nepotes fuisse vocatos, et ideo hanc hæreditatem eis fuisse a quolibet, qui ipsa potitus fuerit, restituendam. Quo vero ad Trebellianicam, quam Actores sibi ex persona Theophili primi gravati super Gengaronio fideicommisso asserunt, id Patres ad aliud judicium pertinere censuerunt. Cæterum inutiliter in specie hæc quoque exceptio proponebatur, cum Theophilus objectam Trebellianicam consumpsisse videretur ob plurimas Gengaroniæ hæreditatis alienationes.

Et ita cum *Quinti*, et *Sexti* suffragio definitum fuit, Utraque etc.

SUTRINA EXFRACTATIONIS

Veneris 23 *Martii* 1821.

ARGUMENTUM

Si Conductor fidejustionem promisit exhibere, et non praestitit, locatio legis ministerio resolvitur ipso jure, nec opus est expresso pacto resolutivo.

SUMMARIUM

1. *Si Conductor fidejussionem non exhibet, intra terminum praestitutum, rescissa ipso jure manet locatio.*

   Conditio, ubi est causa finalis contractus, debet adempleri, aliae contractus corruit - ibidem. -
2. *Opus non est, quod expressim pactum resolutivum adjciatur, quoties ipso legis ministerio contractus resolvitur.*

   Etsi pactum rescissorium ubique repetitum expresse non fuerit, tamen ubi eadem causa finalis adest, in omni contractus parte parem locum sibi vindicat - ibidem. -
3. *Qui in contractu correspectivo ex parte sua fidem prestitit, adversus illum qui a fide descivit, actionem habet tam rescissoriam, quam ad implementum.*
4. *Resolvitur locatio, ob moram conductoris in pensionibus solvendis, praesertim si pactum resolutivum adsit.*

DECISIO LIX.

Duo prædia, quæ Roncilionensi in Agro possidet Joannes del Monaco, non minus medica arte, qua, nemini secundus, in Urbe excellit, quam fide, honestateque cunctis commendatissimus, die 3. Maii anni 1816., Camillo Mariani, annua scutorum *biscentum* constituta pensione, ad annos *quindecim* locavit. Conventum fuit in apoca contractus, ut hæc pensio solvenda esset ratatim de semestri in semestre, a quovis onere imposito vel

imponendo immunis; pacto expressim apposito, ac etiam, ad majorem locatoris cautelam, repetito, quod, si conductor haud implevisset = *in ciascuna scadenza il puntuale pagamento di detta rata, sarà in libertà del detto del Monaco di rescindere il contratto, ed affittare li detti Terreni a chi meglio gli piacerà* =; hinc adjecta fuit conductoris renunciatio = *con giuramento alla purgazione della mora* =; ac demum hic sese obstrinxit = *a dare, a maggior cautela del medesimo Signor Dottor del Monaco, un idonea sicurtà* =.

Ivit statim in conductorum fundorum possessionem Marianius, sed promissa implere neglexit. Non enim pensionem unquam solvit, nisi Judicis auctoritate intercedente; ac nunquam idoneam præstitit cautionem. Quare, cum semper cogeretur Locator judicio adversus eum agere pro pensionum solutione, ut sibi consuleret, instit coram A. C. Mastai, ab Anno usque. 1817., ut conductori terminus præfigeretur ad cautionem exhibendam, eaque haud exhibita, ad contractus rescissionem protinus adstringeretur. Atque id facile obtinuit; nam secundum ejus instantiam Judex Marianio terminum *quindecim* dierum ad cautionem præstandam constituit, eoque elapso, et cautione non præstita, mandatum contra ipsum de exfractando relaxavit. Patuit vero quam prudens hoc fuisset Locatoris consilium. Etenim, dum hoc Judicium agebatur, cum de more, ope mandati judicialis pensionum solutio a moroso conductore esset exigenda, repertum fuit in domo ab eo inhabitata nil aliud existere præter = *due Letti con un solo matarasso per cadauno, ed altri oggetti di vestiario di poca considerazione* = Accessit præterea ejus rem familiarem adeo in pessum ivisse, ut ei fuerint a Sacra Congregatione Visitationis Carceratorum induciæ concessæ, quæ decoctis indulgeri solent. Provocavit tamen a prædicto Decreto Marianius ad Signaturæ Tribunal, et suspensivam appellationem obtinuit cum clausula *si quid exequendum*; quare Caussæ definitio ad Sacrum Nostrum Ordinem fuit delata. Veruntamen, sui mali juris forte ipse conscius, cum in hodiernis Comitiis atres interrogaverim = *An Mandatum A. C. sit exequendum in casu* =, vadimonium deseruit, ita ut Responsum acceperim = *Pro informante* = videlicet = *Affirmative* =.

1 Nec aliud sane proferri potuisset judicium, etiamsi sua jura Marianus deduxisset. Consultissimum enim undique dignoscitur A. C. Decretum, quo conductori terminus præfinitus fuit ad idoneam præstandam fidejussionem, juxta obligationem ab ipso in locationis contractu susceptam, eaque non præstita, relaxatum fuit Mandatum de eo expellendo a fundis conductis. Nil enim constitui poterat, quod pactis solemniter conventis, ac justitiæ magis congruum videretur. Siquidem a Marianio apertissimis verbis conventum legitur = *Prometto ancora di dare a maggior cautela del Signor del Monaco un' idonea sicurtà* = Quare cum eam præstare ipse neglexerit, plane consequitur, jure meritoque ipsum fuisse damnatum ad illius cautionis exhibitionem, congruo, ad id implendum, termino ipsi præstituto. Nil enim antiquius est in Jure, quam ut ea religiose serventur, quæ inter Partes placuerunt. Eo vero termino præterlapso, et cautione a Marianio non præstita, pari quidem justitia Mandatum de exfractando adversus eum fuit relaxatum. Agitur enim de conditione neglecta, quæ est de natura contractus, cum securitatem Locatoris respiciat, quave deficiente dubitari non potest, quin Locator nunquam animum inducere potuisset ad contractum illum ineundum, eo vero magis, cum res ipsa satis deinde ostendisset, non adeo florentem rem familiarem Marianii fuisse, ut absque fidejussione fides ei haberi posset. Ex omisso igitur implemento susceptæ per conductorem obligationis fidejussionem exhibendi, eaque securitate deficiente, sine qua nunquam Locator nomen contractui fuisset daturus, rescissa ipso jure manet locatio, ita ut debeat Locatori ad bona locata concedi regressus. Exploratissimi enim juris est, ut, deficiente conditione, correspectivus corruat contractus; nec ratio, nec æquitas sinit, ut firmo manente contractu, implementum excludatur illius conditionis, quæ contractus

causa finalis, et motiva fuit *ad Leg.* 5. *ff. de Locat. decis.* 315. *num.* 7. *Part.* 7. *Recent.* A. C. itaque mandatum, de cujus validitate nulla est quæstio, et cujus justitia apertissima est, exequutionem habeat oportet.

2 Quin Marianio obiicere prodesset, quod in Locationis conductionisque contractu pactum resolutivum desideretur in casu, quo Conductor præstare cautionem neglexisset. Nam opus non est, quod expressim pactum resolutivum adjiciatur, quoties ipso Legis ministerio contractus resolvitur, cum id, cujus implementum fuit neglectum, conditionem præseferat, qua deficiente, contractus initus non fuisset; Quia, licet pactum resolutivum expressum non fuerit, inesse tamen tacite censetur ad tradita per *Rotam in Decis.* 338. *num.* 2. *Part.* 4. *Recent. Decis.* 353. *num.* 2. *coram Priolo Decis.* 497. *num.* 2. *coram Molines, et in Bononien. sen Imolen. Decisionis Affictus* 20. *Junii* 1785. §. 4. *coram Soderino.* Reque vera inanis evaderet ea Cautionis obligatio tanto studio conventa, nisi contractus, ea non impleta, deficeret, uti optime ad rem docet *Rot. in Romana Cambii* 24. *Januarii* 1820. §. 8. *coram R. P. D. Meo Gamberini, et in ejus Confirmationis* 14. *Aprilis ejusdem Anni* §. 8. 9. Ne igitur evanidum, frustraneumque actum fuisse celebratum dicatur, plane consequitur, quod ob inadimplementum præstationis cautionis adeo enixe a Locatore volitæ = *a maggior sicurezza* = Marianium a conductione decidere oporteat; cum in potestate alterius contrahentis positum non sit a pactis recedere, conventionemque reddere elusoriam. Prætorea id magis tenendum est in themate, cum pactum resolutivum ad suam indemnitatem disertissime Locator, non semel, sed bis adjecerit, si forte conductor in exsolvendis pensionibus moram faceret = *Prometto di pagare a scadenza ciascuna rata sudetta, altrimenti sarà in libertà di detto Signor del Monaco di rescindere il contratto* = Nam, etsi hoc pactum rescissorium pensionis solutione præcipue respiciens, repetitum expresse non fuerit, si conductor cautionem præstare omisisset, tamen, cum causa finalis illius pacti indemnitas Locatoris fuerit, in uno, alterove casus prorsus simili, eodemque orationis contextu expresso, parem locum illud sibi vindicare Joannem del Monaco voluisse, quisque facile intelligit.

Nec altera Marianium juvaret exceptio, quod, cum in contractu nominato, nempe in Locatione versemur regula Juris obtineat, ut ob inadimplementum conventionis, fiat locus ad illius implementum, non vero ad contractus rescissionem, illico nam corruit hujusmodi exceptio, cum nec *in facto* nec in *jure* ullo prorsus modo consistat. Longissime enim abest a vero quod ad rescindendam locationem tantummodo actionem instituerit del Monaco. Primum enim Mandatum ad factum, ut fidejussor sibi exiberetur postulavit; deinde pro Mandati relaxatione ad expellendum conductorem, si idonca haud præstita fuisset cautio, institit. Positum igitur fuit in arbitrio Marianii intra tempus a Decreto A. C. præfinitum fidejussorem exhibere, si in conductione permanere malit, at, si pactum implere detrectet, sibi imputet; quod rescissioni contractus ipse causam præbeat. In jure vero ea regula limitationem patitur, quoties contractus stante correspectiva conventione aliquid dandi, vel faciendi, aliquam habet cum contractu innominato mixturam. Hoc enim in casu duas tribuit jus ad libitum exercibiles actiones ei, qui ex sua parte fidem prestitit, adversus eum qui a fide descivit; actionem, nempe, ad factum et alteram rescissoriam. Quare, etiam si Joannes Del Monaco satius duxisset, ope actionis rescissoriæ conductorem; qui conventionem non adimplevit, a contractu repellere, potius quam actione ad factum eum urgere ad illud implendum, quod promisit, jure suo usus fuisset, nec Marianius de nimia asperitate queri potuisset, ut docuit *Rot. in Decis.* 497 *n.* 2 *coram Molines et in Veliterna præstationis cautionis, seu Resolutionis contractus* 5 *Julii* 1819 § 6 *cor. R. P. D. Marco.* 3

Hæc satis superque a quovis contrario objecto A. C. decreti justitiam vindicant. Sed alia etiam maximi momenti 4

urgent, quæ eo magis Mandatum A. C. exequutioni dandum esse suadent. Accedit enim, quod Marianius in tantam rerum augustiam venerit, ut, ni fidejussor accedat, nunquam Johannis De Monaco indemnitati consultum esse possit. Obliviscendum enim non est, usque ab anno 1819, Marianium a S. Congregatione Visitationis Carceratorom inducias obtinuisse, que decoctis concedi solent, et nil aliud prorsus fuisse repertum in domo ab ejus inabitata, cum pro pensionibus non salutis mandatum a Del Monaco obtentum executioni committebatur præter « *due Letti con un sol Materasso, ed oggetti di Vestiario di poca considerazione* » Quare, cum tanta pressus inopia nunquam Marianius sit pensiones soluturus justitia exigit, ut indemnitati Locatoris prospiciatur, aut fidejussoris exhibitione, aut contractus rescissione. Præterea non modo quia cautionem non præstat, sed etiam quia pensiones jamdiu non solvit Marianius cadere deberet a contractu; siquidem cautum expressim fuerat, nt propter moram in pensionum solutione, absque ullo illius purgationis beneficio, contractus resolveretur: Cum igitur constet in facto, semper ipsum in pensionis solutione morosum fuisse, ita, ut opus Locatori fuerit ad eas, partim saltem, assequendas adversus ipsum judicio agere, et fructus fundorum Locatorum persequi, commissa esset stipulatio, optimoque jure ad rescindendum contractum ageret Locator: Animadvertendum insuper est, quod, nisi præstetur idonea a Mariano cautio, vel contractus rescindatur, cum ipse tanta prematur inopia, ut impar prorsus solvendo etiam in posterum factus sit; absurdum oriretur, quod cogeretur Locator Judicem semper adire, ut ab eo provideretur, ne fundorum fructus, e quibus tantum pensionum solutio hauriri potest, ab obærato Conductore disperderentur.

Et ita etc. Unica tantum etc.

SUTRINA EXFRACTATIONIS

Veneris 22 *Junii* 1821.

ARGUMENTUM

Habes in superiori quae confirmatur « DECISIO LIX. »

SUMMARIUM

1. *Conductore ob conventam non praestitam fidejussionem a conductore corruente correspectiva contractus conditione, corruere etiam debet locatio.*
   In Judicia quasi contrahitur, neque potes amplius in discrimen adduci, quod in eo probatum fuit – ibidem. –
2. *Si inadempIementum contractus ipsius substantiam laedit, opus non est pacto resolutivo, ut rescindatur.*
   Pactum resolutivum repetitum censetur in iis omnibus, quae contractus substantiam respiciunt – ibidem. –
3. *Posita promittentis obligatione, sed deficient, in contractu constitutione termini ad eam implendam, praestitui hic debet prudenti Judicis Arbitrio.*
4. *In annuis obbligationibus, cautio usque ad finem contractus, perpetua esse debet.*
   Exceptio de melioramentis pertinet ad dispunctiones rationum, in congruo judicio locatione finita, explendae - ibidem. –
5. *Tum ob moram in pensionibus exsolvendis, tum ob immutatam conductoris, ex superventa egestate, conditionem, morae purgationis beneficio locus fieri non potest.*

DECISIO LX.

Percelebris in Urbe Doctoris Physici Johannis Del Monaco ut consultum foret indemnitati, juxta conventa in Locationis, conductionisque contractu quorumdam fundorum in Agro Roncilionensi jacentium, quem ille anno 1816 ad quindennium duraturum, inierat cum Camillo Mariani, annua conventa pensione Scutorum *biscentum*, ratatim *di semestri in semestre* persolvenda, atquo adjecta Lege, *tum* ut propter moram in exsolvenda, pensione contractus resolveretur, *tum* ut sibi idonea exhibenda esset a conductore fidejussio, Decretum A. C. præfigi Marianio quindecim dierum terminum ad cau-

tionem præstandam, eoque elapso, cautioneque non præstita, mandatum *de exfractando* contra ipsum esse relaxandum constituit. Cum, appellatione a Mariano interposita ope Rescripti Tribunalis Signaturæ = *Si quid exequendum* = hujusce caussæ cognitio Sac. Nostro Ordini ablegata fuerit, die 23 Martii labentis anni Patres rogavi = *An mandatum A. C. sit exequendum in casu etc.* = Sed Marianius, suis juribus parum fidens, vadimonium deseruit, quare responsum prodiit = *Pro informante* =, nempe *Affirmative*. Quamquam ex æquitate indultum deinde fuerit Mariano Novæ Audientiæ beneficium, attamen et hodie iterum periculum suorum jurium facere detrectans judicio haud stetit, et ideo proposito de more dubio = *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.* = Patres responderunt = *In decisis*.

1 Nulla quippe quæstio est de validitate mandati, quod A. C. relaxaverat Justitia autem illius manifestissima undique dignoscitur. Nam cum in solemni Locationis Instrumento Marianius spoponderit = *di dare a maggior cautela del sig. Del Monaco un' idonea sicurtà* =, atque sit in facto exploratum, hanc promissionem eum haud implevisse, ambigi idcirco nequit, quin Marianius ad cautionem exhibendam obstringendus fuerit. At, si fidejussionem præstare abnuisset, nil magis erat juri atque æquitati congruum, quam ut contractus rescinderetur, et a conducto fundo ipse removeretur. Hoc enim vivimus jure, ut, pactis minime impletis, quibus substantia stipulationis continetur, correspectivus contractus concidat. Quapropter, cum fidejussio a Conductore exhibenda, procul dubio fuerit finalis præcipuaque caussa, quæ Johannem Del Monaco, qui tutus de solutione pensionis esse volebat, induxit ad contractum illum incundum, dubitandum non est, quin, corruente correspectiva cautione, corruere etiam debeat locatio. Nec Marianius, de quo queratur babet, si contractus rescindatur. Hoc enim non repetet ille a pænali pacto, uti injuria contendebat, sed ex illius conditione, quæ contractui caussam dedit, et sub qua res ei fuit locata, voluntario inadimplemento. Apertissime igitur patet ex his, mandatum A. C. pro implemento pactorum, de quibus inter locatorem, et conductorem convenerat, statim esse exequutioni committendum, uti statuit mea præcedens *Decisio* §. 3. Sed eo fortius exequutionem habeat oportet hoc Mandatum, cum Marianius suo facto illud accepto tulerit. Nam cum is a Tribunali A. C., ut fidejussionis præstatione suæ negligentiæ occurrerere posset assignatum ad illam exhibendam terminum, qui elapsus fuerat, per alios *viginti* dies prorogari petiisset, hanc dilationem non alio pacto obtinere potuit, quam obligationi sese subiiciendo ut, *mandatum de exfractando* suum sortiretur effectum. In judicio enim quasi contrahitur, neque potest amplius in discrimen adduci, quod in eo probatum fuit, sicuti docet *Text. in Cap. Quod semel de reg. jur. in* 6, *et Rot. in decis.* 42 *num.* 8 *coram Ansaldo, decis.* 544 *numer.* 21 *coram Olivat. in Ferentina Reintegrationis* 21 *Januarii* 1756 §. 11 *coram Caprara, et in Romana, seu Tudertina Purgationis moræ* 27 *Aprilis* 1807 §. 7 *coram Bardaxi.*

Ad eam vero juris sanctionem, pa- 3
ctique observantiam, quam ipse probavit, declinandam, inutiliter prorsus obiiciebat Marianius resolutionem contractus in casu haud præstitæ fidejussionis minime conventam fuisse. Pacto enim resolutivo primum opus non est, cum neglecta conventio contractus substantiam lædit, quia hoc in casu nil certius est in jure, quam, ut Legis ministerio contractus rescindatur, veluti, ac si pactum resolutivum contractui inesset, uti pluribus adductis, demonstrat mea præcedens *Decisio* § 4. A veritate præterea prorsus distat, quod pactum resolutivum deficiat. Hoc enim implicite, ac virtualiter præsetulit obligatio præstandæ a conductore fidejussionis tanto studio a Locatore conventa = *per sua maggior sicurezza* = quam frustra ipse in Locationis tabulis conscribi curasset, nisi, ea neglecta, con-

tractus corruere deberet, ut ponderat superior *Decisio* § 4. Quod eo magis tenendum est, quia pactum resolutivum non semel, sed bis autea adjectum, si forte conductor moram in exsolvendis pensionibus faceret et ad casum etiam haud exhibitæ cautionis esse trabendum, manifestissimum est. Nam si mens Contrahentium, atque contractus spiritus spectetur, non vero scripturæ ordo tantum inspiciatur, nemini potest esse dubium eam fuisse Locatoris voluntatem, ut contractus rescissione prospicere suæ indemnitati non minus voluerit, si non solverentur pensiones, quam, si fidejussio non exhiberetur.

3 Nec melius obiiciebat Marianius quod cum in contractu præfinitum non fuisset tempus ad fidejussionem exhibendam, hoc ab ejus tantum voluntate pendere deberet. Posita namque promittentis obligatione, sed deficiente in contractu prestitutione termini ad eam implendam, præstitui hic debet prudenti Judicis arbitrio, uti reapse instante Del Monaco, ad illius implementum, ne conventio irrita fieret, dies quindecim a Tribunali A. C. fuerunt Marianio constituti. Incivile vero erat hoc ab ipso obiici, qui termini præfinitionem, illius prorogatione petita, uti superius dictum fuit, judicialiter probaverat. Perperam etiam a Marinio proponebatur, quod agatur de nominato contractu, in quo conventionis inadimplementum ex parte alterius e contrahentibus non contractus resolutioni, sed actioni ad implementum aditum præbet. Præter quam quod enim exulat hæc juris regula, quoties inadimplementum conventionem respiciat, quæ contractus finalis causa fuerit, ita ut absque ea, contractus initus non fuisset, uti, præter adductas Auctoritates in mea *praeterit. Decis.* § 5., docent *De Luca discurs.* 13 *num.* 14 *de empt. et vend., et Rota in Decis. Romana Relevationis damnorum* 12 *Junii* 1755 § 10 *coram Amadeo*; objectum etiam a themate alienum prorsus est, quia Locator Del Monaco rescissoria actione non agit, sed mandatum ad factum ut promissa cautio exhibeatur, expostulat.

Satis superque igitur omni contrario eliminato objecto, Decreti A. C. patet justitia. Verum, et illud quam maxime urget, quod eo magis hoc mandatum esse exequendum suadet, nempe Marianium in adeo miseram venisse conditionem ut non solum jamdiu a solutione pensionis defecerit, sed impar prorsus solvendo, et in posterum effectus sit. Constat siquidem, tum inducias, quæ decoctis concedi solent, ei fuisse a Sacra Congregatione Visitationis Carceratorum indultas; tum nil aliud in domo ab eo inhabitata fuisse repertum, cum exequutioni committebatur mandatum a Joanne del Monaco pro pensionibus insolutis obtentum, nisi = *due letti con un sol materazzo, ed alcuni oggetti di Vestiario di poca considerazione* = Quare, cum æquitas non patiatur ob conductoris egestatem adduci Locatorem in discrimen, et evidens periculum amittendæ pensionis, neque absurdum sit permittendum, quod ipse cogatur Judicem semper adire, ut super prædiorum locatorum fructibus suam indemnitatem quærat, sicuti perpetuo antea facere coactus fuit Del Monaco, cum præsertim hujusmodi provisio in annis sterilibus non sufficiat ut Locatori de pensione satisfieri possit, hinc aut fidejussionis exhibitione, sine qua consultum ei esse non potest, aut contractus rescissione succurrendum absque dubio ei est. Ineptissime etiam Marianius contendebat, satis jam Locatori fuisse consultum ex pluribus melioramentis, quæ ipse in prædiis Locatis explevisse asserebat, ita ut exinde Locator fidejussionem exposcere prohiberetur. Plura enim objectum refellunt. Primum quidem jus, ex pacto altero contrahentium quæsitum, tolli non potest; dein de melioramentis non constat; quin immo eorum existentia excluditur ex natura, et qualitate Locati fundi, ad pascua, et segetes tantum destinati; nec, si existerent, apta essent ad constituendam Locatoris indemnitatem quoad annuæ pensionis solutionem usque ad terminum affictus, eoque magis, cum ea evanescere possint. Scitum est vero in annuis obligationi- 4

bus cautionem usque ad finem contractus perpetuam esse debere ad tradita *per Rot. in Decis. Romana Reservationis damnorum* 12 *Junii* 1752 § 12 *coram Amadeo*. Hæc tamen disputatio de melioramentis pertinet ad dispunctiones rationum in congruo judicio locatione finita, explendas, et ad debitum creditumque inter conductorem, et Locatorem proveniens e rei locatæ conditione, dum ea huic ab illo restituatur, de quibus suo loco, et tempore agi poterit, sed aliena prorsus est a præsenti themate.

5 Quæ cum ita sint, sponte sua consequitur a conductore Marianio, nisi malit e fundis conductis discedere, fidejussionem esse præstandam intra quindecim dies, uti Decreto A. C. definitum fuit. Quin immo eo favorabilius excipienda est hæc definitio, cum Summa benignitate agat adversus Marianium Locator, qui rescissoria actione illum a conductione expellere posset, et nihilominus ejus arbitrio relinquit, vel fidejussionem præstare, vel a contractu recedere. Jure enim ad contractum rescindendum ageret locator, tum ob non præstitam fidejussionem, uti animadvertit præcedens *Decisio* § 5., tum ob moram in pensionibus exolvendis, cum non æquum sit, ut qui in solutione pensionis defecit, is re utatur, quam unius pensionis intuitu accepit utendam, eo vero præsertim cum rescissio hoc casu conventa fuerit, beneficioque moræ purgationis Marianius renunciaverit, uti mea animadvertit præcedens *Decisio* § *fin.*, tum demum ob immutatam conductoris, ex superventa egestate, conditionem, uti docet *De Luc. de Locat., et conduct. Discurs.* 17 *n.* 13. Tandem, ne ulla amplius quoad hujus mandati exequutionem esse possit hæsitatio, illud etiam accedit prorsus ineluctabile, quod Marianius, ipse, editæ definitioni obtemperans, prorsus fasces submisit. Nam in Libello, quem, ut Novam Audientiam adversus priorem Decisionem impetraret, porrexit, plura bona, quæ possidere dixit, hypothecæ vinculo obligare pro securitate Locatoris, promisit, declarationemque Hieronymi Mariani attulit, qui Locatori favore cedere hypothecas pollicitus est, quas ipse super iis conductoris bonis habet inscriptas. Disputatio vero an bona, quæ hypothecæ vinculo subjicienda offeruntur, in Locatoris cautionem, extent, et an ex iis Locatoris indemnitati prospici possit, ad rem haud pertinet præsentem; sed hæc oblatio quam maximi ponderis est ad evincendum, quod Marianius justitiam mandati A. C. agnovit, ita ut hujus exequutio differri diutius nequeat.

Et ita etc. Unica etc.

TUSCULANA MANUTENTIONIS

SEU REINTEGRATIONIS

Lunae 14 *Maii* 1821.

ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. *Actio Spolii, quia odii plena est, perspicuis probationibus fulcienda est, non modo quoad factum, sed insuper quoad personas, quibus spolii crimen appingitur.*
   Actore intentionem suam minime probante absolvi reus omnino debet – ibidem. –
2. *Qui nullimode indictum fuit vadimonium, neque sistit judicio, damnari nullo modo potest.*
3. *Reintegratio, sive manutentio est illi concedenda, qui de longaeva possessione probationem adfert.*
4. *Qui pervicacia injustam litem substinet ad ferendas expensas damnari debet.*

DECISIO LXI.

Oppidum, quod vocant *Monte Porzio*, una cum Territorio; pascuis, Sylvis, omnibusque adnexis, et signanter aquarum omnium, quæ per illud Territorium fluunt, dominium jam usque a remotissimo Ævo Inclita Gens Burghesia a nobilissima Gente ab Altemps emptionis venditionis titulo acquisivit. Extruxit deinceps illius Oppi-

di Communitas in publicam utilitatem, et commodum Fontem, Aqua ad id necessaria a Principe Johanne Burghesio eidem concessa, hac cum expressa conditione, quod concedens *resti assoluto Padrone di tutto il ritorno di dette Acque* » Extat in Agro ipsius Oppidi *vicinalis* via, quæ pergit ad nemus, quod audit » *Fontana Candida* = et Fons ille nomen ab hac via vulgo acquisivit » *della Torricella* » In hujus vero viæ dextero latere ubi positus fons est, bini jacent contermini fundi, quorum alterum Fonti Superiorem, ad Battifolios olim pertinentem, habent nunc Dominicus Antonius, aliique Fratres de Frizzoliniis; alterum inferiorem possident Laurentius, et Antoninius Fratres de Albertatiis, Emphyteusis perpetuæ nomine a Burghesiis, eorum majoribus concessum, una cum » *l' Acqua del ritorno di detta Fontana per quel jus, che S. Eccellenza vi ha* = Hanc sane Aquam vel ipsa Naturalis loci declivitas ad inferiorem fundum Albertatiorum ultro ducebat, qui ulla absque controversia diu eadem gavisi fuerunt. Vetustam hanc Albertatiorum possessionem turbare primum Anno 1772. pertentarunt Battifolii, dum superiorem, Fontique viciniorem fundum possidebant qui nunc ad Frezzolinios spectat. At Res judicata illorum conatus repressit, atque Albertatiis quæsitum jus obfirmavit.

Labente verum Anno 1819. cum prædicta Communitas non nullas in via, in qua fons fuit extructus, explevisset reparationes, ex hisce, dum Aquæ fluxus per mediam viam impeditus fuit, aversus fuit etiam ejus decursus ad fundum Albertatiorum, atque ea fuit compulsa ad defluendum in Fundum Frezzoliniorum, quamvis fonti superiorem. Lis hinc primum inter duorum prædiorum dominos exarsit. Contendebant siquidem Albertatii sese Frizzoliniorum facto Aquæ commodo spoliatos fuisse, e contra hi, licet eam utilitatem sibi obventam minime dispiciendam arbitrarentur, opponebant attamen innovationes ab ipsa Communitate processisse quæ viam a defluentibus Aquis liberare voluerat. Sacra Boni Regiminis Congregatio, quam Albertatii adierant, ut res in pristinum restituerentur instantes, accitis Municipii Rectoribus, et interesse habentibus, cum audiisset Albertatios, et Frizzolinios de jure ad eam Aquam inter ipsos contendentes, Albertatiorum instantiam dimisit Rescripto » *Utantur juribus suis coram quo de jure* = Contentio ideo coram A. C. Trium viris instaurata fuit, et Præsul Mastai, ex delegatione Tribunalis una cum perito ad locum controversiæ sese contulit, atque, nedum de existentia spolii, de quo quæstio erat sed etiam de illius Auctore ex Decreto Delegationis referre debuit.

Cum vero hæc gerebantur in Arenam descendit Montis Portii Communitas, et de suo quoque interesse in ea disceptatione agi causans, rem primum avocari studuit ad S. B. Regiminis Congregationem, petita in antecessum a Signatura Justitiæ Actorum omnium circumscriptione ex asserto in Tribunali A. C. Jurisdictionis defectu; At post nonnullas extrinsecas vicissitudines Rescripto » *Nihil* » ejus petitio rejecta fuit. Tum Juridicus A. C. Conventus die 16. Augusti 1820. spolii purgationem et reintegrationem, ac manutentionem » *nel quieto possesso dell' enunciato Corso dell' Acqua di ritorno* = A Frezzoliniis. appositis relaxatis Mandatis, esse Albertatiis præstandam decrevit, illis vero provocantibus, rei cognitio S. Nostro Ordini ablegata fuit. Definita primum, quæ orta fuerat de Dubii formula quæstione, hoc mane Patribus illud ab ipsis probatum, et ita conceptum » *An constet de spolio et quomodo sit purgandum, et sit locus manutentioni, ita ut mandata A. C. sint exequenda in casu etc.* proposuit et responsum accepi » *Quoad Spolium negative, quoad reintegrationem Affirmative, et esse relaxandum Mandatum favore fratrum Albertazzi.*

Quæstio omnis de jure, quo usque 1
a remotissimo ævo sese pollere summa animi contentione defendebant Fratres Albertatii ab ipsis Frizzoliniis pe-

nitus hodie sublata est, utpote qui libenter jus illud admittant, obtestantes, ne verbum quidem contra illud esse proferendum. Inquirendum itaque tantum est de spolio, deque petita reintegratione, et manutentione. Porro in dubium vix revocari valet spolium revera Albertatios passos fuisse. Aqua enim, quæ a Fonte Publico » *della Torricella* » redundat, quæve ex præcipua concessione Gentis Burghesiæ Aquarum Territorii Montis Portii Dominæ, ad illos spectabat, et in illorum prædium defluebat, extructo opere eis nullo jure ablata fuit; quod actum constituit omnino Spoliativum. At Spolii Actio ad illius purgationem obtinendam ab Albertatiis in Frezzolinios directa, cum odii plena sit, et crimen quodammodo in spolii assertis auctoribus ponat, perspicuis et nitidissimis fulcienda esset probationibus, non modo quoad factum ipsum quo Spolium patratum fuisse contenditur, de quo revera ambigi nequit, sed insuper quoad personas quibus Spolii crimen appingitur et improba spoliatoris nota inuntur; quas spolium patrasse ita certum, et evidens esse deberet, ut de hoc dubitare nullimode permissum foret. ***Rot. post. Posth. de Manut. Decis*· 404. *n.* 4. *Decis.* 39. 2. 3. *et* 9. *Tom.* 7. *in Nuper* : *in Imolen. Spolii* 13. *Martii* 1752. §. 2. *coram Amadei in Alatrina super expensis extrajudicialibus* , *et damnis* 12. *Junii* 1772. §. 11. *coram Riminaldo* , *et in Viterbien. super* 1. *dubio quoad spolium* 27. *Junii* 1789. §. *fin. coram Flangini.***

2 Atqui spolii illius Frezzolinios Fratres Auctores fuisse Albertatii, qui actorum substinent partes, iis, quæ requiruntur, ineluctabilibus probationibus haud ostendunt; haud esse igitur illos ad Spolii purgationem condemnandos æquitas, et justitia suadent. Præterea, licet Frezzolinii, qui reorum hoc in judicio personas gerunt, vel in una Albertatiorum intentionis denegatione satis tuti esse possent, ex vulgatissimo juris adagio, quod, actore intentionem suam minime probante, absolvi reus omnino debeat, attamen, permultis iisque non dubiæ fidel, allatis monumentis, confecerunt Spolium, de quo quæstio est, ab ipsius Communitatis facto processisse. Id sane manifeste patet primum ex univoca depositione testium, qui eidem Communitati a consiliis sunt, quique judiciali examini subjecti fuere. Narrant enim ipsi illud opus, quo transitus per viam » *della Torricella* » liberior incolis, et vectoribus, impedito aquarum per eam defluxu, patere cæpit, et quod necessario aquam Albertatiis abstulit viarum magistros ex ipsius Communitatis pandita voluntate, expressoque mandato perfecisse. Deinde vel eadem Communitas apud Signaturam Justitiæ. dum, nemine illam provocante, Actorum omnium hujusce litis circumscriptionem flagitabat solemniter fassa fuit, ipsa mandante confectum fuisse aquæductum ad aquarum diversionem in fundum Frezzolinium, ne Impervius, per viam publicam transire volentibus, fieret accessus. Ex quibus cum satis constet spoliativum opus ab ipsa Communitate minime vero a Frezzoliniis processisse; hinc itaque absolvendi hi sunt a petita per Albertatios Spolii purgatione; quin tamen Communitas damnari queat, cui nullimode indictum vadimonium fuit, neque hoc sistit judicio.

Denegata autem Albertatiis spolii purgatione ex parte Frezzoliniorum, non idcirco eis unquam denegari poterit manutentio, seu reintegratio in derivatione aquarum a superius descripto fonte » *della Torricella* » Hoc siquidem derivandæ aquæ jus, quemadmodum superius dictum fuit, acquisiverunt ipsi a Burghesia Gente, omnium Aquarum, quæ Territorium Montiis Portii interfluunt, domina, in Emphyteutica fundi, quêm possident, concessione; hoc pacifice semper usi fuerunt ad eam usque diem, qua Battifolii, ut pariter jam fuit narratum, illud turbare pertentarunt, sed consultissimæ Rei judicatæ Auctoritate, ac præsidio fuit ipsis Albertatiis servatum. Hodie autem hisco omnibus adstipulatur ab ipsis Frezzoliniis ingenue e- 3

missa prædicti juris probatio, ac confessio. Quæ omnia, cum de longæva illorum possessione dubitationem quamlibet, vel minimam, removere valeant, Patres ad petitam reintegrationem, sive manutentionem eis concedendam aduxerunt.

4 Post hæc constituta inquirendum supererat, cujus impensa Aquarum defluxus in Albertatiorum prædium restituendus esset. Hic vero perpenderunt Patres cunctas ex parte Albertatiorum allatas probationes tanti quidem non esse ut odiosissimam Spoliatorum notam Frezzoliniis absolute inurere valeant, ita ut ad omnimodam illius purgationem damnari queant. At ex illarum probationum cumulo aliquod haud irrationabile dubium contra ipsos Frezzolinios oriri posse viderunt. Non erat quippe spernenda omnino relatio Dominici Flacidi Periti Agronomi, qui ait » *lo Scolo dell' Acqua della detta Fontana tende al retto declivio non solo della Strada, ma anche del Canneto dei Signori Albertazzi* = *Al contrario li Sig. Frezzolini per introdurla nel loro Canneto trovandosi questo in situazione più eminente sono stati costretti farci il fosso, ed un riparo così forte di terra, e Sassi, acciò l' Acqua non riprenda più il suo primiero ed antico corso, mo sormonti e s' introduca nel loro Conneto* = Atque consona narratio alterius Periti Agrarii Joannis Baptistae Fiorelli, a Communitate electi, qui refert » *Essendomi portato sulla faccia del luogo, ed avendo fatto le più mature riflessioni, rilevo che il Terreno dei Signori Frezzolini è Superiore al piano della Strada dove cade il sopravvanzo di detta Acqua, motivo per cui li detti Frezzolini hanno dovuto fare a traverso la larghezza della Strada dalla parte di sotto la Fontana un ripieno di Terra, ed un Fosso lungo palmi* 18. *e profondo palmi due e mezzo per impedire così all' Acqua il suo antico, e naturale corso*. Hinc facile in eam sententiam Patres venerunt, ut expensis Frezzoliniorum aquæ cursus restituatur. Vel enim, quæ ex iis relationibus exurgit probabilitas, vel etiam ipsorum pervicacia, qua injustam litem contra Albertatios tamdiu substinuerunt, spectetur, nil profecto ipsi, de quo querantur habent, si ab omnimoda Spolii purgatione absoluti, ad illas tantumodo ferendas expensas damnentur.

Et ita etc. Utraque.

VELITERNA RESPONSIONUM

Veneris 8 *Junii* 1821.

ARGUMENTUM

Colonus nequit immutare formam veteris culturae, absque domini directi consensu. Etsi hic, per novam agrorum culturam, quid ex veteribus fructibus ammittit, id per novorum fructuum praestationem recuperare debet.

SUMMARIUM

1. *Si Colanus dolo malo immutavit formam colturas, tenetur nihilominus ad rependendos domino directo fructus juxta veterem consuetudinem.*
2. *Latifundii status, ac innovationes per colonos peractas, optime dignoscuntur ex relationibus viri periti, ac depositione testium.*
3. *Antiqua Velitrensi territorio consuetudo viget ut ponantur vineae* e ad vites bassas domesticas *a ne nocuis frugiferarum arborum umbris opprimantur.*
4. *Qui vineas terrasque retinet alterius dominio subjectas, partem non moda musti, sed etiam aliorum omnium fructuum rependere tenetur.*
5. *Colonia, est quaedam Societatis species, qua unus rem, alter operam et industriam confert.*

   Si Dominus ob novam agrorum colturam, quid ex veteribus fructibus ammittat, id per novorum fructuum praestationem recuperare debet - ibidem. -
6. *Concessionum Instrumenta in eodem territorio exarata, valde probant, quae fuerit consuetudo circa fructuum responsionem.*
7. *Simplices enunciationes, ad proprium commodum prolatae, nullam probationem constituunt.*
8. *Edictum legis vim habens, parendi necessitatem secumfert in omnes illos, qui degent in territorio quo vulgatum fuit.*
9. *Privata vitiosa Scriptura, nullam constituit probationem.*

10. Testes ad proprium commodum deponentes, et nunquam formiter repetiti, nullam in judicio fidem merentur.

11. Negativa observantia, contra expressum titulum, tamquam abusiva, est omnino contemnenda.

Ex Ministrorum negligentia detrimentum ullum Communitatis juribus afferri potest – ibidem. –

DECISIO LXII.

Latifundium extat in Velitrarum Territorio, cui ab Ara Jani, quæ ibi olim fuisse fertur, factum est in vulgus nomen = *l'Ariano* =, trifariam quoad culturæ modum divisum: pars enim nemora, et sylvas, habet, pars dissitis constat terris, vineis, et sylvis aut commixtis, aut adjacentibus in quibus Cerealia seruntur; pars demum vineas tantummodo frugiferis etiam arboribus refertas continet. Sylvas raro locare consuevit Velitrarum Communitas, ad quam vel a remotissimo ævo, plenum universi prædii dominium pertinebat. At veteres illius Moderatores cæteras fundi partes Colonis concessere, ut illas singulorum naturæ, et institutioni accommodata culturæ forma excolerent, et aliquid Communitati, ex cujus possessionibus fructus bauriebant, rependerent: scilicet quoad terras redactas ad usum vinearum, juxta consuetudinem Territorii Velitrensis consitarum, cum hæ graviores quotannis sumptus pro necessaria cultura exigerent, hinc mitior colonis indicta fuit lex præstandi = *octavam tantum partem fructuum omnium colligendorum* = quo tamen ad terras satas, ad frumentum, segetes, aliosque fructus minori cultura, impensaque percipiendos, veteres illi coloni se libenti animo obstrinxerunt ad exhibendam = *quintam partem cujuscumque generis fructuum* =.

Ex hisce conditionibus prædicti latifundii partes a Communitate villicis concedi jam usque a superioribus sæculis consuevisse innumera fere ostendunt monumenta; quæ inter primum obtinet locum Edictum de anno 1546. a Cardinali Tranensi, Velitrarum Antistite promulgatum. Eo siquidem præscriptum fuit, ut Coloni omnes = *qui aliquas res stabiles a Velitrarum Communitate ad longum tempus ad vitam unius, vel plurium conduxerint* = rependerent = *certam partem puta octavam grani, hordei, seu alterius fructus: Si res tamen ipsas vel aliquam portionem non serant, sed pro alveariis, cupellariis at vulgo dicunt, cannetis, hortis, et similibus utuntur, debeant intra tres dies describere facere quantitatem rei sic permutatae et pro ipsa quantitate responsionem anno quolibet facere* = addita sanctione = *Quilibet syndicus teneatur particulariter, et peculiarem curam habeant observari facere dicta omnia sub paena* 50. *librarum* =, atque ut vineæ quoque nominatim in lege compræhenderentur ima cera declaratum fuit = *quod omnia dicta decreta ordinata; et firmata locum habeant similiter in locatariis vinearum, et aliarum quarumcumque rerum Communitatis* =. Legem quæ extat in fronte Codicis, cui titulus = *Concessioni a scassare, e Canoni* =, exequutioni plene fuisse mandatam probant concessionum Instrumenta, annorum præcipue 1566., et 1592.; ac generatim illa omnia, quæ = *sono stati stipolati in esecuzione di quell'editto* = quibus teste eo qui est Communitati a Secretis, apparet Colonos omnes perpetuo promisisse = *Octavam partem omnium fructuum ibi colligendorum* =.

Sed quoniam ea regio hyemalibus vel maxime subest frigoribus; ideoque frugiferæ Arbores, et steriles in ea esse solent, et vel maxime subjectis vitibus nocere; antiquæ fidei viri, qui primum terras illas coluere, de servanda ad unguem eis præscripta culturæ forma solliciti fuere, et perpaucas, et raro in intermediis vinearum spatii arbores serendo, et vinea retinendo = *ad vites bassas domesticas juxta consuetudinem Velitrensem* =: ex quo factum est, ut, qui tunc Communitatis negotia curabant, interdum e re minime duxerint exiguos earum arborum fructus a singulis Colonis, nimis procul a Civitate degentibus exigere, qui tamen ultro fructuum primitias Communitatis Moderatoribus offerebant. Cæterum, præter mustum, cujus Dominicales partes Communitas Domina seorsim locare solebat, aliorum quoque

fructuum partes percipiendi jus integrum eidem semper fuisse publicus ostendit liber, quem *Consiliorum* vocavit ab anno 1607., usque ad annum 1721., quæque in eo extant Municipales Leges pro stabili locationum ineundarum norma propositæ, quibus novem annorum spatium locationibus præfinitur, fructusque omnes a conductoribus percipi posse declaratur, nominatim exceptis = *mosto, e frutti di Vigne, e suoi distretti, quali la Communità si riserva locarli separatamente* = Id ipsum scatet ex successivis concessionum publicis tabulis annorum 1610. 1660., et 1716. atque ut generatim testantur libri = *intitolati Instrumentorum dall'anno* 1506. *in poi* = quamplura extant instrumenta, quæ præseferunt = *l'espressione dell'ottava parte di tutti i frutti oltre il mosto* =.

Quoniam vero do anno 1722. inter eam Communitatem, et nonnullos Ariani Colonos, qui jure civico lignandi, utendique lignis quibusdam ad agriculturam aptis frui debebant, quæstio orta fuit, an dominicalis eorumdem lignorum pars juxta concessionum pacta per Colonos præstari deberet, duplex tunc prodiit S. Boni Regiminis Congregationis sententia, altera nempe, eodem anno 1722., altera labente anno 1731., ex quibus exorta resjudicata Communitatis jus illud firmavit. Novæ deinde ab ipsa Communitate stipulatæ fuere concessiones cum Colonis Petro, et Paulo Serangeli de anno 1738. semperque assueta responsione = *octavæ partis omnium fructuum ibi recolligendorum* =, et quia sive colonorum fraude, sive Exactorum oscitantia per aliquot annos cæterorum fructuum præter mustum debitam portionem haud exegit Communitas, annò 1758. Cardinalis de Ilcio, tunc Velitrarum Episcopus, et Gubernator, Edicto eosdem Colonos adegit = *a dare per risposta delle vigne la terza parte di ogni genere di fruttato alla Communità e suoi affittuarj* =. Rursus die 26. Decembris anni 1776., alter pariter Cardinalis Albani, Sacri Collegii Decanus, altero vulgato edicto jussit = *debbano tutti li possessori delle vigne dell'Ariano, nonostante il loro lunghissimo possesso, stipolare nella Segreteria conservatoriale l'istromento di ricognizione in Dominum a favore della Communità con dichiarazione che questa debba stendersi con quelle formalità, condizioni, ed obblighi soliti apporsi nelle prime concessioni* =, et illico paruerunt Coloni omnes Ariani; hac plerumque in instrumentis adhibita formula = *recognoscit in Dominam Communitatem proprietariam, cui tradere promisit responsionem dominicalem ad octavam partem omnium fructuum juxta solitum dictae Tenutae, quoad vineam, et quoad cæduam ad quintam respective* =.

Nihilominus baud multo postea callidiores nonnulli ex iis raras ponere vites cæperunt = *nei larghi* = sive inter vinea extantibus, sive eis adjacentibus, novaque hac inducta, agricoltura neque musti responsionem Communitati pendebant, quia ex paucis huc illuc, ad speciem tantum sparsis vitibus, spissis arborum frugiferorum umbris sub frigido cælo, et nimia aliarum plantarum frequentia oppressis, nil fere uvæ hauriebatur; neque aliorum fructuum, quia eos colligebant in locis vineatis, ex quibus, præter mustum, sese nil aliud Communitati dominæ debere contendebant. Interea tamen Ariani Latifundium in dimissionem contracti æris alieni cessit Communitas Rev. Cam. Apostolicæ, quæ illud in perpetuam Emphyteusim concessit fratribus Romani Velitrensibus. Cum vero hi Emphiteutæ anno 1801. Andreæ Tardozzi, et Paulo Carnevali ad triennium locassent = *i larghi annessi alle Vigne, e cese dell'Ariano, e Commune provenienti tanto dalle scossure, quanto dalle cese annesse alle vigne* = Atque insuper responsiones a Colonis rependentes = *a tenore degli Istromenti d'investitura* = e pluribus testimoniis constat, hos ab anno 1811. ad annum usque 1814. sine tergiversatione responsiones præstitisse fructuum omnium = *nei larghi delle loro vigne, e nelle ecossure delle cese nei loro filoni, e nelle vigne decadute, e canneti ecossi* =.

At deinceps, suadente quodam Nicolao Blasi, altero ex Colonis, horum nonnulli debitas fructuum omnium præstationes cæperunt detrectare, pars vero horum maior, et sanior, non modo in officio perstitit, verum etiam reluctan-

tes Colonos quod calumniosam excitassent litem, coram Eminentissimo Episcopo redarguit. Tum Carnevalius, et Tardotius, ex sibi acquisitis juribus Communitatis contra renuentes Colonos coram Veliterno Vice Gubernatore judicio primum egerunt, et adversum judicii exitum passi, apud R. P. D. Auditorem Generalem Eminentissimi Episcopi petitionem instaurarunt. Hujus vero Sententia definitum fuit a Colonis tradendam esse, tum = *quintam partem omnium fructuum qui in arvis, et campis, ac in terrenis largis, seu sodivis existentibus in vineis, illarumque adjacentiis colligerentur*, tum etiam *octavam omnium, et singulorum fructuum perceptorum ex satis cujuscumque generis existentibus in terrenis vineatis* = Hinc ex Sententiarum conflictu res ad Nostrum Ordinem concedit, et proposita Causa die 26. Junii Anni 1816. a R. P. D. Tassoni, uti Prælato, frustra dilationem petentibus Colonis, Actorum petitio admissa fuit = *in omnibus ad formam Sententiæ R. P. D. Auditoris Generalis Eminentissimi Decani* = ac una simul decreta fuit *provisio* pro deposito recollectarum frugum per colonos explendo apud publicum Velitrensem Depositarium. Tunc geometrica quædam exarata fuit demonstratio super Latifundii statu, et vinearum cultura, pluresque Coloni obligationem omnium fructuum conventas partes rependendi iterum agnoverunt, totidem publicis instrumentis. Die vero 13. Decembris 1816. et 2. Junii 1817. Causa iterum proposita a Reverendissimo P. D. Meo nunc Decano Serlupi utrinque partibus certantibus, S. Ordo constanter stetit = *In Decisis* = et hinc prodiit *Rotalis Sententia*. Provocantibus autem nonnullis ex Colonis (major enim eorum pars solemnem renunciationem liti emisit) assuetam hodie ego proposui dubii formulam = *An sententia Rotalis sit confirmanda, vel infirmanda in casu etc.* = eisque silentibus, Patres responderunt =*Sententiam Rotalem esse confirmandam*=.

1 Sententia porro, adversus quam insurgunt Arianenses Coloni, quæque præcedentem aliam R. P. D. Auditoris Generalis Emi Episcopi Velitrensis confirmat, id statuit quod ipsa natura rei controversæ partim ad Dominum, partim ad Colonum pertinentis exigit, et quod rursus initus inter illos ea de re solemnis contractus constituit, ac expressa Legum dispositio sanxit, et rerum judicatarum auctoritas obfirmavit. Quandoquidem primo utriusque Sententiæ capite Arianensibus indicta fuit præstatio quintæ partis fructuum omnium, qui = *in arvis terrenis largis, sive sodivis existentibus in vineis illarumque adjacentiis* = colligi possunt. Hæc sane Sententiarum pars adeo prædictis innumeris propemodum monumentis consona vel ipsis Colonis visa fuit, ut eam acceptam habuerint, nec amplius hac de re ulla sit quæstio. Verum, ut ipsi pactum illud *quintæ partis* fructuum ex arvis sativis rependendæ in primis concessionibus appositum everterent, ubi arva erant, aliquam vitem specie tenus posuerant, ac reapse, frumentum, aliaque legumina sibi serebant, atque colligebant, ubi vero vinea a priscis Colonis fuerat juxta Velitrensem consuetudinem consita, neglecta cultura, ingentia spatia deserta efformaverant, in quibus pariter triticum, aliaque cerealia serebant, et sic immutata agriculturæ forma, quoniam nil aliud directo Domino sese ex positis vineis debere autumabant præter octavam solius musti partem, hinc arvorum integre lucratis fructibus, nihil aut, fere nihil ex paucis vitibus segnius excultis rependere propositum eis erat, Nunc itaque contendunt, sese præter mustum, obstrictos non esse ad responsionem octavæ partis fructuum, quos colligunt = *ex terrenis omnibus realiter vineatis juxta consuetudinem Veliternam plantatis ad vites bassas domesticas* = contra secundum sententiæ caput. Machinatione itaque detecta jure meritoque cogendi iidem fuerunt ad octavam partem fructum omnium, *ex terrenis vineatis*, pensitandam.

De hujusmodi vero mutationum quibus Coloni de vineis, nonnullis ad speciem tantum vitibus relictis, arva fecerunt, de arvis vineas, nonnullis pariter vitibus positis, simularunt; qui in 2

Dominæ directæ jura successere dilucidam afferunt probationem per peritiam *a binis ipsius Agri Colonis* perfectam, qui dum totius Latifundii statum diligenter describunt, innovationes a singulis in respectivis terrarum partibus invectas, ut debitas responsiones vel ad nihilum redigerent, enarrant. Ac primum de Colono Nicolao Blasi, hujusce litis antesignano, ita de visu referre non dubitant = *Niccola Blasi porzione della vasta scossura seminata a grano, che dopo nato il medesimo circa due anni sono vi piantò delle viti a filoni larghi, e che la maggior porte appena sono un palmo, e mezzo sotto terra abbiamo osservato che il seminato del grano è addosso alle viti in maniera che le ha poste sotto, ed affogate di modo che il grano non è stato seminato lontano da dette viti, ma è stato fatto tutto un compo seguito, e si vede benissimo che le viti sono state messe fraudolentemente per tentare di non dare la risposta del seminato* = Ita pariter de alio Colono Antonio Favale = *alli filoni piantati fraudolentemente gronturco Rubbia due deve di risposta allo quinto parte scorsi cinque, ed un quartuccio, e mezzo, grono scorsi otto, fagioli scorsi dieci, e nella cesa scossa senza licenza, e posta a filoni con frode come addietro* = ita demum, cæteris omissis, de altero etiam Colono Clemente Conti = *alli filoni della scossura fatta, e passinata a filoni fuori di misura, grano rubbio uno, e mezzo deve di risposta cinque scorsi granturco Rubbia due, e mezzo deve di risposta ecc. Si avverta che in detta scossura le viti che sono state affogate ogni anno dolla semenza non hanno mai prodotto.*

3 Si igitur Ariani cultores ita prædia coluerunt, ut illorum naturam, nomenque minime servaverint, et ubi vineæ antiquitus extabant cujuscumque generis segetes serendo arva fecerint, ad dominicas portiones ex satis quibuscumque exhibendas, juxta Peritorum relationem jure, meritoque damnati fuerunt. Summa autem cum injuria opponunt arva, in quibus aliquæ conspiciuntur vites inter vineas esse recensendas, et ideo octavam ex iis tantum musti partem ab ipsis rependendam esse Communitati, sive eis, in quos Communitatis jura translata fuere, nil vero quoad alios fructus, qui ex iis etiam recolliguntur arvis esse præstandum. Etenim animadvertendum primum occurrit antiqnam esse Veliternsis Territorii consuetudinem ab ipsis Peritis, quos Coloni, in anteactis Causæ disceptationibus induxere probatam, laudatamque, ut ponantur vineæ = *ad vites bossas domesticas* = Arcto scilicet vitium ordine conclusæ illæque nec nocuis frugiferam arborum umbris opprimantur, neque aliis inter lineas insertis plantis necessario humore fraudentur: Hoc vel in omnibus concessionum instrumentis cautum, dum agrestibus vineas plantandi potestas facta fuit = *juxta consuetudinem Velitrensem* = Hanc methodum pro eorum fide servarunt vetustiores Coloni quare Communitatis Moderatores fructuum, qui in nimis exigua quantitate, aut fere nulli ab illis colligebantur, dominicam portionem exigere interdum neglexerunt, maxime quia, præter fructuum primitias a Colonis oblatas, satis abundantem musti responsionem ex diligentiori vitium cultura percipiebant.

Verum non ita agunt, qui hodie iis in agris versantur, hi enim, vel ipsis eorum Peritis referentibus = *tutti s'industriano a invertere la coltura di esse* (scilicet vinearum) *ajutondosi o seminare nelle medesime, e piantarvi alberi lo che pregiudica non poco le viti.* = Porro, si nec antiquis eis Colonis licuit, nisi ex indulgentia, aut si mavis oscitantia Ministrorum fructuum omnium, excepto musto, debitam responsionem retinere; multo minus hodiernis Colonis fas erit utpote, qui variata veteri culturæ forma, parum aut nihil ex perpaucis, et neglectis vitibus percipiunt ex quo Dominæ directæ seu Carnevalio, et Tardotio, qui illius jure ad hoc pollent, aliquid Dominicæ portionis nomine rependant. Nil itaque magis rationi et æquitati congruum est, quam ut, cum ipsi vineas, ter- 4

rasque retineant, alterius dominio subjectas, nec uvas dumtaxat exinde colligant, sed ex ipsis ad sata redactis triticum quoque, Indicum frumentum, atque legumina percipiant, ac poma, aliosque fructus ab arboribus in vinearum solo plantatis legant, octavam proinde, non musti modo, sed etiam aliorum omnium fructuum partem emphiteutis, vel conductoribus, vel istorum Cessionariis præstent; præsertim, quia, cum idem alienum solum, tum vites alat, tum semen sparsum excipiat, et fruges fundat, tum demum frugiferarum arborum truncos, ramosque nutriat, justitiæ consonum profecto est soli Dominum omnium fructuum participem fieri.

5 Et sane, cum nil aliud sit colonia, quam species quædam societatis, qua unus rem, unde fructus colligi possint, alter operam et industriam ad illos obtinendos confert, vel ipsa naturalis æquitas, et justitiæ ratio efflagitant, ut quemadmodum vitium, sic, et aliorum omnium fructuum satorum in alieno solo utilitatem cultor cum Domino communicare debeat, neque unquam illi liceat cum istius damno præscriptam concessi fundi culturam immutare, et ita cum aliena jactura locupletari. Quin imo certum est nullo modo in Coloni arbitrio positum esse Domini jura subvertere, eumque quolibet sub prætextu debita fructuum qui ex immutata agrorum cultura colliguntur responsione fraudare, ceu statuit *Rota in Albanen. manutentionis* 1 *Februarii* 1763 § 3 *coram Herrera*, *et in ejus confirmat. super bono jure* 4 *Julii ejusdem anni* § 2 *coram Veri*, *et melius in hujusce Causæ postrema Decisione diei* 2 *Junii* 1817 *coram Rmo P. D. meo Serlupi Dedano* = Hinc si forte Dominus ob novam agrorum culturam, quid ex veteribus fructibus ammittat, id procul dubio per novorum fructuum ex suo fundo collectorum correspectivam præstationem quodammodo recuperare debet, quæ idcirco eum indemnem tacita quadam subrogatione facere videatur, ut ad rem tradunt Doctores *ad cap.* 4 *de Decimis*, *et Rota in Decis.* 333 *num.* 8 § 3 *Recent. et in cit. Albanen. Manutentionis super bono jure* 4 *Julii* 1763 § 11 *coram de Veri.*

Quamquam ad hæc confugiendum esset, si Dominus cum Colono de solius musti præstatione pacto convenisset, atque cultor, loco vitium, alios fructus ex concesso solo, variata cultura, collectos sibi uni addicere vallat: tunc enim imminuta, sive adempta musti præstatione, Domino jus esset saltem loco damnorum, et interesse subrogatorum fructuum responsionem exigendi. At omnem in themate dubitationem excludit expressa Dominam inter et Colonos inita conventio, qua ita hisce tradita sunt prædia ad excolendum, ut nempe illa ad vineas redigerent juxta consuetudinem Velitrensem plantandas, atque octavam non modo musti, verum etiam fructuum omnium ibi colligendorum partam Dominæ rependerent. Hujusmodi pactum licet initio Carnevalius, et Tardotius ex sola generica attestatione illius, qui a Secretis Communitatis est, avincerent, in hac attamen postrama Causæ propositione, firmius comprobarunt pluribus allatis concessionum Instrumentis sæculorum præsertim *Decimi sexti*, *Decimi septimi, et Decimi octavi*, in quibus perpetuo Colonis universis indicta obbligatio legitur octavam musti, et aliorum fructuum omnium ex vineis colligendorum partem Domino quotannis præstandi. Haud igitur latet controversarum responsionum origo, ac titulus, quin imo cum illæ ex tot rite initis conventionibus, publicisque tabulis promanent, non debent hodierni Coloni, quod non semel, sed tot iteratis vicibus ipsis, vel eorum Auctoribus, majoribusque placuit, oppugnare. 6

Perperam vero ii contenderunt pervetustis tantummodo nonnullis concessionum Instrumentis ejusmodi expressam pactionem contineri, quam posterioribus sæculis novum jus eorum favore invectum ademerit, eosque a præstatione fructuum in vineis, præter mustum, collectorum liberaverit. Ete- 7

nim, quin ullas in tot sæculorum lapsu afferrent, sive publicas, sive privatas tabulas, ex quibus obligationem illam vel alicui Arianensium Colonorum remissam aliquando fuisse appareat, quamdam tantum protulerunt Notarii cujusdam Piazza Velitrensis attestationem, qui nonnullis allatis exemplis ab anno 1797 usque ad annum 1799, pleraque instrumenta sese exarasse refert = *di contratti di compra, e vendita di utili dominj di Vigne nella tenuta dell'Ariano* = in quibus ab iisdem Colonis, qui venditiones illas perficiebant, apposita fuerat enunciatio = *sotto la proprietà della Comunità di Velletri, o suo affittuario, a cui rende l'ottava parte del mosto solamente.* Hujusmodi vero enunciationes nullius ponderis sunt, utpote quæ a præsenti quæstione omnino aberrant, cum ad facta Colonorum, haud vero Communitatis Dominæ directæ respiciant, et ab ipsis Colonis ad *proprium commodum* prolatæ fuerint, ideoque nullam pro iis probationem constituere valent.

8 Præterea quotquot ea de re Communitatem inter et Ariani Cultores confectæ prostant publicæ tabulæ, eadem cunctæ præseferunt pacta eamdemque conditionem, et obligationem expressam musti, et aliorum fructuum cujuscumque speciei, et naturæ in eis vineis colligendorum octavam partem Communitati Velitrarum exhibendi. Neque id tantum primis temporibus, sed posterioribus quoque sæculis usque ad hæc nostra tempora, perpetuo observatum fuisse geometrica demonstratione ostendunt quatuor fere sæculorum concessionum instrumenta; ac eis uniformem omnium Colonorum Latifundii Ariani methodum esse testatur publicus illius Communitatis a Secretis. Quibus sane momentosis probationibus accedunt etiam, uti superius dictum fuit, tria Velitrensium Episcoporum in id vulgata edicta. Primum scilicet Eminentissimi Cardinalis Tranensis, quo usque ab anno 1546 sancitum fuit Colonos omnes, quibus res aliqua stabilis ad eam Communitatem pertinens concessa esset, certam *de omnibus* fructibus responsionem adeo illi tradere debere, ut vel ipsum mel ex alveariis in locis incultis retentis congruæ Dominicæ responsioni obnoxium esset: Rursus id ipsum altero edicto anni 1750 jussit Cardinalis de Ilcio, eisque legem expressam indixit = *di dare la risposta di ogni genere di fruttato delle vigne* = Tandem Cardinalis Albanus Decanus tertium adjunxit de anno 1776, quo omnes Ariani Colonos ad novas recognitiones in dominum adegit emittendas = *con quelle formalità, condizioni, ed obblighi soliti a porsi nelle prime concessioni* =, et adamussim cum sæpius dicta obligatione consequuta instrumenta stipulata fuisse constat. Atqui, cæteris etiam sepositis monumentis edictis legum vim habentibus Colonos omnes omnino parere necesse est, ad tradita *in Sabinen. Responsionum* 13 *Junii* 1783 § 4 *cor. Emo Malvasia.*

Nec melius Coloni obiiciebant quasdam in Catastrum anni 1775 irreptas enunciationes, ex quibus cultores omnes Ariani ad unius Musti præstationem teneri ostendere conabantur. Nam assignationis illius vel extrinseca forma, cum unius tantum Catastri amanuensis signata appareat, facile suasum cuique facit, ceu publicus Velitrarum Ratiocinator testatur = *che tale assegna in filza al num.* 2323 *è una semplice copia e non originale legale* = quia, ut ille prosequitur = *se tale assegna fosse originalmente legalizzata per l'esibita di essa dovrebbero essere tre caratteri diversi, o almeno due* =. Et posito etiam eam non esse prout suspicari licet *apocripham*, esset tamen relato omnino repugnans, quia qui illam exhibuerunt, ex Lege tenebantur ad concessionum instrumenta sese referre, quæ non musti tantum, uti superius fuit probatum, sed omnium fructuum responsiones præseferebant. Præterea nulla fuit adhibita ad erroneam colonorum affirmationem in fundorum assignatione verificandam indago, nullumque, ut par erat, allatum documentum, sive concessionis instrumentum, quod eam aliquo saltem modo fulciret. 9

Quare nil aliud assignationes illæ præseferunt, quam inania ipsorum Colonorum verba ad propriam utilitatem prolata, ideoque illarum series sive = *filza* =, in qua reperiuntur abrogato Catastri nomine, æstimari debet tamquam privata vitiosa scriptura, quæ nullam constituit probationem ceu ad rem firmat *Rota in Nullius, seu terræ Leprignani Catastrorum* 16 *Aprilis* 1774 § 6 *et seqq. cor. Mannelli.*

10 Ioani tandem conatu Arianenses Coloni ad contrariam tot cooventionibus et monumentis observantiam confugiebant. Neque enim in facto illam subsistere ostendebant ab eis inducti testes, utpote qui inter Ariani glebas orti ad proprium commodum depooebaot, et nunquam fuerunt formiter repetiti, ideoque nullam in judicio fidem merebantur ut monet. *Rot. Decis.* 54 *n.* 2 *decis.* 603 *num.* 3 *part.* 2 *Recent. et in Tyburtina manutentionis* 7 *Junii* 1751 § 6 *cor. Caprara.* Neque erui illa poterat ex singulari attestatione Blasii Alfonsi asserentis in libris Administrationis ejus Communitatis ab annu 1761 usque ad annum 1801 non aliam exactionem adootatam esse = *che l'esigenza dei mosti dei Coloni della vigna dell'Ariano* =. Nam prætcrquam quod vel ipse Blasius fatetur iogenue sese adcuratiores perquisitiones facere ncquivisse = *per la ristrettezza del tempo* = hand mirum aliunde esset nullam in iis libris fructuum omnium præstationem reperiri memoriam, quia Communitas responsiones illas locare assueta pecuniarias tantummodo pro iis accipiebat pensiones. Accedit, quod, et superius dictum fuit, veteres scilicet Colonos diversum Agriculturæ modum constanter servasse, vineasque posuisse juxta supradictam Velitrensem consuetudinem = *ad vites bassas domesticas* =, neque arboribus, neque cæteris quibuslibet iosertis plantis, quæ uberrimum musti fructum imminuerent, ideoque Commuoitatis Ministros interdum responsionibus cæterorum fructuum a Colonis exigendis, primitiis eorum tantum satisfactos, sese abstinuisse ceu seniores Velitrenses rei agrariæ Periti confirmant. Hæ attamen intermissiones nullum, licet tacitum, Communitatis assensum arguunt ad inducendam observantiam; illa enim tum continuis concessionum instrumentis tum iis Capitulis sive Municipalibus legibus, quæ normam locationibus omnibus dederunt, sua jura quoad fructus omnes vinearum sibi expresse reservavit, illaque præsertim vindicare curavit quoad responsiones lignorum, super quibus a S. B. Regiminis Coogregatione completam obtinuit rem judicatam uti ad rem constituit *Rota in Conversana Jurisdiction,* 2 *Decembris* 1739 § *fin. cor. Canilliac, et in Leodien. Jurisd.* 4 *Julii* 1753 § 6 *cor. Bussio.*

Nullo igitur modo observantiam in 11
facto comprobant Coloni quam e contra illæ a Communitate adhibitæ reservationes prorsus excludunt. Etsi autem verum esset eos per aliquot aooos ministrorum sive erroro, sive indulgentia, sive etiam verosimili oscitantia, debitam fructuum omnium partem haud pensitasse, nulla ex eo constituta esset adversus Communitatem observantia. Invaluit quippe in Velitreosi Territorio coosuetudo, ut possit Communitas Ariani Domioa, sive quicumque ejusdem funganlur vicibus, impune per aliquem annum exactionem responsionum fructuum negligere, easque proprio lubitu postca repetere, ut testes periti constanter affirmant, quos inter adnumeratur etiam illius Mensæ Abbatialis conductor Thomas Caccese de facto proprio deponens. Rursus, quam Coloni pertendunt, negativa observaotia contra expressum titulum, tum ex pactis in concessionum instrumentis conveotis, tum cx municipalibus Capitulis, edictisque Velitrensium Episcoporum invictissime depromptum, tamquam abusiva, esset umnino contemnenda ne præmium fraudes obtineant: ad tradita *in Leodien. Jurisdict.* 4 *Julii* 1753 *cor. Bussio et Constantinien. Subsidii* 9 *Junii* 1753 § 13 *cor. Eodem.* Neque demum ea ex Ministrorum negligentia invecta detrimentum ullum Communitatis juribus afferre valeret *ad text. in cap. Litteræ ibique Abb. num.* 3 *de dilat., et Rota in Recent. Decis.* 94 *num.* 7 *part.* 3 *et De-*

cis. 247 *num.* 3 *coram Olivatio.* Hisce omnibus accedit tandem nuperrimum factum majoris partis Colonorum, qui post Rotalem Sententiam liti valedixerunt, agnita ejusdem Sententiæ justitia, et responsiones tradiderunt absque ulla contradictione. Isthæc enim renunciatio ac responsionum traditio licet minime officiat aliis litis consortibus, nihilominus luculentissimum argumentum exhibet mali juris quod fovet minor pars Colonorum quæ manet adhuc in arena, et litem prosequi studet.

Et ita me quoque suffragante resolutum fuit. Altera tantum etc.

VERULANA EXEMPTIONIS

Lunae 7 *Maii* 1821.

ARGUMENTUM

Supremus Princeps, Motu proprio *de Anno 1801*, omnes indistincte praediorum quorumlibet possessores oneri subjecit - *dativae realis.* - Proinde ad contributionem ratae commodi tenentur, tam usufructuarii, quam censuum creditores, Coloni perpetui, ac servitute activa gaudentes.

SUMMARIUM

1. *Vectigalium contributiones omnes eos percellit, qui suo jure fundorum utilitate fruuntur; quas, ubi ad plures divisim pertineat, pro ejusdem mensura omnes ad indictionum partem rependendam tenentur.*
2. *Supremus Princeps, Motu proprio de Anno* 1801, *declaravit, omnes indistincte praediorum quorumlibet possessores, subjectos fore contributioni* - della dativa reale. -
3. *Posterior lex, a Sacra Congregatione Aeconomica* de Anno 1803, *edita, vectigali, pro rata commodi, subiicere voluit, tam usufructuarios, quam censuum creditores.*
4. *Ad onera fiscalia, pro rata dominii ac utilitatis, tenentur etiam illi, qui activa servitute gaudent.*
5. *Censuales Tabulae, de dominio, et possessione testimonium perhibent ex assignantium confessione.*
6. *Coloni, qui perpetuo in fundorum possessione permanent, vectigalia, ad instar emphyteutorum, pensitare tenentur.*
7. *Actus authentici, et rerum gestarum instrumenta, valde demonstrant, quae fuerit consuetudo quoad vectigalium solutionem.*
8. *Solutio per errorem expleta, ac sub jurium reservatione facta, nemini detrimentum afferre debet.*

DECISIO LXIII.

Castrum dirutum Tecclenæ Ferentini, Ceccani, Patricæ, ac Supini Territoriis adhærens, cui nomen olim *Sylva Mollis*, nunc *Selva dei Muli*, constans potissimum Latifundio, aliisque prædiis cultis, et incultis, atque agris apertis ad quantitatem circiter rubrorum 672 possidebat sæculo decimo sexto prænobilis fæmina Bernardina Conti, partim *pleno dominio*, partim *quoad activam tantum servitutem pascendi, ac spicandi* super pluribus arvis, quæ ea servitute excepta libera ad alios spectabant. Utile vero illud, directumque dominium, quod ipsa babebat super Castro diruto, et Latifundio, nec non eam servitutem activam pascendi, et spicandi, qua pollebat super cæteris Territorii prædiis, die 16 Maii anni 1532 emptionis venditionis nomine, transtulit in Venerab. Monasterium Carthusianorum Sancti Bartholomæi Trisulti, ita ut = *detto Venerabil Monastero subentri non solo nel dominio giurisdizionale diretto, ed utile di padronanza di detta Tenuta, ma ancora nel dominio dell'erbe nascenti tanto in detta Tenuta, quanto nelle sue adjacenze ancorchè li Terreni spettassero a chi si siano particolari.*

Dum illorum prædiorum singularibus possessoribus nulla Cameralium onerum solutio incumbebat, etenim ante recentiores de vectigalibus Leges Territorium illud, tamquam subjectum Jurisdictioni Carthusianorum, inter *Undecim Congregationes exemptas* recensitorum, ab omni indictionum genere eximebatur, nulla Carthusianos inter, illosque aliorum prædiorum particulares possessores lis exarsit, nisi quoad supradictæ servitutis onus quæ attamen Sententia A. C. Guglielmi anni 1740, et subsecuta transactione anni 1742 integro Monachorum jure servato consopita fuit; atque

dein ulla absque contradictione in Censualibus Codicibus, anno 1778 jussu Pontificis Pii Sexti conscriptis, relatum fuit Carthusianorum jus prædictum pascendi, et spicandi, atque singulorum possessorum in Territorio *Sylvæ Mollis* Symbolæ ita ut Carthusianis adscripta fuerint rubra *bis centa* circiter aliis vero possessoribus rubra circiter *quadringenta, ac septuaginta duo.*

Cum vero anno 1801 SSmi Principis Lex promulgata fuit, cui nomen = *il sistema Daziale* = quæ singulos indiscriminatim prædiorum possessores oneri subjecit = *Per ogni libra, ossia per ogni cento scudi di possidenza pagare annualmente la Tassa di paoli sei* = illud evenit, ut Phrusinas Magistratus, minus accurate forsan, (album contribuentium conficiens, vectigalis onus, quod pro universo Territorio *Sylvæ Mollis* vim conficiebat scutorum 353, et obol. 13 in unum rejecerit Carthusianorum Monasterium, atque ita cæteri *Sylvæ Mollis* Possessores a præscripta solutione sese penitus eximere potuerint. Sed labente anno 1807 hoc detecto errore Carthusiani; primum suas obtulere preces Boni Regiminis Congregationi ad æquam obtinendam impositi vectigalis distributionem, ita ut cæteri etiam Silvæ Mollis Condomini ad illius solutionem pro rata dominii adigeretur, ac Monasterium de indebite soluto vectigali redintegrationem quo placeret modo assequeretur, et ipsorum præces de more ad Præsidem Provinciæ pro informatione transmissæ fuerunt.

Tum Silvæ Mollis prædiorum Domini, per Monitorium apud A. C. Metexpeditum, Manutentionem in exemptione a solutione vectigalium flagitarunt. At sententiam a Boni Regiminis Congregatione Carthusiani obtinuere, qua reservato ipsis jure repetendi a *Sylvæ Mollis* Condominis ratas vectigalis indebite soluti, nova hujus fuit imperata distributio in posterum servanda. Supervento dein per Gallicam occupationem semper dolenda publicarum rerum conversione, induciæ, et silentium successerunt. Restituto vero Legitimi Principis Imperio, pro circumscriptione hujus Sententiæ apud Signaturæ Tribunal Condomini institerunt; hinc ad Judicem Monitorii hæc quoque Circumscriptionis quæstio amandata fuit A. C. Triumviri tum onerum solutionem a Condominis pro rata dominii, et ad mensuram eorum juris super fundis subeundam esse decreverunt, tum circumscriptionis querelam rejecerunt.

Appellatione ab hisce Judicatis a Condominis interposita, et per eam quæstionis utriusque definitione ad S. Nostrum Ordinem commissa, Reverendissimum Capitulum Insignis Collegiatæ S. Mariæ Phrusinonis, Advocatus Dominicus Bompiani, cæterique Sylvæ Mollis particulares Possessores, dum ex una differri Causarum disceptationem petierunt, flagitarunt ex altera, edicto de edendo innixi, ut Carthusiani adigerentur ad exhibendas acceptilationes, et suos privatos Codices, ex quibus quot, et quo titulo Cænobium antiquitus expleverit pro Sylva Molli onerum Cameralium solutiones investigare ipsi possent, ut exinde immemorabilis, cui in exemptione propugnanda summopere fidunt, validiorem eruerent probationem. At hjusmodi petitio omni juris fundamento destitui Patribus visa est: tum, quia necesse non erat ejusmodi solutionem memoriam quæritare in privato Carthusianorum tabulario, ac Codicibus, cum earumdem publica extent monumenta, quæ unicuique videre, ac perlustrare licet; *tum* quia injuriosum fuisset Monachos compellere ad evulgandum quidquid in suis privatis Scripturis adnotatum, etiam ab hac controversia extraneum, reperiatur, et ad arma actoribus contra se ipsos subministranda; ideoque ea rejecta petitione per Rescriptum = *Nihil* = et posthabita etiam comperendinatus postulatione, interroganti mihi, quoad Caussam *Exemptionis*, de qua in præsenti Decisione res est = *An, et pro qua rata sit locus contributio* in *solutione Dativæ Realis, seu potius sit danda manutentio in casu etc.* = Responsum datum fuit, juxta vota Informantium

Monachorum, scilicet = *Affirmative ad primam partem, et esse locum contributo ad formam Sententiæ A. C. negative ad secundam* =.

1 Ipsa siquidem naturalis ratio suadet cujuscumque rei onera, eum sequi debere quem commoda sequuntur, ita ut, si quis emolumenti particeps sit, partem etiam incommodi haud ægre ferat. Ab hoc communis sensus, et æquitatis dogmate fluit id, quod Civiles etiam Leges constituerunt, vectigalium scilicet contributiones omnes eos percellere, qui suo jure fundorum commodo, et utilitate fruuntur, quæ, ubi ad plures divisim pertineat, pro ejusdem mensura omnes ad indictionum partem rependendam teneri satis compertum est, *L.* 7 *ff. de usuf. L.* 28; *ff. de usu, et usufruct. legato leg. fin. Cod. sine Cens. vel Religione Bald. in dicta Leg.* 7 *Bart. in dicta Leg.* 28. *num.* 1. *Alex. Cons.* 35 *num.* 12 *Natt. Cons.* 114. *num.* 12 *et Ciarlin. Controv. Forens.* 209 *num.* 12 *et seqq.* Si itaque in Territoria *Sylvæ Mollis* maximam Agrorum partem singulares possident Domini, ita ut iis uti frui (ad libitum, de iisque disponere libere possint, manente tantum Carthusianorum servitute activa pascendi, et spicandi, iniquum prorsus esset, si vectigalium onus pro rata ipsorum dominia respondente Carthusianis imponeretur.

2 Et præclare quidem vectigalium onus inter possessores fundorum, ad mensuram utilitatis ex hisce obvenientis, distribuendum esse constituit Supremus Princeps, dum superius recensitum Motum proprium de Anno 1801 promulgavit. Postquam enim ad preteritorum temporum calamitates levandas, sese novum instituere vectigalium genus, nomine = *Dativa reale* = declaravit, et omnes indistincte prædiorum quorumlibet Possessores illius solutioni subjecit = *Non eccettuando dal pagamento di dette dative alcuna sorte di beni, compresi anche i Patrimonj Sagri; e beni di prima erezione, ne alcuna persona, benchè privilegiata, privilegiatissima tanto Laica, come Ecclesiastica, Secolare e Regolare di qualsivoglia Regola, Ordine, ed Istituto delle undici Congregazioni* =, ex quo privilegium exemptionis, quo antea *Sylvæ Mollis* Territorium fruebatur, suppressit, dein vectigalis impositi æquam, justamque distributionem præ oculis habens, species nonnullas jurium præcogitavit, et dum eis peculiares sanctiones aptavit, certam præbuit normam, qua ad novæ indictionis exactam distributionem, quoad reliquos casus a Lege haud nominatim designatos, procedi tuto posset.

Itaque, inter cætera, perpendens = *che non è giusta, che l' Enfiteuta porti tutto il peso della dativa, mentre anche il Padrone diretto, mediante l' esigenza del Canone ritrae dal fondo un lucro considerevole* = statuit = *dovrà il pagamento della medesima ripartirsi onninamente fra il dominio diretto, ed il dominio utile pro rata commodi, che ciascuno di essi ritrae dal fondo* = Sic etiam, ne quidem Censuum Creditores ab eo onere pro rata commodi perferendo immunes esse voluit in ejusdem Legis §. 25., quam dispositionem præcipue confirmavit posterior Lex a Sacra Congregatione Æconomica de anno 1803. edita dum statuit » *col Moto proprio delli diecinnove Marzo* 1801. *sulla nuova legislazione daziale al* §. 26. *si prescrive, che li Proprietarj dei Terreni soggetti a Censi, Canoni, e frutti compensativi, dopo di aver pagato all' Erario Camerale la totalità del nuovo terratico corrispondente all' estimo Catastrale dei terreni stessi, debbono essi esserne reindennizzati pro rata commodi dai rispettivi Creditori dei suddetti Censi, Canoni, e Frutti compensativi* = Si itaque Legislator ne usufructuarios quidem, Censuumve Creditores ab novi impositi vectigalis onere exemit pro mensura utilitatis, quam ex prædiis sentiunt, palam est eumdem plane omnes vectigali subiicere voluisse, pro rata commodi, quod jure suo e prædiis hauriunt. 3

4 Cum igitur, ut jam superius expositum fuit, *Sylvæ Mollis* Particulares Possessores in Rubris 472. illius Territorii, in quibus Carthusianis vix superest activa pascendi, et spicandi

servitus, majus qooddam jus habeant, co, quod sive usufructus, sive census præbens valeat; ipsi enim, non modo super ea prædiorum quantitate fructus omnes, ea tantum manente servitute, colligunt, varum etiam insciis, invitis Monachis, et quin eis vel obulum rependant, de singulis fundis ad se pertinentibus libere disponunt, eosque, et locant, et in alios, sive inter vivos, sive Causa mortis. uti veri ipsorum Domini, transferunt; eo magis hinc ac si essent fructuarii, aut Censuum Creditores ex supradicta Lege ad onera Fiscalia pro rata dominii ac utilitatis subeunda tenentur, et injuria prorsus ea integre in Carthusianos rejicere conantur, quibus, præter activam, qua gaudent, servitutem; uti aliud superest ab iis possessionibus aperandum, ideoque nequidem tamquam Dominii, et possessionis consortes haberi possunt.

5 Hoc vero singularium possessorum dominium in dubium revocari nequit, quia agnitum fuit primum per Sententiam A. C. Guglielmi anni 1740. ab ipsorum auctoribus accepto habitam, qua definitum fuit Particulares Possessores habere in iis Fundis « *dominium subalternum* = scilicet inferius explicatum legitur » *restrictum ad solos fructus industriales terrenorum ab ipsis ibidem possessorum* = dein per transactionem anni 1742. quæ præfatam confirmavit Sententiam, et qua fuit narratum ante Monachos Bernardinam Conti gavisam fuisse » *il dominio, e la pertinenza delli frutti naturali, ossiano Erbe nascenti nelli Campi, e terreni esistenti nel Circondario di tutto il detto Territorio, e spettanti a chi si siano particolari* =, atque conceptis verbis expressum fuit ea, quæ in transactione vicissim promittebantur sibi stipulasse, non conductores, vel colonos, sed « *li Signori di Frosinone, che possiedono Terreni nella detta Tenuta di Selva de Muli* = Tandem manifestius fit per Censuales Tabulas 1778., quæ de dominio, et possessione testimonium perhibent ex assignantium confessione, quæque certam vectigalibus imperandis, exigendisque normam præbere debent. Porro in iis, dum cæteri *Silvæ Mollis* condomini suarum possessionum germanam descriptionem exhibuerunt, Carthusiani, assignatis Rubris biscentum, in quibus pleno dominii jure gaudent, quoad cætera prædia ita professi sunt » *Certosa di Trisulti delle undici Congregazioni Monastice: servitù attiva di jus pascendi, et spicandi sopra il Territorio ripartita a ciascuna possidenza della Tenuta ragguagliatamente ec.*

Quæ cum ita sese habeant male regererent Particulares Possessores sese eorum prediorum esse tanquam meros Colonos; ideoque nullis Fiscalibus oneribus subjici; pugnant hæc quippe cum huc usque relatis monumentis, et etiamsi meri essent Coloni, attamen cum non ad breve, aut definitum tempus, verum perpetuo in fundorum possessione permaneant, deque iis libere disponi quin ejici unquam possint, utique vectigalia pensitare tenerentur *ad tradita per Alex. Cons.* 1. *num.* 10. *lib.* 4. *Natta Cons.* 36. *num.* 1. *et seq. Carocc. de locat. et conduct. part.* 4. *num.* 27. *fol.* 21. *de collectis Fulginens de jure Emphiteut. tit. de melior. et expens. quæst.* 10. *n.* 12. et in terminis Colonorum Ecclesiasticorum *Ferdinand. de Valent.* in *Dissert. impress. penes de Vecchis Tom.* 3. *rub.* 4. *num.* 7. *Pag.* 566. et demum præcipue quoad Colonos undecim Congregationum Monasticarum *de Vecchiis de Bon. Reg. verbo = Coloni dagli Ecclesiastici = tom.* 2. *pag.* 98. *in Annot.* §. *final. Rot. in Faventina onerum Cameralium, vt Communitativorum* 15. *Januarii* 1751. §. 6. *cor. de Vais.* 6

Deterius dein ipsi immemorabilem opponunt exemptionem, ex qua titulum obligationis Monachorum ad integrum vectigal solvendum elicere conantur; Probare namque illam deberent saltem per testes, quos notissimæ *Glossæ* requisita commendarent. At in probatione qualibet adeo *Sylvæ Mollis*, Condomini deficiunt, ut eas ex Monachorum scrineis, et Codicibus carpere studuerint per eam, quam Pa- 7

tres merito reicendam putarunt separatam petitionem; quare nullam negativam probationem Carthusiani afferre tanerentur. Attamen autheuticis actis, et tota rarum gestarum serie assertam illam consuetudinem collactarum solvendarum satis excludunt. Eam siquidem prorsus eliminat tum venditio a Bernardina Conti erga Cænobitas expleta, quam laudata transactio Anni 1742. in qua nulla fit mentio da Fiscalibus indictionibus persolvandis; tum hæc ipsa Anni 1742. Transactio post acerrimam litem, at post Santentiam A. C. Guglielmi inita, in qua etsi, vel maxima condominorum intarfuisset, aut constituere, aut confirmara quidquid oneris esset a Monachis snbeundum, nullum tamen de his in aa verhum occurrit. Præterea, nulla licet juris necessitata pressi, ex suis Codicibus Carthusiani ostenderunt sese ante lagem anni 1801. nil prorsus vectigalium nomine persolvissa cx privilegio exemptionis, quo Congregatio eo usque gavisa fuit.

8 Tandem quoad præsentem controvarsiam nil prorsus obesse poterunt Carthusianis quælibet vectigalium solutiones, sive ante, sive post eam Legem expletæ. Quidqnid enim eos solvisse, ante recensiti Motus Proprii promulgationem appareat, novi Datialis Systematis constitutione, novæque Legis promulgatione, qua onus eonsqua in Pontificia Ditione *plane incognitum* indictum fuit, quidquid ad eam usque diem obtinuerat, una veluti litura sublatum fuit; ideoque nullam præbere normam valeret ad ea, qnæ postmodum usuvenerunt. Qnoad vero solutiones, quas post eam Legem parfecisse Monachi ultro fatentur, tenuit S. Ordo bonæ illorum fidai esse tribuendas, quæ nemini detrimentum afferre dabet; quin imo eas agnovit ex errore, et falsa causa processisse, quo detecto, cum statim apud Congragationem Boni Regiminis ipsi reclamaverint, peractæ aæ solutiones impedimento esse nequeunt, qnin jus ipsis, pront Leges imperant, sartum, tectumque manere constituatur, rejiciendi in Sylvæ Mollis Condominos ratam vectigalium partem, ad mensuram dominii, quo ii super Fundis pollent, atque utilitatis, quam ax hisce percipiunt.

Et ita etc. altera tantum etc.

VERULANA EXEMPTIONIS

SUPER CIRCUMSCRIPTIONE

Lunae 7 *Maii* 1821.

ARGUMENTUM

Argumenlo non indigel.

SUMMARIUM

1. *Circumscriptionis disceptatio plerumque pendet ab intrinseca justitia causae, nisi de manifesta praxeos legum conculcatione, aut de Judicis jurisdictione defectu liquido constet.*
2. *Controversiae amnes, in quibus Communitates rei personam gerunt*, apud S. Cnngregatinnem Roni Regiminis, *sunt contestandae.*
3. *Deest citationis defectus ei per factum quod pubblicum respicit, non singulis civibus, sed Communitati vadimonium indictum sit.*

DECISIO LXIV.

Sacram Boni Regiminis Congregationem Sententiam edidisse dıe 23 Septembris anni 1808 qua, instanta Van. Monasterio Carthusianorum S. Bartholomæi Trisulti, Communitatem Phrusinonis damnavit ad novam perficiendam diribitionem vectigalis = *Dativa reale* = ex Territorio *Sylvae Mollis* a Rev. Cam. percipiendi, inter prædiorum eo in Territorio existentium particulares Possessores, ipsosque Monachos, quibus ex errore illorum, qui Album contribuentinm confecerant, integrum onus impositum fuerat, atqua id constituit = *reservato instantibus jure agendi contra particulares possessores pro repetione summae indebite solutae* = hujusce Sententiæ circumscriptione Particulares Possessores, tam a Tribunali Signaturæ, quam ab A. C. Triumviris frustra petiisse, exposui in contemporanea mea

Decisione = *Verulana Exemptionis* = Cum itaque de hac etiam quæstione a S. Nostro Ordine judicium ferendum esset, Patres per separatam Dubii formulam interrogavi = *An sit locus circumscriptioni in casu etc.* = et rejecta Possessorum dilationis petitione, Responsum accepi = *Negative* =.

1 Numquam saue ex perpetua S. Ordiuis consnetudine ac stylo, ut inanes vitentur circuitus, circumscriptiouis disceptatio diversum habuit judicii exitum ab eo, quod ipsa Sententiæ intrinseca exegerit justitia, nisi de manifesta praxeos Legum conculcatione, aut de Judicis Jurisdictionis defectu liquido constet. Verum, quæ a Sylvæ Mollis Coudominis, ad illius Sententiæ circumscriptionem assequendam primum ad Signaturæ Aulam, deiu apud A. C. Triumviros proposita fuerunt, adeo futilia sunt, ut seposita etiam præsentis cum altera Causa *Exemptionis* conuexione, circumscriptionis querela rejici omnino mereatur.

2 Illam namque primum obtinere ipsi couantur ex defectu Jurisdictionis in S. Congregatione Boni Regiminis, quæ Seuteutiam, de qua res est, pronunciavit, ex eo quod illam ediderit, postquam ipsi Mouitorium apud A. C. super Mauutentione in exemptione a vectigalibus coutra Carthusianos expediverant. At, cum Monochi vadimonium indixerint, non ipsis Condominis *Sylvæ Mollis*, sed Communitati Phrusinonis, pro publicorum Codicum, in quibus nomina Contribuentium inscripta sunt, correctione, palam est, *tum* ratioue personæ judicio conventæ, *tum* ratione materiæ in judicio deductæ, præter Sacram Boni Regimiuis Congregationem nullum aliud extitisse, aut extare magis competens Tribunal. Et sane latet profecto neminem controversias omues, in quibus Communitates rei personam gerant apud prædictam S. Congregationem esse omnino contestaudas; Fortius vero id tenendum erat in themate, quia Carthusiani agebant ad reformationem obinendam Censualium tabularum quoad distributionem vectigalis = *della Dativa* = de quibus quæstionibus judicium ipsa Lex Anni 1801. = *sul sistema Daziale* = Sacræ Boni Regiminis Congregationi reservaverat, ab eaque pronunciandum esse privative constituerat sub Motus Proprii § 22. = *Permettendo però ai Possessori dei Terreni, non ostante il lungo spazio di tempo già loro altra volta concesso di ricorrere anche ulteriormente nel termine perentorio di tre anni alla nostra Congregazione del Buon Governo per le correzioni dei gravami che fossero mai stati a loro inferiti* =.

Alterum nullitatis caput, ex quo Condomini illius Seutentiæ circumscriptionem petebant erat *defectus citationis.* 3
Sed ex natura rei, quam Mouachi eo judicio persequebantur, veluti sponte sua profluit haud potuisse illos Condominis vadimonium indicere, utpote qui, cum meri sint privati Cives, adigi certo certius nequivissent ad id præstandum, quod publici muneris est, publicorum nempe Codicum reformationem, quæ perfici a sola Commuuitate poterat, quam peues illi inscribuntur, publiceque asservantur. Quod autem Carthusianis agendi jus contra particulares possessores in eadem Senteutia fuerit reservatum, cum nullum his inferat præjudicium, tanti non est, ut ex defectu citationis nullitatem parere valeat.

Atque ita etc. Altera tautum etc.

VERULANA EXEMPTIONIS

Lunae 10 Decembris 1821.

ARGUMENTUM

Habes in superiori quae confirmatur « DECISIO LXII. »

SUMMARIUM

1. *Instrumenta, transactiones, ac longeva possessio, manifestissimum faciunt super controversiis agris condominium.*
2. *Vectigalium, ac intributionum onera fundis incumbentia, eos omnes afficit, qui aliquam ex fundis sentiunt utilitatem.*

Quoad vectigol - Dalisa Reale - *omnes huic onsri, pro atilitatis mensura a proediis obvenientis sive domini directi, sive absoluti, sive utiles, subjecti fuerunt - ibid. -*

3. *Possessores qui jare locandi pollent, st omnes frustas ex agris percipinnt, sunt omnino distinguendi a conductoribns, et colonis partiariis.*
4. *Coloni perpetui, qui a fundo expelli nequeunt, subjiciant vectigalium oneri.*
5. *Immemorabis exemptio n vectigalium solatione, haud eximit colonos perpetuos a contributions.*
6. *Cum de re agatur Ecclesiam gravante, non solnm non praesumitur utilitas nisi demonstrstar, sed obsque solemniis perfici contractus nnnquam potest.*
7. *Spernendi omnino sant testes pendente lite quassiti, st quorum dicto Tobellionis fide non vallantur.*
8. *Quaelibet conventio, quos ante Annam 1801 inter dominos directos, et utiles intercessit, inducere haud poterat exemptionem a contributione novi oneris* - della dativa reale. -
9. *Contrahentiam mens ferri non potest ad incognita, st impraevidibilia, nec obbligationes egredi possunt fines, qaibus circumseptae srunt, dum fuerunt susceptas.*

DECISIO LXV.

Possessores Fundorum in Territorio Castri Diruti, sive Silvæ Mollis nunc, = *Selva dei Muli* = jacentium, quibus super Venerabile Monasterium Charthusianorum Trisulti jus tantum habet pascendi, ac spicaudi, atque ad alios naturales eorum fructus, ritè Sententia Tribunalis Collegialis A. C., quæ alteri antea a Sacra Congregatione Boni Regiminis emissæ inhæsit, damnatos fuisse ad solutiouem vectigalis = *Dativa Reale* = pro rata juris ad ipsos super iis fundis spectantis, constituit S. Nostri Ordinis Decisio a me vulgata sub die 7. Maii hujusce anni. Indulto deinceps prædictis particularibus possessoribus Novæ Audientiæ beneficio, Causa iterum proposita fuit in Comitiis diei 6. Julii proxime elapsi, ipsis vero rursus postulantibus adversus Venerabile Monasterium exhibitionem privatorum codicum, antea jam eis denegatam S. Nostri Ordinis Decreto, atque una simul judicii comperendinationem, Patres incivilem, ac prorsus spernendam hanc super librorum exhibitione postulationem censuerunt, dilationem autem benigna concesserunt. Nil tamen eis hodie profuit acriter prædictam Decisionem oppugnare, proposito namque assueto dubio = *An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu etc.* = Responsum audierunt = *In Decisis* =.

. Inutilis primum et a themate prorsus 1
extranea Patribus visa est disquisitio super origine, ac natura jurium, *tum* illius, quo fruitur Venerabile Monasterium Carthusianorum, dominii nempe herbarum, omniumque fructuum naturalium, qui nascuntur in agris Sylvæ Mollis a particularibus possessis, una cum jure spicandi, *tum* alterius ad eosdem particulares super iis agris spectantis, scilicet de iis ad libitum deponendi, vel per contractus, vel per ultimam voluntatem, ulla absque Chartusianorum scientia ac consensu, ac quoscumque ex iis industriales fructus percipiendi. Sat enim putarunt, primum *quod* hæc respectiva jura constituta videantur Sententia A. C. Guglielmi anni 1740. qua fuit pronunciatum = *omnes singulas herbas totius Tenutæ Silvæ Mollis, ac etiam illorum terrenorum, et agrorum, qui possidentur a particularibus possessoribus spectasse, ac pertinuisse ac spectare, et pertinere jure dominii ad prædictum Venerabile Monasterium S. Bartholomæi Trisulti* = praedictos vero particulares possessores = *habere dumtaxat dominium restrictum ad solos fructus industriales terrenorum ab ipsis ibidem possessorum* =; deiu quod ea obfirmata fuerint transactione anno 1742. inita inter prædictum Venerabile Monasterium, et prædictos particulares possessores, qua declaratum fuit hoc Monasterium a die usque 16. Maii 1532. acquisivisse a Bernardina Conti = *il dominio dell'erbe nascenti tanto in detta Tenuta, quanta nelle sue adjacenze, ancorchè li terreni spettassero a chi si siano particolari, come risulta da istromento celebrato ec.* = et prædicti particulares designati fuerunt uti = *Signori, che possiedono Terreni nella detta Tenuta di Selva dei Muli* = et qua accepto a partibus fuit habita superius recensita = *Sentenza di*

Monsignor Illustrissimo A. C. Guglielmi pubblicata li 16. *Settembre* 1740. = atque eisdem possessoribus præfinita fuit ratio sationis agrorum tam ad eorum jura, quam ad ea Venerabilis Monasterii sarta, tectaquo servanda accomodata; ac demum quod in Catasto Silvæ Mollis, confecto anno 1778. adnotatum fuerit, tam agrorum dominium spectans ad eorum particulares possessores, quam pro = *Certosa di Trisulti delle undici Congregazioni Monastiche la servitù attiva di jus pascendi, et spicandi sopra il territorio ripartita a ciascuna possidenza della Tenuta* =. Hæc siquidem omnia, quibus adstipulatur constans a remotissimo ævo usque ad præsens respectivorum jurium possessio, ac usus, tam penes particulares possessores, quam penes Venerabile Monasterium, manifestissimum faciunt super controversis agris utriusque partis condominium.

2 Hoc vero posito, plane consequitur possessores prædictorum agrorum Silvæ Mollis, qui ex iis industriales percipiunt fructus, et ad libitum de iis disponere possunt, inutili studio contendere ut a solutione vectigalis = *Dativa reale* = immunes fiant, atque hujusce integrum onus in Chartusianos rejiciatur, qui jure longe minori, quam ipsi, super iis fundis prædili sunt; nam justitia, et æquitas exigit vectigalium, ac intributionum onera, fundis incumbentia, eos omnes afficere debere, qui aliquod super hisce fundis jus habent, atque ex eis aliquam sentiunt utilitatem per *Leg. ff.* 7. *de usufructu; Leg.* 2. *ff. de usu, et usufructu legat. Leg. fin. Cod. sine Censu, vel relig. Bald. in dict. Leg.* 7. *Bruneman in dicta leg. final. num.* 2. *Alexand. Cons.* 35. *num.* 12. *lib.* 4. *Rott. Consil.* 114. *num.* 12. *et* 16. *Carlin. Controv. Foren.* 209. *num.* 12. *et seq. Rot. in Recen. Dec.* 72. *num.* 1. *p.* 16. uti firmat præcedens *Decisio* §. 6. Quod sane præclarissime constitutum fuit quoad prædictum vectigal = *Dativa Reale* =, tam Motu proprio Sanctissimi Principis diei 19. Martii 1801. qui novum illud vectigal induxit, tam posterioribus legibus Declaratoriis S. Congregationis Economicæ, quibus omnibus illi oneri pro nullitatis mensura a prædiis obvenientis, subjecti fuerunt eorum domini, *vel* absoluti, *vel* directi, *vel* utiles, uti etiam creditores Censuum super eis impositorum, et fructuum compensativorum ex eorum pretio nondum soluto derivantium, sicuti fuse disserit præcedens Decisio §. 7. 8. 9.

Adversus hæc, quæ adeo perspicua sunt, ut frustra in controversiam adducerentur, plura quidem objiciunt particulares possessores agrorum Silvæ Mollis, sed ea omnia prorsus spernenda Patribus visa sunt. Proponunt ipsi primum sese non illorum agrorum dominos, sed meros esse colonos, atque exinde inducere conantur ad vectigalium solutionem sese haud esse obstrictos. At falsum in facto est coloniæ non dominii titulo illos agros ab ipsis possideri. Sententia enim A. C. Guglielmi ab ipsis solemniter accepto habita, quæ fuit superius recensita, ipsos agrorum *particulares possessores* appellat, et quamvis ad omnes designandos agros, quibus super Chartusianis jus est pascendi, et spicandi, et naturales percipiendi fructus eos etiam enunciet, *qui possidentur a conductoribus*, et colonis dictorum terrenorum, et hoc argui nequit quod particulares possessores pro conductoribus, et colonis habiti fuerint; nam possessores a conductoribus, et colonis distincti fuerunt per particulam = sive, quæ disjunctionem importat *ad text. in leg. uxor.* 34. *ff. de donat. inter vir, et ux. Barbosa Dict.* 110. *n.* 37. *et Rota in Recen. Dec.* 164. *p.* 15. *num.* 3. et de omnibus mentio in Sententia facta fuit, ut constaret definitum ea fuisse herbarum, et naturalium fructuum dominium ad Chartusianos super prædictis agris spectare, sive eos particulares prædicti retinerent, vel ab ipsorum conductoribus, aut colonis exercerentur. Id vero magis perspicuum fit ex transactione anni 1742 qua Sententia prædicta accepto fuit habita; hanc enim cum Venerabili Monasterio Trisulti non coloni, et conductores agrorum, verum = *li Signori di Frosinone che possiedono Terreni nella detta Tenuta di Selva dei Muli* = stipulati fuere, ex quo patet particulares agrorum possessores horum industrialium fructuum

dominos semper fuisse, et eorum conductores, vel colonos partiarios, eorum nomine, tantum agros retinuisse, atque ex hisce, vel integros fructus, condnctionis titulo, vel eorum partem titulo coloniæ partiariæ percepisse.

4 Verum in bypotbesi etiam quod ad prædictos particulares agrorum possessores hi agri coloniæ nomine spectarent, ipsi non *partiarii* et ad tempus, sed *perpetui* essent coloni, quia perpetuo in hisce consistunt, et de iis ad libitum disponere possunt, ullo absque, nedum consensu, sed etiam scientia Chartusianorum, a quibus expelli nequeunt; quo in tbemate jus exigit ut vectigalium oneri, subjiciantur per *Alexand. Cons.* 1. *num.* 10. *lib.* 4. *Ratt. Cons.* 30. *num.* 1. *et seq. Carocc. de locat. et conduct. p.* 4. *num.* 27. *fol.* 210, *de Collect. et Fulgin. de jure Emphiteusis tit. de meliorat. et expens. quæst.* 10. *num.* 12. et quoad colonos Ecclesiasticorum particulariter per *Valen. Dissert. impress. penes De Vecchis tom.* 3. *rub.* 4. *n.* 7. *pag.* 566., et demum præcipue quoad colonos *undecim* Congregationum Monasticarum quas inter Chartusiani recensentur, per *De Vecchis de bono regimine verbo = Coloni degli Ecclesiastici = tom.* 2. *pag.* 98. *in annot.* §. *final. et Rota in Faventina Onerum Cameralium, et Communitativorum* 15. *Januari* 1751. §. 6. *cor. De Vaiis* sicuti animadvertit *præcedens Decisio* §. 11. Extranea vero a re prorsus est, quam prædicti particulares proponunt consuetudo in latifundio *Porciani*, Latifundio *Mali Castri*, aliisque in quibus Coloni ab omnibus vectigalibus eximuntur. Ii enim sunt Coloni partiarii, non possessores agrorum nomine coloniæ perpetuæ, et pensionis titulo eorum dominis fructuum partem præstant, atque ideo, cum habendi sint uti conductores, vectigalium onus non eis, sed dominis locatoribus incumbere debet. At Silvæ Mollis particulares possessores non agricolæ sunt; qui terras exercent, sed eorum, vel eorum fructuum domini coloniæ perpetuæ etiam in eis titulo admisso; atque ideo a vectigalium Solutione immunes esse haud possunt.

5 Perperam autem ipsi regerunt, non bio quæri an ab ipsis Fisco debeatur Dativæ Realis solutio pro rata utilitatis, quam ex agris sentiunt, sint ipsi borum domini, vel sint coloni perpetui; sed illud tantum videndum esse, an boc onus ipsis incumbere debeat, dum ab immemorabili usque quo nil umquam pro iis agris, vel eorum fructibus vectigalium nomine pensitarunt, ex quo inducendum sit conventionem inter ipsos, et Monasterium Trisulti intercesse, per quam Monasterium, in correspectivitatem concessionis jurium pascendi, et spicandi, aliorumve super agris Silvæ Mollis prædictis, omnium vectigalium, pro iis agris, borumque fructibus, onus in se susceperit; quare ipsis sat sit immemorabilem exemptionem a vectigalium solutione proponere, ut ex inde quemlibet ipsis liceat benevisum titulum deducere ad integrum vectigalium, et intributionum onus pro iis agris in Monasterium rejiciendum. Hæc siquidem argumentatio facillime refellitur. Quidquid enim sit de asserta prædictorum possessorum exemptione ab immemorabili ævo a solutione vectigalium pro agris Sylvæ Mollis, quam ipsi iis, quæ oporterent, probationibus haud sane èvincunt, merito Patres constituerunt, etsi hæc exemptio admitteretur, non tamen exinde induci posse quod Monasterium vectigalia, quorum onus prædictis possessoribus incumbebat, umquam solverit, et quod præsumi debeat aliquam inter ipsos, et Monachos conventionem hac de re intercessisse.

Cum etenim agri existant in Tenimento Silvæ Mollis, ad Monasterium spectante, pernecesse fieri debuit, ut nulla pro iis vectigalia solverentur, quia Monachi Chartusiani recensentur inter XI. Monasticas Congregationes, quæ pluribus præditæ erant privilegiis, illo signanter exemptionis, super bonis eis subjectis, ab omnibus oneribus, et vectigalibus. Et reapse Monasterium Trisulti nil umquam solvit anteactis temporibus R. C. A. pro integro Tenimento Silvæ Mollis, nisi = *duas libras ceræ albæ elaboratae, et solidos quinque* = quolibet anno = *in ricognizione dell'alto dominio* = basque etiam post editum no- 6

tissimum Motum proprium SSmi Principis anni 1801, quo omnibus sublatis privilegiis, bona indiscriminatim obnoxia fuerunt facta intributioni = *Dativa Reale* = solvere perrexit, præter hanc intributionem, partim merito, pro rata ad ipsum spectante partim ex errore, pro rata ad agrorum possessores pertinente, repensam Monasterii itaque exemptioni ab onerum præstatione tribuenda est possessorum agrorum Silvæ Mollis exemptio immemorabilis, quam jactant, ab illorum solutione; numquam vero assertæ inter ipsos, et Monasterium conventioni, de qua nulla affertur probatio, ac nulla extat memoria, aut vestigium, quæve præsumi numquam potest, quia cum ageretur de re Ecclesiam gravante, absque solemnis perfici haud poterat, et ideo impossibile prorsus est, quod nulla hujusce actus extarent, atque adhuc extent monumenta, si revera expletus fuisset.

7 Eoque magis hanc assertam conventionem numquam extitisse tenendum est, quia in venditione prædicti Tenimenti Silvæ Mollis per Bernardinam Conti erga Monasterium Trisulti expleta, in qua comprehensa fuit = *la pertinenza nelli frutti naturali, o siano erbe nascenti nelli Campi, e Terreni esistenti nel Circondario di tutto* il *detto Territorio e spettanti a chi siano particolari* = ne verbum quidem excidit, ex quo conjici posset hos agrorum particulares possessores immunes fuisse ab onere solvendi vectigalia, et hoc integrum onus Bernardinæ incubuisse, et ab ea in Cænobitas, emptores latifundii, et fructuum naturalium prædictorum agrorum, fuisse translatum. Illud etiam quam maximi ponderis accepit, quod in transactione anno 1742, inter prædictos particulares possessores, et Monasterium Trisulti inita, post superius recensitam A. C. Guglielmi Sententiam, in qua transactione memorata fuit illa venditio jurium Bernardinæ super iis agris erga Monasterium, atque horum jurium qualitas, eorumque exercendorum mensura constituta fuit, nil prorsus dictum invenitur quoad prætensam conventionem, ac onus Monasterio incumbens omnia solvendi vectigalia super illis agris; quod sane horum possessores, ut sibi consulerent constituere, vel confirmare curassent in eo actu, quo in posterum mutuorum jurium exercitium dirigendum erat, uti ponderat præterita mea *Decisio* § 12. Quod vero, ad prætensam adstruendam conventionem, prædicti agrorum possessores asserunt de plurium vectigalium solutione pro iis agris a Monasterio anteacta ætate expleta, præter illam annuam *ceræ, ac quinque solidorum* præstationem, spernendum prorsus Patribus visum est, quia id probari nequit per testes pendente lite quæsitos, et quorum dicta ne Tabellionis quidem fide vallantur; et quia, si vera hæc esset solutio, monumenta de ea afferentur e publicis codicibus desumpta, in quibus assertæ solutiones procul dubio fuissent adnotatæ de more a vectigalium exactoribus.

Patet ex hisce omnibus quanta cum 8
injuria contendant possessores agrorum Silvæ Mollis Monasterium Trisulti in se suscepisse onus solvendi omnia vectigalia eis agris incumbentia, et hæc vectigalia fuisse per ipsum soluta. Verum hisce etiam momento temporis sepositis, ad omnem quoad diribitionem pro rata utilitatis, ut superius dictum fuit, intributionis = *Dativa Reale* = quæstionem præcidendam, sat esse putarunt Patres solidissimam animadversionem, quod in quavis etiam falsissima hypothesi, nullo in pretio habendum esset quidquid ante annum 1801, et illius indictionem actum fuerit inter prædictos possessores, ac Monasterium; quia post Motum proprium illius anni 1801 quo Datiale Systema fuit constitutum, res prorsus fuerunt immutatæ; nam invecta fuit contributio *nova*, ac anteactis temporibus omnino *incognita*, super fundis rependenda a quibuscumque horum possessoribus, omni exemptione, ac privilegio, vel personali, vel reali, antea obtinente, prorsus abrogata. Quamobrem quælibet conventio, quæ ante annum 1801 inter prædictos possessores, et Monasterium super vectigalium solutione intercessisset, et quælibet ho-

rum per Monasterium solutio, inducere in hoc Monasterio haud posset obligationem subeundi integrum onus *novae* penitus, *et incognitae* prædictæ contributionis fundariæ, de cujus diribitione quæstio est; sed oporteret peculiarem inter Monasterium, et agrorum possessores extitisse stipulationem, *futura* etiam, *et imprævidibilia* vectigalia compræhendentem, ex qua integrum novæ illius contributionis onus Monasterio incumbere desumi posset.

9 Cum itaque hæc omnino desit, specialis, ac expressa conventio, hinc etsi concederetur, quod ab immemorabili possessione penes Monasterium percipiendi ex agris Silvæ Mollis ad particulares spectantibus fructus naturales, et particularium asserta immemorabili exemptione a solutione quorumcumque vectigalium pro iis agris, eorumque industrialibus fructibus, sumi posset naturales agrorum fructus possessores Monasterio cessisse, et in hujusce cessionis correspectivitatem Monasterium omnia ea vectigalia in se suscepisse, semper tamen concludendum esset quod Monasterii obligatio protendi numquam posset *ad novam* prædictam intributionem, quia contrahentium mens ferri non potest *ad incognita, et imprævidibilia*, nec obligationes egredi possunt fines, quibus circumseptæ erant, dum fuerunt susceptæ. Nullum vero præjudicium Monasterio afferre potuerunt solutiones integræ Dativæ realis ab ipso expletæ post hujusce indictionem, hæ namque solutiones ejus bonæ fidei, vel errori tribuendæ sunt; et cum statim, errore detecto, per ipsum reclamatum fuerit, apud S. Boni Regiminis Congregationem, sartum ipsi, tectumque mansit jus indebitum onus a se respuendi, ac illud pro debita rata in agrorum Silvæ Mollis possessores avertendi, uti præterita statuit *Decisio* § *final.*

Atque ita in acri partium certamine definitum fuit.

VERULANA EXEMPTIONIS

SUPER CIRCUMSCRIPTIONE

Lunae 10 *Decembris* 1821.

ARGUMENTUM

Argumento non indiget.

SUMMARIUM

1. Ad inanes vitandos circuitus, circumscriptionis judicium plerumque pendet a causae merito, nisi agatur vel de jurisdictionis, vel de citationis defectu.

2. Communitatibus vadimonium indicere non licebat, nisi apud Boni Regiminis Congregationem.

3. Cum causa agatur contra Communitatem, non sunt vadandi singuli cives ipsius Communitatis.

DECISIO LXVI.

In distributione tributi = *Dativa Reale* = per Motum proprium Sanctissimi Principis anni 1801 indicti, cum erratum a Communitate Phrusinonis fuisset, quia quoad fundos omnes in Territorio *Sylvæ Mollis* existentes, integrum illius onus imposuit Venerab. Monasterio Trisulti, quamvis quam plurimi ex iis fundis, ita ad particulares possessores spectarent, ut vix Monasterium jus haberet ad eorum naturales fructus, Sententia Sacræ Congregationis Boni Regiminis, Monasterio instante, lata die 23 Septembris Anni 1808 præscriptum prædictæ Communitati fuit, ut novam æquamque perficeret illius intributionis partitionem inter prædictos particulares possessores fundorum, ac Monasterium, atque huic reservatum fuit jus = *agendi contra particulares possessores pro restitutione summæ indebite solutæ* = Hujusce Sententiæ circumscriptionem, ex asserto jurisdictionis, in Sacra Boni Regiminis Congregatione, atque citationis defectu, apud Signaturæ Tribunal postularunt prædicti particulares agrorum possessores, sed rescriptum audierunt = *Nihil de Circumscriptione; in reliquis Partes utantur juribus suis coram A. C.* = Juridicus dein

A. C. Conventus, nedum prædictæ Sententiæ circumscriptionem denegavit, sed etiam eam omnino probavit Sententiam. Venit postea ad Sacrum Nostrum Ordinem definienda quæstio super Sententiæ A. C. justitia, et in Comitiis diei 7 Maii superioris anni hæc confirmari meruit. Rursus hodie proposita Causa tam quoad intributionis partitionem, ad quam spectat contemporanea Decisio, tam, quoad circumscriptionem, de qua nunc agitur, interroganti mihi = *An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu etc.* = Patres = *In Decisis* = responderunt.

1 Et sane, cum super merito principe constitutum fuerit tributum = *Dativa Reale* = partiendum esse inter Monasterium Trisulti et particulares possessores agrorum existentium intra fines Tenimenti Sylvæ Mollis, pro rata utilitatis, quam utraque pars ex iis sentit agris, atque ideo, cum fuerit, præter Sententiam A. C., illa etiam S. Congregationis Boni Regiminis probata, hæc qualibet in falsissima hypothesi circumscribenda haud esset, quia ex laudabili S. Nostri Tribunalis stylo, ad inanes vitandos circuitus, circumscriptionis judicium exitum sequitur illius super Causæ meritis. Eo vero magis circumscriptionis petitio reiicienda est, quia injuria prorsus prædicta Sententia nullitatis arguitur, vel ex defectu *jurisdictionis* in S. Boni Regiminis Congregatione, vel ex omissa per Monasterium apud eam *citatione* ipsorum particularium possessorum agrorum Sylvæ Mollis.

2 Quo enim ad jurisdictionis defectum in prædicta S. Congregatione, ex eo quod lis instituta jam fuerat coram A. C. illico eliminantur incusatio; *quia* ad eam tantum Congregationem deferri poterant quæstiones super partitione = *della Dativa Reale* = ita præscribente superius recensito Motu-proprio anni 1801 sub art. 22, quo permissum fuit = *ai possessori dei terreni, non ostante il lungo spazio di tempo già a loro altra volta concesso di ricorrere anche ulteriormente nel perentorio termine di tre anni alla Nostra Congregazione del B. Governo per le correzioni dei gravami che fossero mai stati a loro inferiti* = et *quia*, cum judicium institutum a Monasterio fuerit adversus Communitatem Phrusinantem, res absolvi nequibat, nisi per S. Boni Regiminis Congregationem, apud quam tantum Communitatibus vadimonium indicere licet. Sive itaque controversiæ *subjectum* sive *personam*, quam contra Monasterium agebat, spectetur, manifestissimum est S. tantum prædictæ Congregationi jurisdictionem fuisse judicium de re controversa ferendi, uti præcedens monstrat *Decisio* §. 3.

3 Nec melius Sententiam prædictam nullitatis arguunt agrorum possessores; ex omissa eorum citatione. Ipsi namque vadati haud fuerunt, quia vadandi non erant, cum Causa ageretur a Monasterio contra Communitatem Phrusinatem, pro assequenda correctione albi partitionis tributi ab ipsa confecti. Hæc erat Communitas, quæ diribitioni contributionis super agris Sylvæ Mollis fuerat præfecta; ipsa publicos retinebat Codices; ipsa de a se perfecto opere rationem reddere debebat; ab ipsa demum hoc opus erat emendandum, si in hoc ipsam errasse S. Boni Regiminis Congregatio agnovisset; cum ipsa itaque, non vero cum particularibus agrorum possessoribus de tributi partitione corrigenda disceptandum erat. Correctione vero tantum expleta, adversus eam prædicti possessores insurgere potuissent, vel, secundum eam licuisset Monasterio ipsos urgere pro repetitione partis tributi pro eis indebite, per errorem, et ea manente haud æqua partitione originaria, soluti. Atque hinc est quod Monasterio per Sac. Congregationem reservatum fuit jus = *agendi contra particulares possessores pro repetitione summæ indebitæ solutæ, prout, et quatenus de jure* = ex qua jurium præservatione nullum prædictis particularibus possessoribus illatum fuit præjudicium, sicuti advertit præcedens Decisio §. final.

Et ita etc. utraque etc.

VERULANA PECUNIARIA

Veneris 6 Julii 1821.

ARGUMENTUM

Mandatarios, absque speciali mandato, quod nunquam praesumitur, non potest pro mandante recipere pecuniam proxime reprobandam, et ei praejudicium inferre. Ac eo minus, recipere depositum, quod non fuerat legitime expletum.

SUMMARIUM

1. *Qui mandatario nomine contraxisse objicit, mandatum ipsum ostendere debet, quia alias nunquam praesumitur.*
2. *Judicialium positionum ea est indoles, ut responsa eis data pro veritate habeantur.*
3. *In singula, et minuta negotia mandatum speciale confertum, excludit existentiam mandati generalis.*
4. *Inverisimile omnino est, quod si Mandans, mandatario mandatum contulisset ad pecuniae vim recipiendam, de hujus pecuniae quantitate rationem non haberet in generali computum supputatione.*
5. *Mandatarius generalis, sine speciali et expresso mandato, haud potest illa facere, quae mandanti infert praejudicium.*
6. *Quisque non indiligens pater familiae, in satisfactionem sui crediti, haud recipiebat tesseras, quae proxime reprobandos erant.*
   Si depositum non sit integrum, potest impune despici a Creditore - ibidem. -
7. *Depositum periculum in creditorem non transfert, nisi fuerit exhibita Cedula, per quam creditor pecunia uti libere valeat.*

DECISIO LXVII.

Quam a Communitate Phrusinonis ad triennium publicam Salsamentariam conduxerat Johannes Baptista Renna, cessit subinde die scilicet 22 Julii 1796 Xisto Antonio Capozzi, nonnullis attamen in Apocha, quam conscripsere, appositis conditionibus. Praecipuum inter eas locum obtinet, ut pro scutis 1400, quae in pretium traditi Salsamenti Rennae Capotius debebat, teneretur hic in contractus exitu summam dumtaxat sc. 1200 repraesentare = *colla condizione per altro che esso Capozzi sia obligato in ogni Settimana di consegnare al detto Signor Renna, o a chi per esso scudi 56, e bajocchi 25 in moneta di rame, e detto Signor Renna debba dargli tante Cedole corrispondenti alla detta somma* =, qua neglecta praestatione = *sia immediatamente tenuto restituire gli scudi mille, e quattrocento ricevuti a titolo di prestanza non intendendosi in tal caso abbia luogo la diminuzione di scudi duecento, ed altresì pagare al predetto Signor Renna altri scudi Cento l'anno durante l'affitto a titolo di pena ed in luogo di danni che il predetto Signor Renna potrebbe soffrire per causa dell'inadempimento.*

In utraque conditionis parte deficit Capotius; neque scilicet per triennium vel unum nummum aeneum cum papyracea moneta commutandum obtulit, nec triennio praeterlapso, cum mense Decembris anni 1798, nomen quod ex salsamenti pretio constabat, dissolvit. Interim vero in dies vilescebat repraesentativa moneta, et vulgo debitores ad Praetorem confluebant, ut depositis chartularum fasciculis aes alienum dimitterent. Hanc nactus occasionem, et Capotius Phrusinonis Praetorium Tribunal adivit, eoque allata infima papyracea monetae specie, vulgo nuncuqata = *assegnati* = ad numerum scutatorum 1200, postulavit, ut Johannes Baptista Renna illam recipere ac publicis exaratis tabulis accepto habere cogeretur. Aberat tunc Johannes Baptista: idcirco Decretum petitioni congruens Capotius obtinuit, et nulla praeeunte Decreti istius significatione inutiles jam pene effectas tesseras deposuit die 9 Martii anni 1799, atque, hoc deposito, rei penitus inscio, creditori, haud denunciato, Petrus Paulus Renna, Johannis Baptistae frater, nullo licet ad id suffultus mandato, illius attamen allegato nomine, eam pecuniam accepit, sibique habuit.

Sed Johanni Baptistae Renna, haud multo postea e vivis erepto, ejus filius Philippus successit, qui accepti, expensique rationibus cum Capotio dispunctis, de omnibus sibi ab eo satisfactum fuisse declaravit, verum addidit = *non intendo di pregiudicare alle sole due partite cioè del deposito degli*

assegnati per i generi di Pizzicaria ec. = Hinc quia, Capotio defuncto illius filii, bæredisque, sub tutela Joachimi Tagnani, debitam illam scutorum 1400 summam Rennæ persolvere abnuebant, judicio lacessiti fuere apud Primæ Actionis Tribunal Phrusinonis, ibique, licet peractum opponerent depositum, illudque a Petro Paulo Creditoris fratre legitime acceptum fuisse contenderent, propositis ad id evincendum ipsi Creditori positionibus, attamen damnati fuere = *al pagamento di scudi* 1200 *dovuti in forza dell'obligazione emessa dal detto Sisto Antonio nell'Apoca del* 22 *Luglio* 1796 =. Provocantibus dein ipsis ab hujusmodi Sententia, S. Nostro huic Ordini controversiæ examen, et diremptio demandata fuit; quare rogavi hodie Patres = *An mandatum Tribunalis Primæ Instantiæ sit exequendum in casu etc.* = Atque ipsi, Renna tantum causam orante, responderunt = *Affirmative* =.

1 Tota hujus controversiæ summa in eo consistit, ut videatur, an revera in illius papyraceæ pecuniæ receptione mandatarius Johannis Baptistæ dici potuerit Petrus Paulus illius frater, nec ne. Cum enim solemnis scriptura trium testium nomine obsignata, ac in publico Tabulario exhibita creditum Rennæ in scutis *mille quatuorcentum* pro traditi salsamenti pretio constituat, nil aliud Capotii excipere solent præter illud papyraceæ monetæ depositum a Petro Paulo, Johannis Baptistæ nomine accepto habitum. At quoniam de mandato speciali numquam docere illi potuerunt, ideoque generale supponere consueverunt, valide hujus existentiam oppugnabat Renna, et quatenus etiam extitisset, numquam ex eo potestatem tesseras illas recipiendi Petro Paulo factam fuisse contendebat. Et sane quoad primum, tritum est in Foro adagium reum quemlibet in sua exceptione actorem fieri, quare Capotii concludenter mandatum, quod objiciunt, ostendere deberent, præsertim cum illud in dubio, quia res facti est, numquam præsumatur. *Bald. in leg.* 1 *n.* 1 *de rebus alien. n.* 11.

Probationes quidem nonnullas mandati illius generalis in persona Petri Pauli afferre in prima Causæ disceptatione conati sunt Capotii, sed ejusdem existentiam evincere datum ipsis non fuit. Detulerunt siquidem Rennæ judiciales interrogationes, posueruntque = *Che parimenti sà, che il fu Pietro Paolo Renna Agente generale del medesimo Giovanni Battista prendesse li sudetti assegnati, e se non crede così, dica come crede* = At ille juratus respondit = *Mai però il fu Pietro Paolo Renna fu Agente generale di mio Padre, nè ha avuta alcuna procura legale* =. Hoc sane responsum omnem prorsus tollit quæstionem; quia, ut omnes norunt, ea est judicialium interrogationum, seu, ut forenses nuncupant, positionum indoles ut responsa eis data pro veritate habeantur, et propter juramentum ineluctabile probationum genus constituant = *Constantin. ad Stat. Urb. Annot.* 8 *num.* 111 *Rota coram Priolo Decis.* 66 *num.* 2 *in Romana Pecuniaria super Creditis Joannis Baptistæ* 31 *Januarii* 1777 § 2 *coram Origo et in Asculana dotis* 22 *Junii* 1815 § *ultimo coram Eminentissimo Rusconi* = Non modo igitur nil ex oblatis positionibus pro se eruere Capotii valuerunt sed e contra de mandati inexistentia invictissimam probationem ipsi subministrarunt. 2

Et quamvis post illud judiciale Philippi Renna responsum ad mandatarii generalis qualitatem in Petro Paulo ostendendam aliis quoque argumentis, et probationibus uti Capotiis licuisset, nil tamen ipsi hucusque profecerunt sive epistolis, sive calculationibus, ex quibus probarunt quidem negotium aliquod ex Johannis Baptistæ mandato Petrum Paulum peregisse; at nec mandatum ad tesseras illas recipiendas, nec mandatarii generalis probarunt in eo qualitatem. Quin imo, re intimus inspecta, utrumque excludendum potiusquam admittendum ex iis ipsis monumentis videbantur. Si enim ubi negotium aliquod fratri a Johanne Baptista commissum fuit, probandæ rei causa literæ istius ad eum datæ pro- 3

ferebantur, omnino conficiendum tum generalis mandatarii qualitatem in illo defuisse, secus enim necesse non fuisset in singula, et minuta negotia mandatum speciale conferre; tum pariter mandatum ad tesseras recipiendas nullo modo intervenisse, ad quod probandum nec literæ speciales a Capotiis afferebantur, nec calculationes, uti et primæ Actionis Judices animadverterunt.

4 Inverisimile præterea prorsus est, quod in ea universa rationum supputatione, quæ inter Petrum Paulum, ejusque fratrem Joannem Baptistam intercessit, et quam objicere solent Capotii dum perexiguæ cujuslibet negociationis mentio fuit facta, silentio omnino præterire Johannes Baptista voluerit haud sane aspernendam quantitatem scutatorum 1200, si reapse illam ex ipsius mandato Petrus Paulus accepisset; neque hic adeo in re sua negligens fuisset, ut contentione postmodum inter Philippum Rennam, et Capotios exorta cujus contentionis exitus in eum erat recasurus, præsto haud esset Capotiis, atque documenta eis præberet de habita ejus pecuniæ ratione in calculationibus cum fratre a se initis. Hoc itaque silentium mirum in modum suadet nil Petrum Paulum ex fratris mandato egisse, cum tesseras illas recepit. Quin controversa mandatarii generalis facultas erui valeat attestatione in pendentia litis expiscata unici testis Antonii Sordi. Dum siquidem hic de salarii solutione a Petro Paulo accepta, tamquam generali Johannis Baptistæ gestore deponit, de mendacio redargui potest ex ipsis supradictis generalibus supputationibus, in quibus nulla salarii illius mentio reperitur.

5 Verum, et si de illa qualitate mandatarii generalis præditum reapse fuisse Petrum Paulum Capotii demonstrarent, haud exinde illorum Causa vel tantisper melior evaderet. Etenim, cum indubium sit quod illa tesserarum receptio exitialis omnino Creditori fuisset, hinc Petrus Paulus, utut Joannis Baptistæ Procurator generalis ex tacito generali præsumpto mandato, numquam sine speciali et expresso hujus mandato potuisset tesseras illas a quæstore recipere, quia exploratissimum in jure est haud posse mandatarium generalem ea facere, quæ mandanti aliquod inferunt præjudicium. *Ad text. in Leg. obligat. generali ff. de pignor. et L. Creditor §. Lucius ff. mandat. Bald. in C. 1. num. 15. in fin. de cap. qui cum vend. C, Caus.* 3. *num.* 1. *cum seqq. et Rota decis. Recent.* 293. *num.* 11. *et decis.* 486. *num.* 10. *Part.* 9. *Tom.* 2, Quæ regula obinet etiam si mandatum clausulam = *cum libera* = praeseferat *Bald. in rubr. Cod. de revoc. iis, quæ in fraud. Cred. num.* 8. *in fin. Abb. in C.* 4. *num.* 28. *ut cit. non contest. Covarr. in rubr. de testam. part.* 2. *num.* 14. *vers. quo fit quamvis Procurator, et Mantic. de tacit. et ambig. conv. lib.* 7. *tit.* 16. *n.* 41.

Præjudicium vero summum ex ea tesserarum receptione Rennæ oriri potuisse probat vel ipsa rei natura quum eos omnes æque turbet calamitatum illius temporis memoria, quibus pecunia erat debita; certatim quippe malitiosi homines ære alieno obruti cum tesseras in dies vilescere, atque abrogationi proximas viderent illas Creditoribus offerebant; sed quisque non indiligens Pater familias quamlibet potius sibi subeundam conditionem existimabat, quam pati ut sibi de Credito satisfieret vilissimis illis, atque inutilibus tesseris, quarum mox ex legibus jam latis nullus futurus erat usus in Commercio. Hisce adstipulatur plures in themate concurrere circumstantias ob quas optimo jure potuisset Creditor Renna depositum illud recusare, et censeri illud deberet tamquam inutiliter expletum. Et primum illud integrum non fuit; nam constat non amplius scutis 1200. papyracea illa moneta debitorem deposuisse, cum contra deberet scuta *mille, et quadringenta*, ob pretium Salsamenti, nec non damna, et interesse ob initæ pactionis inadimplementum, neglectamque aeneæ monetæ cum tesseris » *Cedole* » commutationem, ut perhibet Apocha 22. Julii 1796. Merito igitur ejusmodi 6

haud integrum depositum despici a Creditore poterat ad *Text. in Leg. Tutor.* §. *Lucius ff. de Usuris L.* 72. *ff. de solutionibus Rot. in Romana Pecuniaria* 17. *Aprilis* 1801. §. 8. *cor. de Alteriis in Romana Census* 27. *Junii* 1803. §. 7. *cor. Resta in Spoletana Pecuniaria* 26. *Maii* 1805. *cor. eodem et in Alatrina Pecuniaria* 17. *Feb.* 1815. §. 5. *cor. R. P. D. meo Bussio.*

7 Præterea expletum fuit a Capotio depositum ex decreto contumaciali, quin ulla praecesserit Decreti notificatio: Decretum ergo ipsum perinde erat habendum ac si prolatum numquam fuisset *Zant. de Nullit. n.* 146. *Ubert. de citation. Cap. XI. n.* 427. *Rota in Recent. Decis. n.* 8. *Par.* 2.: atque ideo depositum nullo in pretio haberi potuit, ac ita usque ab initio depositæ pecuniae periculum in creditorem transferre non valuit *Rota in Recent. decis.* 73. *num.* 1. *Tom.* 2. *P.* 18. *in Assisien. Dotis* 15. *Maii* 1803. §. 4. *cor. Resta et in Alatrina Pecuniaria* 17. *Febr.* 1815. §, 5. *cor. R. P. D. Meo Bussio.* Tandem exhibita non fuit depositi, ut ajunt *Cedula* ideoque etiam ex hoc capite nullius momenti depositum fuit, quia numquam sine cedula deposita pecunia libere uti Creditor valuisset = *Surd. Con* 528. *num.* 141. *Starban. Resolut.* 152. *num.* 1. *et* 2. *Cons. Rot. in Romana Restitut. Cambii* 22. *Augusti* 1801. *cor. Morelli* §. 8. *Rota in Romana Pecuniaria* 15. *Maii* 1801. §. 6. *coram Priolo, in Firmana Dotis super rejudicata* 11. *Junii* 1802. §, 6. *cor. nunc R. P. D. meo Serlupi Decano in Romana Pecuniaria* 19. *Feb.* 1802. §. 5. *cor. Strasoldo, et in d. Alatrina Pecuniaria* 17. *Feb.* 1815. §. 5. *coram R. P. D. Meo Bussio.* Exitiosa igitur omnino dignoscitur tesserarum exactio a Petro Paulo expleta, ac proinde numquam praesumi potest in eo mandatum ad eas exigendas tesseras, et Capotii debitum uti semper vigens renunciandum est ita ut ope mandati exequutivi satisfactionem de eo Credito Philippo Renna assequi nunc debeat.

Et ita etc. Altera ec.

VERULANA SUCCESSIONIS

Veneris 9 *Februarii* 1821.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur « DECISIO XXXI. »

SUMMARIUM

1. *Donec testamentum non evertatur, insuperabile obex semper parat, adversus illum, qui successionem intestatam petit.*

   Insinuatione, ac aliis solemniis, in donationibus reciprocis, ac correspectivis, opus non est - ibidem. -

   Exceptio contra donationes, ob solemnium defectum, non transit ad heredes - ibidem. -

   Qui donationem exequutioni mandavit, ac ratam habuit, nequit amplius illam oppugnare - ibidem. -

2. *Ubi Successio deferatur sub conditione, si bonorum possessor, aut intestatus, aut absque filiis decedat, haec conditio non continet pactum successorium a legibus reprobatum.*
3. *Non stricte est tenendum, si quid in Decisionibus obiter excidit, nec illud curandum, quod incidenter, ac exempli gratia denotatum fuit.*
4. *Cum ex antiquis legibus, omnia fideicommissa plenam vim obtinerent, omnia, quae temporis intervallo inter gallicarum legum abolitionem, et Motus proprii promulgationem cesserunt, suo pleno robore extitisse exploratum est.*
5. *Et quamvis admitti velit,* SSmum Principem *omnes delere voluisse fideicommissarias illas substitutiones, tenendum tamen esset ipsum nunquam voluisse, quod lex a se edita effectum haberet retroactivum*
6. *Ex lege Edictali diei* 13 Maii Anni 1814, *omnia bona fideicommissaria eodem vinculo fideicommissi obstricta declarantur, si nullam alienationem passa fuerint.*

   Praedictae legi, en tantum adjecta limitatio fuit, ut hoc vinculum in posterum manere deberet in iis dumtaxat bonis, quae summam scutorum 15000 *in immobilibus attingeret - ibidem. -*

7. *Paria sunt absque testamento, vel irrito testamento confecto decedere.*

   Antequam Motus proprius novas induxerit leges quoad solemnitates testamentorum, ubicumque locorum in Ecclesiastica ditione, legitime conficiebantur testamenta ad tramites notissimi - Capitis cum esses - *ibidem. -*

Juxta hanc legem, testamentum ut rite conficiatur, debet a Parocho coram duobus testibus, intra quindecim dies, Notario tradi - ibidem. -

8\. *Idem est, aliquem citatum intervenire examini testium, ac sponte adducere testes ad Notarium, ut examini subjiciantur.*

9\. *Monumentorum literis magis, quam labili testium memoriae, credere oportet.*

Si Parochus, ut voluntatem testatoris magis explicaret, scribens, alia adhibuit verba, id fidem testamento non minuit - ibidem. -

10\. *Gallicae leges, nedum vetabant substitutiones in Testamentis, sed et ipsa testamenta irrita declaraverant.*

Ex jure Pontificio, quamvis excluderetur progressivitas fideicommissorum, tamen non irrita denunciabantur testamenta, in quibus erant scripta - ibidem. -

Maxima cum religione, integrae servari debent morientium voluntates - ibidem. -

Motus proprius 13 Maii Anni 1814, integra servavit jura, quae quaesita fuerunt super bonis fideicommissariis, durante gallica occupatione - ibidem. -

DECISIO LXVIII.

Omnia, quæ promiscue possidebant bona, Angela Antonia, Isabella, et Maria, sorores Scurpa, quibus Popharum Oppidum patria erat, ope solemnis Instrumenti irrevocabiliter inter vivos anno 1802, una alteri donarunt, usufructu sibi reservato, ac ea præsertim, inter alias, adjecta lege, ut ultimæ e donatariis superstiti, in qua omnia donata bona coalescere debebant, facultas esset de iis libere disponendi; ni autem disponeret, ea æquis partibus tum Josepho Zampolinio, Mariæ Viro, tum Agneti Terribiliniæ, quæ prædictis sororibus summo studio famulabatur, et cui Maria cammater erat, deferrentur. Ex hac donatione, cum e tribus sororibus postrema superstes Maria totius donatæ rei domina effecta fuisset, die 14 Februarii anni 1815. supremum suum elogium, ad formam notissimi *Cap. cum esses* coram Parocho, duobusque testibus confecit, in quo, voluntati aliarum sororum quam maxime obtemperans, pancis dumtaxat bonis, prælegati nomine, viro relictis, in reliquis quoad usumfructum parem esse voluit Zampolini, et Terribiliniæ conditionem, quoad vero proprietatem unam Terribiliniam tantum hæredem universalem vocavit, gente Scurpia ipsi, si absque filiis decederet, etiam substituta. Qua in voluntate perseverans die 5 Augusti ejusdem anni ex hac vita migravit; atque ideo Terribilinia, et Zampolinius, in vim ejus Testamenti, nec non prædictæ donationis omnium bonorum, quæ ipsa reliquit, possessionem nacti fuere. Sed repente anno 1818. post triennii lapsum, Rev. Antonius Scurpa in id consilii venit, ut ad intestatam sororum successionem immitteretur; Donationem itaque, et Testamentum nullitatis vitio laborare proclamans, et expetens immissionem ad bona, uti sibi ab intestato debita, super uno, alterove coram Phrusinati Tribunali victor extitit. Sed alia fuit Collegii A. C. Sententia diei 17. Decembris anni 1819. quam S. Noster Ordo, Decisione die 3. Julii præteriti anni per me edita confirmavit; dum sciscitanti mihi = *An sit locus successioni ab intestato, ita ut sit danda immissio, et sint restituendi fructus in casu etc.* = responsum datum fuit = *Negative in omnibus* = Quæ omnia latius hæc exponit Decisio. Facta dein succumbenti potestate sua jura adversus hanc Decisionem deducendi, res tamen ei male cessit, quia in hodiernis Comitis itum est in eamdem sententiam. Nam proposito per me assueto Dubio = *An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu etc.* = Domini *In decisis* perstiterunt.

Et merito quidem. Iterum enim enituit validitas tum reciprocæ donationis, 1
anno 1802. inter Sorores Scurpa initæ tum testamenti anno 1815. a Maria exarati. Quo duplici titulo innixi Terribilinia, et Zampolinius bonis optimo jure fruuntur eis delatis: Quapropter, nisi hæc quo, scilicet donationem, et testamentum evertat R. Antonius Scurpa, atque nullitatis vitio utrumque laborare luculentissime evincat, ejus actio ad intestatam sororum successionem sibi asserendam instituta, insuperabili obice semper retundetur. Rursus utrumque ipse pertentat, sed inani conatu:

Nam quot quot proponuntur objecta, aut prorsus spernenda Patribus visa sunt, aut ea omnino præcedens Decisio eliminavit. Quoad enim donationem, nec exceptiones ab *extrinsecis* vitiis petitæ eam convellere valent, nec illæ petitæ ab *intrinsecis* irritam reddunt. Quippe donationi, si *extrinsecus* perpendatur, non nocet omissa insinuatio, aliarumque solemnitatum defectus, etsi hæ in Oppido Popharum in omnibus Mulierum contractibus necessario requirantur. Exploratum est enim in jure insinuationem, ut solemnia in donationibus reciprocis minime requiri, quia, cum actus sint correspectivi, et par omnibus imponatur conditio, omnis læsio, aut fraus exulare videtur, et evincit superior Decisio §. 5. Præterea hujusmodi exceptio, quæ cum personalis fuerit, ab ipsis tantum sororibus mutuo donantibus proponi potuisset, uti firmat prædicta Decisio §. 6. frustra ab Actore proponitur, qui donantium hæres haud est. Ac seposita etiam quæstione de hac qualitate hæreditaria, tamen, cum Sorores Scurpa nunquam de asserta donationis nullitate, ob propositum solemnium defectum, ullas querelas movissent, quin imo eam exequutioni mandantes ratam habuissent, R. Antonius earum factum ab ipsis probatum contraire prohiberetur; eoque magis, re non amplius integra, dum ipse, haud quidem inscius, suo perpetuo silentio bona de una in aliam sororem in vim donationis transferri sivit, ac per triennium Zampolinio, et Terribiliniæ fruenda reliquit, sicuti ponderat præcedens Decisio §. 6.

2 Nec melius urget, si res *intrinsecus* expendatur, Antonius exceptione, quod legem offendat uti bonis moribus inimicum, pactum illud, quo bona donata ad Terribiliniam, et Zampolinium deferri cautum fuit, omnibus donatariis elatis, perinde ac si mortis captandæ votum præseferat, vel testandi facultatem adimat. Huc enim nullo prorsus modo traduci possunt eo, quæ de pactis successoriis traduntur, ab Jure reprobatis, quia ab horum indole, ac natura longe, discriminatur Zampolinii, ac Terribiliniæ vocatio: Quippe Sorores Scurpa nil minus cogitarunt, quam sibi potestatem testandi præripere, cum immo expresso pacto in solemnibus donationis tabulis caverint salvam sibi fore hanc libertatem. Si quidem ibi conceptissimis verbis expressum legitur = *Che chi di esse resterà in ultimo, possa disporre dei sudetti beni a favore di chi gli piacerà, e parerà* = Nec ullum Terribiliniæ, ac Zampolinio vocatis esse poterat captandæ mortis votum, cum non pure, et absolute hæreditas ultimæ e donatariis superstitis eis relicta fuerit, sed incerta tantum spes succedendi eis fuerit data, sub ea conditione, quod hæc, nullo hærede instituto, nulloque testamento confecto decederet = *E nel caso, che morisse senza poter fare tal disposizione debbano succedere a detti Beni per ugual porzione il sudetto Mastro Giuseppe, e la Ragazza Maria Agnese* = Quare pacti successorii vitium, quod perabsurde in hac dispositione R. Antonius deprehendere conatur, exulat omnino: et hæc dispositio non magis pactum successorium includit, quam omnes vel inter vivos, vel causa mortis dispositiones, quibus alicui successio defertur, si bonorum possessor, aut intestatus, aut absque filiis decedat.

Ex iis vero præcedentis Decisionis verbis, quod nempe Zampolinii, et Terribiliniæ vocatio ad summum redigeretur ad fideicommissariam substitutionem, inutiliter Antonius quasi tabulam in naufragio arripere conatur. Nam ea verba stricte interpretans, perinde ac si dictum fuerit, quod Zampolinius, et Terribilinia in vim fideicommissariæ substitutionis bonorum possessionem obtinuerit, quod prorsus abest a vero, totus in eo est, ut ostendat nullo modo fideicommissum illud subsistere posse, quia non attingit scuta 15000, et fideicommissorum abrogatio a Gallicis Legibus invecta a notissimo Motuproprio SSmi Principis, diei 6 Julii 1816 quoad fideicommissa, quorum valor in bonis immobilibus ea summa inferior esset, fuit servata, ex quo arguit non successioni fideicommissariæ ad prædicta bona erga Zampolinium, et Terribili- 3

niam, sed successioni intestatæ erga ipsum locum fuisse factum. Verum id irrito libere tueri student. Ideo namque iis verbis Decisio usa non fuit, ut Fideicommissi nomine Zampolinio, et Terribiliaiæ successionem delatam constitueret; sed ea incidenter, ad superabundantiam, ac explicative adhibuit, quo fortius pactum successorium excluderetur. Neminem vero fugit stricte non esse tenendum; si quid in Decisionibus obiter excidit, nec illud curandum, quod incidenter, ac exempli, ut ita dicam, gratia adhibitum fuisse videtur. Deterior vero sit exceptio, cum omnis a themate absit substitutio, quia nulla e sororibus onere gravata fuit hæreditatem restituendi, et Zampoliaius, et Terribilinia non jure substitutionis, sed institutionis conditionalis nomine vocati fuerunt ad successionem.

4 Satis hæc superque essent ad propositum objectum respuendum. Tamen Domini illud intimius etiam perpendentes, nullum in casu locum sibi illud posse vindicare, quavis in hypothesi, agnoverunt. Nam, cum anno 1815 Maria suum obiisset diem Supremum, nec ad Gallicam Codicem jam abrogatum, nec ad Motum propriam, nondum in lucem editum confugere licet, ut de fideicommissariis successionibus judicium feratur. Sed, cum ex Lege ædictali diei 13 Maii anni 1814 antiquæ Leges, quæ ante Gallicam occupationem in Ecclesiastica Ditione vigebant, fuerint restitutæ, ad tramites ipsarum successiones deferendæ regi debebant. Jusserat enim lex ista = *Il Codice Napoleone Civile rimane da questo momento perpetuamente abolito in tutti i dominj della S. Sede. E similmente da questo momento richiamata in osservanza l'antica Legislazione Civile vigente all'epoca della cessazione del Pontificio Governo* = Itaque, cum ex antiquis Legibus omnia fideicommissa plenam vim obtinerent, omnia, quæ hoc temporis intervallo inter Gallicaram Legum abolitionem, et Motus proprii promalgationem cesserunt, vixisse, ac suo pleno robore extitisse Patres censuerunt. Etiam igitur in hypothesi, quod Zampolinius, et Terribiliaia fideicommissariæ substitutionis vigore bonorum possessionem assequuti fuissent, attamen ipsorum fideicommissaria vocatio firmissimo jure consisteret.

Quin altera objectio Rev. Antonio 5
prosit, qua Motum proprium etiam pro eo temporis intervallo vetera fideicommissorum vincula sustulisse defenditur, Hoc ipse deprehendere contendit ex his Motus proprii verbis *in art.* 130. = *L'abolizione dei vincoli di fidecommisso lasciata in sospeso dall'Editto del Delegato Apostolico dei* 13 *Maggio* 1814., *è mantenuta colle seguenti modificazioni.* Sed hæc reprobanda est interpretatio, tum si spectemus verba Motus proprii, tum si ipsius mentem inspiciamus. Urget enim primum, quod hæc dispositio relati *art.* 130. si veluti pars proemialis, nec ullo modo normam dare possit resolutioni quæstionis, cui subsequentes dispositiones specialiter providerunt: Deinde, et si verbis hujus dispositionis inhærendum esset, satis cuique compertam foret exceptionem a Scurpio promotam nullo modo eis inniti posse. Quamvis enim admitteretur, quod delere declarasset SSmus Princeps omnes absolute fideicommissarias substitutiones, tenendum tamen esset ipsum aunquam voluisse, ut hæc Lex effectam haberet retroactivum. Patet id manifestissime tam ex prædicti Articuli Verbis; quam ex totius dispositionis, ad fideicommissa spectantis, contextu. Nam, si abrogatio vinculorum fideicommissi in suspenso relicta fuit ab Edicto Delegati Apostolici, quod antiquo jure restituto omnia fideicommissa reviviscere fecerat, in aprico est eam abrogationem nullam exerere vim potuisse per illud temporis intervallum, quod intercessit inter Edicti, et Motus proprii promulgationem, quia, si Motus proprius expresse declaravit, fideicommissorum abrogationem per Edictum suspensam fuisse, plane consequitur, declaratum etiam fuisse eam per prædictum temporis spatium nullum effectum gignere potuisse.

Quod etiam eo magis evincitur ex 6
sequentibus illius Articuli verbis, qui-

bus fideicommissorum conservatio cohibetur intra limites = *delle dichiarazioni, e modificazioni espresse nel seguente articolo* = Cum enim nulla fieri possit modificatio ejus rei, quæ non existit, erui ex iis verbis oportet fideicommissorum existentiam Motum proprium considerasse; nec Pontifex potuit Gallicas leges modificare, quæ exterminatæ fuerant, sed antiquas leges, quæ fuerant restitutæ tantum cohibere voluit, ut numerum fideicommissariorum coerceret; non vero, ut ea prorsus deleret. Verum declarationes inferius adjectæ, quæ tantum de fideicommissis existentibus loquuntur, omne dubium removent. Nam si opus speciali lege, ut bonorum fideicommissorum alienationes, seu successiones ex testamento, vel ab intestato aliis, quam fideicommissariis hæredibus obventæ eo temporis intervallo, firmæ manerent, satis liquet nullam fuisse libertatem bonorum servatam, et contra legem eas alienationes fuisse expletas, easque successiones fuisse delatas. Omnia demum fideicommissa integra extitisse apertissime declarant sequentes articuli, qui ad nostrum thema propius accedunt. In articulo enim 132 omnia bona fideicommissaria eodem vinculo fideicommissi obstricta declarantur, si nullam alienationem passa fuerint, ea tantum adjecta limitatione, ut hoc vinculum in posterum manere debeat in iis dumtaxat Bonis, quæ summam scutorum 15000 in immobilibus attingant = *La durazione dei fidecommissi conservati nel precedente articolo non avrà luogo, che negl'immobili complessivamente ascendenti ad un valore di scudi* 15000. Hæc controversiam sane dirimunt. Nam res integra declarata fuit super bonis fideicommissariis, ita ut fideicommissum in iis consisteret, si fideicommissi nomine detinerentur. At si scutorum 15000., summam non attingebant, lex voluit, ut futura fideicommissi perduratio obtinere non posset, sed bona ab omni vinculo soluta libere ab eo possiderentur, qui tunc possidebat. Accedit etiam, quod maximum absurdum erumperet, si aliter sentiendum esset, nempe si Terribilinia, et Zampolinius bonis asserto titulo fideicommissi eis delatis spoliari deberent, ut in Scurpium deferrentur. Nam, si Motus proprius expresse cavit, ut bona fideicommissaria, quæ ab hærede gravato in extraneos translata fuerant contra legem, apud ipsos manere deberent, eo magis maneant oportet in eo, qui fideicommissi titulo, ipsa lege probante, possessionem eorum nactus fuisset. Verum hæc ad abundantiam tantum, ut superius dictum fuit.

Donationis ita validitate demonstrata, atque prorsus eliminato objecto quoad successionem Zampolinio, et Terribiliniæ delatam fideicommissi titulo, in hypothesi etiam, nunquam admittenda, quod hoc nomine eam ipsi nacti fuerint, supervacaneum prorsus est testamentum Mariæ Scurpa, alterum succedendi titulum illis tribuens, a nullitatis vitio, quod ei Antonius appingere conatur, vindicare. Nam etsi hoc testamentum, quo Maria hæredes usufructuarios Terribiliniam, et Zampolinium dixit, in proprietate vero Terribiliniam tantum instituit, lege adjecta, ut, si absque filiis decederet, Gens Scurpia ei substitueretur, ex aliquo vitio corrueret, nil tamen id Antonio prodesset; quia semper ei obstaret illa donatio, cujus vigore bona iidem Zampolinius, et Terribilinia assequuti fuissent; hoc enim in themate extitisset eventus conditionis, illorum vocationi appositæ, nempe quod nullo scripto testamento ultima e sororibus ex hac vita migraverit: paria enim sunt absque testamento, vel irrito testamento confecto decedere, sicuti probat superior mea Decisio § 8. Verum nullo vitio testamentum laborat, quare consequitur, non secundum legitimam, sed secundum testatam successionem Mariæ hæreditatem fuisse deferendam. Legitimæ enim successioni locus non fit, nisi testamentaria deficiat *ad text. in leg.* 89 *ff. de reg. jur. et leg. Quamdiu ff. de acquir. haered.* Nullius quippe momenti sunt objecta, quibus Antonius evertere conatur prædictum Mariæ testamentum. Quoad illius siquidem for- 7

mam, valide illud, et legitime confectum fuit die 14 Februarii anni 1815 ad tramites notissimi *Capitis Cum esses*, cujus sanctionem obtinuisse ubicumque locorum in Ecclesiastica Ditione, antequam Motus proprius novas induxerit leges quoad solemnitates testamentorum, Rota jam pluries probavit, uti monstrat praecedens Decisio §. 9. Nil vere deest ad ejus actus omnimodam solemnitatem, quæ ab jure Canonico præscribitur. Etenim, Maria dictante, Parochus coram duobus testibus illud scripsit, atque intra *quindecim* dies, uti fert consuetudo Oppidi Popharum, tabulas testamentarias, in quibus supremam Mariæ voluntatem contineri dixit, duobus pariter testibus præsentibus, Notario tradidit. Omnem vero quæstionem super hujus testamenti validitate adimit, quod Maria hunc actum probavit, et ratum habuit, cum per alios quinque menses superstes, in eadem voluntate perstiterit.

8 Nec ejus robori quidquam detrahit, quod solemnis relevatio defuerit, et quod testes ab ipso R. Antonio examinati Testamento Mariæ, et Parochi depositioni non omnino congruerint. Quidquid enim dicendum esset, an solemnis relevatio sit, nec ne necessaria, cum testamentaria schedula extat, quæ facit, nt de Testatoris voluntate nullo modo dubitari possit, perspectum tamen fuit solemnem etiam relevationem haud quaquam in themate desiderari. Nam abunde suppletum fuisse testium formale examen, in quo solemnis relevatio consistit, Patres animadverterunt ex eo, quod ipsemet R. Antonius eos coram Notario adductos interrogavit; cum idem sit, aliquem citatum intervenire examini testium, ac sponte adducere testes ad Notarium, ut examini subjiciantur; et Parochus etiam interrogatus, ipsius juramento accedente, de integro testamenti tenore deposuit. Quin objicere prosit Sententiam Pbrusinatis Tribunalis, quam Reijudicatæ vires nactam fuisse Antonius asserit, stricte solemnem relevationem requisivisse. Nam res hæc judicata minime subsistit, cum ea Sententia, quæ tantum interloquutoria fuit, simul cum altera, quæ ad donationem respiciebat, Terribilinia, ac Zampolinio provocantibus, ab Juridico Collegio A. C. fuerit revocata.

Quo vero ad testes, qui non satis cohærere literæ testamenti, ac testimonio Parochi dicuntur, inaniter R. Antonins inde eruere conatur falsitatis indicia, ut testamentum evertat. 9
Primum enim tenendum est, quod monumentorum literis magis, quam labili testium memoriæ fidere, et credere oportet; quia nil fieri potest facilius, quam ut aliquid e testium memoria excidat, aut quid non bene ipsi audiant. Deinde ea indicia falsitatis, quam agens ad obstruendum crimen luculentissime probare tenetur, In casu, quo versamur, minime sunt attendenda. Quia, si testium depositiones paullulum, specie tenus cum dicto Parochi, et tenore testamenti discordant, tamen in substantia cum iis conveniunt. Nam si testatricem instituisse hæredem universalem Mariam Agnetem Terribiliniam ipsi audivisse negarunt; attamen, cum fassi fuerint Mariam audivisse dictantem =. *Che se moriva Agnese Terribilini*, *senza legittimi Eredi tornassero li Beni allo Scurpa* =, implicite ejns institutionem in omnibus bonis confirmarunt, quia secus bona in Scurpios ab ipsa per substitutionem haud deferri potuissent. Pari facilitate altera excluditur discrepantia, quam Scurpius ex eo eruit, quod testes affirmarunt, Mariam bona, de quibus disponebat, singillatim designavisse, atque ea in binas partes diripuisse, de quibus nullum in testamento verbum invenitur. Hæc enim bonorum distinctio seu ad segregationem prælegati, quod viro reliquit, seu ad ususfructus divisionem facillime referri potest: quod si, ut ejus voluntatem magis explicaret Parochus scribens, alia adhibuit verba, facere sane potuit, nec id fidem testamento minuit.

Frustra demum Antonius Testamentum nullitatis arguit, quia in eo substitutio fideicommissaria continetur, quam Gallicæ Leges ita vetabant, ut 10

nedum hujusmodi substitutiones in testamantis comprehensas, sed et ipsa testamenta irrita declaraverint; quod ut evincat *Art.* 986 Gallici Codicis profert, quo cautum fuorat = *Le sostituzioni sono proibite. Ogni disposizione, per la quale l'Erede istituito sarà gravato di restituire ad un terzo, sarà nulla anche riguardo al Donatario*, o *all'Erede istituito* = et deinde ad Motum proprium confugit, a quo fuisse Articulum istum confirmatum desumere studet ex iis verbis = *L'abolizione dei Vincoli fidecommissarii è mantenuta* =: perperam namque bæc ipse proponit. Etenim, cum testamentum anno 1815 confectum fuerit, dum Lege Edictali superius recensita, diei 13 Maii anni 1814, Gallicis Lagibus penitus sublatis, antiquum jus restitutum fuerat, quævis fideicommissaria substitutio, quæ ab boc jure nullimode prohibebatur optime consistere potuit, eoque magis fideicommissaria substitutio arga Gentem Scurpiam a Maria præscripta nullum reddere nequivit ejus testamentum, et Zampolinii, ac Terribiliniæ institutionem. Quin ullum a relatis Motus proprii verbis præsidium sibi quærere Scurpius valeat. Non enim huc traduci possunt ea, quæ habentur in Motu proprio de abrogatione fideicommissorum, quia sunt a nostro themate prorsus aliena, cum nil aliud Motus proprius statuerit, nisi quæ fideicommissa antea existentia corruere, quæve stara deberent, quæstio autem ab Antonio proposita non in eo stat, ut videatur, an consistere possit pro Scurpis fideicommissum a Maria institutum, sed an ipsa potuerit anno 1815 valide testamentum exarare, quod fideicommissariam substitutionom contineret. Cujus quæstionis facillima definitio est. Voluit Pontifex fideicommissa quovis tempore instituta ante Motus proprii promulgationem corruere debera, si eorum valor in bonis immobilibus ad scuta *quindecim millia* haud conscenderet: sed numquam constituit, ut corruerent etiam testamenta quibus hæc fideicommissa instituta fuerunt. Hinc, si ageretur de progressivitate fideicommissi erga Gentem Scurpiam, hæc esset excludenda; sed enim agatur da validitate, vel nullitate testamenti, quod eam continet, nulla subest ratio, ex qua irritum id renuncietor.

Plane igitur consistit testamentum, 11
quod post abrogatas Gallicas Leges fuit confectum, quamvis fideicommissariam substitutionem contineat, quia nullo tum lex ita testari vetebat, et in Motu-proprio, qui supervenit, ne verbum quidem deprehenditur, quod illiusmodi testamenta irrita declaret, et tantum in eo quædam fideicommissa abrogata fuere. Quod si in re evidentissima aliis opus esset argumentis, aa statim in promptu esset æquitatis ratio, quæ jubet maxima cum religione integras omnium ultimas voluntates servari, ex quo iniquum esset, ut Maria, quæ secundum Leges, quæ tum vigabant, suum testamentum exaraverat, nec Motus proprii futuras dispositiones divinare poterat, jure destituta renunciaretur sua bona ei reliquendi, quem honorara voluerat. Idem vero esset ae si testandi facultas prohiberetur, si ex supervenientibus Legibus testamenta jam condita post testatoris obitum irrita fierent. Nec illud præterea est silendum, quod res non amplius est integra, nec quæsito jure super iis bonis possunt spoliari Zampolinius, et Terribilinia, quorum possessionem ante promulgationem Motus-proprii assequuti sunt. Nec Motus proprius id permitteret, quia SSmi Principis, ut patet, ex hujus Motus proprii *Art.* 131 ea mens fuit, ut quidquam quoad bonorum translationes factum fuisset eo temporis intervallo, quod ab Edicto Delegati Apostolici usque ad Motus proprii promulgationem intercessit, stare deberet. Cum itaque R. Antonius Scurpa nec donationem, nec testamentum overtere valeat, duplici semper obice ab intestata sororum soccessione, quam postulat, assequenda arcebitur. Insuper etiam animadverterunt DD., quod, cum Dubium propositum ab hanc successionem intestatam spectet, extranea est omnis quæstio de utriusque actus asserta nul-

litate, eis namque favet ita validitatis præsumptio, ut nequeant per indirectum everti, sicuti concludit præcedens Decisio §. finali.

Et ita etc. utraque etc.

ALBANEN PECUNIARIA

Mercurii 26 *Junii* 1822.

ARGUMENTUM

Patet ex Summario

SUMMARIUM

1. *Syngrapha bino teste munita, a partibus subscripta, et requisitis fulcita notissimae* - leg. Scripturas Cod. de fid. Instru. - *publici, juratique Instrumenti vires obtinet.*
2. *Pensionis solutio quotannis, per ratas explenda, in singulos annos dies solutionis venit.*
3. *Vocula* - parimenti - *repetit qualitates appositas casui immediate praecedenti, eumque cum sequenti exequat, atque connectit.*
4. *Judici non est permissum, quidquam decernere contra legem expressam contractus, ubi illa nec juri, nec bonae fidei, nec bonis moribus adversatur.*
5. *Praenumeranda pensionis rata, antequam fruges a solo sint avulsae, loco cautionis in contractum venit, et partem praetii locatae rei constituit.*
6. *In locationis contractibus, non consuetudo, et observantia, sed partium conventio est attendenda.*
7. *Patroni in causa, cui patrocinium praestiterunt, testimonium dicere non possunt.*
8. *Positiones, et articuli nunquam admittuntur, cum agitur de pacto evidenti in Apocis, et Instrumentis scripto.*

DECISIO LXIX.

Lite de exequutione contractus venditionis, sive sublocationis ad annos quatuor novalium in Latifundio extantium *della Falcognana* coram Agriculturæ Consulibus orta inter Josephum Carnevali, et Josephum Coletti, qui illud Latifundium a Nobilissima Gente Ludovisia conduxerat, omnem deinceps sustulit controversiam amica Transactio inter eos per privatam Apocham die 28 Februarii superioris anni 1821 inita, cujus hæc summa fuit. Cessit Colettus, ac Carnevalio locavit ad annos quatuor, quot sibi ex conductione cum Ludovisiis conventa supererant = *li quattro Quarti di detta Tenuta da ridursi a Maggesi, e Colti per le quattro stagioni da cominciare dal corrente anno* 1821, *e terminare alla stagione dell'anno* 1824 *relativamente alle Maggesi: ed in quanto ai Colti dell'anno* 1825, dummodo tamen Coletto venia data esset a Viro Principe Ludovisio, in Latifundii conductione pergendi saltem quoad cultos ad illud usque tempus Plurima huic contractui adjecta fuere pacta quoad prata, et herbas æstivas quæ etiam a Carnevalio singulis prædictis annis emenda esse pretio constituto conventum fuit.

Sed illud præcipue cautum, quod spectat ad pretii solutionem a Carnevalio explendam, et a quo præsens derivat quæstio. Convenit siquidem, ut bifariam divideretur = *in due rate eguali* = annalis pensionum numeratio, atque ita teneretur Carnevalius = *per li primi tre anni* 1821 1822 1823 *pagare la prima rata alli* 10 *di Giugno di ciascun'anno, e la seconda ai* 20 *di di Ottobre parimenti di ciascun'anno* = Quo vero ad postremum conductionis novalium annum pactum fuit = *che dovrà la prima rata pagarsi da esso Signor Carnevali nella Pasqua di Resurrezione, e la seconda rata ai* 20 *di Giugno* =, itidemque quoad cultos sese soluturum spopondit Carnevalius priorem ratam portionem = *nella Pasqua di Risurrezione*, =, alteramque = *ai* 10 *di Giugno dell'anno* 1825 =. Hæc de pretii solvendi modo, ac tempore. Ad hujus vero quantitatem quod spectat, constitutum fuit novalium pretium in scutis *viginti* in singula rubra, atque scutis tantum *sexdecim* quoad cultos, et scutis *novem cum dimidio* quoad pascua. Ne quis denique in mensuris læderetur, placuit contrahentibus, Peritum Agrimensorem eligendum esse, qui novalia, cultos, prata, ac pascua metiretur.

Hisce ita inter contrahentes consti-

tutis, venit dies 10 Junii 1821, quo tempore prior perfici debebat pensionum solutio. Rogatus urbane Carnevalius, ut Peritum mitteret in rem præsentem ad novalium quantitatem explorandam, renuit semper, mordicus contendens, non adhuc diem venisse solvendæ pensionis. Re delata ad Agriculturæ Consules, in Peritum Agrimensorem Judices ii delegerunt Vincentium Quirini, ut de novalium quantitata referret. Accessit ipse ad Latifundium atque cognovit = *che ammontano le Maggesi seminate a Rubbia* 57 *tre quarti e due scorsi e tre quartucci* = Ducto hinc calculo retulit, totam novalium quantitatem, juxta pretium a contrahentibus conventum, valoris esse *scutorum* 1 5918 ½. Urgere igitur cæpit Collettus hujusce summæ solutionem, et ab iisdem Agriculturæ Consulibus Mandatum, edita Sententia, contra Carnevalium obtinuit. Provocavit ipse ad Supremum Signaturæ Justitiæ Tribunal, ac per Rescriptum = SINE PRÆJUDICIO = conscendit quæstio ad S. Nostrum Ordinem *in devolutivo*. Hinc in hodiernis Comitiis propositum per me fuit Dubium = *An constet de Rejudicata, seu potius de causis restitutionis in integrum* = ac rejecta Carnevalii comparendinatus petitione, et dimissa Rescripto = *Nihil* = peculiari ab eo proposita Instantia super *articulis*, quos exhibendos esse contendebat cuidam Paschali Rosa opilioni locatoris Coletti, Patres = *Informatione* = responderunt; nempe - *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam* -.

1 Oportet quippe sarctam, tectamque servare Remjudicatam, quæ validitate et justitia fulcitur *ad Text. in Cap. Ex literis de Rejudic. leg.* 1. *Cod. eod. tit. leg. Resjudicata ff. de Reg. Jur. Rot. coram Crispo decis.* 602 *num.* 1 *coram Falconer. de Tutor. decis.* 10 *numer.* 1 *et dec.* 1 *num.* 1 *coram Rovarella* = Validitas porro, præterquam in discrimen non revocabatur, satis constabat ex actis, nullusque de ea erat ambigendi locus, postquam Signatura Justitiæ illam probavit, solemnique Rescripto = *Sine præjudicio* = sententiam Tribunalis Agriculturæ exequutioni commisit, *Rot. cor. De Veri dec.* 47 *n.* 1. Nec minus aperta erat ejusdem rei judicatæ justitia. Agitur enim de Syngrapha bino Teste munita a partibus subscripta, et requisitis fulcita notissimæ *Leg. Scripturas Cod. de fid. Instrum.*, quæ ideo cum publici, juratique Instrumenti vires obtineat, promptam meretur exequutionem. Res est præterea de pensionibus locationis conductionis, quæ cum quolibet sint donatæ privilegio, tum ad Judicis officium spectat, earum solutionem illico demandare. *Præses Provinciæ* = (inquit *Imp. in leg.* 17. *Cod. de locat., et condact.*) = *ea, quæ ex locatione debentur, exsolvi sine mora curabit, non ignarus, ex locato, et conducto, cum sit bonæ fidei, post moram usuras legitimas admittere.*

Nec recte proponebat Carnevalius, 2
non adhuc diem venisse solutionis explendæ, ac neminem teneri ante diem solvere, quod debetur in diem §. *Omnis stipulatio Instit. de verb. obligat.* Quantum enim exploratum id erat in jure, tantum in facto falsum comperiebatur, dum resistebat exceptioni pactio perspicua, quæ in Apocha legitur, ubi cautum quoad solutionis modum, ut deberet Carnevalius = *per li primi tre anni* 1821 1822 1823 *pagare la prima rata alli* 10 *di Giugno di ciascun anno, e la seconda ai* 20 *di Ottobre parimenti di ciascun anno* = atque ita quoad ultimum locationis conductionis annum convenit = *che dovrà la prima rata pagarsi da esso Sig. Carnevali nella Pasqua di Resurrezione, e la seconda ai* 20 *di Giugno* =. Manifestissimum itaque erat ex litera contractus, Carnevalii objectum prorsus eliminari. Et sane omnia ad evincendum concurrunt pensionum solutionem quotannis ex eo contractu explendam fuisse per binas annales ratas, alteram die 10 Junii, alteram die 20. Octobris. Confluit primum subconductio ad quatuor annos inita, et sumptum ejus initium *ab anno* 1821. Confluit etiam, tum conventio partium expressa de solutione pensionum = *per li primi tre anni* = Mense Junio, ac Octobri; tum denique tam

anxie repetita singulorum annorum mentio, et constitutus solvendi modus.

3 Non solnm enim, cum contrahentes de tribus prioribus locuti sunt annis, sed cum de postremo etiam caverunt, adjecta fuit dictio peculiaris = *di ciascun'anno* = semel, ac iterum adhibita, quæ snapte vi cuncta complectitur, et nihil excludit, ideoque omnes comprænhendit annos, de quibus mentio superius facta est. *Barbosa Tract. var. Dict. Usufrequ. dict.* 317 *num.* 1 *et sequen.* Addenda his erat vocula = *parimente* = alteri alligsta = *di ciascun'onno* = qua usi fnerunt ipsi contrahentes, ubi sermo de postremo anno conductionis occurrit, quæque repetit qualitates appositss casui immediate præcedenti, eumque cum seqnenti exæquat, atqne connectit *ad Text. in Leg. Si pariter ff. de liber. caus. leg.* 2. *ff. Commun. divid., Rot. in Rec. decis.* 563 *num.* 20 *part.* 4. *tom.* 3, *et dec.* 345 *num.* 2 *part.* 10. Facillimum hinc erat colligere, ab eo tempore stipulationem fuisse commissam, quo venit dies *decimo* Junli anni 1821, qui prior illius subconductionis fuit, atqne ideo justnm fuisse Mandatnm, quod pro pensionibus eo tempore decursis Colettus obtinuit *ad Text. in Cap. Causa de Senten., Card. De Luc. de credit. disc.* 87 *num.* 3, *Rot. decis.* 787 *n.* 1 *cor. Molines*, *et decis.* 168 *num.* 6 *cor. Riminaldo.*

4 Ea siquidem cum esset pacti vis, eaque vera significatio verborum, nulla prorsus subesse poterat ratio, ex qua datam fidem fallere Carnevalio liceret. *Nihil* enim *magis bonæ fidei congruit, quam ea, quæ placuerunt custodiri* =, ut monet *Imp. leg. Non minorem Cod. de Transact.*, idemque docet *Ulpianus in leg.* 1 *ff. de Pactis.* Hinc notissimum illud *Prætoris* effatum = *Pacto servabo* = quo Edictum suum exorditur *in leg. Jurisgentium* 7 *ff. eod. tit.* per omnium ferme ora agatur, nihilque magis obvium, et commune, quam quod ad publicam etiam spectet utilitatem pacta servari; neque Judici permissum sit, quidquam decernere contra legem expressam contractus, ubi illa nec juri, nec bonæ fidei, nec bonis moribus adversatur ad tradita *per Rot. coram Falconerio tit. de pactis decis.* 8 *num.* 1 8 9. Eo vero magis explicitæ illi pactioni inhærendum est, quia hæc consona comperitur conventionibns aliis in Apocha prædicti contractus adjectis quoad pascna, prata, et herbas, æstivas, de quibus annua depacta fuit a condnctore rependenda responsio per binas annales ratas ad exitum usque illius contractus.

Nam si minimis in rebus tam sedu- 5
lo, atque anxie constituerunt contrahentes annuæ pensionis quantitatem, et modnm, non erat certe præsumendnm id negligere volnisse in re gravi, in re præcipua novalium, quæ substantiam, et causam contractus reapse constituebat. Nec erat prætereundum, quod si alia, et ab ea omnino diversa snmi vellet pactionis interprætatio, qnam suggerit litera contractus, incongruum illud, ac absurdnm oriretur, ut nnlla quoad primum subconductionis tempns depacta fuisset novalium solutio, ac in subconductione prioris anni extitisset absque pretio Carnevalius, et e converso ro, et pretio caruisset Colettus, quod esset contra justitiam, et æqualitatem contractnum. Accedebat demum, necessarium quodammodo fuisse, ut ante messem recollectam pensionum solutio fieret, ex qua locatoris securitati consultum foret. Res alioquin fnisset periculosæ aleæ plena, amplissimum Latifundium ei committere, qni nnllam cantionem, ac fidejussorem pro indemnitate locatoris invenerat. Hinc qnisque videt, prænumerandam pensionis ratam, antequam fruges a solo fuissent avulsæ, loco cautionis in contractum venisse, et partem prætii locatæ rei constituisse. *Card. de Luc. de regal. disc.* 175. *num.* 32. *Rot. cor. Molines decis.* 425. *num.* 7., *decis.* 1141. *num.* 12. *cor. Eod.*, *et decis.* 14. *n.* 9. *cor. Tanara.*

His animedversis deterius objiciebat 6
Carnevalius campestrem consuetudinem, pensiones post messem numerandi, ad eamque contendebat sese retulisse contrahentes, dum modum, et

tempus pensionum solvendarum statuerunt. Præterquamquod enim ne vel levis quidem hujusce consuetudinis afferebatur legitima probatio, erat oppido animadvertendum, nullam in hisce contractibus locationis conductionis certam normam adesse, atque omnia ab arbitrio procedere, et voluntate locatoris, et conductoris, quibus licet eam, quam magis placet, contractui legem dicere, et quamcumque etiam contemnere consuetudinem. *Mascard. de probat. conclus.* 468. *num.* 21. *Pacion. de locat.*, *et condoct. cap.* 23. *num.* 129., *Rot. decis.* 37. *num.* 1. *cor. Emerix.*, *decis.* 20. *num.* 19. *cor. Priolo*, *et decis.* 219. *num.* 14. *coram Ansaldo.* Quamvis igitur pactio in stipulatione interposita maxime repugnaret cuicumque hac de re consuetudini, tamen non consuetudo, et observantia, sed partium conventio attendenda esset, atque juxta hanc conventionem judicium esset ferendum.

7 Nullo vero in pretio habendum est Causidici Josephi Gentilii testimonium, qui deponebat, contrahentes in stipulatione præ oculis habuisse assertam eam consuetudinem. Primum etenim hoc testimonium adversatur literæ contractus, in quo nulla de consuetudine excidit vocula, sed imo constituti singularum pensionum termini fuerunt. Deinde ab omni juris disciplina devium est, ut qui coram Agriculturæ Consulum Collegio, tum cum de exequutione agebatur contractus novalium, Carnevalium patrocinabatur, idem modo in eadem fere causa testimonium pro eo dicat. Nota cuique est *lex ult. ff. de Testibus*, ubi = *mandatis cavetur, ut Præsides attendant*, *ne Patroni in Causa*, *cui patrocinium præstiterunt, testimonium dicant.* = Idem cautum extat in *Cap. Romana de Testibus in* 6., quod sequitur S. Nostrum Tribunal præ cæteris *in Romana liquidationis damnorum* 28. *Februarii* 1820. §. 7. *cor. R. P. D. meo Spada.* Cæterum eo magis fidem detrahere huic testimonio oportet, quia ex Apocæ archetypo, ubi controversa legitur, conventio, patet, ipsius marginem pluribus refertum ejusdem Gentilii, qui Carnevalii partes in contractus stipulatione susceperat, scholiis, et adnotationibus fuisse, adeo ut penitus inverisimile videatur, discrepasse contrahentium mentem a verborum proprietate, ac significatione.

Hisce omnibus perpensis, ex quibus 8
Reijudicatæ Tribunalis Agriculturæ justitia perspicua est, inopportunam, atque inanem reputarunt Patres instantiam a Carnevalio propositam, quoad *Articulos*, quos exhibendos esse contendebat cuidam Paschali Rosa, qui custos est gregis ad Colettum spectantis. Exploratum siquidem erat in jure nunquam admitti *Positiones*, *et Articulos*, cum agitur de pacto evidenti in Apocis, et Instrumentis scripto *Michalor. de position. decis.* 18. *n.* 8., *Rot. decis.* 128. *n.* 5. *part.* 17. *Rec.*, *coram Lancetta decis.* 491. *n.* 14., *cor. Molines dec.* 313. *n.* 4., *cor. Crescen. decis.* 31. *n.* 1. In facto præterea constat, prædictum Paschalem Rosa, qui cæteroquin, præter animalium custodiam, imperitus est, et idiota, nullam partem in ea stipulatione habuisse, totamque rem actam, contractamque fuisse a Carnevalio, et Gentilio una cum Colettii Procuratore. Non in alium itaque finem proposita dignoscitur quoad *Articulos* instantia, nisi, ut tenebris res clarissima obducatur, et inanis fiat temporis, et sumptuum jactura, ad quæ tantum sæpissime spectare de *articulis*, et *positionibus* exhibendis *instantias* advertit præ cæteris *Card. de Luca de judic. disc.* 34. *n.* 17. Quamobrem, post controversiam per Remjudicatam definitam, et dum vix potuit Carnevalius in *devolutivo* assequi appellationem, fieri non poterat, ut Patres sinerent judicium differri, et litem protrahi per eam instantiam, novissime ab ipso promotam, quam, si non utiliter, opportune saltem proponere poterat apud Agriculturæ Tribunal, dum apud illud Causa agebatur.

Et ita Carnevalio frustra pro comperendinatu instante resolutum fuit ec.

ANAGNINA DIVISIONIS

ET REDDITIONIS RATIONIS

Lunae 6 *Maii* 1822.

ARGUMENTUM

Motus proprius *6 Julii 1816*, in suo robore servavit omnia testamenta in quibus scripta fuerant primigeniturae, vel substitutiones. Et quum agatur de testamenta inter parentes condita, liberi nequeunt illud impugnare, ab solemnium defectum, ac multo minus si ratum illud antea habuerunt.

SUMMARIUM

1. *Quamdiu valere potest testamentum, tamdiu legitimus heres non admittitur.*

   Familiae haerciscundae actio amplius quam semel, agi non potest - ibidem. -

2. *Testamenta, in quibus primogeniturae vel substitutiones condebantur, etsi irrita declararentur a gallicis legibus, tamen ob Articulum* 125 Motus proprii 6 Julii 1816 *in suo robore servata fuerunt.*

3. *Procul ab Ordinariis testamentorum formulis, ac solemniis, quaecumque privata Scriptura inter liberos et parentes vim habet, ex imperatoria legum Sanctione.*

4. *Post divisionem de rebus domesticis initam; ac postquam quis ratam acceptamque habuit paternam dispositionem,. nequit amplius illam impugnare.*

5. *Posterior Motus proprius Anni* 1816 *confirmavit gallicam Sanctionem super abrogatione fideicommissorum, si horum caput in stabilibus haud adscenderet ad scuta quindecim millia.*

6. *Gallicis legibus abrogatis, fideicommissa, et Substitutiones, quae a gallorum legibus deleta fuerant, vires suas iterum nanciscebantur.*

7. *Ubi legislator voluit aliquid a communi gallicarum legum abrogatione excipere, id expresse declaravit.*

8. *Nulla melior dari potest legis interpretatio, quam quae vel ab ejus executione promanat, vel a facto provenit ipsius legislatoris.*

9. *Error publicus vitia aufert, quae errore publico sublato, actus celebratos irritos facerent.*

   Nova lex actus anteriores inficere nequit, quia solis futuris negociis dat normam - ibid. -

10. *Filii jus habent ad symbolam maternae dotis repetendam, ac ad divisionem, redditionemque rationum postulandam.*

DECISIO LXX.

Postremis tabulis, quibus de omnibus suis bonis, quibusdam etiam comprehensis emphyteutico jure possessis, legem dixit Crescentius Senior Appolloni Anagninus, anno 1772. Primogenituram instituit « *perpetua regolare, et propriè dicta agnatizia Primogenitura* », ad eamque primo loco vocavit Delphinum natu majorem, atque statuit « *che la detta Eredità sia propria di Primogeniti in infinito della linea di Delfino* » Obtinuit, elato Patre, Delphinus primogenialia bona, ac, ut paternam quodammodo voluntatem servaret, anno 1812, deletis per Gallorum leges Fideicommissorum vinculis, testamentum scripsit, quo hæredes ex æquis partibus nominavit liberos omnes, Vincentium nempe, Aloysium, Ignatium, et Crescentium juniorem, relicta Primogenito Vincentio «*oltre la porzione che gli toccherà de jure tutta quella quota che si troverà disponibile all'epoca della mia morte* » uti Leges ipsæ Gallicanæ fieri sinebant.

In humanis adhuc erat Delphinus, cum felicissima contigit rerum publicarum conversio, Gallisque depulsis, Apostolicæ prodiit sub die 13 Maii anni 1814. Delegationis Edictum, quo sancitum ut, Gallorum institutis proscriptis, nominatim tantum excepto « *l'attuale sistema ipotecario* », redivivæ fierent Pontificiæ providissimæ Leges, et quoad successionum jura additum «*per provedere alle questioni, che non possono non insorgere per il passaggio dell'abolita alla ripristinata Legislazione si daranno a suo tempo le opportune disposizioni* » Tum Delphinus, Primogenituræ servandæ studiosus, ac secum animo reputans quemadmodum prudens unusquisque reputasset, antiquos Fideicommissorum nexus jure postliminii ad vitam fuisse revocatos, sedulam navavit operam, ut, Peritorum adscito præsidio, Patrimonii sui vires expenderet. Apud Judicem deinde vocavit filios, ab eisque tam initæ Patrimonii æstimationis, quam veteris Primogenituræ, a Crescentio Seniore institutæ, ratihabitione accepta,

per publicas Instrumenti tabulas diei 1 Augusti anni 1814 eos omnes a paterna potestate liberos fecit. Sentiens vero mortis proximæ periculum, ne post funus suum jorgia, et dissidia inter ipsos orirentur, iisdem in tabulis Vincentio primonato primogenituram attribuit, quæ cum rebus mobilibus, partim consumptis, partim distractis constaret, suffectæ hisce ideo totidem res soli, et immobiles fuerunt, ad æstimationem usque argenteorum nummorum 7286 40, quot constituebant primogeniale caput juxta Crescentii Senioris voluntatem. Sic etiam Vincentio natu majoris onus injunxit, tum menstruæ præstationis erga fratres et Sorores, harumque dotium, tum nominum exigendorum, quæ pro æquali erant inter eos diribenda, una cum cæteris bonis liberis post Genitoris obitum.

In fata concessit reapse Delphinus *Mense Februarii* anni 1815, eoque defuncto, quoniam in stipulatione anni 1814 nulla ratio habita fuerat de re lintearia, et vasis, de frumento, de suppellectili, de pecunia, ita de his omnibus, Patrui præsentia, et consilio accedentibus, divisio inter fratres expleta fuit eadem in Syngrapha, qua ipsi probarunt, ratumque voluerunt « *quanto restò stabilito nella transazione del* 1 *Agosto* 1814 *detta di sopra, rinunziando a qualunque eccezione* » ubi cantum præcipue, ut Patre defuncto, non foverent « *altro dritto essi Signori Crescenzo, Luigi, ed Ignazio, se non quello di conseguire la loro rispettiva tangente sull' asse ereditario paterno divisibile* » Acta hæc omnia et ad exitum perducta fuerunt summo cum studio, ac contrahentium approbatione, usque a die decima Augusti anni 1815 cum anno posteriore notissimus Motus proprius *diei* 6 *Julii* 1816 distinxit omnino Fideicommissorum sortem in provinciis « *di prima ricupera* » ubi servata fuerunt ea, quorum substantia in immobilibus ad valorem ascenderet *scutorum quindecim millium*, a sorte, et conditione fideicommissorum quoad Provincias superiores serius legitimo Principi restitutas, in quibus Gallica Fideicommissorum abrogatio ex Edicto diei 5 Mensis Quintilis anni 1815 confirmata fuit.

Ansam hæc præbuit Sanctio Pontificia Fratribus Appolloniis disceptandi adversus Vincentium natu majiorem de extinctione Primogenituræ, ac urgendi novam totius Patrimonii divisionem. Actum fuit primum de quæstionibus omnibus arbitrorum sententiæ deferendis, qui ex bono, et æquo cognoscerent. Sed re infecta compromissum evanuit; atque interim Aloysius alter ex Fratribus natu minoribus, cum Vincentio de tota controversia transegit: Ignatius autem, et Crescentius Junior de familia herciscunda, et de redditione rationum judicium pararunt coram Juridico Collegio A. C. Diu lis ferbuit eo in Tribunali, quod tandem Sententiam edidit Vincentio secundam in qua jussit « *che non è luogo ad ordinare una nuova divisione de' beni nè a turbare dal possesso, in cui trovasi il Primogenito Vincenzo Appollonj* » Provocarunt Ignatius, ac Crescentius Junior Actores ad S. nostrum Ordinem, et concinnata Dubii formula, cum disputatum fuerit « *An, quomodo, et super quibus bonis sit locus divisioni, et redditioni rationis in casu etc.* » dimissi fuerunt hodie responso mihi a Patribus dato « *Affirmative quoad bona libera ad formam dispositionis diei* 1 *Augusti* 1814 *in reliquis negative* ».

Qui enim legalis consnecessionis jure 1 divisionem ac redditionem rationum postulat, non solum probare tenetur intestatum obiisse eum, cujus hæreditatem ex æquo partiendam contendit, sed nihil etiam egisse, quod familiæ herciscundæ judicium interceperit. Hoc siquidem jure vivimus ut » *quamdiu valere possit testamentum tamdiu legitimus hæres non admittitur,, sicuti inquit Paulus in leg.* 89. *ff. de reg. Juris*, et propterea cautum, quod « *familiæ herciscundæ actio amplius quam semel agi non potest* » ut monet *Text. in leg.* 20 § 4 *ff. fam. hærciscund.* Non unum autem Appolloniis obest Crescentii Senioris testamentum, sed obest etiam aliud anno 1812 a Delphino exaratum. Obest pariter posterior ipsius Delphini dispositio inter liberos perfecta anno 1814. O-

best denique ratihabitio hujusce dispositionis a Delphini filiis emissa in privata Syngrapha anni 1815 in qua de divisione domesticarum rerum actum fuit. Nisi ergo invictissime probent Appollonii vel nulla, atque irrita fuisse Crescentii Senioris, ac Delphini Testamenta vel vitio aliquo infici ejusdem Delphini inter liberos arbitrium et pedissequam filiorum approbationem, frustra divisionem petunt illius Patrimonii, quam jamdiu obtinuerunt, ut firmavit Sacer Ordo in *Verulana Successionis* 3 *Julii* 1820 § 3 *et* 4 *cor. Me.*

2 Et perperam reapse quærunt Appollonii quod intus habent. Redeundum enim est ad conditum anno 1772 a Crescentio Seniore Testamentum, in quo bona sua omnia, si legitimam excipias, filiis natu minoribus relictam, perpetuæ subjecit Primogenituræ, Delphino, qui erat natu major, omnino deferendæ, ejusque descendentibus masculis in infinitum. Paterna liberalitate Delphinus gavisus est usque ad annum 1812 quo tempore, deletis per Gallorum leges Fideicommissis, ut interituræ consuleret Primogenituræ, ac Genitoris sui, quantum saltem in eo erat, voluntatem servaret, hæredes ex æquis partibus instituit liberos omnes, reliquitque primo nato Vincentio = *oltre la porzione, che gli tocchsrà de jure, tutta quella quota che si troverà disponibile all' epoca della mia morte.* Quamvis vero minori in pretio haberi vellet hæc Delphini voluntas, Gallis dominantibus explicita, quod fieri quidem haud potest, cum agatur de testamento solemni ab articulo 125 Motus proprii diei 6 Julii 1816 in suo robore servato, non meliorem tamen conditionem experirentur Appollonii, e conspectu Tabularum anni 1814 quibus præmissa Peritorum æstimatione, libratis totius Patrimonii viribus, ratihabita ac approbata Primogenitura Crescentii Senioris, quæ restitutis Pontificiis legibus revixit, solemniis omnibus adhibitis, sui juris omnes Delphini filii declarati fuerunt, addictisque Vincentio primonato bonis Primogenialibus, conventum fuit, ut menstrua pensio fratribus ac sororibus rependeretur a Vincentio, cujus curæ commissa fuit etiam nominum exactio, quæ post Patris funus, una cum cæteris bonis liberis dividenda erant.

Hoc namque arbitrium providæ Leges parentibus tribuerunt, ut inter liberos, procul ab ordinariis testamentorum formulis, ac solemniis, de rebus suis rite possint ac valide disponere, quin valeat hujusmodi voluntas in discrimen adduci. Collatum istud parentibus arbitrium ex principalibus Rescriptis *Imp. Alexandri, et Gordiani in Leg. Parentibus Cod. de inofficios. Testam. et in lege quoties* 10 *Cod. Famil. herciscund.*, enixius explicavit *Constantini constitutio in Leg. inter omnes* 26 *Cod. eod. tit.*, ubi cautum = *Quod sive cœptum, neque impletum Testamentum, vel Codicillos, seu Epistolam parentis esse memoretur, sive quocumque alio modo scripturæ quibuscumque verbis vel indiciis inveniantur relictæ, judicio Familiæ herciscundæ, servato Senatusconsulti auxilio, defuncti dispositio custodiatur, etiamsi solemnitate legum hujusmodi dispositio fuerit destituta* = Quod si quæcumque privata, et minus solemnis scriptura tantam vim habet inter liberos, eo magis Imperatoria Legum illarum sanctio, et *Constantini* præcipue Constitutio locum sibi vindicat in Instrumento anni 1814, in quo summa solemnitate, et auctorante Judice cuncta fuerunt inter liberos, Patremque composita *Rub. de testamentis Cap.* 21 *num.* 90 *et seq., Card. de Luca de Testamen. disc.* 27 *num.* 6. *Rot. cor. Seraphino dec.* 383 *num.* 7, *et in Romana Immissionis super validitate Schedulæ* 29 *Aprilis* 1709 § 7 *coram Molines; et decis.* 237 *num.* 18. *et seq. coram Crescentio.* 3

Addenda his omnibus erat postrema Syngrapha anni 1815 inter Delphini filios confecta, postquam ab humanis excesserat Pater, in qua divisionem de rebus domesticis ineuntes, ratam acceptamque habuerunt paternam dispositionem, atque omne id = *che restò stabilito nella transazione del* 1 *Agosto* 1814, *detta di sopra rinunziando a qualunque eccezione* = Tanto minus igitur queri hodie possunt Appollonii de dispositione illa paterna, qui id ratum habuerunt quod sciebant tanta solemnitate, tanta 4

scrupolositate, tanta animorum consensione fuisse conventum; qui non ignorabant ipsos in eadem dispositione declarasse nullum aliud jus fovere posse, post obitum Patris = *se non quello di conseguire la loro respettiva tangente sull'asse ereditario paterno divisibile* « qui emiserunt » *amplissima, e scambievole quietanza per la porzione eguale, che a ciascuno di noi è toccata* =; qui demum ad hanc devenerunt ratihabitionem, Patre defuncto, cum nempe omnis cessaverat reverentiæ, et filialis timoris suspicio, ex qua paternæ voluntati resistere nequiverint. Quod igitur ab initio simplicis erat arbitrii, necessarium post initam transactionem evasit; neque Appolloniis licet id in discrimen revocare quod lubentes antea prudentesque agnoverunt ad *Text. in Leg.* 1 *ff quod quisque juris. Leg. Causa verb. cæterum ff de Procurat. Cap. Quod semel de Reg. Jur.* in 6 *et cap. in multis in fin. de Rescript.*

5 Errabant autem vehementer Appollonii, dum veluti irritam traducentes stipulationem anni 1814 ajebant ex falsa vulgi opinione processisse, ut restituta existimarentur Fideicommissorum vincula, quorum, si non servata abrogatio fuerant ex Edictali Apostolici Delegati Lege, in *suspenso* saltem eam relictam fuisse ambigi nequiret. Concludebant hinc, quod, cum posterior Motus proprius anni 1816 confirmaverit Gallicam sanctionem super abrogatione Fideicommissorum, si horum caput in stabilibus haud adscenderet ad scuta *quindecim millia*, ad quæ non evehitur primogenituræ, de qua agitur, substantia, in scutis 7286 et obul. 40 constituta, subsequens idcirco hæc Pontificia sanctio, tamquam *declarativa* anterioris Edicti anni 1814, quod publici juris fecit Delegatus Apostolicus, retrotrahenda sit ad tempus hujusce Legis Edictalis, adeo ut ab eo usque tempore censeri debeat confirmata prædictorum Fideicommissorum abrogatio juxta tradita *per Menoch. cons.* 792 *num.* 8 *Card. de Luca lib.* 7 *part.* 1 *de donat. disc.* 35 *numer.* 11 *Magon. decis. Florentin.* 105 *n.* 17; *Rot. cor. Dunozet Jun. decis,* 830 *numer.* 18 *tom,* 2; *et in Recent. decis.* 99 *n.* 7 *part.* 17, ex quo stare nequeat transactio anni 1814; ac subsequens ratihabitio anni 1815 ex errore inita. Sed pessima interpretatione deturpabant Appollonii Legem illam Edictalem Delegati Apostolici, qua illico fuit « *richiamata in osservanza l' antica legislazione Civile, e Criminale vigente all' epoca della cessazione del Governo Pontificio* » dum ex verbis subsequentibus, « *volendo però nello stesso tempo provvedere con maggior ponderazione alle questioni sopra le successioni, che non possono non insorgere per il passaggio dell' abolita alla ripristinata Legislazione si daranno sopra le medesime a suo tempo le opportune disposizioni*, » Inferebant reintegrationem substitutionum, et Fideicommissorum *in suspenso* relictam fuisse.

Nemo enim non intelligit Legis verba 6
ac mentem ad eas tantummodo quæstiones respexisse, quæ oriri possent quoad successionum jura « *per il passaggio dell' abolita alla ripristinata legislazione* » in successionibus *legitimis*, quemadmodum reapse earumque reformationi, et uniformitati Princeps Sacratissimus prospexit Motu proprio sub *titulo IV ab Art.* 102 *ad plures seq.* Si aliter namque dici vellet, illud sequeretur absudum, ut interea, vel cives Testamenti factione carerent, vel sine Lege vagarentur, quod in provida sanctione non solum haud ferendum est, sed ne suspicandum quidem. Cæterum, cum idem Apostolici Delegati Edictum, Gallicis Legibus penitus abrogatis, statuisset » *E similmente da questo momento richiamata in osservanza l' antica legislazione Civile, e Criminale, e l' antica pratica vigente alla cessazione del Governo Pontificio* » consequens omnino est, ut Fideicommissa quoque, et substitutiones, quæ a Gallorum legibus deleta fuerant, vires suas iterum nanciscerentur. Eoque magis dicendum est Edictalem Legem in pristinum statum restituisse Fideicommissa, quia, cum Gallicas leges deleverit, et Pontificia vetera instituta restituerit unum excepit a generali abrogatione, nempe « *il sistema ipotecario.* »

Si igitur, ubi voluit Legislator aliquid 7

a communi Gallicarum legum abrogatione excipere, id expresse, et peculiariter declaravit, necessario concludendum est, quod in cæteris aliis, de quibus nulla mentio habetur, redintegratæ omnino fuerint Pontificiæ sanctiones, argumento sumpto a *discretivo* loquendi modo, qui ad interpretandam, tam privatorum, quam Legumlatorum voluntatem plurimum confert *Card. de Luca de legat. disc.* 45 *n.* 5 *Rot. dec.* 475 *n.* 5 *coram Remboldo, dec.* 123. *N.* 27 *Tom.* 4 *cor. Molines; decis.* 1213 *N.* 18 *coram eodem decis.* 50 *num.* 2 *cor. Olivatio; et in Senogallien. Immissionis* 18 *Februarii* 1752 § 9 *coram Bussio.* Licet autem quid dubii esset in Edictalis interpretatione Legis « *in ambigua voce eo potius accipienda est significatio, quæ vitio caret, præsertim cum etiam voluntas Legis ex hoc colligi possit* » ut monet *Celsus in Leg.* 19 *ff. de Legibus.* Et restituta reapse ad pristinum statum fuisse Fideicommissa ab Edictali Lege illa usque ad Motum proprium anni 1816 subsequens demonstravit eventus, et observantia. In illa siquidem biennii intercapedine plura a Pontifice impetrata fuere Chirografa, quibus potestas facta est vel alienandi, vel hypothecæ subjiciendi bona Fideicommissi vinculo obnoxia.

8 Hoc certe non evenisset, si dum Pontifex Legem illam per Delegatum Apostolicum evulgavit, Fideicommissorum abrogationem confirmasset, vel eorum restitutionem *in suspenso* reliquisset; neque alienandi facultatem quisquam implorasset, qui ex Lege ipsa liber declaratus fuisset bonorum possessor. Nulla autem melior dari potest legis interpretatio, quam quæ vel ab ejus executione promanant, vel a facto provenit ipsius legislatoris, ut quoad primam thesim firmant post *Text. in leg. Si de interpraetatione* 37. *ff. de legibus Leg. Non dubium Cod. de testamentis Card. de Luca de Legat. disc.* 36 *num.* 10. *Mantica de tacit; et ambig. lib.* 2 *tit.* 2 *n.* 5 *Rot. coram Priolo decis.* 281 *n.* 3 *cor. Riminaldo decis.* 122 *num.* 13 *et in Veliterna Juris pascendi* 15 *Junii* 1759 § 9 *coram Frangipane,* et quoad aliam *post. Text. in Leg. fin. ff de legibus et in Cap. Cum venissent de Judic.* docuit Rota *dec.* 373 *n.* 11 *part.* 19 *tom.* 1, *et decis.* 86 *num.* 92 *cor. Ansaldo, et in Pampilonen. Beneficii* 7 *Maii* 1753 § *fin. coram Caprara.* Observantiæ et facto Legislatoris pondus accedit Rerum a S. Nostro Ordine judicatarum, in quibus, si non directe, saltem indirecte probatus est vigor Fideicommissis restitutus; cum vel servari mandavit conventiones intuitu Legis edictalis initas de multiplico ad Fideicommissorum reintegrationem explendo, vel deferri jussit successiones juxta restitutum Fideicommissorum ordinem, ceu videre est *in Rom. Primogeniturœ Marchionissœ Juniperae Muti Papazzurri quoad primum dubium super primo, secundo, et quinto capite Sententiae Arbitramentalis* 7 *Martii* 1817 § 11 *cor. R. P. D. meo Bussi, in Romana libertatis Bonorum, et Donationis* 4 *Junii* 1819 § 6 *coram Rmo P. D. meo Serlupi Decano, et in Verulana Successionis* 9 *Februarii* 1821 § 5 *cor. Me.*

Attamen, etsi dici posset Legem Edictalem anni 1814 nullam revera secum tulisse Gallicæ Sanctionis abrogationem quoad fideicommissa, substitutionesque deletas, quod a veritate quam maxime distat, certum tamen est generalem opinionem invaluisse, ex qua unusquisque reputabat restituta Fideicommissorum jura. Hæc itaque publica opinio, hæc Legis edictalis interpretatio, in falsissima etiam hypothesi quod non recta fuisset, satis superque est, ut qui actus interea gesti sunt, in suo robore maneant, neque corruat dispositio, quæ inter Patrem, et Filios celebrata, quæstiones omnes substulit in posterum orituras, et jus quæsitum in Vincentium contulit Primogeniales fundos assequendi. Error enim publicus vitia aufert, quæ errore publico sublato, actus celebratos irritos facerent ad *Text. in Leg. Barbarius Philippus ff. de officio Prætor. Voet. in Pandect. lib.* 1. *tit.* 14. *ad Leg.* 3. *num.* 1. *et seq.* Nihil hinc obstat quod Motus Proprius anni 1816 quorumdam Fideicommissorum abrogationem a Gallicis Legibus invectam approbaverit. Illud primum satis esset quod hic Motus Proprius 9

Fideicommissa servaverit, si æstimationem attingant argenteorum nummorum *quindecim millium*, ut rite exinde concludi possit hunc Motum Proprium anni 1816 non destruxisse legem Edictalem anni 1814, ex qua vetera majorum nostrorum instituta ad vitam fuere revocata, sed novam fuisse sanctionem, quæ fideicommissa tantum ad valorem scutorum *quindecim millium* non adscendentia delevit, uti apertissimum est ex ejus verbis = *rimangono sciolti* = quæ quantum futuro tempori conveniunt, tantum retroactivitatem excludunt. Omnem itaque removet ambiguitatem animadversio, quod Motus Proprius prodiit, postquam evulgata jam fuerat Lex Edictalis et celebratus inter Patrem et filios contractus, ideoque nova Lex actus anteriores inficere nequit, quæ sola futuris dare negociis poterit *ad Text. in Leg. Jubemus §. Quæ in posterum Cod. de Testam. Leg. Meminimus in fin. Cod. de legit. hæred. Altograd. controv.* 12. *n.* 1. *et seq. Valenzuol cons.* 79. *num.* 127., *Card. de Luca de alienat. disc.* 25. *n.* 3. *Rot. decis.* 408. *n.* 14. 15. *part.* 19. *Rec., cor. Ansald. decis.* 402. *n.* 3. *cor. Rezzonico, decis.* 16. *n.* 23. *et decis.* 38. *n.* 10. *coram Roverella.* Prodest igitur prædictus Motus Proprius Vincentio, quia primogenialia bona ad ipsum perventa in eo libera effecit: obesse vero nequit, quia primogeniale vinculum eis inhærens, dum Delphinus obiit, nullo modo abrogavit, atque ideo jure Vincentius, parente defuncto, ea adeptus fuit.

10 Quantum autem tabulæ anni 1814 obstant natu minoribus fratribus Appolloniis, quominus urgeant divisionem eorum bonorum, quæ defunctus genitor, juxta Crescentii voluntatem proprium etiam arbitrium interpretando, variis sub legibus addixerat Vincentio; tantum eædem tabulæ jus eisdem Appolloniis tribuunt ad symbolam maternæ dotis repetendam, ac ad divisionem, redditionemque rationum postulandam eorum nominum, quorum exactio iisdem in tabulis curæ commissa fuit Vincentii primonati. Quod si, vel læsivam stipulationem anni 1814, vel inofficiosam putant, quia portio eis relicta justam non æquat legitimæ mensuram, quod cæteroquin haud demonstratur, agere hac de re poterunt in congruo, distinctoque Judicio, cum hæc extranea omnino sint a præsenti actione, atque a formula Dubii.

Et ita etc. Utraque etc.

ANCONITANA CANONUM

Veneris 8 Februarii 1822.

ARGUMENTUM

Ubi pactum adest, quod canon solvi debeat - *franco da ogni tassa imposta, e da imporsi* - non competit retentio ratae commodi quia tunc Contrahentes, in Stipulatione comprehendere voluerunt futuros quoslibet casus.

SUMMARIUM

1. *Ex Motu proprio* 6 Julii anni 1816, *ratae commodi retentioni limitatio constituta fuit, si inter partes convenerit, quod* - i canoni, ed altre simili prestazioni annue debbano farsi libere e franche da ogni tassa imposta, o da imporsi. -
2. *Qui se se obstrinxit* - a tutti i patti, e condizioni apposte nell' Istromento di prima investitura - *omnia onera ibi recensita, suscipere voluisse intelligitur.*
3. *Futuros quoslibet casus Contrahentes in stipulatione comprehendere voluisse intelligitur dum verba adhibuerunt* - per qualunque accidente, causa pensata, od impensata.-
4. *Verba* - di anno in anno - *denotant tractum successivum, ac referri debent non ad onera imposita, sed quae imponi possunt.*
5. *Ubi pactum loquitur de onere quod refertur tantum ad dominium utile, pertrahi non debet etiam ad dominium directum*
6. *Ubi constat de credito in genere, quantum in specie sit, agnosci debet ex rationum dispunctione.*

DECISIO LXXI.

Duplici, die 9 Octobris anni 1790 exarato instrumento, Joannes, ac Hieronymus Comites Fagnani Tesini Fratres, in Emphyteusim concessere domum Senogalliæ positam, partim Henrico Lena pro annuo Canone scutorum 111, partim Petro Venturinio, convento canone

scutorum 104. Pactum vero in utroque instrumento fuit, quod canones esse deberent = *liberi, ed esenti da ogni, e qualunque peso* = Anno deinceps 1801, die 20 Augusti, Pacificus Candei, cui jura sua emphyteutica ad domus partem cesserat Johannes Venturinius, Petri hæres, a R. P. D. Hieronymo Tesini, uno tum domus prædictæ domino directo, in emphyteutam sese agnosci obtinuit, suscepta obligatione solvendi, nomine annui canonis = *la stessa somma di scudi* 104 = eam nempe, quam Venturinius rependere promiserat = *intieramente senza speranza di riduzione, o minorazione alcuna per qualsivoglia accidente, causa pensata, ed impensata* = Die demum 26 Augusti anni 1807 Advocatus Theodorus Mei, qui universa emphyteutica jura acquisiverat super ea domo a binis emphyteutis Lena, et Venturinii successore, Candejo, probatus et ipse fuit, uti utilis domus illius dominus ab eodem R. P. D. Tesini = *assoggettandosi a tutti i patti, e condizioni apposti negli Istrumendi di prima Investitura* = ac promittens = *liberamente pagare l'annuo canone di scudi* 215, *convenuto nei divisati istromenti tanto a favore del Signor Lena, come del Signor Candei.*

Integrum posthæc, in prædicta scutorum 215 summa, ad totum usque annum 1818 canonem rependit Mejus. At anno 1819, cum Senogalliæ impositum fuisset super domibus, a quovis antea tributo immunibus, Fiscale onus *Dativa reale* = *vigesimum* canonis partem sibi retinendi jus esse ex notissimis Legibus, et præsertim Motu proprio die 6 Julii anni 1816, *pro rata commodi* contendit. Caussa hinc acta fuit coram Curia Episcopali Anconæ, sed facile ipse damnatus extitit ad solidum anni 1819 canonem exolvendum, uti constat ex illius Curiæ sententia, diei 13 Septembris anni 1820. Provocavit ipse ab hac Sententia ad Tribunal A. C., sed dein, appellatione deserta, scuta persolvit 300, quibus satisfactum fuit canoni integro anni 1819, ac parti illius rependendi pro anno tunc currenti 1820. Aliud tamen postea judicium instituit coram eodem A. C. Tribunali super ratæ commodi prætensa retentione, tam quoad præteritos, quam quoad futuros canones. Cum vero Caussa prosequi debuerit apud S. N. Ordinem, propositum per me fuit Patribus in hodiernis Comitiis Dubium = *An sit locus retentioni ratæ commodi ante annum* 1819, *et in posterum seu potius constet de credito, et in qua summa, ita ut sint relaxanda mandata in casu etc.*, cui ipsi responsum dedere = *Negative in omnibus ad primam partem Affirmative ad secundam, et esse relaxandum mandatum in summa liquidanda.*

1 Compertum enim primum habuerunt Patres, ex Censualium tabularum testimonio non ante annum 1818 onus = *della dativa reale* = Urbanis fundis Senogalliæ impositum fuisse; atque idcirco pro annis, qui prædictum præcessere, de ratæ commodi retentione quæri non posse, quia nondum reali illi intributioni emphyteutica domus subjecta fuerat. Quo vero ad subsequens tempus judicium ferendum esse agnoverunt ad tramites Notificationum S. Congregationis Æconomicæ, dierum præsertim 13 Maii 1803, et 26 Junii 1806, quibus declaratus fuit notissimus Motus proprius 19 Martii 1801, quo invecta fuit intributio = *dativa reale* =, atque indulta retentio ratæ commodi; novissimus namque Motus proprius diei 6 Julii anni 1816 illas Notificationes sub *art.* 222 omnino confirmavit. Cum igitur in prima earum Notificationum generali regulæ, ratæ commodi retentionem præscribenti, limitatio constituta fuerit, si inter partes convenerit, quod = *il pagamento della dativa reale debba farsi nella sua totalità, o in parte soltanto da uno dei due Contraenti* = atque in altera = *in tutti i casi nei quali siasi convenuto, che i canoni, ed altri simili prestazioni annue debbano farsi libere, e franche da ogni tassa imposta, e da imporsi o con altri termini, ed espressioni equivalenti* =, eam regulæ limitationem Patres omnino convenire viderunt Emphyteusi inter R. P. D. Tesini, ac Advocatum Mei initæ *tam* habito respectu ad instrumenta cum Lena, et Venturi-

nio confecta, *quam* ad subsequens inter Venturinium, et Candejum exaratum, *quam* denique ad postremum illud, quo integra domus Emphyteusis in Mejum fuit translata, et quo hic omnium conditionem, ac pactorum, quæ in prioribus compræhendebantur instrumentis, implementum in se suscepit.

2 Nam = *libero, e franco da ogni, e qualunque peso* = canonem rependere promiserunt priores Emphyteutæ Henricus Lena, ac Petrus Venturinius. Pacificus vero Candejus, Venturinii Cessionarius, eumdem solvere canonem convenit = *intieramente senza speranza di riduzione, o minorazione alcuna per qualsivoglia accidente, causa pensata, ed impensata* =. Hisce denique iisdem conventionibus Emphyteusis investitura in Advocatum Mei gradum fecit, nam ipse se se obstrinxit = *assoggettarsi a tutti i patti, e condizioni apposte nell'istromento di prima Investitura, e sborsare l'annuo canone in tutto di sc.* 15 *convenuto, e stabilito nei divisati due istromenti d' Investitura, tanto a favore del Sig. Lena, come del Sig. Candei, alli quali anche sù di questo articolo dovrà aversi tutta la relazione* =. Ea porro amplissima verba de annuo canone pendendo = *libero, ed esente da ogni, e qualunque peso intieramente senza speranza di riduzione alcuna per qualsivoglia accidente, causa pensata, ed impensata* = merito Patribus talia visa sunt, ut ex eis arguendum sit, onus omnium vectigalium, ullo absque discrimine inter imposita, et imponenda, susceptum ab Emphyteutis fuisse = *con termini, ed espressioni equivalenti* = ita ut Meii actio pro ratæ commodi retentione sit prorsus reiiciendi, uti innumeris S. N. Ordinis Decisionibus constitutum fuit, præsertim in *Sutrina Pecuniaria* 3 *Martii, et* 20 *Junii* 1806 *cor. R. P. D. Meo Bussi, in Romana Pecuniaria* 29 *Martii, et* 2 *Decembris* 1806 *coram Eodem, in Fanen. solutionis Canonum* 13 *Junii* 1818 *coram R. P. D. Meo Isoard in Ferrarien. Reintegrationis super Credito* 20 *Junii* 1818 § 2 *coram Odescalchi, in Ferrarien. Canonum super rata commodi* 17 *Aprilis* 1820 *coram R. P. D. Meo Spada, et in Sutrina Canonum* 21 *Junii* 1820, *et* 10 *Februarii* 1821 *coram R.P.D. Meo Tiberj*, et alibi passim.

Quod autem Contrahentes, in conve- 3
pienda annui canonis solutione a quovis onere, et diminutione immuni, ad tributa respexerint, quæ futuro tempore indici possent, luculentissime demonstrat rei conditio de tempore initi contractus. Certum namque est tunc emphyteuticam domum nulli fuisse intributioni subjectam, uti ab hisce oneribus omnes etiam aliæ dumus Senogalliæ extante liberæ erant. Quare, si promissus fuit ab Emphyteutis canon, pendendus = *di anno in anno, libero, ed esente da ogni, e qualunque peso* =, hæc verba ad futurum tempus, et futura onera pernecesse referenda sunt. Eoque magis, quia additum etiam in contractu fuit, quod = *per qualunque accidente, causa pensata, ed impensata* = idem semper, integerque canon præstari deberet, ex quo futuros quoslibet casus Contrahentes in stipulatione compræhendere voluisse apertissimum est. Et absurdum sane esset promissam canonis ab omni onere libertatem cohibere ad onera de tempore initi contractus extantia, cum, ut vidimus, nulla tunc temporis tributa emphyteuticam domum gravarent, atque idcirco, si de impositis oneribus Contrahentes cavisse diceretur, vacua verba illa, et ociosa redderentur, quia nil habuissent, ad quod potuissent referri.

Ex contractus igitur litera, et ex aper- 4
tissima Contrahentium mente prædictam conventionem ad intributiones in posterum forsan superventuras respexisse statuendum est, et solvendus canon ab hisce immunis est renunciandus, sicuti ad rem animadvertit, ac firmat Rota in *Ferrarien. Emphyteusis* 23 *Aprilis* 1819 § 19 *coram R. P. D. Meo Isoard*. Accedit etiam ad magis evincendum de futuris oneribus Contrahentes cogitasse, quod conventa fuit integra quovis tempore canonis solutio = *di anno in anno* = *libero ed esente da qualunque peso* = Quæ sane verba = *di anno in anno* = tractum temporis successivum important, et referenda sunt punctim ad contributiones, quæ quibuslibet futuris an-

nis fortasse indicerentur, cum præsertim de tempore initæ Emphiteusis nullum existeret super domo Fiscale onus ab Emphytenta solvendum.

5 Perperam vero canonis ab oneribus libertatem referre conatur Mejus ad illud reficiendi publicas vias Emphyteutæ in contractu injunctum. Hujusmodi enim refectio ad Dominum directum spectasset utique, nisi aliter fuisset conventum. At non exinde inferri licet pactum integri canonis præstandi ad unam viarum refectionis exclusionem cohibitum fuisse. Non etenim de hoc tantum onere mentio fuit facta in investituræ instrumentis; sed etiam = *a qualunque speranza di minorazione* = et quidem = *per qualunque causa anche impensata* = nuncium misit Candejus, a quo Mejus emphyteusim iisdem cum conditionibus habuit. Futiliter etiam a Mejo obiiciebatur in parte Instrumenti narrativa pactum immunitatis canonis a quovis onere oppositum haud fuisse. Non enim ex narrativa, sed ex dispositiva parte instrumenti, conventiones, et contrahentium animus, et voluntas erui debent.

6 Hisce constitutis nullo in pretio habendas esse S. N. Ordinis Decisiones per Mejum allatas ad prætensam ratæ commodi retentionem defendendam facile patuit. Earum etenim prima, nempe *Romana Pecuniaria* 11 *Januarii* 1805 *coram R. P. D. Meo Bussio*, ratæ commodi retentionem Emphiteutæ concessit, quia in illius themate de pacto agebatur ad onera tantum cohibito, quæ reditibus, adeoque utili dominio imponi potuissent, ad ea vero numquam protenso, quæ dominium directum potuisset gravare. Qui casus ab hoc, de quo agitur, quam maxime dissitus est, quia R. P. D. Tesinius tanta sedulitate suæ indemnitati prospexit, ut canonis integritatem servandam esse fuerit stipulatus = *senza speranza di minorazione per qualsivoglia accidente, causa pensata, o impensata* =, ut non semel dictum fuit. Altera vero Decisio in *Sutrina Pecunaria* 3 *Martii* 1806 *coram R. P. D. meo Bussio*, Mejo obstat, quin prodesse valeat; quia prorsus Emphytentæ inimica fuit, cum ad libere, atque integre canones Mensæ Episcopali Sutrinæ solvendos ipsum damnaverit. Ratæ itaque commodi retentione a Mejo petita prorsus exclusa quod ad *primam* Dubii partem spectat; quoad *alteram*, R. P. R. Tesinii creditum respicientem, de eo PP. constare *in genere* agnoverunt; quantum vero id in *specie* sit ex rationum dispunctione, eum inter ac Mejum, apertum fiet, atque ideo mandatum pro summa liquidanda prædicto Præsuli tribuerunt.

Et ita etc. Utraque etc.

ASCULANA IMMISSIONIS

Lunae 9 *Decembris* 1822.

ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. Bona irrevocabiliter inter viros donata, statim transeunt in donatarii dominium.

Ubi donationi adijciatur clausula constituti, in Constitutarium transfertur civilis, et manutenibilis possessio - ibidem. -

2. Quod sub certa conditione tribuitur, sub contraria ademptum censetur.

3. Jura vetant quemquam invitum in communione, et convictu cum alio manere debere.

4. Donatario debentur fructus illius fundi, ad quem jus immissionis habet.

Et in praecedenti casu, fructus calculantur a die motae litis - ibidem. -

5. Ubi habitatio conjugibus fuit promissa, debetur instructa mobilibus, utensilibus, et re lintearia, ut conjuges decenter cum prole vivant.

6. Cum donativi nteresse respiciat, nedum mariti, sed Uxoris, ac filiorum, non potest vir inconsulto, ac absque solemniis, nuncium donationi mittere.

DECISIO LXXII.

Marchionis Ignatii ex Odoardia Asculana Gente, filia Lucretia, cum, parente defuncto, in Sacra esset transitura Patriciæ Familiæ de Vulpianis

Cupræ Montanæ, ob conventas cum Nicolao, Philippi Vulpiani filio, nuptias, per publicas tabulas, Judicis auctoritate, aliisque solemniis, in mulierum contractibus reqnisitis, intervenientibus, die 17 Februarii anni 1821, in dotem sibi constituit omnia sua bona, quæ adhuc indivisa cum sorore Hieronyma, nupta in Domo Politiana, possidebat, ad tramites Instrumenti diei 29 Decembris anni 1815. Iisdem vero in tabulis Philippus, Sponsi parens, qui summo studio eas nuptias conciliari curaverat = *a contemplazione di questo certo, e determinato Matrimonio, che altrimenti non seguirebbe* = cessit, atque assignavit = *a titolo di antiparte, e con atto di donazione fra i vivi*, *e con la clausola, ed effetto del costituto in forma al predetto Signor Niccola figlio*, *sposo presente*, *ed accettante* = plura rustica bona = *di valore in somma di scudi sedicimila quattrocento sette* = 16407 = quæ in iis tabulis designata fuere; reservata sibi eorum bonorum administratione, una cum fructibus. sed tantum = *nello stato di unione*, *e di armonia con li Signori Sposi* =; quo manente statu, se soluturum promisit Sponsæ annua scuta 60 Spillatici nomine, ac Sponso annua scuta 100 pro vestibus comparandis, et insuper, tam sponsis, quam filiis ex eis nascituris omnimodam exhibitionem cum = *decoroso libero appartamento corredato di decente mobilio, mantenendo costantemente a servizio della Signora Sposa l'uso, e commodo della carrozza con cavalli da tiro, cocchiere, servitore di livrea, ed una cameriera di speciale di lei servizio, obbligandosi eziandio a tutte, e singole spese per l'educazione dei figli*, *ed occorrenti pure per il basso vestiario dello Sposo* = repetens hæc omnia debere = *aver luogo nello stato di unione*, *ed armonia di essi Signori Sposi col nominato Sig. Filippo Vulpiani* =.

Quoniam vero facile fieri poterat, quod = *per inaugurata combinazione andasse a mancare l'introitatasi piena armonia, ed unione, e si dasse luogo alla separazione* =; hinc conventum fuit, quod = *in tal caso lo stesso Signor Niccola Sposo dovrà avere, oltre la proprietà de' beni* = quæ donata fuerunt = *anche il pieno godimento, ed usufrutto* = et quod præterea esset = *tenuto d'altronde il Signor Filippo Padre somministrare non meno ai Signori Sposi, che ai figli l'appartamento libero con corrispondenti mobili, biancherie sì di tavola, che di letto, utensili, ed attrezzi convenienti nel modo stesso di destinazione al primo ingresso della Signora Sposa nella casa maritale* =. Declaratum etiam fuit, ad eliminandam ab hac donatione quamcumque inofficiositatis querelam quoad alios Philippi filios, huic, præter ea donata bona, alia remanere valoris scutorum 51634, et obul. 80 ad tramites documentorum, quæ Instrumento alligata fuere. Horum autem omnium, quæ solemni ritu composita fuere, amplissimæ clausolæ, renunciatio quibuslibet privilegiis, Legumque præsidiis, ac jurisjurandi religio exequutionem quovis tempore, ac quovis in casu certissimam fecerunt.

Brevi banc donationem, die nempe 20 Februarii prædicti, matrimonii inter Sponsos sacro ritu contractus sequutus fuit; sed ea, quæ hujus connubii comes futura sperabatur domestica quies, et animorum concordia inter Philippum, ac filium, nurumque, aut numquam extitit, aut statim evanuit; eam præcipue ob caussam, quod Philippus inurbane, ac dure cum iis usque ab initio convictus semper egit, ac solemnia superius recensita promissa implere negavit; eoque pervenerit, ut Nicolaum adigere haud dubitaverit ad emittendam per privatam Syngrapham inanem prorsus renunciationem recensitæ donationis emolumento. Hinc Nicolaus mense Julio ejusdem anni 1821 a parente una cum uxore secedere debuit, ac ambo Asculum, Odoardia domo, fere omnibus ad vitam necessariis destituti sese receperunt. Tum, ut sibi consulerent, inhærentes pactis in superius relata donatione conventis, expletaque proprio sumptu illius donationis transcriptione in publicos Codices, quam Philippus, cui hæc incumbebat, neglexerat, ad-

versus eum, post omnia inutiliter urbanitatis officia adhibita, egerunt coram Tribunali Primarum actionum Asculi, petentes, ut donatorum honorum possessionem eis dimitteret, ac præterea habitationem mobilibus, ac supellectilibus omnibus instructam præstaret.

Tunc Philippus citationem specialem pro actorum circumscriptione eis transmisit, ac ipsi apud R. P. D. Auditorem Sanctissimi institerunt pro assequendis alimentis; eorumque instantia, post decretam, eorum favore, subministrationem scut. 100 remissa fuit ad idem Asculanum Tribunal cum amplissima facultate decernendi provisiones, ac subministrationes etiam in exordio litis. Coram hoc Tribunali objecit Philippus assertam Nicolai renunciationem, de qua superius mentio fuit acta, atque Judices illius documentum proferri mandarunt. Tum ille ope citationis specialis ab hoc Decreto provocavit ad Signaturæ Justitiæ Tribunal; donec, ad hasce omnes præcidendas tricas, R. P. D. Auditor SSmi Decreto lato die 13 Julii hujusce anni, cum ageretur de controversia inter personas adeo sanguine conjunctas, quæstiones omnes S. N. Ordini dirimendas commisit cum clausula = *Videntibus omnibus, praeviis duabus, appellatione remota, tamquam in prima cum facultatibus A. C.* =, ac interim scuta *tercenta* conjugibus pro alimentis subministrari mandavit solvenda a Philippo mensibus Augusti, Septembris, ac Octobris. Altero etiam ejusdem R. P. D. Auditoris SSmi Decreto ad S. N. Tribunal remissa fuit Conjugum instantia pro deputatione administratoris super bonis donatis.

Frustra hisce Decretis Philippus obstitit. At, cum mihi Caussas commissas videret, die 30 Novembris nuper elapsi, prædictorum Conjugum patrono intimationem transmittere haud dubitavit = *quod non intendit assensum præbere remissioni Causæ in S. Rota, nec alicui propositioni* = Patres vero in hodiernis Comitiis, ipso vadimonium obire, renuente conjugum instantiam pro deputatione Administratoris, et menstrua alimentaria præstatione, pendente lite, exceperunt Rescripto = *Ad Ponentem pro præstatione alimentorum in scutis* 50 *quolibet mense, et deputatione Administratoris* =, et proposito a me, quoad principem causam Dubio = *An sit locus immissioni ad possessionem bonorum compræhensorum in Instrumento donationis diei* 17 *Februarii* 1821., *restitutioni fructuum a die motæ litis, et assignationi habitationis instructae mobilibus, et utensilibus, ita ut sint relaxanda mandata de immittendo, de restituendo, et de assignando in casu* = Responsum dedere = *pro Informantibus* = nempe = *Affirmative in omnibus, et ad mentem* = Mens autem fuit, quod prorsus ab actis deleatur impudens illa diei 30 Novembris nuper elapsi intimatio, quæ Supremi Principis Majestatem, ac Sac. Nostri Ordinis Dignitatem quam maxime lædit.

Quæ omnia profecto, sub relata formula dubii postulant adversus Philippum Vulpiani ejus filius Nicolaus, hujusque conjux Lucretia Odoardia, adeo Juris præsidio suffulta sunt, ut inutiliter prædictus Philippus ea præstare negaret. Primum siquidem quod spectat ad immissionem ab ipsis petitam ad bona, quæ compræhensa, ac designata fuerunt in superius relata irrevocabili inter vivos donatione, intuitu ipsorum conjugii a Philippo emissa, perspicua et hujusce petitionis justitia, quia bona irrevocabiliter inter vivos donata statim transeunt in donatarii dominium *ad Text. in leg.* 35 *et* 37 *Cod. de Donat., et Vinn. Instit. lib.* 2 *tit.* 7 *in proemio num.* 2. Eoque magis, dum res est de donatione expleta intuitu certi, et determinati Matrimonii, in qua compræhenditur interesse utriusque conjugis, ac superventuræ prolis, per *leg. Perfecta Cod. de donationibus, quae sub modo.* Accedit præterea adjecta donationi *Constituti clausula*, per quam in Constitutarium transfertur civilis, et manutenibilis possessio, materiali tantum penes Constituentem remanente *Leg.* 18 *ff. de acquirenda possessione, Barbosa de Clausulis claus.* 31 *n.* 2. *Card. De*

Luca de Jure patronatus disc. 63 *n.* 34, *et de Feud. disc.* 127 *num.* 8. *Rot. Posth de Manuten. dec.* 89 *num.* 5., *et decis.* 333 *num.* 5 *part.* 18 *in Recen. decis.* 437 *num.* 1 *coram Ludovis., decis.* 95 *num.* 11 *cor. Othobon, in Romana Pecuniaria* 14 *Martii* 1755 § 6 *cor. Borull., et in Viterbien. Manutentionis* 20 *Junii* 1760 *coram Cornelio.* Conjugibus itaque prædictis, donatorum bonorum dominium, ac civilem possessionem jam inde ab emissa donatione habentibus, immissio ad materialem illorum possessionem illico est tribuenda ad firmata *per Rot. decis.* 24 *num.* 10 *cor. Cerro, decis.* 187 *num.* 2 *cor. Molines, decis.* 2 *num.* 6 *coram Falconer. tit. de retinenda possessione, et in Auximana donationis* 6 *Martii* 1795 § *final. cor. Priolo.*

2 Quin obiicere valeat Philippus donatorum bonorum usumfructum, ac administrationem sibi, quousque viveret, reservasse. Hæc namque reservatio non pura, ac absoluta, sed conditionalis, ac temporaria fuit, nempe = *nello stato di unione, ed armonia con i Signori Sposi* = Hoc itaque statu cessante, cessare etiam debuit reservata ea admnistratio, et usufructus. Quod enim sub certa conditione tribuitur, sub contraria ademptum censetur *ad Text. in leg. si post mortem ff. de legat., et Donell. in Comment. Jur. Civ. lib.* 4. *Cap.* 22 *num.* 9 *Averan. Interpret. Jur. lib.* 3. *num.* 18 *Rot. in Nuperr. decis.* 37 *num.* 4 *t.* 6 *in Tuden. Parochialis* 19 *Februarii* 1759 § 13 *coram Herreros; in Sedunen. Juris Patronatus* 9 *Junii* 1777 *coram Litta* § 2 *et in Forolivien. Legitimae quoad Paraphernum* 25 *Junii* 1790 § 4 *coram Resta.* Quod fortius tenendum est, quia in donationis tabulis conventum fuit = *che, se per inaugurata combinazione andasse a mancare l'introitatasi piena armonia, ed unione, e si dasse luogo alla separazione in tal caso lo stesso Signor Niccola Sposo, oltre la proprietà de'beni ai quali si riferisce la fatta donazione, a titolo di antiparte, ed a contemplazione di matrimonio, dovrà avere, come espressamente si conviene, anche il pieno godimento, ed usufrutto.* Cum igitur inter Donantem, et Donatarios animorum concordia, et Domestica quies cessaverit, et hi illius domum linquere debuerint, commissa fuit stipulatio, et bonorum ususfructus, ac administratio in Donatarios a Donante transivit.

Nec inquirendum ex cujus facto, culpave processerit ea animorum disjunctio, ac habitationis separatio. Seposito enim etiam, quod donatarii Conjuges probant, illi causam dedisse Philippum, qui male cum ipsis sese gessit, sicuti patet ex monumentis ab ipsis prolatis, quoad ejus difficilem, ac non ferendam agendi rationem; satis est, quod factum extiterit disruptionis = *della piena buona armonia, ed unione* = inter partes, quia conventio ad factum tantum respexit, nunquam vero ad illius originem, et causam; et quia jura vetant quemquam invitum in communione, et convictu, cum alio manere debere = *leg. in hoc* § *si conveniat ff. communi dividundo; leg. final. Cod. eod. Decian. Resp.* 97 *num.* 8 *et sequ. Vol.* 2. *Mantica de Tacit., et Ambig. lib.* 6 *tit.* 23 *num.* 4. *Michalor. de Fratribus part.* 2 *Cap.* 37 *num.* 17. *Jovius de contract. minor. Gloss.* 23 § 13 *num.* 297 *et sequ. Zanchi de Societate part.* 3 *Cap,* 8 *num.* 44. 3

Perspicuum est ergo Conjuges prædictos in possessionem bonorum Donatorum immittendos esse, ut super iis plenum exerceant dominium. Hujus vero dominii consequens esse debet fructuum restitutio a Philippo perceptorum, quia fructus debentur ei, qui ad fundos jus habet per *Leg. Ex diverso, et leg. in fund. ff. de rei vindicatione leg. si dominium Cod. de pignoribus, leg. Julianus* 25 *ff. de usuris; Rot. dec.* 48 *n.* 4 *de Fideic., et in Firmana Donationis super proprietate bonorum quoad fructus* 6 *Martii* 1818 *cor. Piccolomini, et Hortana nullitatis Testamenti super fructibus* 18 *Junii* 1819 § 2 *coram R. P. D. meo Marco.* Horum autem fructuum restitutionem, a die saltem litis, coram Asculano Tribunali a sæpius memoratis conjugibus institutæ, eis deberi, certissimum est, uti, *post Text. in leg.* 1 *et final. Cod. de fruc. legat.* pas- 4

sim statuit S. N. Ordo et præsertim *in Viterbien. Immissionis super fructibus* 21 *Junii* 1742 § 2 *coram de Vais, in Ariminen. Fideicommissi Bandi de Bandis* 21 *Martii* 1765 § 3 *cor. Rinaldo*, *et in Firmana Donationis super proprietate bonorum quoad fructus* 6 *Martii* 1818 § 4 *cor. Piccolominio* =.

5 Præter prædictam immissionem, fructuumque restitutionem, debetur etiam Nicolao ejusque Uxori, præstatio per Philippum habitationis instructæ mobilibus, suppellectilibus, utensilibus, et re lintearia, ut in ea conjuges, seorsim ab ipso, decenter cum prole vivant. Id siquidem importat apertissimum pactum, quod nempe in casu separationis convictus inter donantem et donatarios, hisce ab eo præstandum esset = *l' appartamento libero con corrispondenti mobili, imbiancherie, si di tavola, che di letti, di utensili, ed attrezzi convenienti nel modo stesso di destinazione al primo ingresso della Sig. Sposa nella casa maritale* =. Hoc itaque pactum ad unguem servari una cum cæteris oportet *per Text. in leg. cum precibus C. de probationibus, et Rot. decis.* 1 *num.* 6. *coram Falconer. de Pactis, in Tyburtina Societatis*, *et Redditionis rationis* 4 *Martii* 1774 §5 *coram Canilliac, et in Auximana Donationis* 6 *Martii* 1795 § 2 *coram Priolo.*

6 Harum vero omnium obligationum implementum vitare inutiliter studeret Philippus obiicendo renunciationem Nicolai emolumentis a donatione scatentibus. Etsi namque de hac renunciatione monumenta afferrentur, etsi eo ullo absque coactu, ac vi emissa a Nicolao fuisset, nil tamen Philippo prodesset, quia cum donatio interesse respiceret, nedum Nicolai, sed etiam ejus uxoris, ac filiorum, qui ex eorum conjugio oriri possent, in hujus facultate haud erat eorum jura inconsulto lædere facto, sed necessarius fuisset interventus omnium solemnium, quæ requiruntur in actubus, in quibus res est de mulierum, et minorum juribus, quæ semper compræhendit donatio intuitu certi, ac determinati matrimonii emissa, *ad Text. in leg. fin. Cod. de revocand. donat. Font. de Pact. Nuptial.* 4 *Gloss.* 9 *p.* 5 *n.* 7. *Rot. decis.* 770. *num.* 1 *cor. Riminaldo, et in Urbevetana Consuccessionis* 9 *Decembris* 1804 *coram Rmo P. D. meo Serlupi Decano in Confirmatoria* 10 *Martii* 1815 § 4 *cor. eod.* Iis igitur deficientibus solemniis nulla, qualibet in hypothesi, semper dicenda esset asserta ea renunciatio. Merito itaque tributa fuerunt conjugibus Nicolao, ac Lucretiæ petita ab eis mandata pro immissione ad bona donata, pro restitutione fructuum horum bonorum, et pro assignatione habitationis ad tramites pactorum. Ne vero maneat memoria audacis, impudentisque actus, quo Philippus declaravit seso nullo in pretio habere S. N. Ordinis Jurisdictionem, huic a Supremo Principe in hac Caussa demandatam, justa Patrum severitas exegit, ut insana protestatio prorsus deletur.

Et ita etc.

CINGULANA SEU AUXIMANA

REINTEGRATIONIS

Lunae 14 *Januarii* 1822.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur « DECISIO XXXII. »

SUMMARIUM

1. *Ad obtinendam reintegrationem, probari debet antiqua penes Actorem possessio, ac praesens apud reum conventum detentio.*

   Res judicata, actus possessorii, rationum redditiones, indubiam exhibent probationem possessionis – ibidem. –

   Reus conventus, qui judicia fatetur se possidere, hoc ipso detentionem admittit – ibid. –
2. *Quaestiones, quae super proprietate et dominio excitantur, nequeunt retardare judicium reintegrationis.*
3. *Vocatio ad primogenituram, facta intuitu certi ac determinati Matrimonii, nequit protendi ad illos filios, qui ex altero Conjugio suscepti fuerunt.*

4. *Reservatio, clausulis praesertim adjectis prout de jure, nullius est momenti, nullumque tribuit litigantibus jus.*

Compromissum, quum ad exitum productum non fuerit, nullius est momenti - ibid. -

Datis assequutio super bonis fideicommissariis in subsidium concessa, non admittitur, ubi bona libera delegantur - ibidem. -

5. *Haeres beneficiatus, qui actiones non immiscuit, potest vendicare omnia illa, quae sibi jure particulari spectant.*

Ubi adest causa testati, nullus est locus legitimae successioni - ibidem. -

6. *Credita, quae maxima laborant ambiquitate et ab aliis creditis remanent compensata, nequeunt opponi in judiciis executivis.*

DECISIO LXXIII.

Bonis primogenialibus administrandis, quæ R. P. D. Præsul Aloysius Martorelli, exclusis ejus fratribus consaguineis, consequutus fuerat solemni Rejudicata Emi, tunc A. C. Pelagallo, qua Laudum emissum a Præsulibus, dein S. N, Ordinis Auditoribus, R. P. D. meo Tiberi, atque nunc acerbo funere peremptis Tassoni, et Zinanni exequutioni fuit datum, quæve creditoribus deinde, multiplicis æris alieni mole pressunt, ipse cesserat, Jacobus Martorelli, Aloysii pater, ab ipsis creditoribus deputatus, bina prædia, *Porciano* et *Circumaglio* nuncupata, quæ inter ea primogenialia bona recensebantur, et ideo ad ipsos creditores spectabant, uti fusius enarrat *mea præter. Decis. die 4 Junii elapsi anni in vulgus edita*, nullo jure, Mariannæ filiæ, ex secundo conjugio susceptae, quam Francisco Alliata nuptui dabat, die 4 Septembris anni 1813, titulo dotis tradidit. Hinc hujusce Litis exordium. Nam creditores illorum praediorum possessionem statim vindicarunt; sed cum, ea ciscumscripta possessione ob citationis defectum, Conjuges Alliata bona recuperare valuerint, opus creditoribus fuit eos judicio coram A. C. lacessere, a quo consonum votis obtinuerunt Decretum, quo praedicti Conjuges Alliata damnati fuere ad dimittenda favore creditorum prædia ab iis injuria possessa, et ad restituendos usque ab initio fructus ex iisdem fundis perceptos. Appellatione interposita, cum notio rei Sac. Nostro Auditorio delata fuerit, primum die 26 Junii anni 1820 Cunjuges Alliata dilationem impetrarunt; dein die 11 Decembris ejusdem anni, abeuntibus patribus in diversa, anceps hacsit judicium; donec, *Quinto* et *Sexto* ad soffragium ferendum accedentibus, Dubium per me die 4 Junii 1821 propositum = *An sit danda manutentio*, *seu reintegratio*, *ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* = Responso dimissum est *Affirmative in Omnibus*, teste mea Decisione ad eam diem vulgata. Elargita dein succumbentibus facultate novum obeundi periculum, juraque sua adversus eam Decisionem deducendi, ipsi, hodiernum certamen refugientes, vadimonium deseruerunt: quare Patres, per me interrogati sub assueta Dubii formula = *An sit standum, vel recedendum a Decisis* = incunctanter dederunt Responsum = *In Decisis* =.

1 Duo siquidem manebant æqne firma, ac solida, quibus pro manutentione, seu reintegratione ad possessionem praediorum *Porciano*, et *Circumaglio* obtinenda, creditores Patrimonii Martorelli actionem suam tuebantur; antiqua nempe illorum penes R. P. D. Aloysium actorem possessio, ac praesens eorumdum penes Conjuges Alliata Reos conventos detentio, quibus concurrentibus extremis, in judicio reintegrationis necessariis, vulgatissimi juris est, quod absque mora reintegratio concedi debeat, uti quam plurimis firmata auctoritatibus tradit *mea præterita Decisione* §. 3. Utramque vero in themato, quo versamur, concurrere probatum est a Patribus meritissime. Quo enim ad *primum* pertinet, nempe quoad antiquam penes Aloysium illorum prædiorum possessionem, oam demonstrabat primo A. C., nunc Emi Pelagallo, Res judicata diei 3 Novembris anni 1806, quæ exequi jussit Laudum a RR. PP. DD. Tassoni, Zinanni, ac Tiberi editum, immissionemque ad bona primogenialia R. P. D. Aloysio concessit, inter quae haec bina

praedia enunciata reperiuntur. Eam confirmabant deinde quamplurimi possessorii actus ab Aloysio expleti. Insuper accedebat ejusdem Aloysii, sive ejus creditorum instantia quoad deputationem Administratoris super his ipsis bonis. Omnem demum praecidebant quaestionem rationes de eorum redditibus ab ipso administratore deputato expositae; quorum si singula ad antiquam evincendam penes R. P. D. Aloysium eorum praediorum possessionem sufficerent, multo fortius simul congesta indubiam exhibeant probationem oportet. *Alterum* verum non minus erat perspicuum. Praesens enim eorumdem praediorum penes Conjuges Alliata detentio, praeter quod satis probata ex hoc uno videretur, quod ipsi in judicio sistunt, ut *Rota docet in Decis. 41. numer. 4. coram Falconer. de Miscell.*, in discrimen nullo modo potest revocari, cum adsint testes coloni ab ipsis adducti, qui referent = *Che nel terreno Circumaglio, ed in altro Porciano dall' epoca* 16 *Novembre* 1813 *in poi hanno sempre riconosciuti per legittimi padroni li Signori Conjugi Alliata, avendo annualmente corrisposto oi medesimi tutti i prodotti di detti terreni* =, omneque dubium, si quod esset, praeterea amoveat ipsorum judicialis confessio, cum caussantes citationis defectum judicio instituerunt, ut praedia a creditoribus sibi adempta recuperarent.

2 Satis porro haec essent ad manutentionem, seu reintegrationem obtinendam in possessorio, quod agitur judicio, in quo nil admodum proponi potest, propter quod petita reintegratio remoretur. Longe igitur ab hujusmodi judicio aberrant questiones, quae super proprietate, et dominio bonorum Conjuges Alliata excitant, quae, cum longiorem disputationem desiderent, reintegrationem a R. P. D. Aloysio, sive ejus Creditoribus petitam retardare non possunt, et ad congruum judicium sunt amandandae ad plura comulata *in mea praeter Decis.* § 4. Quod si tamen ad abundantiam placeat eas examini subiicere, nullum ex iis praesidium sibi Conjuges Alliata quaerere posse illico dignoscitur. Proprietatem enim, et dominium eorum praediorum ad R. P. D. Aloysium pertinuisse, cujus jura in creditores ob bonorum cessionem translata sunt, luculentissime undique evincitur. Reque vera praedicti R. P. D. Aloysii, unici e conjugio Jacobi cum Clarice Franciolini sospitis filii, vocatio ad primogeniturae compendium ab Josepho Antonio, et a R. Canonico Cajetano Martorelli, et a Livia Sandreani ordinatae, exclusis penitus aliis filiis, qui ex altero Conjugio suscepti essent, ex perspicua donantium mente, ac ratione ita descendit, ut nefas sit de hoc dubitare; cum praesertim insuperabilem obicem huic questioni paret Sac. Nostri Ordinis edita jam definitio, uti ex Decisione liquet, cui est titulus *Auximana ossignamenti* 15 *Junii* 1801 *corom Guardoqui*. Adstipulatur deinde Arbitramentalis Sententia RR. PP. DD. Tassoni, Zinanni, et Tiberi, qua definitum fuit = *Che la primogenitura controverso vodo a purificarsi nel solo Monsignor Luigi*, = atque ideo fuit additum = *oecordiomo l' immissione al lodoto Monsignor Luigi per oro al predio la Castelletta, Porciano, e Circumaglio*; = cui robur accessit ex Rejudicata A. C. Pelagallo, quae mandavit = *exequi Laudum emanatum die* 25. *Aprilis* 1804. *per RR. PP. DD. Tassoni, Zinanni, et Tiberi Judices Compromissarios.* Rem demum omnem conficit, quod Jacobus solemniter liti, et cuicumque exceptioni adversus bonorum possessionem per Aloysium consequutam nuncium misit, ita ut diu ea bona ulla absque controversia Aloysius retinuerit suisque creditoribus deinde cesserit, uti *ex mea praeter. Decis.* § 4.

Nec quae proferebantur in casu a 3 Conjugibus Alliata exceptiones, eae certe poterant, nisi omnino levissimae infirmaeque videri. Ajebant primo jus fuisse Mariannae, quam ex secundo Conjugio Jacobus susceperat, deducendi dotem ex primogenialibus bonis. Sed perditum, desperatumque illud erat diffugium, cui statim occurrit respon-

sum, jam ex illa Arbitramentali Sententia, quae per solemnem Remjudicatam confirmationem babuit, definitum fuisse =*Che i beni primogeniali non restino in conto alcuno obbligati a favore dei figli del secondo letto* =, hac adjecta ratione, quia = *Se la primogenitura non comprende, che i figli del primo matrimonio, ed in conseguenza il solo Monsignor Luigi, che fu l'unico frutto, e che fu tassativamente contemplato, é un assurdo di voler ipotecare i beni primogeniali per le Doti delle figlie del secondo letto per gli alimenti di questo, e dei fratelli delle medesime* =. Quod si in ea Rejudicata A. C. Pelagallo legitur = *reservato tamen jure favore citati agendi pro constitutione dotium favore filiarum ejus secundi matrimonii, prout tamen de jure, et quatenus de jure* =, irrito conatu ex reservatione Conjuges Alliata arguere stndebant jure, meritoque Jacobo licuisse dotem ex primogenialibus bonis detrahere. Siquidem reservatio, clausulis praesertim adjectis *prout de jure, et quatenus de jure*, nullius est momenti, nullumque tribuere litigantibus jus valet, nisi prius de eo, re mature apud Judicem perpensa, constiterit ad firmata per *meam praeter. Decis.* § 15. Procul igitur ab est, ut Jacobus, qui pro suo libito, proprioque arbitrio, nullo accedente Judicis Decreto de his fidecommissariis bonis titulo dotis favore Mariannae disposuit, rite, recteque illud facere potuisset; quod eo minus ferendum videtur, cum ea bona, quae ipse a Creditoribus summa cum fiducia praepositus Administranda susceperat, a fide deinde desciscens in alios transtulit.

4 Præsidium vero, quod ex reservatione in Rejudicata adjecta minime conjuges Alliata obtinere potuerunt, frustra ex alio compromisso sperabant anno 1811 convento, quo Judices compromissarii in præliminaribus propositionibus visi sunt agnoscere onus inhærens bonis primogenialibus pro dotibus præstandis filiabus Jacobi ex secundo conjugio. Duplici enim responsione hæc pariter exceptio removebatur, *altera* ex jure; *altera* ex facto. *Ex jure* inquam. Nam omnino ea propositio Laudo superius recensito RR. PP. DD. Tassoni, Zinanni et Tiberj adversatur, quod, cum fuisset per remjudicatam confirmatum, nullo modo in discrimen poterat adduci. Verum difficultas magis corruebat *ex facto*; Nam ea simplex propositio in articulis preliminaribus compromissi scripta, nullum robur accipere potuit, cum non solum compromissum non fuerit ad exitum perductum, sed etiam utrum, nec ne, illius prosequutioni sit locus, pendeat adhuc sub judice, cum hujus quæstionis judicium in Comitiis diei 29 Januarii elapsi anni, scissis suffragiis, ad *Quintum* et *Sextum* ampliatum fuerit. Sed, hoc etiam prætermisso, omnem præcedit controversiam, quod si Judices Compromissarii jus detrahendi dotem ex primogenialibus bonis tantum sub explicita conditione probarunt = *qualora non si provi l'esistenza dei beni Liberi* = At, cum plura bona libera Jacobi extitisse omni procul dubio evincat, *tum* judicium ab ipsis Jacobi ex secundo conjugio filiis institutum super nullitate renunciationis, quam ipsi quoad paternam hæreditatem temere, et inconsulto emiserant; *tum* A. C. Sententia quæ eis manutentionem super bonis hæreditariis jam repudiatis tribuit; *tum* demum quamplurimæ instantiæ ab Aloysio, vel ab ejus creditoribus, qui illum repræhesentant, adversus eosdem, uti Jacobi hæredes, sub concordatis jam dubiis propositæ, sponte sua consequitur, quod exclusa necessitate dotem assignandi super fideicommissariis bonis, proindeque conditione deficiente, in vim etiam hujus secundi Compromissi ea dotis constitutio nullis viribus consisteret.

Duplici ita eliminata exceptione, quo 5 Conjuges Alliata nitebantur ut jus detrahendi dotem ex bonis primogenialibus vindicarent, sive quia ex reservatione in rejudicata adiecta, sive quia ex secundo compromisso id facere Jacobo licuerit, perperam ad assertam Aloysii qualitatem hæreditariam erga Jacobum confugerunt, qua contendebant ipsum adversus sui auctoris factum

insurgere prohiberi, et idcirco eam dationem prædiorum titulo dotis a Patre expletam, nullo modo posse ab eo revocari. Sed hnjusmodi exceptionis moles, cui non minus *jus*, quam veritas *facti* resistit, ab imo statim prosternitur. Nam, etsi per hypothesim fingendum esset, quod Aloysius hæres Patris fuerit, is tamen, legitimo inventario confecto beneficiaria qualitate indutus, sarta, tectaqne sua jura servasset; et cum actiones non confuderit, propriam personam repræhesentare posset ad ea prædia adversus paternum factum vindicanda, quæ ad ipsum particulari jure spectabant, ut docet *Textus in Leg. fin. Cod. de jure delib.* ac firmat passim *Rota in Decis.* 186 *num.* 12 *p.* 4 *tom.* 2, *Decis*, 48 *num.* 1 *part.* 5 *Recent.* Verum longe abest a veritate *facti*, qnod Aloysius ea hæreditaria qualitate erga patrem indutus fuerit. Nihil enim ei profuit, qnod hæreditas, quam ex testamento patris hujus filiis, ex secundo conjugio cedere debuerat, ob renunciationem ab ipsis emissam sibi fuerat delata. Nam, cum ipsi adversus inconsulto repudiatam hæreditatem restitutionem in integrum consequuti fuerint, in vim paterni testamenti postea manutentionem super patris hæreditate obtinuernnt ex Tribuualis A. C. Sententia, quam Congregatio a Sanctissimo deputata dein confirmavit, decernens = *I Cadetti abbiano tuttora la qualità, ereditaria verso il loro padre non ostante la ripudia.* Exploratissimi enim juris est, quod, si adsit causa testati uullus sit locus legitimæ successioni, uti tradit *mea præter. Decis.* §. 5.

6 Nec demum audiri quidem promerebatur, qnod de Jacobi creditis adversus Aloysii bona obmussitabant Conjuges Alliata, perinde ac si eorum nomine Jacobus fideicommissaria bona merito alienare potuerit, idque eis justam præbuerit caussam creditoribus præpediendi super iis ipsis bonis reintegrationem. Nam hæc statim objectio hac una dirimebatur exceptione, ea scilicet credita maxima laborare ambiguitate, et satis superque ab aliis creditis fuisse compensata, quæ Aloysius adversus Patrem opponere posset, Quæ omnia igitur cum ita sint, evidentissimeque pateat inanes, prorsusque spernendas eas exceptiones fuisse, quæ a reis conventis proferebantur, ut bonum jus Aloysii ad ea prædia vindicanda in discrimen adducerent, rectissime idcirco reintegratio ad eorum prædiorum possessionem creditoribus patrimonii Martorelli, qui in Aloysii jura successerant, tributa fuit. Sed hæc ad abundantiam tantum, ut ab initio, monui. Nam extraneæ nunc erant ejnsmodi exceptiones ab hoc summarissimo possessorio judicio, quod omnia rejicit, quæ ad petitorium resploiunt, atque tantum de antiqna penes actorem, et de moderna penes renm conventum possessiono quæstionem admittit, quibus concurrentibus binis extremis minime fas est turbidis exceptionibus impedimentum injicere, nt petita reintegratio remoretur, sicut concludit *mea præter. Decis.* §. *fin.*

Atque ita *Quinti*, et *Sexti* accedente suffragio, Altera tautum resolutum fuit.

CINGULANA SEU AUXIMANA

REINTEGRATIONIS SUPER FRUCTIBUS

Lunae 14 *Januarii* 1822.

ARGUMENTUM

Argumento non indiget.

SUMMARIUM

1. *In judicio reintegrationis, fructus quoque veniunt, tamquam rei accessiones, ac dominii effectus.*

Tempus a quo fructuum restitutio fieri debet, metiendum est a die motae litis - ibid. -

Aequitas non sinit, ut mala fide deficiente, fructus restituendi sint a die captae possessionis - ibidem. -

DECISIO LXXIV.

Quemadmodum Sententia A. C. diei 14. Decembris anni 1819. Conjuges Alliata

damnavit ad bina prædia *Porciano*, *et Circumaglio* ab ipsis detenta creditoribus Patrimonii Martorelli restituenda, ita adversus eosdem mandatum exequutivum pro restitutione fructuum ex iisdem fundis perceptorum relaxavit. Cum vero ope Appellationis caussa ad Sac. Nostrum Ordinem conscenderit, una cum Dubio, reintegrationem respiciente, alterum quoque super fructibus examini Dominorum subjeci in hæc verba conceptum = *An*, *et a quo tempore sint restituendi fructus, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* = Dilatio vero prius, uti quoad reintegrationem, prædictis conjugibus fuit concessa; scisse deinde fuerunt suffragia; Dubio demum, *Quinti*, *et Sexti* suffragio adscito, die 4. Junii anni 1821, constito de jure creditorum super reintegratione, consonum quoque super fructibus, hoc prodiit responsum *Affirmative a die motæ Litis, et esse relaxandum Mandatum pro summa liquidanda*. Adversus hanc Decisionem frustra impetrarunt Conjuges Alliata novæ Audientiæ beneficium; Nam, cum hodie Patres rogaverim = *An sit standum vel recedendum a Decisis in casu etc.* =, iis ab judicio absentibus, statim Responsum accepi = *In decisis* =.

1 Deberi fructus ambigi non potest. Nil est enim in jure exploratius, quam in reintegrationis, de quo agitur, judicio, fructus quoque veniant, tamquam rei accessiones, ac dominii effectus, et sequela, prout, innumeris congestis Auctoritatibus, firmavit *Mea præterita Decis.* §. 2. Qua de re, si Conjuges Alliata caussa ceciderunt, uti mea contemporanea Decisione statutum est, quoad reintegrationem, binaque prædia *Porciano et Circumaglio*, quæ Jacobus Martorelli, nullo jure super iis præditus, eis titulo dotis Mariæ Annæ filiæ tradiderat, creditorum favore dimittere coacti sunt, par est ut in sequelam indebite retentæ, ac postea amissæ possessionis fructus quoque perceptos restituere teneantur. Hæc vero quoad actionem pro consequendis fructibus *in genere*. *In specie* autem, si tempus, a quo restitutio fieri debet, inspiciatur, merito Patres illud esse metiendum rursus æstimarunt a die motæ Litis, nemoque erit, qui id reprehendat, hisce duabus adstipulantibus rationibus. *Altera* quia ab ea die tantum initium extitit malæ fidei, qua Conjuges Alliata impediti fuerunt, quin fructus jure perciperent. Nam, cum nullum extet antea vestigium, quod ipsi in mala fide versati fuerint, ac merito ignorare potuerint vinculo fideicommissi obstricta, atque crebitoribus obligata ea bona fuisse, quæ titulo dotis sibi tradebantur, non justitia, neque æquitas sineret, quod, nulla mala fide concurrente, fructus restituendi essent a die captæ possessionis, ut pluribus auctoritatibus docet *Mea præter. Decis.* §. 3. *Altera*, quia consentanea est hujusmodi manutentionis judicio ea fructuum restitutio a die motæ Litis, cum sit in jure exploratum, nonnisi ab ea die in possessoriis judiciis fructus esse restituendos ad tradita in mea præterita *Decis.* §. 3.

Atque ita etc. Altera tantum etc.

FERRARIEN CONSUCCESSIONIS

SUPER EXPENSIS

Lunae 5 *Junii* 1822.

ARGUMENTUM

Argumento non indiget.

SUMMARIUM

1. *Ubi in comperto sit expensarum excessus, nec normas a Judiciario Codice praescriptae, servatae sint, earum aestimatio corrigi debet ope Periti.*
2. *Gallico Codice constitutum erat, ut victori a victo reficerentur omnes expensae, nulla extante distinctione inter expensas judiciales, et extrajudiciales.*
3. *Praescriptum judiciarii Gallici Codicis, quoad expensarum taxationem, locum haud sibi vindicabat, in judiciis expletis post legitimi regiminis restaurationem.*
4. *Aedicto* 5 Julii 1815, *a SSmo Principe fuit constitutum.* Le cause, contro i Giudicati delle quali pendono attualmente i ricorsi del Tribunale di Cassazione, saranno definite dalle Segnatura con le regole del detto Tribunale di Cassazione.

5. *Articulo 28 ejusdem Aedicti cavebatur.* Le Obbligazioni nate durante il tempo, in cui è stata in vigore la cessata legislazione e tutti gli Atti che hanno avuto luogo in quest' epoca, saranno giudicati secondo quelle leggi.

Taxa litis expensarum, comprachendit omnes actus per modum unius - ibidem. -

6. *Ubi diversa fuerit judiciorum natura, atque diversum litis subjectum, expensae quoad unum Judicium nequeunt compensari quoad expensas alterius.*

7. *Lege edita per Eminentissimum a Secretis Status, die 30 Aprilis 1816, cautum fuit,* Che nel Tribunale della Segnatura saranno rifattibili dal Soccombente, anche le spese stragiudiziali.

8. *Expensae, quas victus refundere debet ex Rescripto Signaturae, apud Judices Appellationis examini subiici non possunt.*

9.° *Quando Perito munus datur computum expensarum expungere, is praeoculis praecipue habere debet.* Il Regolamento generale su le tasse dei Giudizi.

DECISIO LXXV.

Sententia Tribunalis Primæ Instantiæ, Ferrariæ constituti, Claræ Massari, Equiti Boldrinio nuptæ die 23. Martii anni 1812. successio, una cum Fratribus Vincentio, Galeatio Massariis pro virili tributa fuit in hæreditatem communis Parentis, Joannis Baptistæ, anno 1810. defuncti, excepta hæreditatis hujusce parte, de qua Joannes Baptista, per illius ævi leges ad libitum disponere potuit, et in Claræ portionem imputata dote ab ipsa recepta: eamque Sententiam confirmavit, die 25. Junii 1813., Tribunal Appellationis, Bononiæ sedens: atque rem judicatam exinde ortam suprema, quæ dicebatur *Cassationis Aula*, Mediolani constituta, probavit. Idemque hac de re judicium protulit Sacer Noster Ordo, ad quem, frustra Clara resistente, Caussæ cognitio commissa fuit, » *cum clausula de Causis* » Rescripto Tribunalis Signaturæ, edito die 27. Novembris 1817., postquam quæstio super restitutione in integrum ab Eminentissimo a Secretis Status Sanctissimi Principis, qui putavit judicium coram Aula Cassationis absolutum haud fuisse, fuerat die 18. Maii ejusdem anni remissa ad hoc Tribunal, qui procederet » *ai termini del disposto nel fine dell' Artic.* 41. *dell' Editto dei* 5. *Luglio* 1815. = Nam prædictam rem judicatam geminæ confirmarunt Decisiones a R. P. D. Meo Isoard vulgatæ, altera die 5. Junii 1818., altera die 26. Martii 1819., quas subsequutum fuit Rotale decretum, ab eodem R. P. D. Ponente, die 11 Junii ejusdem anni signatum. »

Prorsus ita absoluta Causa super merito principali, cum litis expensæ a Massariis essent reficiendæ, ad earum liquidationem Clara processit, casque a binis S. P. A. Causarum Patronis, peritis extrajudicialiter rogatis, ad scuta redactas 1135, perlaudatus R. P. D. Ponens taxavit *in summa scutorum centum supra mille* = Excessivam vero hanc taxationem dixerunt Fratres Massarii; Atque ideo, commisso mihi munere interrogandi Patres de hoc proposito excessu, ab iis quæsivi » *An constet de excessiva taxatione expensarum in casu etc.*, atque hoc mane *Quinti*, *et Sexti* suffragio etiam accedente, responsum accepi = *Affirmative juxta modum in Decisione exprimendum* ».

Sat quidem est oculos convertere ad elenchum expensarum, quæ pro Boldrinia taxatæ fuerunt, ut taxationis excessus illico in comperto sit. Hæc tamque nec normæ in Pontificia Ditione, ante judiciarium Codicem, promulgatum Motu Proprio Sanctissimi Principis diei 22. Novembris 1817., servatæ nec illi sub Gallorum occupantium imperio invectæ, neque novissimæ, una cum prædicto Pontificio Praxeos Codice publici juris factæ convenit. Non itaque dubium, quin ea expensarum æstimatio corrigenda sit ope Periti, cui ne per clevia incedat, Via, quam sequatur oportet, juxta Sac. Ordinis mentem, signanda est. Duplici porro ex Capite eam expensarum taxationem excessus redargunt Massarii; nempe *quia* in ea compræhenduntur sumptus extrajudiciales; et *quia* probata fuit pro Boldrinia refe- 1

ctio expensarum, quas ipsa subiit in Judicio, super petita a Massariis restitutione in integrum, et remissione Caussæ ad S. Rotam, coram Tribunali Signaturæ, earumve, suas cum in hoc judicio Massarii victores extitissent, rofundere eis debuit.

2 Quo vero ad primum inani studio ipsi domonstrare conati sunt ab expensarum notula extrajudiciales esse expungendas; vel quia non agitur de privilegiato judicio qualia sunt illa Attentatorum, Spolii, Dotis, Alimentorum, et similia, in quibus, et extrajudiciales snmptus reficiendi sunt; vel quia de controversia res est valde ancipiti, ex quo ipsi infligi nequeat pœna adversus temere litigantes, et calumniosam litem sustentates indicta. Etenim Domini constituerunt hanc de expensis quæstionem esse absolvendam secundum præscriptum Codicis Praxeos, qui primum in Galliis publicis juris factus, deinceps Ferrariæ, atque in omnibus Regionibus, Regnum, quod dicebatur Italicum, constituentibus, vim legis obtinuit; quo constitutum erat ut victori a victo reficerentur omnes expensæ ad judicium instituendum, prosequendum, atque explendum necessariæ, nulla tum extante distinctione Appellationis has inter expensas; judicialium nempe vel extrajudicialium.

3 Viderunt siquidem probari non posse quod Massarii proponunt, nempe litem Romæ initium habuisse, ante quam Romæ promulgatus fuisset judiciarius Codex, Motu Proprio Sanctissimi Principis diei 22. Novembris 1817. quo in Artic. 1138. omnium expensarum litis refectio a Victo erga Victorem præscribitur, nullo inter judiciales, ac extrajudiciales discrimine facto, atque idcirco juxta Praxim tum vigentem nullam de expensis extrajudicialibus rationem esse habendam; nec hujusce novæ litis expensis convenire posse, vel præscripta Gallici sive Italici judiciarii Codicis jam abrogati, vel dispositum in prædicto Pontificio Praxeos Codice, post eam litem inceptum promulgatum, et modum taxationis expensarum, qua comprehenduntur etiam expensae extrajudiciales, vetante id declaratione Eminentissimi a Secretis Status diei 4. Aprilis 1818. ita concepta = *dovendo la tassa delle spese della Lite comprendere tutti gli Atti della Lite per modum unius, l' Articolo* 1138. *del Codice di Procedura non può essere applicabile alle Cause introdotte nei Tribunali anteriormente all' Attivazione del Codice.*

4 Quoniam mense Maii lis, non *initium*, sed *prosequutionem* tantum habuit. Inceperat enim apud Italici Regni Tribunalia anno 1810., et Eminentissimus a Secretis Status Caussam ad Signaturae Tribunal remisit = *avendo in vista, che la Decisione della Corte di Cassazione di Milano può esser soggetta ad eccezione di nullità, ed incompetenza* = idcoque praescripsit = *la Segnatura procederà ai termini del disposto nel fine dell'Articolo* 41. *dell'Editto* 5. *Luglio* 1815. = a Sanctissimo Principe promulgati, dum Æmilia, Picenum, aliaequae Provinciae, quae dictae fuerunt = *di seconda ricupera* = sub ejus legittima Ditione redierunt, quo fuit constitutum = *Le cause, contro i Giudicati delle quali pendono attualmente i ricorsi nel Tribunale di Cassazione, saranno definite dal Tribunale della Segnatura con le regole sostanziali stabilite nell' attuale legislazione del detto Tribunale di Cassazione* =. Ex quo patet litem ut adhuc pendentem, Mense Maii anni 1817., ab Eminentissimo a Secretis Status fuisse habitam.

5 Hinc igitur, si tum temporis litem, non *initium*, *sed prosequutionem* habuisse pernecesse concludendum est, cum in Artic. 28. ejusdem Edicti diei 5. Julii 1815. cautum fuisset » *Le obbligazioni nate durante il tempo, in cui è stata in vigore la cessata legislazione, e tutti gli atti, che hanno avuto luogo in quest' epoca saranno giudicati secondo quelle Leggi* = et cum debet = *la tassa delle spese della lite comprende tutti gli atti della lite per modum unius* = juxta superius recensitum Responsum Eminentissimi a Secretis Status, diei 4. Aprilis 1818., plane consequitur, ex-

pensarum taxationem explendam esse ad tramites Codicis Praxeos Regni Itali, quo ratio quidem babebatur de expensis tantnm judicialibus, sed inter judiciales recensebantur illæ etiam fere omnes expensæ, quæ nunc extrajudiciales dicuntur. Mentem idcirco aptando Spiritumque Gallici, sive Itali, illius Codicis expensis judicii inter Boldrinium, et Massarios Romæ acti, omnes hæ expensæ, tam quæ judiciales, quam quæ extrajudiciales dicuntur, sed respondent eis, quæ apud Itala Tribunalia judiciales erant, taxandæ sunt, et reficiendæ: et cum actis apud Urbis Tribunalia gestis singillatim haud conveniat modus æstimationis sumptuum in illo Codice statutus, illius sequendo spiritum, et mentem sumptus omnes, vel judiciales, vel extrajudiciales judicialibus respondentes, taxandi partitim sunt secundum » *il regolamento generale delle tasse dei giudizj* = una cum nostro Praxeos Codice publici juris factum.

6 Officere vero Claræ numquam potest, quod Tribunal Primæ Instantiæ Ferrariæ partes litigantes damnaverit ad expensas alterutrinque reficiendas, pro rata victoriæ, atque deinceps Bononiensis Appellationis Aula earum compensationem inter easdem partes præscripserit, id permittente Gallico, sive Italo Praxeos Codice art. 131. quodque a Sacro Ordine illorum Tribunalium Sententiæ fuerint confirmatæ; ex quo arguere Massariis liceat in earum Sententiarnm confirmatione expensarum etiam compensationem fuisse compræhensam. Etenim non agitur de taxatione expensarnm, quas partes subiverunt apud illa Italici Regni Tribunalia, sed de sumptibus Caussæ, coram Tribunalibus Urbis, et præsertim coram Nostro Auditorio expletis, post judicium instauratum. Præterea vero apud Italia Tribunalia contendebat Clara suum consuccessionis jus extendendum fuisse ad eam etiam paternæ bæreditatis partem, quæ dicebatur = *quota disponibile* =, et quoad hanc, succubuit. Merito itaque tum, vel refectio expensarum pro rata victoriæ, vel earum compensatio fuit decreta; At, post judicium a Massariis redintegratum, nil amplius super quota disponibili ipsa postulavit; suamque actionem ad reliquam paternæ bæreditatis partem cobibens, omnimodam victoriam fuit assequuta. Quare, hoc etiam ex capite tantum, objectum compensationis expensarum corrueret.

Hisce Sacrum Tribunal rationibus innixum in taxatione expensarum compræhendendas esse constituit extrajudiciales etiam eis respondentes, quas Judiciarius Italus Codex inter judiciales recensebat, sicuti, ut aliquos indigitem, sunt expensæ Typornm pro Allegationibus, et Summariis, quæ impressa apud S. Nostrum Ordinem exbiberi debent, uti Judicibus porrigenda erant apud Itala Tribunalia patronorum Scripta, cum fuerat decreta » *l'istruzione in iscritto* ». At non ita Clarae favendum esse censuit quoad illas expensas, quas, apud idem Tribunal a Massariis expletas, eis ipsa refudit. Siquidem ipsa pro viribus obstitit Massariis, qui coram prædicto Signaturæ Tribunali postulabant, ut sibi restitutio in integrum concederetur a Rejudicata Aulæ Appellationis Bononiæ, ab Aula Cassationis Mediolani jus dicente, probata, et ut iterum de controversia certamen apud S. Rotam institueretur; Sed in irritum cesserunt ejus conatus, et rei cognitio, Rescripto « *de causis* » ad S. Ordinem fnit delata. Cum itaque ipsa succubuisset, expensas omnes illius judicii illas etiam a victoribus expletas, subire debuit, ita præscribente transitoria lege edita per Eminentissimum a Secretis Status, die 30. Aprilis anni 1816., qua cautum fuit » *che nel Tribunale della Segnatura saranno rifattibili dal Soccombente anche le Funzioni, e spese stragiudiziali*. 7

Accedit etiam, post promulgatum judiciarium Codicem, contendisse Claram refectionem expensarum ad Litis exitum super Caussæ meritis fuisse differendam; ita ut a principalis negocii definitione penderet; sed infeliciter pugnasse, tam die 11. Februarii 1818. 8

coram Eminentissimo Signaturæ Justitiae Praefecto, quam die 28. Maii ejusdem anni apud Signaturae Tribunal. Non igitur ei reficiendae sunt expensae, quas subiit apud utrumque Tribunal, nec jura sibi restitui postulat eas, quas Massariis refundere debuit ex Rescripto Signaturae, cujus Decreta apud Judices appellationis examini subiici non possent, siculi statuit Rota *Dec.* 893. *num.* 5. *coram Ansaldo Decis.* 58. *numer.* 6. *coram Olivatio* . *et in Romana Residui legitimæ* 22. *Aprilis* 1771. §. 5. *coram de Veri.*

9 Sit itaque conclusio. Expensarum taxationem quarum refectionem Boldrinia postulat, jure a Massariis excessus arguit indubium est. Ut hae vero ad justam redigantur mensuram, expungendae a prolato elencho sunt expensae, quae ad judicium spectant apud Signaturae Tribunal actum: sunt vero probandae aliae omnes ad judicium respicientes coram Nostro Sacro Ordine instauratum, ac expletum, quaeve respondent expensis juxta Gallicum, sive Italum, Praxeos Codicem reficiendis, et Perito, a me seligendo, munus dandum est, tam illas expungendi, quam hosce taxandi, habendo prae oculis, quoad earum particularem aestimationem » *il Regolamento Generale su le tasse dei Giudizj* » adnexum Motui proprio super legibus Praxeos diei 22. Novembris 1817. et quoad designationem illarum, quae æstimandæ sunt, mentem sequendo, spiritumque Itali, sive Gallici, Judiciarii Codicis, quo fere omnes litium expensæ inter judiciales recensebantur; ut constitui possit, quae ex actis, expensis, et honorariis, quæ secumtulit judicium coram S. Nostro Ordine absolutum, respondeant judicialibus juxta Italum Praxeos Codicem, atque ideo sint taxanda. Hæc autem est Dominorum mens, hic modus *Affirmativo* Responso, super excessu taxationis expensarum, adiiciendus.

Et ita, sex Suffragantibus Dominis, definitum fuit; Utraque etc.

FERRARIEN

EXEQUUTIONIS CONTRACTUS

Veneris 5 *Julii* 1822.

ARGUMENTUM

Si Mandatarius praetergressus sit fines mandati, non obligat mandantem. Ac praesertim si agatur de Transactione, quae respiciat emolumenta funeraria, de quibus haud licet transigere sine Beneplacito Apostolico. Quod suppleri nequit per Archiepiscopi approbationem, nam Ecclesiae jura non possunt in successorum detrimentum abdicari absque nutu S. Sedis.

SUMMARIUM

1. *Mandatarius non obligat mandantem, si fines mandati praetergressus sit.*
2. *Mandatum est quid facti, et ideo ejus existentia ab iis evincenda est, qui illud non defuisse asseverant.*
3. *Transactio, quae respicit funeraria emolumenta, ut valida sit, necessario requirit Apostolicum Beneplacitum.*
4. *Emolumenta funeraria, indolem ac naturam decimarum obtinent, proinde quaelibet de iis iniri transactio non potest absque Beneplacito Apostolico.*
5. *Ecclesiae jura in successorum detrimentum abdicari non possunt, ex nuda Archiepiscopi approbatione, sed nutu opus est S. Sedis.*
6. *Emolumenta funeraria, non debentur Parochis pro labore in cadaverum humatione, sed in correspectivitatem oneris, quod eis incumbit in administratione Sacramentorum.*
7. *In Romani Cleri Statuto*, Cap. VI. N. 91 *vetitum expresse est, quidquam accipere pro sepeliendo cadavere magis in una, quam in alia sepultura.*

   Emolumenta mere funeraria, solis Parochis competunt - ibidem. -
8. *Si defunctus extra suam Parochialem ecclesiam elegerit sibi sepulturam, Ecclesia tumulans quartam tantum portionem acquirit.*
9. *Nihil commune habent inter se Ecclesiae, et Caemeteria.*
10. *Si lis inter tres diversae Ecclesiae de emolumentis funerariis oriatur, emolumenta dividi debent inter funerantem, Parochialem Ecclesiam, et Ecclesiam sepelientem.*
11. *Caemeteriorum constructioni, conservationi, ac custodiae, sumptibus singulorum Municipiorum, non Parochorum occurrendum est.*

12. *Transactiones ipso jure irritae declarantur, in quibus remissum aliquid hinc inde non fuerit.*
13. *Nihil impensius voluit Sacrorum canonum disciplina, quam ut sua pro honesta exhibitione Parochis congrua non desit.*
14. *Nullum temporis spatium validam reddere potest conventionem, quae ab initio vitiosa, et irrita dignoscitur.*

DECISIO LXXVI.

Quæ prodiit in tota fere Italia Gallorum Lex, inter cæteras fortasse non improvida, qua ad sepulcrorum graveolentiam vitandam, viventibus maxime noxiam, singulis Municipiis indicta fuit Cæmeteriorum proprio sumptu constructio, eadem in Æmiliæ Provincia, ac Ferrariæ potissimum invaluit. Sed ægre ferentes Municipes Ferrarienses impensam, quam demandatum opus requirebat, ac publica rerum perturbatione interim abusi, Parochos coegerunt ad transigendum de funerariis emolumentis. Ferrariensium ideo Parochorum Collegium duos ex Parochis elegit Antonium Malvezzi, et Vincentium Bertelli, cui deinde Malvetius ipse Antonium Ughi, inconsulto Collegio, substituit, eisque commisit = *di conferire soltanto, non di conchiudere assolutamente convenzioni* = cum = *la Commissione Municipale del Cimiterio* = super re controversa; Attamen Malvetius, atque Ughius, prætergressi fines accepti mandati, anno 1812 Apocham obsignarunt ab ipso dein Archiepiscopo Ferrariæ, ob temporum difficultates, probatam, qua cautum præcipue fuerat = *che i Sigg. Parrochi rilasceranno a favore del Cimiterio la quarta parte della Cera d' accompagnamento esteriore.*

Servare hanc iniquam conventionem oportuit, usquedum legitimum, Gallis depulsis, restitutum fuit Pontificis Imperium. Tunc enim Gallicana de sepulcretis extruendis, Lege confirmata, peculiari Sanctione declaravit Pontifex ipse = *Che restino salvi gli emolumenti Parrocchiali, che sono O di stobilimento; o di legittima consuetudine, sui quali colla enunciata providenza, non s' intende, che sia fatta alcuna innovazione* =. Quamobrem Archiepiscopus Ferrariæ, non aliud continere animadvertens conventionem illam anni 1812, quam = *Un sagrificio voluto dalla imperiosità delle circostanze di quel tempo, e non mai dichiarato perpetuo* =; Ac insuper =; *Veduta l' instanza, che ci fanno i RR. Parrochi sproveduti di congruo per la ripristinazione dei medesimi diritti* =, Decreto suo diei 21 Julii 1817 emolumenta omnia funeraria, quæ per Apocham illam anni 1812 abdicaverant duo Parochi, Collegio Parochorum restituit, servavitque tantum Cæmeterio = *il dritto del fondo di Sepultura*, quod statutum Romani Cleri *Subterratorium* appellat. Cum autem Vicarius Ferrariensis consultissimum hoc Archiepiscopi Decretum exequutioni commiserit, hinc illico = *la Commissione Municipale del Cimiterio* =, expedita *speciali citatione*, controversiæ definitionem Sacro Nostro Ordini deferri curavit.

Quæsitum itaque fuit in Comitiis diei 5 Julii anni 1819 = *An sit servanda Conventio diei* 10 *Decembris anni* 1812, *seu potius Decretum Curiæ Episcopalis Ferrariæ in casu etc.*, ac vadimonium deserente Parochorum Collegio, prodiit *pro Informante responsum*, idest = *Affirmative ad primam partem*; *Negative ad Secundam* =, ut videre est ex Decisione, quam sub ea die bo. me. R.P.D. Zinanni in vulgus edidit. Sed novo examini subjecta, quæstione in Comitiis aliis diei 17 Martii anni 1820, et jura sua deducente Parochorum Collegio, cum proposita fuerit assueta Dubii formula = *An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu etc.* =, responderunt Patres Rescripto = *Recedendum a Decisis* =. Quod igitur confirmatum fuit ad diem 23 Februarii anni proxime elapsi, ut binæ demonstrant ab eodem bon. mem. Præsule Zinanni sub dictis diebus editæ Decisiones, quibus deinde successit rescriptum aliud = *Expediatur* =, et Sententia Rotalis. Provocavit ab ea tamen Commissio Cæmeterii Ferrariensis, ac commissa mihi Causa, cum definiendum exhibuissem Dubium = *An Sententia Rotalis sit confirmanda, vel infirmanda in casu etc.*, responsum retu-

li = *Sententiam Rotalem esse confirmandam* =.

1 Recte namque ea statuit Sententia Rotalis conventionem illam anni 1812 inter Parochos, et Commissionem Cæmeterii Ferrariæ stipulatam mole sua corruere, tam *ex formæ*, quam *ex substantiæ* defectu. Quod enim spectat ad *formæ* vitium, utique constat, nullo peculiari ad transigendum mandato munitos eos fuisse, qui conventionem inivere, quique tantum fuerant electi = *per sentire semplicemente le pretensioni di quel Magistrato* =. Non potuerunt ergo in eo Collegium Parochorum obligare, in quo fines mandati prætergressi sunt *ad Text. in Leg. stipulatio* 38 *ff. de verb. obligat. Leg. quo tutela* 74 § *Nec paciscendo ff. de Reg. Jur., Leg. Si unus* 27 § 4 *Leg. In persona* 30 § 1 *Leg. Quod dictum* 32 *ff. de pactis*. Constat imo Ughium non deputatum fuisse a Collegio, sed eum absque ullo Collegii consensu Malvetium substituisse Bertellio. Constat etiam eosdem Parochos vocatos = *ad intervenire ai Congressi* =, quos indixerant ii, qui præerant = *al nuovo Cemeterio Comunale* = haud potuisse jura Collegii deducere, et licet = *si opponessero a molti articoli, e segnatamente a quelli, che andavano a vulnerare i loro diritti, interessi, e Sinodali Statuti* = oportuisse tamen = *piegando all' imperiosità delle circostanze di quel tempo, e temendo qualche più disgustosa già minacciata superiore disposizione* =, propositam accepto habere conventionem, ut jurisjurandi religione interposita, nonnulli deponebant, ex ipsis Parochis Ferrariæ.

2 Nec minus credendum huic Parochorum testimonio, quod videantur in proprium commodum deponere, et inverisimile sit, ut anno 1512 conciliarentur = *le massime fra la Deputazione dei Signori Parrochi, e la Commissione del Cimiterio* = absque mandato totius Collegii Parochorum. Nam, si Commissio Cæmeterii singulos ex ea conventione obligatos Parochos contendit, mandatum afferat oportet a singulis ipsis Parochis subscriptum, cum præsertim eo tempore res acta, et contracta sit, quo maxime *ex art.* 1988 Codicis Civilis cautum erat, ut = *quando si tratti di alienare, ipotecare, e fare altri Atti di dominio, il mandato deve essere espresso* =: Nec facultas transigendi, quam habuisse Malvetium, et Bertellium obmussitat Commissio, transferri poterat in Ughium ex eadem censura Codicis Civilis *Art.* 1989. Et perperam Commissio ipsa Cæmeterii negativam hujusmodi Mandati probationem a Parochis exigebat. Mandatum enim quid facti est, et quid positivum, quod haud exhibet illa conventionis Apocha, cui inseri debuisset, et ideo ejus existentia ab iis ovincenda est, qui in ea conventione non defuisse asseverant, cum præsertim = *ei incumbat probatio, qui dicit, non qui negat* =, ut monet *Paulus in Leg. Et* 2 *ff. de probat.*, idemque jubet *Imp. in leg. Auctor* 23 *Cod. eod. tit.*, et expondit etiam tertia Causæ *decisio* § 3.

Pressius tamen urget formæ defectus. 3
Animadvsrsione siquidem dignissimum occurrit, controversam conventionis apocham anno 1812 scriptam fuisse cum *Laicis* ad obligandos etiam Parochorum *Successores*, ac respexisse funeraria emolumenta; quæ *Decimarum* locum obtinent. At vero hujusmodi erat hæc conventio, quæ necessario requirebat *Apostolicum Beneplacitum*, ut non minus *valida*, quam *obligatoria* esse posset. Nam quod impervius in ea publicarum rerum perturbatione ad Summum Pontificem, difficilis vero ad Apostolicum Delegatum aditus fuerit, nil aliud ex eo consequitur, quam quod nequiverit eodem tempore stipulatio celebrari, et Apostolicum obtineri Beneplacitum; numquam vero, quod absque Beneplacito Apostolico conventio ex rerum publicarum vitio valida debeat reputari, quæ posteriori Pontificis approbatione fuisset confirmanda, et quæ semper, ea non intercedente, irrita dicenda est *Gonzalez in Cap. Statuimus n.* 6 *de Transact.*, *Barbosa de Offic., et potest. Episc. part.* 3 *allegat.* 121 *n.* 17 *Card. Petr. ad Constit. Apostolic. tom.* 2 *ad Constit.* 6 *Honorii III. n.* 100, *Rot. in Recent. decis.* 270 *num.* 5 *part.* 4 *tom.* 2, *decis.* 582 *num.* 1 *part.* 18 *tom.* 2, *coram Emerix*

decis. 1028 *num.* 1 *cor. Coccino decis.* 340 *n.* 1, *et Decis.* 303 *num.* 6 *coram Olivatio.*

4 Ambigendum profecto non erat, emolumenta funeraria indolem, ac naturam *decimarum* obtinere. Postquam enim desierunt decimæ personales, decimæque reales Monasteriis, et Capitulis devolutæ sunt, necessarium quodammodo fuit, consuetudines offerendi pro defunctis, quæ ab initio pendebant ab arbitrio, et voluntate Fidelium, sensim in necessitatem convertere, atque Parochorum, et Ecclesiarum Parochialium indemnitati consulere, ut firmat pluribus adductis *tertia* Causæ *decis.* §. 4. At, si voluntariæ oblationes in necessarias conversæ loco Decimarum successerunt, multo fortius concludendum est Apostolicum Beneplacitum in ea conventione oportuisse, in qua de funerariis emolumentis actum fuit, cum quælibet de his ineunda conventio eodem indigebat Beneplacito *ad Text. in Cap. Veniens* 8 *de Transact. Gratian. Cap.* 674 *n.* 3. 4 *Card. de Luc. de Paroch. decis.* 26 *n.* 4 *Card. Petr. ad Constit. Apost. tom.* 1 *ad Constit.* 4 *pag.* 11 *num.* 13, *Rot. decis.* 270 *num.* 5 *part.* 4 *tom.* 1, *et decis.* 13 *num.* 4 *cor. Dunoz. Sen., et cit. decis.* 303 *num* 9 *cor. Olivatio.*

5 Quin obsit, Beneplaciti Apostolici defectum suppleri potuisse ex consensu Archiepiscopi Ferrariensis, qui conventionem ipsam, de qua quæritur, propria auctoritate probavit. Semelae profecto remissio illa de funerariis emolumentis a Parochis facta summopere lædit jura successorum, nec quidquam utilitatis ex ea in Parochos derivat, sed potius alienationem rei sapit; hinc minime valida reputatur ex nuda Archiepiscopi approbatione, sed nutu indiget S. Sedis quo sine, non rite abdicantur Ecclesiæ jura in successorum, detrimentum. *Gonzalez in dict. Cap. Statuimus num.* 9 *de Transact. Barbos. de Jure Ecclesiæ lib.* 1 *Cap.* 26 § 4 *n.* 25, *Card. Petra ad Constit. Apost, tom.* 1 *Constit.* 1 *Paschalis II. num.* 15, *et tom.* 2 *Constit.* 6 *Honorii III. n.* 105, *Rot. in Rec. decis.* 270 *n.* 5 *part.* 4 *tom.* 1, *decis.* 582 *n.* 1 *part.* 18, *et decis.* 1028 *num.* 1, *et* 2 *coram Emerix.* Consistere itaque nequit ex *formæ* defectu conventio de funerariis emolumentis. Sed multo minus viribus stare suis potest ex potiori defectu *substantiæ.* Et sane luculenta magis apparent intrinseca vitia, si primum animadvertatur cum *quo*, et *de quibus* contraxerint ipsi Parochi Ferrarienses. Nam conventio hæc, non inter Parochos, et Ecclesiam tumulantem intercessit, sed inter Parochos, et = *la Commissione del publico Cimiterio* =. Parochi itaque contraxerunt, cum homine *laico*, qui sepulturis, vel extructis, vel extruendis præerat.

Cæmeterium siquidem nihil aliud est, 6
quam locus humandis Fidelium exuviis destinatus, ac ipse proprie sepultura juxta Græcam vocem, quæ dormitorium significat, quasi Fidelium corpora jaceant in locum dormitionis, unde, Christo adveniente, excitentur. *Macri Hidrolexicon vocab. Cæmeterium, Batonius in Not. ad Martyrolog. Roman. dict.* 3 *Devot. Instit. Canon. tom.* 2 *tit.* 9 *de Sepulturis in princip.* Quod si Cæmeterium nihil aliud est, quam *Sepultura*, si emolumenta funeraria, quæ ab oblationibus Fidelium pro mortuis derivant, non debentur Parochis pro labore in cadaverum humatione, sed imo in correspectivitatem oneris, quod eis jugiter incumbit præcipuam habendi curam de ovibus suis, præsertim in administratione Sacramentorum; jam planum est, vitiosam, nulliusque roboris esse conventionem illam, ex qua Parochi partem istorum emolumentorum abdicarunt, ac Cæmeterio cesserunt, ad quod spectare omnino non possunt, *ad Text. in Cap.* 1. 4, *et* 10 *de Sepultur. Clement. Dudum § Verum eod. tit. Petr. de Ubaldis in Tract. de Canon. Paroch. Cap.* 2 *per tot.*, *Barbos. de Parochis Cap.* 25 *num.* 19, *Amostaz de Causis Piis lib.* 6 *Cap,* 3 *num.* 39, *Rot. in decis.* 294 *cor. Mantica, decis.* 101 *num.* 1 *cor. Cavaler.*, *Decis.* 19 *num.* 2, *et decis.* 480, *num.* 5 *cor. Merlino, et decis.* 621 *n.* 31 *cor. Molines.*

Non aliud ergo jus vindicare sibi po- 7
terunt, qui Administratorum Cæmeterii partes protuentur, quam = *il dritto del*

fondo di Sepoltura =, quod nostra ætate inoluit, et *subterratorium* a Parochis nuncupatur, nec illud Cæmeterio invident Parochi Ferrarienses. Cum enim custodia sepulcrorum sumptus aliquos requirat, hinc merito in Romani Cleri Statuto, dum *Cap. VI.* §§ 9, *et seq.* vetitum expresse *est*, *quidquam accipi pro sepeliendo cadavere magis in una, quam in alia sepultura, seu loco religioso*, illud cautum reperitur, ut Fideles *teneantur solvere solitum subterratorium, seu jus sepulturæ toties, quoties ibidem cadavera humari contigerit* =. Hoc ipsum jussit Decreto suo Archiepiscopus Ferrariæ, edixitque = *che dovendo esser tumulati tutti i defonti per disposizione del Superiore Governo nel Cemeterio Comunale, e cessato nei Parrochi il diritto del fondo di sepultura, ed è passato nell' Amministrazione del Cemeterio stesso* =. At quantum juste sibi addicunt Administratores Cæmeterii Ferrariensis *Subterratorium* istud pro efferendis, humandisque Fidelium cadaveribus, tantum inique corraderent partem aliquam de emolumentis funerariis, quæ Parochis omnino competunt. Æquum est quippe, ut pro congrua, ac decenti substentatione istud etiam funerum compendium Parochis obveniat, qui cæteroquin populum prædicatione instruunt, divina celebrant officia, curam gerunt animarum, nocte, dieque Sacramenta ministrant, et preces pro eodem populo fundunt.

8 Nec refert, Ferrariensi Cæmeterio adjacere Ecclesiam Divo Christophoro sacram; neque ex eo quod plura de hac Ecclesia, ejusque Cappellano præscripserit Archiepiscopus ipse Ferrariæ, ideo habenda est pro Ecclesia *tumulante*, adeout Conventio anni 1812, ex eo valida sit, quod liceat Ecclesiis *Parochialibus*, ac Ecclesiis *tumulantibus*, funeraria emolumenta dividere. Utique, si defunctus extra suam Parochialem Ecclesiam elegerit, quovis ante supremam horam actu, sibi sepulturam, aliqua oblationum pars cedit Ecclesiæ tumulanti, quæ cum pro locorum consuetudine major, vel minor esse soleat, semper tamen præcipua emolumentorum pars Parochiali Ecclesiæ relinquitur, et plerumque quartam tantum portionem acquirit Ecclesia tumulans *ad Text. in Cap.* 1. 8 *et* 9 *de sepult.*, *Selvag. Instit. Canon. lib.* 2 *tit.* 13 *de Sepulturis* § 12, *Rot. in Rec. decis.* 552 *num.* 29 *part.* 5 *tom.* 2, *decis.* 75 *n.* 5 *cor. Falconer. de Miscellan. cor. Molines decis.* 990 *n.* 12, *et decis.* 69 *n.* 3 *cor. Rovarella.* Sed non ideo tamquam Ecclesia reputandum est Cæmeterium Ferrariense, quia adjaceat Ecclesiæ S. Christophori, nec vicinitas immutat naturam Cæmeterii *Cap. unic. de consecrat. Eccles. in* 6 *Reclus. de re Paroch. part.* 2 *tit.* 3 § 56, alias enim oporteret, tamquam Ecclesias habere Ecclesiarum turres sacras, ædes contiguas, Sacraria, quod nemo certe dixerit.

Accedit tamen, Cæmeterium Ferrariense extra Ecclesiam esse, ac constuctum fuisse in Ecclesia Patrum Carthusianorum, testibus literis in forma Brevis Pontificis, quo sospite lætamur, PII VII. = *Monasterii major pars destructa in amplum Cæmeterium conversa fuit* =. Accedit etiam, quod eamdem Ecclesiam non Cæmeterio concessit Summus Pontifex, sed imo Sodalitio *della morte*, ut in ea piis institutis sodales illi vacarent, eidemque præficerent Cappellanum = *sine tamen præjudicio jurium Parochialium* =. Nihil ergo commune habent inter se Ecclesia, et Cæmeterium, cum potissimum defunctorum cadavera non inferantur in sepulturas Ecclesiæ S. Christophori, sed in Cæmeterium, quod extra Ecclesiam est, licet Ecclesiæ contiguum. Nam si in præfata Ecclesia consuetæ fiunt cæremoniæ ad expiandas defunctorum animas, id profluit ex peculiari Archiepiscopi Ferrariensis Decreto, quo declaravit = *che detto tempio di S. Cristoforo denominato volgarmente della Certosa, è Chiesa comune a' RR, Parrochi di questa Città per rapporto all'esercizio di tutte le loro funzioni Parrocchiali sopra i Cadaveri dei respettivi Parrocchiani, fino alla dimissione di essi per la tumulazione, e che spettano a loro tutti gli emolumenti fissati dall'Antecessore Eminentissimo Cardinale, e dalla consuetudine* =. 9

Deterior tamen non evaderet Parochorum Ferrariensium conditio, etiamsi 10

concederetur, Ecclesiam Divo Christophoro sacram ad Cæmeterium pertinere, ac in ejusdem Ecclesiæ sepulturis Fidelium bumari cadavera. Accidit quandoque, ut Ecclesia, in qua parentalia solvuntur, diversa sit, tam ab Ecclesia *Parochiali*, quam ab Ecclesia *sepeliente*, sive *tumulante*. Hoc itaque in casu, si lis inter tres diversas istas Ecclesias de emolumentis funerariis oriatur, compertum jus est, ut emolumenta omnia dividi debeant inter *funerantem*, ut dicunt, et *Parochialem* Ecclesiam, et nihil aliud præter *subterratorium* tribuatur Ecclesiæ *sepelienti*, quemadmodum ad tramites Statuti Romani Cleri *Cap.* 4. *tit. de Canon. part.* §. 4. 5. et 7. definivit Sacrum nostrum Tribunal *cor. Caprara decis.* 76. *num.* 5., *et decis.* 621., *num.* 47. *cor. Molines.* Verumtamen Ecclesia S. Christophori non indigent Parochi, quia non solum ex juris Ecclesiastici Sanctione exequiæ celebrari debent in Ecclesia Parochiali, veluti ex Clementina *Dudum de Sepultur.* monent *Pichler. lib.* 3. *tit.* 28. *de Sepultur. num.* 3., *Vanespen. part.* 2. *sect.* 4. *tit.* 7. *de Sepultur. num.* 13., sed etiam quia idipsum confirmavit Pontificia lex die 31. Maii anni 1817. de Cæmeteriis extruendis lata, ut *tertia* arguit Causæ *Decis.* §. 8.

11 Contraria denique Patribus visa fuit inita conventio tum antiquis Sacrorum Canonum Legibus, tum neotericis Gallorum, ac Summi Pontificis Sanctionibus. Vetitum olim erat ex jure *duodecim tabularum* intra Urbes defunctorum cadavera tumulare. Legem hanc renovavit edicto suo *Adriano Imp.*, ut monet *Ulpianus in leg.* 3., *et* 5. *ff. de Sepulcro violato*, et renovarunt rursus *Imp. Diocletianus et Maximianus in leg.* 12. *Cod. de religios., et sumpt. funer.* Et licet sensim harum legum vis exoleverit, adeout quindecim jam ab hinc sæculis in Ecclesiis humentur corpora Fidelium, = *quasi apud memorias Martyrum, ut Sanctorum ossibus nostra corpora sociemus* =, ut inquit *S. Maximus Taurinensis Homil.* 81. *col.* 261. *edit. Romæ* 1784., semper tamen fuere Cæmeteria, et peculiares de his invaluere Sanctiones. Hinc cautum in jure Canonico, ut Cæmeteriorum constructioni, ampliationi, reparationi, conservationi, custodiæ, sumptibus singulorum Municipiorum, non Parochorum occurrendum sit *Ferrar. Bibliothec. Jur. Art. Sepult. num.* 207., *Sperell. Decis.* 68. *num.* 8. *Panimoll. decis.* 6. *annot.* 8. *num.* 31., *Crispin. de Visit. part.* 2. §. 13. *n.* 9. *Bass. Tract. de Sodalitat. quæst.* 3. *n.* 15.

Canonicis cohærent, tum Gallicæ, tum 12
novissimæ Leges Summi Pontificis. Dum enim anno 1806. demandarunt Galli Cæmeteriorum constructionem, præscriptum præcipue fuit = *che la Municipalità ne destinerà il luogo, ed in caso d'inadempimento per parte della Municipalità, la Commissione Dipartimentale provederà a spese del Comune* = Idem jussit Pontifex Optimus Maximus, dum lata Lege anno 1817. voluit, ut Cæmeteria extruerentur = *a spese delle rispettive Comuni* =. Quare, si onus extruendorum Cæmeteriorum, sumptusque pro eorum conservatione, et custodia ad singula spectant Municipia, nulla suberat ratio, ex qua Parochi Ferrarienses cedero deberent Cæmeterio = *la quarta parte della cera di accompagnamento esteriore* =, cum præsertim dum Cæmeterium Parochis remittebat = *la quarta parte della cera, che sarà esposta a consumo nella propria Chiesa* =, nil reapse cedebat, quia hæc integra spectabat ad Parochos. Nam, si nihil erat, quod in causam Cæmeterii impenderc, et contribuere Parochi tenerentur, nihil erat etiam a Parochis Cæmeterio condonandum. Corruit ergo ea conventio, in qua omnia abdicarunt Parochi, nihilque de jure suo, quod nullum erat, remisit Cæmeterium, et in qua emolumenta sua cessit Parochorum Collegium, nihilque cessit Cæmeterium.

Explorati siquidem juris est, transa- 13
ctiones ipso jure irritas declarari, in quibus remissum aliquid hinc inde non fuerat *ad Text. in Leg. Transactio* 28. *Cod. de Transact. Leg.* 5. *ff. eodem tit. Urceol. de Transact. quæst.* 2. *num.* 21. *Rot. cor. Rojas decis.* 187. *num.* 7., *cor. Cerro decis.* 164. *num.* 9., *in Rec. decis.* 196. *num.* 13. *part.* 18. *cor. Ansaldo, decis.* 178. *num.* 9., *et decis.* 303. *num.* 14. *cor. Eod.* Tanto autem magis injusta, et iniqua reputanda est ea con-

ventio de funerariis emolumentis, quo magis ipsa lædit jura Parochialia, exindeque = *i RR. Parrochi ranno a restar privi di quella congrua indispensabile ad un sufficiente loro mantenimento* =, ut in Decreto suo advertit Archiepiscopus Ferrariensis. At e converso nihil impensius voluit Sacrorum Canonum disciplina, quam ut sua pro honesta exhibitione Parochis congrua non desit, juxta Sanctionem *Cap. de Monachis* 12., *Cap. Cum secundum Apostolum* 16., *Cap. Extirpandæ* 30. *de Præbendis*, quam jugiter confirmarunt, tum *Concilium Tridentinum Sess.* 21. *cap.* 4. *de reformat.*, *tum Constitutio S. PII V.*, quæ incipit = *Ad exequendum*, tum denique *Benedictus XIII.* in celebri Constitutione = *Romanus Pontifex*, ubi consuetudines, privilegia, et indulta, ex quibus Parochorum congrua diminuitur, maximopere detestatus fuit.

14 Erat vero levissimum, vel ad quinquennii observantiam confugere; vel testes in medium proferre, ut probaretur ante construetum Cæmeterium expurgationem Sepulcrorum expletam semper fuisse sumptibus Parochorum. Primum enim, quod spectat ad observantiam animadvertendum est, nullum temporis spatium validam reddere posso conventionem, quæ ab initio vitiosa, et irrita dignoscitur *ad Text. in leg. Quod ab initio* 30. *de Reg. Jur.* Tamdiu vero duravit observantia conventionis, quamdiu viguit ea vis, et coactio, quæ conventioni eausam præbuit. Ad testes deinde, quod attinet, eorum certe depositiones prodesse potius, quam nocere Parochis visum est. Nam, si ante constructum Cæmeterium impendere Parochi debebant in sepulcrorum expurgationem, ac pro his sumptibus *subterratorium* exigebant, ex hoc ipso, quod modo *subterratorium* ex Archiepiscopi Decreto non amplius a Parochis acquiritur, sed in Cæmeterium una cum Cadaverum bumatione transivit, satis manet Cæmeterii ejusque Administratorum indemitati consultum, quin ullam sibi valeant de funerariis emolumentis, ad Parochos unice pertinentibus, partem addicere.

Et ita, relatione habita ad præcedentes Decisiones, resolutum fuit, Utraque etc.

MONTIS ALTI SEU FIRMANA DOTIS

SUPER FRUCTIBUS

Lunae 21 *Januarii* 1822.

ARGUMENTUM

Fructus in dote quantitativa debentur, etiam post obitum Uxoris, si pactum expressum accesserit. Ac eo magis in casu, ubi dos succedat loco legitimae. Et succedere in locum legitimae dicitur, si faeminarum exclusio a successione non sit absoluta, sed doti famulativa. Vid.. DECIS. XXXIX.

SUMMARIUM

1. *Fructus in dote quantitativa, quidquid sit quando debentur ex jure post obitum Uxoris, certum tamen est quod debentur si pactum expressum accesserit.*
2. *Nil magis confert ad interpretationem contractuum, quam subsequuta eorum observantia.*
3. *Ex jure canonico neutiquam prohibitum est marito fructus ex dotali pignore percipere, donec dos integra non solvatur.*
4. *Quaelibet interpretatio pro usurarum exclusione capienda est. - ibidem. -*
5. *Quando dos vice fungitur legitimae, debentur fructus etiam soluto matrimonio.*
6. *Quoties faeminarum exclusio absoluta non sit, sed sit doti famulativa, et sub hujus tradendae conditione praescripta, dos in locum legitimae subrogata semper censetur.*
7. *Singula Statuta determinant casus, quibus faeminarum exclusio alligata sit dotis constitutioni, ita ut dos vices teneat legitimae.*
8. *Eandem naturam induere dotem, quam induit ejusdem dotis additamentum, explorati juris est.*
9. *Ubi faeminae exclusae sint propter agnationem, praesumptio oritur, dotem vices legitima fungi.*
10. *- Ibi. -*
11. *Ex juris communis dispositione dos succedit semper loco legitimae. ac in qualibet dubia favendum est mulieribus.*
12. *Decisiones, quae vel institutam quaestionem minime dirimunt, vel eam perfunctorie pertractant, nullam habent auctoritatem.*

DECISIO LXXVII.

Nupsit, non egregiæ formæ fæmina, Francisca Tentoni, in Oppido Montis Georgii, *anno* 1798. Pascali Giovannini, eique nuptialibus in tabulis dos con-

stituta tam a patre, quam a fratribus fuit in argenteis nummis *septigentis*, quos tamen, ut prospicerent Familiæ decori, ad mille nummos argenteos in eisdem tabulis per si mulationem extulerunt. Quadriennio sese soluturos spoponderunt debitores conventam dotem, adjecta interim obligatione = *di pagare allo sposo i frutti compensativi alla ragione di scudi quattro, e mezzo per cento*, additaque rursus pactione, qua = *non isborsando l' accennata somma entro il termine prefisso* = teneri voluerunt = *a pagare i detti frutti fino al totale sborso di detta somma* = Sed adeo abusi fuerunt Tentonii patientia creditoris, ut elapso quatuor annorum spatio, nihil numeraverint in capitis causam, neque prompti sese exhibuerint statis temporibus fructuum solutioni. Immature periit interea anno 1805. Francisca tribus ei superstitibus filiis *Raphaele*, *Maria Anna*, *ac Theresia* in pupillari ætate.

Tunc impensius urgere cepit Giovanninius satisfactionem dotis, quod jam quatuor effluxerant anni ab illius promissa solutione, et sua etiam intererat pecuniam exigere. At, cum ea esset debitorum conditio, ut hanc solutionem explere nequirent, rem ita cum creditore composuere. Alter nempe ex fratribus Tentoniis, Canonicus Joannes Baptista, fratrum suorum nomine etiam adhibito, privatæ anno 1857. syngraphæ subscripsit, in qua fructuum in posterum præstandorum augmentum ad *septuncem* fere mensuram, ad annua nimirum scutata *quadraginta sex* pro capite scut 700. probavit. Attamen, cum debitores fructuum evasissent Tentonii, neque solvendi modus adesset; hinc eodem *anno* 1807. per epistolas cum Giovanninio egerunt de sumenda sub fænore pecunia in summa scutorum circiter centum, Collybo convento, quam pro Tentoniis inivisse, et pecuniam ex eo haustam in satisfactionem prædictorum fructuum dotalium sibi addixisse, Giovanninius asseruit. Deinceps vero Tentonii, ut fructuum, qui postmodum cesserunt, solutionem distinerent, plures in medium afferre quæstiones cogitarunt.

Proposuerunt enim primo reductioni obnoxium esse dotale caput, utpote quod constitutum eo tempore fuerat, quo vilior in commercio moneta reperiebatur. Sic ejusdem dotis ab ea die fructus cessasse dicebant, qua eorum soror Francisca mortem obiit, itidemque indebite auctos eosdem fructus fuisse per apocham anni 1807; ac demum veluti irritum, ac nullum Collybum dicebant, quem pro Tentoniis ad dotales fructus assequendos contraxisse Giovanninius asseruerat. De hisce omnibus controversiis compromissum partes iniverunt, ac auctorante Decreto R. P. D. Auditores Sanctissimi, ad Sacrum Nostrum Tribunal delata multiplicis controversiæ definitione, quatuor idcirco, pro numero quæstionum, concinnata Dubia fuerunt, quorum primum *de reductione capitis* dotis, atque alterum *super fructibus* hac formula conceptum„ *An sit locus solutioni fructuum dotis post obitum Franciscae, seu potius fructus persoluti sint in sortem imputandi in casu ec.* Propositis hisce Dubiis in Comitiis diei 28. Februarii anni 1820. utrumque diremptum fuit juxta vota Giovanninii, ut videre est in Decisionibus *Montis Alti, seu Firmana Dotis super reductione coram R. P. D. Odescalchi*, eximio nunc SSmi Auditore, *et Eadem Montis Alti super Fructibus coram Eodem*, in qua superius relato quoad fructus Dubio responsum est = *Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.* =

1 Eamdem deinde sortem, vadimonio a Tentoniis deserto, expertus fuit die 12. insequentis Maii Giovanninius quoad alia duo Dubia, quæ tam ad *fructuum augmentum* quam ad *Cambii validitatem* spectabant. Sublata postea quæstione de *reductione* dotis per renunciationem liti a Tentoniis emissam, integræ manserunt quæstiones aliæ, cum interim ego suffectus superius landato R. P. D. Odescalchi, primum in Rotali Conventu *diei* 15. *Junii* 1820. Patres interrogavi de ulteriori Sententia *super fructibus* sub assueta Dubii formula = *An sit standum, vel recedendum a decisis* = et tunc indulta Tentoniis comperendinatio fuit. Juvit quidem eos instaurasse

certamen in Comitiis *diei* 21. *Januarii* 1821. in quibus proposito Dubio = *An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu etc.* = responsum Patres dederunt *Recedendum a Decis.* At renovata deinde disceptatione *die* 21. *Januarii proxime elapsi*, illustratis factorum circumstantiis, ac magis declarata Statutaria Montis Georgei Sanctione, cum Patribus definiendum exhibuissem Dubium = *An sit standum in primo, vel secundo loco decisis* = votis consonum Giovanninius responsum audivit. *In primo loco decisis.*

2 Licet enim in superioris actionis Decisione denegatæ fuerint Giovanninio *quantitativæ* dotis accessiones, quia, dissoluto matrimonii vinculo, per obitum uxori, recepta est jurisprudentia, quam semper, spreta pugna Doctorum, veluti tutiorem, et magis communem Noster S. Ordo probavit, ut cessent etiam dotis fructus, nisi legitima præcesserit *Requisitorum Castrensium* interpellatio, veluti statuit prædicta mea *Decisio* § 5. hodie tamen visum fuit Patribus, seposita juris dispositione, Giovanninii jus ad dotales fructus condicendos *a pacto prorsus oriri.* Pacto siquidem convenit, quod = *Siccome il Matrimonio porta seco il peso del mantenimento della futura Sposa, e della sopravenienza della prole* = ita Tentoniis dotem sorori constituerent in scutis *septingentis* intra quadriennium solvendis, adjecta interim obligatione = di *pagare allo Sposo i frutti compensativi alla ragione di sc. quattro, e mezzo per cento e non isborsando l' accennata somma entro il prefisso termine si obligano pagare i frutti fino al totale sborso della Dote.* = At vero Francisca tres enixa est filios, qui adhuc supersunt, neque dos unquam Tentonii numerarunt. Fructus igitur, quidquid *de jure* sit, Giovanninio addicendi sunt *ex pacto*, quamvis in fata concessit Francisca = *fino al totale sborso di detta dote.* =

3 Neque utiliter Tentonii veluti minus legitimam, et forte etiam usurariam traducebant pactionem de fructibus persolvendi post obitum uxoris, allatis in id Doctorum auctoritatibus, et Rebus a Sacro Nostro Ordine judicatis. Etenim Decisiones, quas allegant, et in quibus pactum de fructibus Dotis, etiam soluto Matrimonio, persolvendis fuit interpositum, contemplationem præseferunt onerum Matrimonii quoad uxorem tantum, ejusque alimoniam, et exhibitionem, quæ, ea mortua, cessant statim, cessatque titulus gignendarum ex *quantitativa* dote usurarum. At numquam in illarum Decisionum themate ratio habita fuerat « *della sopravenienza della prole* » quam potissimum præ oculis habuerunt tum Giovanninius, tum quoque Tentonii, dum eorum sororem nuptui collocarunt. Et licet eam regulam impugnet *Leotardus de usuris quæst.* 30 *num.* 20 *et sequen.*, exploratum tamen erat Patribus quod, uxore defuncta, si filii supersint, ii quidem non dicuntur onera Matrimonii, sed naturæ, quamquam originem a matrimonio ducant; adeo ut eorum alendorum obligatio *primario* ad Patrem, ac paternos adscendentes pertineat, nec spectet ad Matrem, nisi *secundario*, ac in *subsidium*, ceu firmat superior mea *Dec.* § 6.

Sed hujusce regulæ consequens haud 4
esse poterat ut minus legitima diceretur prædictorum fructuum conventa præstatio. Quemadmodum namque statutum recte est *in leg. Si Pater* 12 *ff de pact. dotal.*, quam sequitur, ac interpretatur *Mantica de tacit., et ambig. tom.* 1 *lib.* 12 *tit.* 32 *num.* 1 *et seqen.* ut in his nuptialibus contractibus *alia* sint pacta, quæ *ad jus* pertinent, in quibus non licet contrahentibus aliter pacisci, quam in jure cavetur, *alia* vero, quæ ad *voluntatem* pertinent, in quibus haud vetitum est contrahentibus a juris dispositione resilire; ideo nulla suberat ratio, cur etiamsi prolis ex conjugio nasciturae sustentatio spectet ad Patrem, improbanda pactio videretur, ex qua conventi fructus « *fino al totale sborso della dote* » non onera tantum exhibitionis uxoris, sed liberorum etiam suscipiendorum respiciant. Eoque magis id erat retinendum, cum non loquacitati Tabellionis, sed expressæ contrahentium voluntati tribuenda sit eadem pactio de fructibus solvendis in uxoris, filiorumque alimenta,

ceu factorum veritate illustrata, comprobabat in præsenti actione Giovanninius, eamdemque pactionem, clausulis conceptissimis « *per patto espresso e non altrimenti* » munitam contrahentes ipsi voluerint, quæ, suapte vi deliberatam contrahentium explicant voluntatem non aliter contrahendi, quam sub adjectis legibus neque ullam recipiunt diversam interpretationem, aut modum *ad Text. in leg. Siquidem Cod. de except. Bertazzol. tract. de clausul., claus. = Et non aliter* 14 *gloss.* 6 *num.* 1, *Rot. in Rec. decis.* 16 *num.* 2 *part.* 2 *decis.* 65 *numer.* 4 *part.* 11, *et in Perusina, seu Nucerina Immissionis* 31 *Januarii* 1791 § 7 *cor. cl. me. Malvasia.*

5 Quod si vero Tentonii ad fructus ex dote *quantitativa* pendendos tenebantur, etiam soluto per Franciscæ obitum cum liberis Matrimonio, usque « *al totale sborso della dote* », non id quidem inæqualitatem inter partes secumferebat. Respondebat enim formæ invenustæ mulieris, ac dotis exiguitati, quæ nec juxta Patrimonii dotantium vires, neque juxta gradum, et conditionem conjugum fuit constituta, ac congruebat quoque collatio in Tentonios arbitrio dotis solutionem distinendi post etiam elapsas quatuor annorum inducias. Congruebat rursus pacto in tabulis appositio, ex quo hæreditatis viri in usufructu compendium, præobeunte Giovanninio, Francisca sentiebat, donec in humanis versaretur. Præterea quod expressim convenit in tabulis, idipsum contrahentes confirmasse, subsequens ostendit jugis observantia, ac Tentoniorum factum, qui nedum, quamdiu vixit soror, sed, ea etiam defuncta, dotis illius accessiones bona fide pensitarunt, et, si quandoque in solutione defecerunt, solliciti semper fuerunt de obligatione in posterum implenda vel dilatione assequenda. Nam nihil magis confert ad interpretationem contractuum, voluntatisque contrahentium, quam subsequuta eorum observantia, quæ in quacumque materia plurimum attendenda est *ad Text. in Cap. Cum dilectus de consuetud. Mantic. de tacit, et ambiguis lib.* 2 *tit.* 1 *num.* 5, *Roc. disput. Jur. select. cap.* 171 *num.* 8. *Rot. in Rec. decis.* 185 *num.* 11 *part.* 19, *cor. Celso decis.* 263 *n.* 5 *cor. Ratto decis.* 239. *num.* 53, *coram Herzan. decis.* 204 *n.* 6, *et in Tudertina Nullitatis Transactionis* 4 *Julii* 1794. § 8. *coram cl. mem. Guardoqui.*

Cæterum eo pronius constituendum 6
erat, potuisse contrahentes dotis fructus pacisci etiam soluto matrimonio, qui cederent in filiorum sustentationem, cum, jure Canonico inspecto neutiquam prohibitum sit marito fructus ex dotali pignore percipere, donec dos integre solvatur prout statuit *Pontifex in Cap. Salubriter* 16 *Extr. de Usuris, quam sequuntur Surd. de Aliment. tit.* 1 *quaest.* 42 *num.* 23 *Card. de Luc. de Dote disc.* 148 *num.* 18., *et disc.* 161 *num.* 10. *Boss. de dote cap.* 20 *num.* 50., *et Panimoll. decis.* 3 *adnot.* 3 *n.* 1. Præterea quanto gravius est usurarum crimen, et legibus invisum, tanto minus licet ignominiosam illam notam impingere viro ingenuo, et optimis moribus imbnto, adeo ut benigna quælibet interpretatio pro nsurarum exclusione capienda sit. *Leotard. de Usuris quæst.* 93 *num.* 2 *Rot. decis.* 94 *n.* 7., *et* 9 *part.* 15 *decis.* 54 *num.* 9 *part.* 17., *decis.* 59 *num.* 5 *part.* 19 *Rec., cor. Ansaldo decis.* 463 *num.* 3 *in Eugubina Cambiorum super reservatis* 21 *Aprilis* 1755 § 5 *cor. Elephantutio, et in Senogallien. Contractuum* 26 *Junii* 1815 § 3 *cor. bo. me. Tassoni.*

Omne vero penitus quoad debitam 7
dotalium fructuum præstationem, etiam post Franciscæ obitum, dubium exulare Patres censuerunt ex eo quod dos succedit *loco legitimæ* ex Municipali Oppidi Montis Georgii Sanctiono, et quod effectus nuptialis contractus, inter Tentonios, st Giovanninium eo in Oppido initi, anno 1798., juxta Legem illam Municipalem metiendi sint. Quando enim dos vice fungitur Legitimæ, debentur fructus, etiam soluto matrimonio, eodem ferme jure, quo fructus parit, et frugifera est ipsa legitima. *Merlin. de legitima lib.* 2 *tit.* 1. *quæst.* 1 *num.* 7., *Zaul. ad Statut. Faventiæ rubr.* 28 *num.* 13., *Constantin. ad Stat. Urb.*

annot. 35 *num.* 92., *Rot. in Rec. decis.* 110 *num.* 14 *part.* 8, *decis.* 156 *part.* 15 *num.* 18 *cor. Falconer. tit. de dote decis.* 8 *num.* 11., *cor. Olivatio decis.* 47 *num.* 2., *in Romana fructuum dotis* 2 *Decembris* 1712 §. *Quandoquidem cor. Aldovrando, in Viterbien., seu Tuscanea. Immissionis quoad dotem super fructibus* 19 *Januarii* 1748 § 5 *cor. De Vais, in Ferrarien. Dotis, et fructuum* 22 *Martii* 1765 § 5 *cor. Riminaldo, et in Sabinen. Pecuniaria* 4 *Maii* 1804 § 6 *coram Resta:* Facile autem erat ostendere, dotem ex Municipali Lege Oppidi Montis Georgii vicem fungi legitimæ. Nam licet, ad conciliandas dissidentium Jurisconsultorum hac de re controversias, jamdudum in Foro obtinuerit Castrensis sententia *in leg. Titio centum* 70 §. *Titio Genero num.* 8 *ff. de condit, et de demonstrat*; plura tamen in causa sunt, cur ab ea vulgata theorica recedendum sit, quemadmodum etiam sæpissime Sacer Ordo recessit.

8 Statuitur porro in ea doctrina *Castrensis*, ut tunc dos in locum legitimæ succedat, si Municipalis Lex primum de dotibus agat, mox de fæminarum exclusione; non item, si primo loco fæminas excludat, dein dotes jubeat præstari. Et tale esse Statutum Montis Georgii ex eo eruebatur, quod prius de fæminarum exclusione, deinde de earum dotibus fecerit mentionem. At tantum fallacem esse *Castrensis* distinctionem, quantum fallax est argumentum ex ordine ductum *per prius, et posterius*, seu ex verborum formulis optime docuit *Card. de Luca de dote disc.* 13 *num.* 5. Quoties ideo fæminarum exclusio absoluta non sit, sed sit doti famulativa et sub hujusque tradendæ conditione præscripta, id semper consequitur, ut dos in locum legitimæ subrogata censeatur, ac si Lex Municipalis primo, et præcipuo loco de fæminarum dotibus meminisset, ut, aliam sequendo tutiorem *Saliceti* Theoricam tradidit sæpe Noster Ordo *coram Caprara decis.* 1 *num.* 9.; *coram Lancetta decis.* 856. *Numer.* 14.; *in Civitatis Castellanae legitimæ* 19 *Aprilis* 1743 § 6, *et* 5 *Junii* 1744 § 4 *coram Vicecomite, et* 13 *Maii* 1746 § 10 *coram Molino; in citat. Ferrarien. Dotis, et fructuum* 22 *Martii* 1765. § 6.; *et in Confirmatoria* 30 *Januarii* 1767 § 4 *coram Riminaldo.*

Exclusas vero absolute non fuisse fæminas a Statuto Montis Georgii; sed in Dotis correspectivitatem ex ejusdem verbis patebat, quibus præscripsit = *dotatæ, vel quibus dotes promissæ vel relictæ, vel alio quovis modo sint constitutæ istis dotibus contentæ sint, intantum quod amplius nunquam jure successionis, neque jure legitimæ, vel jure incongruæ dotis sibi datæ de bonis dotantis, vel non dotantis, quovis alio modo, vel causa aliquid petere possint* = ceu refert *Card. De Luca in Tract. de Statut. Success. part.* 108. = Nulla itaque amplius oriri poterat dubitatio, quin reapse fæminarum exclusio in Statuto Montis Georgii alligata sit constitutione dotis, ideoque dos ipsa vices teneat legitimæ. Certius id erat existimandum in themate, quia sæpissime mentio sola legitimæ, quæ Statuentibus exciderit, satis est, ut dotem successisse loco legitimæ, non inepte quis dicat, veluti docent *Honded. cons.* 53., *Num.* 12. *Vol.* 2., *Card. de Luc. de dot. disc.* 13 *numer.* 9, *Mangil. de imput. quæst.* 57 *num.* 7 *Rot. in Rec. dec.* 208 *n.* 17 *p.* 8; *et coram Caprara decis.* 1 *num.* 28., *et seqq.* = At vero non semel tantum legitimæ vox excidit Statuentibus, sed in ea Municipali Sanctione pluries occurrit, atque imo ipse ab initio titulus inscribitur = *De successionibus ab intestato, et legitima filiorum* =. 9

Urget etiam, eamdem Sanctionem constituisse sicuti superius dictum fuit, ut fæminæ = *sint istis dotibus contentæ in tantum, quod amplius nunquam jure successionis, neque jure Legitimæ vel Supplementi legitimæ, vel jure incongruæ dotis sibi datæ de bonis dotantis, quovis alio modo, vel causa aliquid petere possint* =. Nemo enim non videt, quod, si Municipalis Sanctio non obstaret, rite fæminæ urgere possent, ut, si quid dotibus deesset, de legitima portione suppleretur. Cum autem vetita sit fæminis actio ad petendum supplementum, 10

perspicuum inde fit, cessisse dotem loco legitimæ. Nam eamdem naturam induere dotem, quam induit ejusdem dotis additamentum, subtili, vehementique argumentatione probat *Rot. coram Buratto decis.* 215 *numer.* 11.; *coram Bichio decis.* 88 *numer.* 12.; *coram Caprara decis.* 271 *Num.* 32 *in dict. Civitatis Castellanæ legitimæ* 19 *Aprilis* 1743 § 11 *et* 5 *Junii* 1744 § 5 *coram Vicecomite, et* 15 *Maii* 1746 § 8 *coram Molino*. Nec levioris ponderis erat animadversio altera ex Statuto ipso deprompta, in quo cavetur, ut, si fæminæ = *non fuerint datatae, dotentur condecenter arbitrio nostrorum Priorum, et duorum proximiorum agnatorum*. = Novam quippe binc erui, et satis, gravem conjecturam ad præsumendum dotem legitimæ locum obtinere, firmant *Mangil. de imput., et detract. quæst.* 57 *num.* 27., *Rot. post. Merlinum de legitima decis.* 197 *Num.* 11.; *et in Ferrarien. legitimæ quoad, quotam, et qualitatem bonorum* 2 *Junii* 1794 § 6 *cor. Resta*.

11 Maximo denique in pretio habendum est, quod Oppidi Montis Georgii Statutum non veluti extraneas reputat fæminas, sed eas a successionibus excludit propter agnationem, qua consumpta, ad successionem quoque fæminas invitat = *Deficientibus vero* (prosequitur statutum) *descendentibus* masculis, *et adscendentibus, et agnatis præfatis, tunc filiæ faeminae et ex eis descendentes masculi, vel faeminae successive, et gradatim succedant* =. Fit hinc ut eo magis oporteat credere, dotem vices legittimæ fungi, veluti arguit *Rota cor. Crescen. decis.* 168 *num.* 9 *in saeped. Civitatis Castellanae Legitimae* 5 *Junii* 1745 § 5 *cor. Vicecomite, et in Confirmatoria* 13 *Maii* 1746 § 13 *cor. Molino*. Accedit his omnibus, tum Juris Communis dispotitio, quæ præcipit, ut semper dos succedat Loco Legitimæ *ad Text. in leg. Quoniam cod. de inofficioso Testam.*, tum regula alters Juris non ambigui, ex qua in quolibet dubio favondum sit mulieribus; ideoque intelligendum, dotem loco legitimæ succedere. *Card. de Luc. de Dote disc.* 13 *num.* 8., *Mangil. de imputat., et detract quaest.* 54 *num.* 9. *Merlin. de Legitima lib.* 3 *tit.* 1 *quaest.* 6. *n.* 52. *Rot. cor. Crescent. decis.* 168. *n.* 13.

Neque prodest Tentoniis absoletam 12
Decisionem *Rotae Maceratensis apud Thomat. in ord.* 152 *num.* 1 *seq.* in medium afferre, ut inde deducant, constitutum in ea fuisse, Montis Georgii Statutum fæminas propter masculos, non propter dotem excludere a successione, ac ideo dotem non succedere loco Legitimæ. Et si namque id definisset *Rota Maceratensis*, cum tamen hæc definitio tam certis adversari videatur juris principiis, et Doctorum, ac Interpretum opinioni, et Rebus potissimum a Sac. Nostro Ordine judicatis quam maxime repugnet, nomini dubium esse potest; quin nullo in calculo sit habenda. Sed falsum præterea est, in illa Decisione judicatum fuisse, Statutum Montis Georgii fæminas excludere propter Masculos, cum unicuique eam perlegenti pateat, in sola *facti specie* fortasse innixam Doctrinæ *Castrensis*, affirmasse quamdam fæminam exclusam fuisse a successione propter masculos deindeque transiisse ad alia decidendi momenti rationum, quin unquam firmaverit dotem non succedere loco Legitimæ. Noto autem notius est, decisiones, quæ vel institutam quæstionem minime dirimunt, vel eam obiter, et perfunctorie pertractant, nullam habere auctoritatem, quemadmodum sæpissime monuit Sacrum Nostrum Auditorium *in Rec. decis.* 17 *num.* 9 *part.* 9 *decis.* 318 *num.* 27 *part.* 19., *cor. Bichio decis.* 480 *num.* 30., *cor. Dunozet. Jun. decis.* 498 *num.* 29., *cor. Molines, decis.* 818 *num.* 6., *et decis.* 612 *num.* 20 *cor. Olivatio*. Ex hisce itaque omnibus Giovanninii jus ad dotales fructus assequendos, post obitum etiam uxoris, apestissimum Patribus visum fuit.

Et ita in acri partitum conflictu, Universa Aula ferente suffragium, dirempta est contreversia.

MONTIS ALTI SEU FIRMANA DOTIS

SUPER AUGMENTO FRUCTUUM

Lunae 21 *Januarii* 1822.

ARGUMENTUM

Argumento non indiget. Vid. DECIS. XL.

SUMMARIUM

1. *Ut constet de requisitis castrensibus, tria simul concurrere debent, constitutio debitoris in mora per solemnem interpellationem, prompta occasio faenore collocandi pecuniam, hujus occasionis amissio propter pecuniae defectum.*
2. *Una debitoris declaratio ad abstergendum usuras vitium non sufficit.*

   Qui pecunias pupillarum investire debet, si investimenta neglexerit, ad usuras pupillaris tenetur, loco damnorum - ibidem. -
3. *Qui non est publicus proxeneta, omni fide destituitur quoad promptam investiendi occasionem.*
4. *Praecisa investimenti probatio debitori nunciari, ac probari debet in ipsa stipulationis actu.*

   Requisita Castrensia suppleri non possunt per equipollens, cum conjugium per Uxoris obitum dissolvitur - ibidem. -

DECISIO LXXVIII.

Post obitum Franciscæ Tentoniæ, Paschalem Giovanninium, ejus virum, a Tentoniis postulasse constitutæ dotis solutionem, et tum impares solutioni Tentonios obtulisse fructuum incrementum, ideoque privata in hanc rem ab altero ex iis, nempe Canonico Joanne Baptista, scripta syngrapha *anno* 1817 auctos eosdem fructus usque ad scuta *quadraginta sex* in singulos annos, nempe a ratione *trienti* cum dimidio ad mensuram fere *septuncem* fuisse, refert contemporanea mea Decisio *super fructibus*; uti etiam narrat inter cæteras quæstiones, quarum definitio per partium compromissum, R. P. D. Auditoris Sanctissimi auctoritate accedente, S. N. Ordini commissa fuit, hanc etiam quoad *fructuum augmentum* recenseri, atque, proposita die 12 Maii 1820 Dubii formula = *An sit servandum augmentum fructuum dotis ad formam contractus anni* 1807 *in casu etc.* =, tum vadimonio a Tentoniis deserto, Responsum prodiisse = *Affirmative* = quod ex Decisione *Montis Alti, seu Firmana Dotis super Augmento fructuum* ab R. P. D. Odescalchi sub ea die edita latius apparet. Exponit etiam quod, re iterom discussa die 22 Januarii superioris anni, exhibitoque per me, R. P. D. Odescalchi suffectum, assueto Dubio = *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.* = Patres respondisse = *Recedendum a Decisis* = Novæ Audientiæ venia a Giovanninio obtenta, dirimendum Patribus super fructuum etiam augmento hodie proposui Dubium = *An sit standum in primo, vel secundo loco decisis* =. At quamvis Ipsi quoad dotales fructus deberi hos censuerint, juxta originariam conventionem, tamen horum augmentum probare haud potuerunt, atque ideo Responsum dedere = *In secundo loco decisis* =.

Id namque exigunt sanctissimæ le- 1
ges, quibus constitutum est, quodcumque creditum pecuniarium, quale punctim evadit dotis creditum, soluto per mortem unius, aut alterius conjugis matrimonio, nullos parere fructus, nisi constet de *Requisitis* a Jurisconsulto *Paulo de Castro* traditis in *Leg.* 3 *ff de eo, quod certo loco*, quem sequuntur *Ridolphinus in Praxi part.* 1 *Cap.* 8 *num.* 265 *Rota in Rec. decis.* 401 *num.* 40 *part.* 16, et alibi passim. Quod si hi fructus quacumque ex causa debiti comperiantur, rite augeri nequit eorum mensura, prædictis deficientibus requisitis. Ut constet autem de his requisitis, tria simul concurrere debent, quæ exigit ipse Jurisconsultus; tum constitutio debitoris in mora per solemnem interpellationem; tum prompta occasio fænore collocandi pecuniam; tom denique hujus occasionis amissio propter pecuniæ defectum. Cum igitur haud Giovanninius evincat hæc omnia Tentoniis, necessariis suffulta probationibus, denonciasse, quod fieri oportebat, ut dotalis pecuniæ

fructus deberentur, vel debiti augeri legitime possent; optimo sane jure definitum est, nullo modo posse consistere illorum fructuum incrementum a Tentoniis conventum.

2 Quin obsit ea privata syngrapha *anni* 1807, in qua, jam prædefuncta Francisca alter ex Fratribus Tentoniis, Johannes Baptista tam proprio, quam Fratrum nomine, fassus fuit, sese nunquam dotem conventam numerasse = *non ostante le replicate richieste* =, atque idcirco =, *non volendo di vantaggio ledere l'interesse de'nostri nipoti* = fructuum dotalium incrementum inconsulto promisit. Actum enim esset de mulctandis, coercendisque usuris, si una debitoris declaratio ad abstergendum usuræ vitium sufficeret, cum in contrahentium potestate non sit licitum de illicito facere, vel privatis pactionibus, vel debiti fructuum agnitionibus, vel oblatis sponte solutionibus, ut statuit S. N. Ordo *decis.* 360 *num.* 18 *et sequ. coram Cerro, in Æsina Pecuniaria* 29 *Januarii* 1759 § 5 *coram Canilliac, et in Camerinen. Conditionis Indebiti* 27 *Junii* 1796 § 3 *coram cl. me. Gardoqui.* Minus vero consistebat in facto assertum pupillorum damnum, ex quo fænus palliare conabatur Giovanninius. Licet enim tralatitium in jure sit, eum, qui pecunias pupillorum investire debet, si investimenta neglexerit, ad usuras pupillares teneri loco damnorum, et interesse, ut est Tutor ex censura *Textus in leg.* 7 § 8 *ff de Admin., et peric. Tut., et tot. tit. Cod. de Usur. pupillar.*, æque tamen exploratum est ad hujusmodi usuras præstandas condemnari non posse eos, ad quos investimenta perficere non spectat. Hoc munus fortasse Giovanninii Patris fuisset, semel ac exegisset dotem, sed ipse non verum filii, fructus percepisset dotis Franciscæ, quæ ad filios in proprietate tantum spectat ad *Text. in L.* 6 *Cod. de bonis quæ liberis.* Ergo non in filiorum commodum, sed in paternam utilitatem fructus cessissent, atque ideo errore ductus eos Tentonius promisit, dum declaravit sese nolle = *di vantaggio ledere l'interesse dei nostri nipoti* =.

Perperam etiam a Giovanninio proponebatur, tum lucrum cessans, tum damnum, quod ex dilata dotis solutione ipse patiebatur, qui neque Censualia nomina dimittere, neque pecuniam sub majori fænore legitime collocare poterat. Oportebat enim hæc omnia gravissimis monumentis comprobare, eæque probationes rite afferendæ erant, nec sat esse potuit asserta ea censualia nomina simpliciter enunciare. Nec quidquam proficiebat Giovanninius, dum *Septimii Nobili, et Paschalis de Simone* testimonia proferebat, quos fænebres ab ipso pecunias quæsivisse asserebat. Præterquam quod enim hi non erant publici proxenetæ, ac publica fide destituebantur, accedit etiam, quod minime testantur de prompta inter stipulandum occasione pecuniam fænore ponendi; cum e contra prompta, et præcisa investimenti probatio debitori nuncianda ac probanda sit in ipso stipulationis actu, uti docent *Cyriac. Controv.* 546 *num.* 13 *Urceol. Consult. foren.* 54 *num.* 3 *Rota coram Coccino decis.* 498 *num.* 2 *in Romana Pecuniaria* 20 *Martii* 1747 § 6 *coram Bussio, et in Ravennaten. seu Æsina Pecuniaria* 29 *Januarii* 1759 § 7 *coram Canilliac.* Et si vero constaret de prompta occasione pecuniam fænore collocandi, deque ejusdem occasionis amissione, deficit tamen judicialis interpellatio, ad quam præcipue spectavit *Pauli de Castro* Theorica, eaque deficiente juxta, ac prudens S. N. Ordinis severitas hæc testimonia, ac hujus generis similia costantissime repellit. 3

Neque erat Giovanninius audiendus, dum ultimo loco contendebat Castrensia requisita per *æquipollens* posse adimpleri ope extrajudicialis interpellationis, ex debitorum agnitionibus elicitæ, eamque in rem, vel Doctorum auctoritates, vel Sacri Nostri Ordinis responsa proferebat. Faciliter enim dignoscebatur, quod casus, tam a Doctoribus, quam a Sacro Ordine Nostro pertractati, *vel* de Viduis agunt, quibus fructus dotales alimentorum loco ex Statuto debentur, eisque sufficit ex 4

Requisitis Castrensibus unum tantum probasse, debitoris scilicet quamcumque interpellationem; *vel* de Argentariis rationem habent, quorum pecunia est semen lucri; adeo ut nullo modo ad thema nostrum protrahi valeant. Nunquam vero constitutum videtur, quod Requisita Castrensia suppleri possent *per equipollens*, cum conjugium per uxoris obitum dissolvitur. Cæterum in re plena periculi; queque affinitatem plurimam habet cum usuraria pravitate, quid senserint laxiores nonnulli Doctores, ea tutior est jurisprudentia a Sacro Ordine Nostro semper probata, quod, ut licite pecunia pariat accessiones, certis undique, ac induhiis monumentis demonstranda sint Requisita Castrensia, neque in id recipi valeant contrahentium declarationes, quæ sæpius vel falso innituntur supposito, vel a creditorum avaritia, et inopia debitorum oriuntur *Rota in decis. Camerinen. Conditionis Indebiti* 27 *Junii* 1796 § 5 *coram cl. memor. Gardoqui*.

Et ita VV. OO. DD. jus redditum est Utraque etc.

MONTIS ALTI SEU FIRMANA DOTIS

SUPER VALIDITATE CAMBII

Veneris 1 *Februarii* 1822.

ARGUMENTUM

Argumento non indiget. Vid. DECIS. XLI.

SUMMARIUM

1. *Licitum est ex praeexistenti credito, quod tamen certum in genere sit, et in specie liquidum, Collybum inire.*
2. *Corruit cambium, si non constat de credito, ex quo fuit conflatum.*

   Si Actor deficit in fundamento actionis suae demonstrando, reus conventus absolvi debet - ibidem. -
3. *Nemo in rebus suis adeo oscitans, et indiligens praesumitur ut de pecunia soluta, nec Apocham, nec Instrumentum, nec acceptilatione secumferat.*
4. *Quoties constat sub falso supposito, falsaque causa, omissas fuisse agnitiones, quemadmodum corruit controctus principalis, ita corruere debent quaecumque confessiones, et agnitiones.*
5. *Semelac de alicujus actus validitate quaeritur, hoc ipso nisi expressim, tamen implicite quaestio de existentia actus oritur.*

DECISIO LXXIX.

Convenerat in nuptialibus tabulis anno 1798 exaratis, ut dos a Tentoniis eorum sorori consituta in scutis septingentis intra quatriennium solveretur, depactis interim fructibs — *alla ragione del quattro e mezzo per cento* — At deinde Tentonii, qui conventos fructus non solverant post stipulatum eorum incrementum, de quo agit novissima mea Decisio *Montis Alti, seu Firmana Dotis super Augmento fructuum* 21 *Januarii* nuper effluxi, confirmatoria alterius præcedentis a me editæ die 29 *Januarii* 1821; per epistolas cum Giovanninio egerunt sub exitu *anni* 1807, de sumenda ad fænus pecunia in summa scutorum circiter centum, ut illud dimitterent debitum. Mandatum etiam hanc in rem eidem Giovanninio dederunt, ut collybum eorum oneri ad annum contraheret, quem asseruit ipse cum quodam *Philippo Cortesi* per publicum Instrumentum inivisse, et pecuniam ex eo haustam sibi addixisse in fructuum dotalium causam. Asseruit etiam collybi nomen cuidam Villico *Dominico Morlonghi* cessisse Cortesium eique villico, cum dies restituendæ pecuniæ venisset, sese proprio ære hanc exsolvisse, nulla tamen ab eo recepta acceptilatione, nec Cambiali Apocha, (privata siquidem Apocha cambium conventum dein dixerat, quod antea per publicum Instrumentum contractum fuisse affirmaverat), caussans prædictum Morlonghium, vix cambio extincto, ex arbore in terram delapsum subito occubuisse.

Inter alias controversias, de quibus præcedentes agunt Decisiones, hæc etiam per partium compromissum, interveniente R. P. D. Auditoris Sanctissimi Decreto, Nostri Sacri Ordinis ju-

dicio subjecta fuit, ac idcirco concinnatum fuit Dubium = *An constet de validitate Cambii ita ut debeantur fructus in casu etc.* = cui, silentibus Tentoniis in Rotali Conventu *diei* 12 *Maii* 1820. Responsum fuit = *Affirmative* = sicuti monstrat tunc edita Decisio *Montis Alti, seu Firmana Dotis super validitate Cambii coram R. P. D. Odescalchi*. Causa tamen iterum proposita die 3 *Januarii* superioris anni sub assueto Dubio = *An sit standum, vel recedendum a decisis. in casu etc.* = melius explicatis factorum circumstantiis, Patres censuerunt, *recedendum* esso a *decisis*, veluti constat ab alia Decisione ejusdem diei, eumdemque præseferente titulum, a me, qui interim R. P. D. Odescalchi suffectus fueram, vulgata. Ob novæ dein Audientiæ beneficium a Giovanninio obtentum, Patres in bodiernis Comitiis interogavi = *An sit standum in primo, vel secundo loco decisis* in *casu etc.* = ac Responsum retuli = *In secundo loco decisis* =.

1 Exploratam quidem babnerunt Patres juris notissimi regulam, ex qua licitum est ex præxistenti credito, quod certum tamen in *genere* sit, et in *specie* liquidum, Collybum inire, quia ex bujusmodi conventione duo dicuntur intercessisse contractus, perinde ac si debitor so visset creditori pecuniam in debiti extinctionem, et ab eodem creditore ipsi denno tradita fuisset ad Cambium *Gratian, discept. forens.* 301 *n.* 1 *Gail. de credito cap.* 7 *quæst.* 6 *n.* 195 *Card. de Luca de Cambiis disc.* 3 *num.* 5 *Rot. decis.* 256 *num.* 6 *part.* 10 *dec.* 290 *num.* 8 *part.* 11 *Rec. et decis.* 164 *num.* 7 *cor. Tanara.* At non ex eo, quod valide, ac rite ex credito præexistenti contrahi poterat Collybus conseqni potest Collybum recte Giovanninium iniisse. Præexistentis etenim crediti, *liquidi* præscrtim *in specie*, probatio prorsus deficit; illud namque constare asserebatur ex dotalis pecuniæ fructibus, nedum juxta primævam conventionem debitis sed etiam ex eorum augmento, quod cum improbatum a S. N. Ordine fuerit, plane consequitur nullum ex hoc augmento creditum constitui potuisse; immo etiam qnid hoc nomine solverint Tentonii a debita fructuum quantitate fuisse subducendum.

Defuit itaque cambii subjectum. Quod vero magis est, deest illius contractus quævis probatio. Perperam enim contendebat Giovannius cambium illud initum fuisse, cujus nullam Apocham nullum Instrumentum testimonium nullum afferebat. Ignotum est prorsus cujus indolis in eo asserto contractu pacta intercesserint; quæ fuerit fructuum mensura conventa; qui solutioni modus adjectus; quod tempus pecuniæ restitutioni constitutum. Preterea non sibi in assertione sua constabat Giovanninius, qui modo publicum Instrumentum, mox privatam ejusdem Collybi Apocham confecisse dicebat. Si itaque deficiebat in fundamento actionis suæ demonstrando Giovanninius, justum omnino erat, ut rei conventi a petita Cambialis nominis solutione absolverentur *ad Text, in leg. Si quis ex Argentariis* §. *Præter ait ff. de Edendo.* 2

Neque pronis auribus putarunt Patres excipiendam *fabellam*, qnam Giovanninius narrabat, ut fructus ex fructibus extorqueret. Inquiebat siquidem Villicum Morlonghium, in quem cessionis jure cambiale creditum transiisse dicebatur, ex arboro delapsum adeo præpropera morte perculsum fuisse, ut nec loqui amplius, nec acceptilationem extinctionis, nec Apocham ipsam initi Collybi tradere potuerit. Inprimis autem valde inverosimile visum fuit, quod Giovanninius alienum nomen luere voluisset, Collybum extinguendo, qui ad Tentonios pertinebat. Majorem præseferebat inverosimilitudinem, quod adeo in rebus suis oscitans, et indiligens ipse fuerit, nt solverit Cambii accessiones, ejusque caput numeraverit, nulla in id recepta creditoris acceptilatione: nemo siquidem presumitur jactare suum. Quamvis enim reapse ea subita morte præreptus fuisset villicus ille Morlonghius, non Apocham certe, non Instrumentum, non acceptilationes secumtulisset. Hæredes imo reliquit, qui ut cætera omnia, ita scripturas habebant, ab eisque debebat Giovan- 3

ninius extinctionis cambii, et acquisitionis cambialium jurium probationes repetere. Præterea, si mortem obiit Morlonghius; vivit adbuc Cortesius, cujus cessionis in Morlonghium factæ syngrapbam affero poterat Giovanninius. Sed adeo alienus erat ab afferenda Cortesii cessione, ut ne testimonium quidem illius protulerit, qui saltem Giovanninii fabellam concinnius ornare, et expolire potuisset. Cæterum falso proponebat Morlonghium subita morte periisse, qui in proprio lectulo animam Deo reddidit, ut ex testimonio Parochi constabat, et advertit superioris actionis *Decisio* §. 4. Neque aliud contigit alteri Villico Morlonghio, quo cum modo fingebat Giovannius Cambium initum fuisse. Nam et bic post lapsum ex Arbore aliquod temporis supervixit, veluti ostendebant ipsa documenta Giovanninio in actis producta.

4 Frustra etiam confugiebat Giovanninius ad epistolas a Tentoniis scriptas quibus plaudebant Collybi stipulationi et ad subsequtuas eorum ratihabitiones. *Quod enim initio vitiosum est tractu temporis convalescere non potest*, ut inquit in hæc *verba Paulus in l.* 30 *ff. de Reg. Jur.* Sed sint, quantum lubet, effrænes Tentoniorum epistolæ; sint etiam disertissimæ eorum agnitiones; sint reiteratæ et continuæ: nullam certe medelam afferunt Cambii nullitati. Nam quoties constat sub falso supposito, falsaque causa eas emissas fuisse quod reapse Giovanninius *obliquum* Cambium contraxisset, quoties evincitur, nullum unquam ab eo initum fuisse Cambium; quemadmodum corruit Collybus, ita corruere debent quæcumque confessiones, et agnitiones, Collybi supposito inhærentes *ad Text. in l. Cum putarem ff. famil. hercisc. L. si post divisionem Cod. de jur., et fact. ignor. Mascard. de probat. concl.* 378 *num.* 3 *Gait. de credit. cap.* 2 *tit.* 2. *num.* 637 *Angel. de confess. lib.* 3. *quæst.* 20 *num.* 54 *Rot. in Rec. decis.* 245 *num.* 11 12 *part.* 17 *cor. Ansaldo decis,* 697 *num.* 7 *cor. Ratto Decis.* 19 *num.* 10 *et decis.* 785 *num.* 8 *cor. Riminaldo.*

5 Deterius demum erat, Dubii formulam obijcere, ex qua contendebat Giovanninius haud fas esse de Cambii *existentia* disceptare cum ea quæreret tantum *de validitate*. Non est prætereundum primo, ita fuisse concinnatam Dubi formulam, quia reputabant Tentonii indebitos esse fructus post solutum matrimonium a Giovanninio perceptos. Attamen, nisi evincatur Collybum existere, nullum proferri valet super validitate judicium, cum non entis nullæ sint qualitates. Ex hoc ipso, itaque, quod formula Dubii agit *de validitate*, necessario dicendum *de existentia* quoque quærere. Nam ut de validitate constet, discutienda sunt pacta, quæ certæ non adsunt, nisi adsit et Collybus. Semelac igitur de alicujus actus *validitate* quæritur, hoc ipso in Dubii formulam incidit nisi explicite, et expressim, tacite saltem, et implicite, quæstio *de existentia*, quæ si deficiat, deficit quoque validitas, cum nihil adeo nullum sit, quam id, quod neutiquam existit, ut animadvertit *præt. mea Decisio* §. 7.

Et ita VV. OO. DD. definitum est. Utraque etc.

NULLIUS SEU FARFEN CADUCITATIS

Veneris 15 *Martii* 1822.

ARGUMENTUM

Ubi contrarium vigeat Statutum, nequeunt fundorum possessores, ob dominii utiles translationem, cogi ad exhibendas investituras, et poscendi renovationes. Ac id eo magis in casu, quo transactio, numeris omnibus expleta, ac partium observantia interpretata, proposi̇tae actioni obstet.

SUMMARIUM

1. *Odii plena est caducitatis actio, proinde ad eam excludendam, quaslibet sumi debet interpretatio.*
   Ubi contrarium viget Statutum, nequeunt cogi possessores fundorum ad exhibendas investituras, et poscendi renovationes - ibidem. -
2. *Abbas potest per transactionem nuncium mittere juribus sui Monasterii, si transactio fuerit probata a S. Congregatione, negociis Episcoporum, et Regularium praeposita.*

3. *Transactio, per Instrumentum nd perimendas lites celebrata, exequutionem plenissimam meretur.*

   Quod per errorem lapsum reperitur, non immutat rei naturam - ibidem. -

4. *Ex transactionis litera, ac ex testibus, recte infertur nd probanda loca quibus bona sita sunt.*
5. *Censuales Tabulae valde conferunt ad secernendos confines.*
6. *Error, qui quacumque ex causa in tabulis Censualibus irrepsit, ullum nunquam praejudicium juribus partium inferre potest.*

   Confinatum diversum est a confine, et quod pro confine est, distinctum separatumque est a confinatn - ibidem. -

7. *Codicibus mere privatis nulla fides haberi potest.*

   Nulla melior contractuum interpraetatio dari potest, quam ea, qune ab Observantia deducitur - ibidem. -

   Observantia in linea interpretativa, facilius admittitur, quam observantia in linea praescriptiva - ibidem. -

DECISIO LXXX.

Inter caetera bona, in Sabinis existentia, quae a remotissimis usque temporibus, ad violentas illorum occupationes vitandas, patrocinio commendata fuerunt Venerabilis Monasterii S. Mariae Farfensis, ejusque Abbatis, per actum, qui communi vocabulo diceba- tur = *Appodiatio* = fuit etiam Castrum *Julianelli*, sive de *Giglianello* pro annuo perexiquo Canone unius *floreni*, quae Canonis exiquitas *Appodialiotionis* certissimum argumentum est, una cum ejus territoriis commendatum; quod cum ruinis concidisset, hoc ejus territorium addictum fuit finitimo Municipio Castri Montis S. Mariae, quin tamen unquam super eo Abbatialis jurisdictio fuerit in discrimen revocata. anno 1576 Cardinalis Farnesius, qua Abbas Monasterii Farfensis, territorium hoc *Julianelli* in Emphyteusim concessit Henrico, et Francisco Ursini, ac postea annis 1667, et 1668, alter Abbas Cardinalis Barberinius eadem transtulit Emphyteusim in Theodoram Ceci, quae in Sacra transiverat Familiæ Pescetelliae, Abbatiali jurisdictioni subjectae. Sed cum frequenter ex locationibus, et investituris jurgia, et dissidia orirentur, controversias omnes, ad Judices quoque delatas, sustulit. amica transactio, auctorante Cardinali Passioneo, conciliata anno 1744, et deinde ad exitum perducta anno 1747, a Cardinali Marcello Lante, cui, post mortem Cardinalis Passionei, delata fuerat Abbatia Farfensis.

Summa transactionis haec fuit. Renunciavit Abbas Commendatarius directum illorum fundorum dominium, et jus abjecit percipiendi ex iis Canones, et acceptandi devolutiones, nna tantum sibi reservata praestatione *argenteorum sexaginta*, a Municipiis omnibus, in quorum Territorii fundi extabant commendati, in singulos annos exsolvenda. Hinc numqnam postea, vel a Ceciis, vel a Pescetellis quidquam, aut Canonis nomine, aut alio titulo solutum Abbatiae fuit pro praedictis *Julianelli* bonis, quamvis per errorem, anno 1779 ab eorum conductore Loreti, in oppidu *Casae Protae* degente, assignata fuerit, uti ad hujus oppidi Territorium pertinentia, in confectione Catastri Piani. Quare deinceps, vita functa Theodora Ceci, omnia hæc bona tamqnam libera, et ab omni Canone immunia, Pescetelli anno 1814. vendiderunt Francisco Mazzatosta, et Fratribus De Sanctis pretio *Scutorum quingentorum*.

Pacifice per sexennium borum bonorum possessione emptores gavisi fuerunt. Verum, cum deinceps ad notitiam pervenisset Ministrorum Mensae Abbatialis erronea praedicta assignatio, ex qua in Catastro Piano, ea bona Territorii *Julianelli* descripta fuerant, veluti adnexa alteri Territorio = *di casa Prota* =, quod Municipium in superius recensita transactione anni 1747 compraehensum haud fuerat, huic ipsi in Censualibus tabulis adnotationi innixi; Eminentissimo Cardinali Aloysio Herculani, hodierno Farfensi Abbati præclarissimo, auctores fuerunt anno 1820 ut devolutionem acceptaret, quod reapse factum fuit, declarata in actu acceptationis existentia bonorum = *In districtu, et Jurisdictione Abbatiae Farfen-*

sis = atque ut causaret coram A. C. Collegio ea bona Abbatiae dominio directo esse subjecta, et ideo, *tum* ob extinctam tertiam generationem, *tum* ob non solutos Canones, devolutioni locum fuisse factum, atque idcirco peteret, uti reapse petiit, atque obtinuit ab eo Tribunali per Decretum diei 16 Maii 1821, mandatum de *associando* ad praedicta bona, quo in Decreto existentia horum bonorum = *in disrictu, et Jurisdictione Abbatiae Farfensis* = fuit repetita. Conscensa dein, ob Appellationem Mazzatosta, ac De Sanctis a Signaturae Tribunali indultam, Causa ad S. Nostrum Auditorium, Dubii formulam hac mane Patribus proposui = *An mandatum A. C. sit exequendum in casu etc.* = cui, comperendinationem frustra postulante Emo Abbate, responsum fuit datum = *Pro informantibus* = scilicet = *Negative* =.

1 Neque aliud dari potuisset responsum, etiamsi Emus Abbas judicio sese stitisset. Odii enim et acerbitatis plena est actio caducitatis, et devolutionis, ad quam excludendam humanior quaelibet, et mitior sumi debet interpraetatio; quare in re etiam ancipiti semper adversus eam judicium ferendum est; *per Fulgin. de Emphyteus. tit. de Alienat. num.* 303 *Card. De Luc. de Fideicom. Disc.* 88 *num.* 1 *Merlin. de Legit. lib.* 3 *tit.* 2 *quaest.* 21 *num.* 16 *Rot. in recen. Decis.* 168 *num.* 8 *par.* 19 *Decis.* 199 *num.* 7 *coram Carilli, et in Romana Caducitatis* 2 *Aprilis* 1802 *coram de Bayane*; eo itaque magis ea excludenda est in re apertissima, uti in nostro themate. Obstant quippe primum propositae caducitatis actioni peculiaria Farfensis Abbatiae Statuta *in Cap.* 81. *et seq.*, quibus constitutum fuit, post extinctam investitorum lineam, teneri Monasterium, illiusque *pro tempore* Abbates, bona de illius directo dominio novae Emphyteusis titulo transferre in proximiores ultimo investito usque ad decimum gradum, qui tantum solvere deberent = *decem pro Centenario de dictis bonis aestimandis* = ut sunt verba Statuti. Obstat etiam vatus Resjudicata Praesulis Antamorii anni 1712, ex qua exclusum fuit dominium fundiarium Mensae Farfensis, eique denegatum fuit jus cogendi possessores fundorum ad exhibendas investituras, et poscendi renovationes.

Fortius vero obstat, immo quodcumque removet dubium super incompetentia praedictae actionis, solemnis transactio per publicum Instrumentum inita anno 1747, et probata a S. Congregatione, negociis Episcoporum, et Regularium praeposita, in qua, ad praecidendas lites, et controversias, nuncium misit Emus Abbas Cardinalis Marcellus Lante directo bonorum dominio subjurisdictione Abbatiae existentium; et bona haec declaravit = *esentati, e pienomente liberi da ogni, e qualunque jus di locazione,* o *sia qualità Enfiteutica, devoluzione, caducità, e rinnovazione, pagamento dei Laudemi, ed annuali risposte, ossiano Canoni* = pro annua tantum conventa praestatione *argenteorum sexoginta* exsolvenda a *novem* Municipiis Abbatiae Farfensi subjectis, atque diribenda = *perpetuamente sopra tutti, e singoli possessori dei beni Enfiteutici, e locatizi soggetti a detta mensa Abbaziale, in quolunque luogo posti, e descritti nel Catastro fatto, e compilato dal fu Giovanni Sanvicini già Concelliere, o in vigore di altri qualsivogliano Catastri, documenti, e per consuetudine affetti a detta qualità locatizia, oncorchè non descritti nel medesimo Catostro* =. 2

Neminem vero latet, transactionem per Instrumentum ad perimendas lites celebratam, exequutionem plenissimam mereri, ac nefas esse ea in discrimen revocare, quae transactione fuerunt definita *ad Text. in Leg. Fratris tui* 10 *Cod. de Transact, in Leg. Praeses* 12 *et Leg. non minorem* 20 *Cod. Eodem, et Urceol. de Transaction. quaest.* 79. *num* 1 *et Rot. coram Falconer. Tit. de Pactis Dec.* 0 *num.* 3, *et in Praenestina Immissionis* 23 *Februarii* 1762 §. 1 *coram Olivat. et in Bononien. Exequutionis Transactionis* 4 *Martii* 1796 § 5 *coram Resta, et in Reatina Immissionis* 31. *Januarii* 1806 §. 12. *coram Tassoni*. Optimo igitur jure potuerunt 3

Franciscus Mazzatosta, et Fratres De Sanctis ea bona, quae libera evaserant in Pescetelliis acquirere. Neque enim rem mutat quod per errorem eadem bona *Castri diruti Julianelli* descripta reperiantur in Catastro Piano; jussu S. M. Pii Sextii confecto, tamquam adnexa et unita Territorio alterius Oppiduli = *Casa Prota* =, quod non compraehenditur inter *novem* illa Municipia, quae Transactioni nomen dederunt. Non solum namque ex litera Transactionis, sed ab ipsa praeterea confessione judiciali Abbatialis mensae constat ab antiquissimis temporibus diruti Oppidi *Julianelli* Territorium, illi Castri S. Mariae postea unitum, jurisdictioni Abbatiae Farfensis obnoxium fuisse. Memorat siquidem transactio, et liberos declarat ab omni onere Emphyteutico = *tutti e singoli possessori dei beni Enfiteutici, e Locatizi soggetti a detta Mensa Abbaziale in qualunque luogo posti* = Ex judiciali itidem Mensao confessione, quae omne superat probationis genus, patet bona controversa *in districtu, et jurisdictione Abbatiae Farfensis* manere.

4 Accedunt etiam luculentissima Abbatum facta, qui eadem bona *Julianelli* in Emphyteusim concesserunt, prout apparet ex publicis Instrumentorum tabulis, in quibus eorum bonorum existentia = *in Districtu, et Jurisdictione Abbatiae Farfensis* » expressa legitur. Si ergo in transactione omprehensum fuit quidquid jurisdictioni Abbatiali Farfensi subiiciebatur; si patula extat ipsius Mensae confessio; si praeterea probant testimonia Parochorum Montis S. Mariae ipsos decimas et bonis Territorii diruti Oppidi » *Julianelli* » percepisse; si pariter ex alio testimonio Vicarii Foranei Castri Montis S. Mariae eruitur ejusdem jurisdictionem in caussis judicandis processisse etiam quoad bona Territorii *Julianelli*, quae adscripta fuerant in Piano Catastro alteri Territorio » *di Casa Prota* »; non potest utique denegari bona in Territorio *Julianelli* sita Jurisdictioni Farfensis Abbatiae subesse.

5 Pondus vero qnam maximum hisce omnibus adiiciunt Censuales tabulae Castri Montis S. Mariae anno 1739. confectae, quinque scilicet annos ante transactionis conciliationem, quae conventa anno 1744 in stipulationem deducta fuit anno 1747. Ex hisce autem tabulis manifestum est bona Territorii *Julianelli* conjuncta fuisse cum bonis Castri Montis S. Mariae, quod jurisdictioni Farfensis Abbatiae subiicitur. Quoties itaque litera Transactionis libera fecit *tam* ea bona, quae descripta apparerent » *nel Catastro di simili beni fatto, e compilato dal fu Giovanni Sanvicini* », *quam* alia bona, quae » *in vigore di altri qualsivogliano Catastri, documenti, e per consuetudine* » Emphyteutica viderentur, et Mensae subjecta; quoties ex Censualibus tabulis Castri Montis Sanctae Mariae evidentissime probatur preedictae jurisditioni bona Territorii *Julianelli* obnoxia fuisse, ac etiam ex aliis scatet monumentis, nulla amplius oriri potest dubitatio, quin haec bona in ea transactione fuerint comprehensa.

Falsum igitur comperitur quod asserebant Mensae Farfensis Ministri coram A. C. Triumviris bona nimirum Oppidi *Julianelli* ab antiquissimo tempore adnexa fuisse bonis Territorii » *di Casa Prota* » in transactione nou compraehensis. Id enim in Catastro Piano ab errore, vel arbitrio processisse cujusdam Laureti, illorum bonorum conductoris, uti superius enunciatum fuit; in Oppido » *di Casa Prota* » degentis, qui, cum de tempore confecti Catastri ea bona retineret, eadem forsan in proprii commodi caussam, tamquam adnexa Territorio » *di Casa Prota* » assignavit, testes fide dignissimi deponunt. Error vero, qui post *quadraginta* fere annos ab inita Transactione, quacumque ex causa in Tabulis Censualibus irrepsit, ullum numquam praejudicium juribus Mazzatosta, et De Sanctis inferre potes, ad firmata per *Rota coram Falconer. tit. de Miscellan. Decis.* 6. *num.* 15. 16, *et in Senogallien. Juris Territorialis super jure accatastrandi, et collectandi* 9. *Maii* 1760. § 11 *coram Cornelio.* Distinctum ita- 6

que renunciandum est Territorium *Julianelli* ab altero Territorio » *di Casa Prota* » Eoque magis, quia bona Territorii *Julianelli* ab ipsa Abbatiali Mensa in antiquis investituris, et actu acceptationis devolutionis, quorum monumenta ipsamet exhibuit, ideoque contra ipsam plenam conficiunt probationem, designata fuerunt, uti finitima ab uno latere bonis Territorii » *di Casa Prota* »; etenim *confinatum* diversum est a *confine*, et quod pro *confine* est, et a latere adjacet, distinctum, separatumque est a *confinato* ut advertit *Rot. Decis.* 116. *num.* 8. *cor. Molines Decis.* 868 *num.* 10 *cor. Lancetta, et in Romana seu Hortana Juris collectandi* 7 *Februarii* 1738 § 30 *coram Calcagnino in Romana Casalis Ferentiae* 4. *Martii* 1766 §. 8 *coram de Comitibus, et in Nullius seu Farfen. Onerum* 3. *Junii* 1793. §. 4. *coram Malvasia* ».

7 Res satis superque perspicua, magis etiam evidens forsan facta fuisset, si, uti Decreto Rotali, secundum instantiam a Mazzatosta, et De Sanctis propositam, praescriptum fuit, Catastrum Joannis Sanvicinii, quod, juxta conventa in saepius memorata transactione, cuicumque interesse habenti semper erat exhibendum, fuisset prolatum, in cujus vicem alios Abbatiae codices laceratos, et mancos ipsius Ministri exhibuerunt. Tunc enim facilius apparuisset, qui adamussim fundi in saepius memorata transactione fuerint compraehensi; eis namque Codicibus privatis nulla fides haberi potest. Verum haec alia probatio supervacanea fuisset, cum tot aliae ad rem illustrandam concurrant superius expositae, et cum accedat etiam jugis, et constans observantia, quod nempe ab inita anno 1747 transactione ad hoc usque tempus, Mensa Farfensis nullos amplius postulavit, aut accepit Canones super fundis *Julianelli*, nec ullum actum exhibuit, quo probaret praetensum jus fundiarium super iis bonis; quod sane demonstrat eadem bona in Transactione fuisse compraehensa, ac omne jus super iisdem Mensam ipsam amisisse. Inverisimilis namque est in tot vigilantissimis Abbatibus, qui hodiernum Praestantissimum praecessere, adeo supina oscitantia, ut jura Abbatialis Mensae negligerent. Scitum est vero nullam meliorem contractuum, ac stipulationum interpraetationem dari posse, quam ea, quae ab observantia deducitur; *ad Text. in cap. cum dilectus de Consuetudin. leg. cum de leg. ff. de Legibus Roman. Cons.* 61. *num.* 1 *Mantic. de Tacit. lib.* 2 *tit.* 1 *num.* 5. *Rocc. Disput. Jur. select. cap.* 171. *num.* 8 *Rot. in Recen. Decis.* 185 *numer.* 1. *pag.* 19. *et in Asculana Beneficii* 29 *Novembris* 1754. §. 17 *coram Molin.; in Beneventana Nunciationis novi Operis* 25 *Junii* 1792. *coram Soderino, et in Veliterna Beneficii super vocibus* 17 *Martii* 1801 §. 8 *coram Resta.* Idque praecipue locum obtinet, dum, uti in themate, de observantia agitur, non in linea *praescriptiva*, sed in linea *interpraetativa*, quae magis Juri congruit, et facilius admittitur, juxta distinctionem, de qua *Card. de Luca de Praeminen. disc.* 22 *num.* 4 *De Regular. dic.* 25 *numer.* 5 *et Rota Decis.* 76 *num.* 2 *coram Ansald.*

Et ita etc. altera tantum etc.

PERUSINA CIRCUMSCRIPTIONIS

ET REINTEGRATIONIS

Lunae 10 *Junii* 1822.

ARGUMENTUM

Ubi Donator donationi limitationem adjecit - *Di tutti gli emolumenti, e lucri personali* - quae post donationem acquisivit donator ex personali industria, in donatione non comprehenduntur. Quomodo si sibi reservaverit usumfructum, in donationem non veniunt, quae ex ususfructus perceptione donator acquisivit.

SUMMARIUM

1. *Nequit de nullitate incusari possessio, quae juri optimo quaesita dignoscitur.*
2. *Ea est in donationibus reservationis indoles, ut ex ea bene innotescat quid, quantumque donator concedere voluerit.* -

Si in reservationibus aliqua occurrit obscuritas, latior interpretatio amplecti solet, ut ipsius reservantis cautionem, et utilitatem inducat - ibidem. -

3. *Bona, de quibus, utpote reservata, donator postmodum disposuit, praesumere facit, ea in donatione comprehendere noluisse.*
4. *Si donator donationi limitationem adjecit* - Tutti gli emolumenti, e lucri personali s'intendono per se stessi riservati - *quae post donationem adeptus fuit donator ex personali industria, in donatione non comprehenduntur.*
5. *Eodem jure de subrogatis, ac de pecunia judicari debet.*
6. *Donatio, reservato usufructu, iis tantum in rebus consistere dicitur, quae in donationis actu venerunt, non quas ex ejusdem usufructus perceptione donator ipse comparaverit.*

   Inanis non debet effici reservatio, cum caeteroquin in contractibus, nec vocula quidem suo effectu carere debeat - ibidem. -
7. *Quamvis appellatio futurorum, ac dictio omnium ex propria amplitudine nihil excipiant, excluditur tamen semper quod postea nominatim reservatum appareat.*
8. *Nemo potest redintegrari ad bona, quae nunquam possedit, nec possidendi jus habuit.*

DECISIO LXXXI.

Nuptiarum intuitu, quas Eques Lutius Baldellius Perusinus de anno 1779. jamjam initurus erat cum nobili Puella Anna Maria Baglioni, Eques Ernestus Baldellius Sponsi frater, amplissimis conceptam clausulis emisit donationem, qua bona sua omnia, tum præsentia, tum futura eidem fratri suo Lutio largitus fuit. At præter vigesimam *ad effectum testandi*, ac vitæ necessaria ei a Donatario præstanda, peculiari pactione sibi cautum voluit = *che tutti gli emolumenti, e lucri personali di detto Signor Ernesto s'intendano per se stesso riservati, e non compresi nella presente rinunzia* = parique studio sibi reservavit = *il Giardino colla Casa, e suoi annessi posta nella Parrocchia di S. Savino di questa Città* =. Vir frugi, atque industrius erat Ernestus, ac jam tum Nobili Collegio nuncupato = *del Cambio* = adscriptus erat; cooptatus etiam fuerat in cætum, ex quo Decemviralis Perusiæ Magistratus seligi solebat; item publicus equitationis Magister erat; tandem negotiationem quamdam super animalibus exercebat, ex quibus omnibus muneribus nonnullas eum collegisse opes publici etiam Codices testantur, quas collocavit in emptione sive domus, sive aliquorum prædiorum, addita tamen semper in cujuslibet emptionis tabulis declaratione = *di pagare dei denari provenienti dai suoi lucri, ed emolumenti personali* =.

Hæc itaque propria industria, ac post illam expletam Donationem, sibi parta bona, in Catharinam Raggi quæ in rebus ejus domesticis curandis, sedulam ulla absque mercede per longum temporis spatium operam præstiterat, transferre grati animi ergo cogitabat Ernestus; ideoque cum illa matrimonium contraxit cum quodam Carolo Passetti = *per dimostrare la sua gratitudine, ed a contemplazione del sudetto certo, ed indubitato Matrimonio* = domum eidem donavit omni suppellectili instructam, quam tunc ipse incolebat, et quam subinde in dotem sibi constituit Catharina. Testamentum vero, quod misticum vocant, jam antea condiderat, ac Notario tradiderat, in quo, ob suas erga prædictam mulierem obligationes hæredem eamdem fecerat bonorum omnium = *provenienti dalla mia industria, e dai lucri miei personali a me spettanti, e che spettare mi potranno* = nec non = *della vigesima da me riservata causa testandi nella Donazione fatta a favore del Cavalier Luzio mio fratello* =. Vita functo Ernesto, ejusque tabulis reseratis, illico Judicem Catharina adivit, mandatumque petiit *de immittendo*, quod assuetis munitum clausulis obtinuit = *dummodo possessio sit vacans, et sine præjudicio habentium meliora, et potiora jura* =. Possessionem idcirco bonorum omnium, quæ in Testamento eidem assignata fuerant, nacta est. At æque defuncti Equitis Lutii Vidua Anna Maria Baldelli, illius filiorum Tutrix, autumans, Ernestum de bonis in Testamento disposuisse, quæ jampridem fratri Lutio donaverat, possessionis per Catharinam captæ circumscriptionem apud Signaturæ Tribunal postulavit, a qua Causæ cognitio A. C. Triumviris commissa fuit cum facultate circumscribendi. Consopitum dein man-

sit dissidium omne per decem, et ultra annos. At Eques Joannes Baptista alter ex Lutii filiis, sive ejus Æconomus Flaminius Rotondi, quæstionem pene jam obliteratam iterum excitavit, ineunte anno 1821., et tunc A. C. Judices propositam Circumscriptionis querelam rejecerunt. Quapropter re, provocationis ope, ad Nostrum Sacrum Ordinem delata, a Patribus hoc mane quæsivi = *An sit locus circumscriptioni possessionis, et reintegrationis in casu etc.* = ac Responsum retuli = *Negative in omnibus* =.

1 Nequit enim de nullitate incusari possessio a Catharina capta de iis bonis, quæ ex Ernesti, tum Donatione, tum Testamento illi jure optimo quæsita dignoscuntur. Atque idcirco neque circumscriptione, rite recteque adepta possessio subverti potest, neque ad ea bona redintegratio ulla Annæ Mariæ, sive ejus filiis Baldelliis fuit concedenda, nec Joanni Baptistæ concedi potest. Hic vero, summopere innititur verbis, quibus Ernestus omnia bona sua non præsentia solum, sed futura etiam fratri donaverat, sibi forte obventura = *per ragione di qualsivoglia Istromento, e Contratto celebrato, e da celebrarsi* =. adeoque latam hisce tribuit significationem ut quidquid Donator in posterium quacumque ex causa adepturus foret, iis comprehensum, atque in Donatarium translatum dici debeat, ne illis quidem rebus exceptis, quas Donator pecunia, suis laboribus, industria, ac frugalitate quæsita, sibi comparaverit, ut inde inferat frustra illum sive in Testamento, sive in posteriori donatione de iis disposuisse, quæ anteriori actu inter vivos Equiti Lutio donaverat.

2 At, licet amplissimis sane verbis, ac clausulis exarata fuerit ea bonorum tum præsentium, tum futurorum donatio, tanti attamen verba facienda non sunt, ut perspicuæ aliunde donantis voluntati vim faciant, neque formulis, quibus concepta donatio fuit, ea est tribuenda virtus, ut reservationes subinde a Donatore adjectas subvertere valeant: maxime, cum e contra scitum sit specialia generalibus derogare, eamque esse in Donationibus reservationis indolem, ut ex ea bene innotescat quid, quantumque Donator concedere voluerit, ut docet *Papinian. in leg.* 80. *ff. de reg. jur. Cravet. Cons.* 214. *num.* 13., *et* 14. *Card. cons.* 41. *num.* 15. *Antonell. cons.* 11. *num.* 19. *dec. cons.* 203. *num.* 22. *Rota decis.* 387. *num.* 15. *part.* 9. *Recen., et coram Priol. decis.* 122. *num.* 19., *cor. Molines dec.* 436. *num.* 7., *cor. Olivatio dec.* 682. *num.* 2. Et quatenus in ejusmodi reservationibus aliqua occurrit obscuritas, latiorem tunc interpretationem amplecti solemus, quæ uberiorem ipsius reservantis cautionem, et utilitatem inducat, veluti *ex Text. in Leg. Si debitor* §. *ei in venditione ff. quibus modis pign., et hypothec. solvat., et in Leg. Si fundum sub conditione* 83. §. *qui fundus ff. de Legatis primo Rot. dec.* 269. *num.* 12. *part.* 5. *tom.* 1., *et Dec.* 158. *num.* 20. *part.* 9. *tom.* 1. *Recen. in Æsina, seu Anconitana Pecuniar.* 5. *Junii* 1755. *cor. Elephantutio.*

Bona autem, de quibus quæstio est, quæque Donator Ernestus post primam emissam Donationem ex propria industria adeptus fuit in illa minime comprehensa fuisse, atque ea adamussim esse, quæ idem Donator expressa pactione sibi servata voluerat, posteriora illius facta mirum in modum evincunt. Perfecta enim favore fratris Equitis Lutii donatione de anno 1779 post *viginti, et unius* fere annorum spatium, labente scilicet anno 1800, in Testamento, quod clausum tunc Notario tradidit, Catharinam Raggi rei suæ domesticæ moderatricem, suam fecit hæredem in iis omnibus Bonis, quæ post emissam eam donationem acquisiverat. Rursus, cum de anno 1807 eadem Catharina nupsit Carolo Tassetti, donatione remuneratoria, atque intuitu certi Matrimonii conscripta, Domum, nec non supellectilem, et mobilia, queis instruebatur, in eamdem transtulit. Jam vero libera hæc Donatoris ipsius interpretatio, ac pandita voluntas plurimum confert ad illius mentem, dum primam Donationem exaravit, cognoscendam; quæ certe fuit, bona, de quibus, utpote reservatis, ita postmodum disposuit, in prædicta Donatione nullo modo com- 3

præhendi potuisse *ad Text. in Leg. Sed Julianus § proinde ff ad Macedon. et Rot. Decis.* 105 *num.* 10 *part.* 5 *decis.* 435 *n.* 11 *part.* 9 *Recen., et decis.* 206 *n.* 7 *et* 8 *cor. Riminaldo.*

4 Et satis quidem claram apertamque de rebus suis legem dixit Ernestus, dum donationi erga fratrem Lutium conscriptæ limitationem consulto adjecit «*tutti gli emolumenti, e lucri personali s'intendono per se stesso riservati, e non compresi nella presente rinunzia*»; quæ proinde in libera Donantis potestate erant futura. Porro, quæ post hanc donationem adeptus fuit Ernestus, ea ex prædictis lucris reservatis proficisci planum est. Constat enim Domum quamdam emisse «*dei proprj denari, e segnatamente dei suoi particolari, e personali lucri*». Constat prædium sibi comparasse, cujus pretium rependisse apparet «*dei denari provenienti da suoi lucri, ed emolumenti personali*», sic prædium aliud, sic cætera omnia, post emissam primam illam donationem, acquisivit Ernestus «*dei denari provenienti dalle di lui industrie, e lucri personali*» quæ lucra, cum sibi itegra preservasset Donator, neque in Donatione illa comprehensa dici possunt neque ideo Ernesto ipsi ulla lege vetitum fuerat, quominus de his, sive per Donationem, sive per Testamentum Catharinæ favore disponeret. Quin ambigi possit bona hæc postmodum ab Ernesto acquisita, ipsius pecuniæ, et lucris ex personali industria collectis fuisse subrogata. Id quippe publicis in emptionum tabulis testabatur Ernestus eo præcipuæ de tempore, quo nulla præconcipi poterat præsentis controversiæ suspicio.

5 Porro si his pecuniis prædia emit, Apothecam, Domumque acquisivit, bancque supellectili instruxit, immutata exinde dici nequit pecuniarum origo: ideoque semper idem de his bonis ferendum judicium erit, quod donator dixit de pecuniis ipsis proprio labore, industriave sibi forte obventuris, eas scilicet Donatariu numqam fuisse adscribendas, cum eodem jure de subrogatis, ac de pecunia judicetur, ut alias statuit *Rot. Decis.* 70. *numer.* 11. *part.* 9. *Decis* 561. *numer.* 20. *part.* 18. *Recent. et coram Caprara Decis.* 529. *numer.* 6. *coram Crescentio, decis.* 170. *numer.* 3. *coram Olivatio Dec.* 607. *n.* 32. Hisce dein altera quoque adstipulatur animadversio. Et si enim non personalia solum lucra sibi præservasset Donans, verum bonorum donatorum usumfructum, ut fieri per quam sæpissime assoleret; non ideo tamen, quæ ex bujus usufructus perceptione bona Donator acquisivisset in Donatione comprehensa dici possent. Quidquid enim sit de veterum hac super re Jurisconsultorum dissidiis, hoc nunc jure vivimus, ut reservato sibi a Donatore usufructu, bona, quæ ex hoc forte ipsi in progressu temporis acquiri possunt, in explcta, Donatione, neque contemplata, neque idcirco Donatario cessa dici valeant: eaquepropter donatio, reservato usufructu, iis tantum in rebus consistere dicitur quæ in donationis actu venerunt, non quæ ex ejusdem usufructus perceptione donator ipse comparaverit, uti recte tradit *Mantica de tacit. lib.* 13. *tit.* 32. *num.* 7. *Rota decis.* 342. *num.* 2. *part.* 3. *decis.* 106. *num.* 5. *part.* 13. *Recent. et coram Cerro decis.* 562. *numer.* 7.

Nullus enim secus esset hujusmodi reservationis effectus, et reservatio ipsa elusoria potius, ac sensu vacua haberetur, nisi Donanti fas esset de iis, quæ, ex reservatis in Donatione, sua frugalitate, atque industria sibi comparavit, libere inter vivos, aut causa mortis disponere, ad quod absurdum vitandum etiam in donatione bonorum futurorum cum reservatione usufructus, de iis, quæ ex hoc proveniunt posse Donantem libere disponere tenendum est, ut tradit *Rota coram Durano decis.* 348. *num.* 9. Ne itaque inanis fiat reservatio, cum cæteroquin in contractibus, nec vocula quidem suo effectu carere debeat, monente *Rota in Romana, seu Prænestina Molendini super adnexis* 9. *Maii* 1808. *coram Bardaxi*, omnino dicendum est optimo jure Ernestum de iis Bonis disposuisse, quæ post emissam Lutii favore Danationem suis laboribus acquisivit, sive quia ali- 6

ter statuendo penitus otiosa maneret amplissimis verbis concepta reservatio, sive etiam, quia quemadmodum pecuniæ, quas idem Ernestus, aut equitationem publice docendo, aut Magistratu, aut negociationem aut alia qualibot personali industria sibi comparavit, in Donatione comprehendi ea attenta reservatione minime possent per *Gabriel conclus.* 2. *de Reg. Jur. Decian. Cons.* 52. *n.* 53. *ad fin. Natta Cons.* 347. *num.* 3. *Surd. Cons.* 26. *num.* 5 ita nec bona comprehendi potuerunt iis pecuniis per eum acquisita *Rot. decis.* 12. *num.* 1. *et seq. part.* 14. *Recen. in Anconitana Pecuniaria* 26. *Junii* 1782. §. 5. *et n.* 9. *coram Mannelli, et in confirmatoria diei* 4 *Julii* 1783. *coram Resta, et in Senogallien. Immissionis quoad bona Joannis Baptistæ, et Thomæ Fratrum Orsini* 18. *Maii* 1804. §. 3. *coram Strasoldo.*

7 Quapropter verba illa, amplissimæque clausulæ, quibus Notarius Donationis actum Lutii favore exaratum communivit « *qualsivoglia successione testata*, o *intestata ecc. per ragione di qualunque Testamento, e contratto celebrato, o da celebrarsi* » non adeo sunt protendenda, ut bona quævis quacumque ex causa in posterum ab Ernesto acquirenda ab eo usque temporis momento in Donatarium transferendi vim habuerint, sed ea tantum, quæ ex causa testata, vel intestata, eidem forent obventura. Eam quippe futurorum Bonorum translationem, juriumque quærendorum « *per istromento celebrato, e da celebrarsi* » immediate sequitur apposita ab ipso Donante reservatio lucri ex personali industria postmodum hauriendi, quæ non modo præcedentem dispositionem explicat, ac moderatur, ccu superius dictum fuit, sed, quatenus oporteat, illi etiam derogat, effrenesque clausulas præconceptæ Donationis intra reservatorum terminos coarctat, ac continet. Et quamvis appellatio futurorum, ac dictio omnium ex propria amplitudine nihil excipiant, excluditur tamen quod postea nominatim reservatum appareat. Qua in re perperam Joannes Baptista *Decisione* 455 *coram Ansaldo* abutebatur, ut bona etiam ex reservatis personalibus lucris obventa ad Donationem pertinere, allato illius Decisionis exemplo, demonstraret. Differunt enim plurimum inter se factorum species. Ibi nempe reservatio omnium bonorum donationem, factamque translationem antecedit, cum contra in themate pura, ac simplex sit *separata ac posteriori* oratione apposita reservatio.

Sic demum, tum altera Decisio *Romana assignamenti super bono jure* 15 *Januarii* 1722 *coram Lana*, tum altera *Anconitana Testamenti* 11 *Aprilis* 1796 *cor. Priolo* a præsenti quæstione prorsus alienæ dignoscebantur. Namque in priori Decisione de ea agebatur donatione, qua nihil præservatum a Donatore fuerat: in posteriori autem de quadam Primogenituræ institutione quæstio erat, qua in eamdem Primogenituram bona omnia conferenda esse lex erat, quo in casu certe bona etiam ex usufructu comparata comprehendi nemo non videt. Ex omnibus itaque hinc usque deductis perspicuum est, quod, cum lucra personalia sibi reservaverit in prima Donatione Ernestus, et cum ex his novum patrimonium sibi acquisiverit, ac demum cum de his iterum, iterumque erga Catharinam deposuerit, jure ipsa possessionem nacta fuit eorum bonorum, quæ tum in donatione, tum in testamento eidem addicta fuerunt, nullaque idcirco subesse potest ratio, ex qua hæc ab eadem capta possessio circumscribatur, et Baldellio redintegratio tribuatur ad bona, quæ numquam possedit, nec possidendi jus habuit. 8

Et ita utraque etc.

PERUSINA CONSUCCESSIONIS

QUOAD HÆREDITATEM VINCENTII

Lunae 25 *Februarii* 1822.

ARGUMENTUM

Patet ex Summario

SUMMARIUM

1. *Si defunctus neque descendentes neque adscendentes reliquerit, primi ad hereditatem vocantur fratres, et sorores ex eodem patre, et ex eadem matre nati.*
Fructus hereditatis a die apertae successionis debentur - ibidem. -
2. *Heredi legitimo immissio danda est ad bona tantum libera, non vero ad illa, quae fideicommissi onere gravantur.*
3. *Heres legitimus, a bonis fideicommissariis, nihil aliud detrahere potest praeter legitimam.*

DECISIO LXXXII.

Ex factorum serie in contemporanea Decisione exposita constat bona, resque omnes Familiæ Righetti Lambardi in Antonio coaluisse, atque ipsum morti proximum anno 1793. testamentum scripsisse, eoque, instituta erga primonatum ex quatuor ipsius filiis, ejusque descendentes super quibusdam peculiaribus bonis primogenituræ, reliquum suum patrimonium fideicommisso perpetuo subjecisse, vocatis » *per egual porzione Niccola, Francesco, Vincenzo, e Luigi miei figli, quali reciprocamente frà di Loro sostituisco* = atque insimul præcepisse, quod nulla alienatione fideicommissum hoc imminui posset, et quod, si quis e filiis legitimam detrahere vellet = *si intenda ipso facto decaduto dalla mia eredità, e s' intenda istituito nella sola legittima, che de jure gli compete, e nel rimanente gli altri che si dimostreranno obbedienti a questo mio comando* ». Constat etiam, defuncto Antonio, Aloysium legitimam detrahere voluisse portionem, ac patris hereditati, quæ tota fideicommisso subjecta fuerat, nuncium misisse, ex quo omnis fideicommissaria substantia in Nicolao, Francisco, et Vincentio cum reciproca eos inter eorumque descendentes substitutione, coaluit.

Cum vero Vincentius postea obiisse, ac in bona ab eo possessa, quæ fere omnia fideicommisso parentis subjecta erant, successissent Nicolaus, et Franciscus, ad illius hereditatis consuccessionem cum fratribus sibi jus fuisse Aloysius novissimis hisce temporibus contendere cœpit, atque a Sacratissimo Principe obtinuit, ut hujusce rei etiam cognitio ad S. N. Ordinem deferretur = *attenta connexione cum altera* » super bonis a donatione Bartholi Righetti provenientibus, de qua in contemporanea prædicta mea Decisione actum fuit. Patrum itaque judicio bodie subjecti etiam dub. = *An et pro qua parte, et super quibus bonis sit danda immissio ad bona hereditaria Vincentii, et a qua die, et in qua summa sint restituendi fructus, et relaxandum mandatum in casu etc. et* responsum habui = *Affirmative, et immissionem dandam esse pro triente ad bona libera Vincentii et fructus esse restituendos, et mandatum esse relaxandum in summa liquidanda; in reliquis negative* =.

Responsum sane justitiæ undique 1
consonum. Improlis namque undique, et intestatus Vincentius decessit: quare, cum certum sit, quod = *si defunctus neque descendentes neque adscendentes reliquerit, primos ad hereditatem vocamus fratres, et Sorores ex eodem patre, et eadem matre natos* » ut statuit Imperator *Novell.* 118. *cap.* 13., rectissime a S. Tribunali constitutum fuit immissionem dandam esse Aloysio ad bona a Vincentio relicta, cum ipse unus ex hujus fratribus, et successoribus intestatis sit. Optime etiam ad trientem hereditatis Vincentii hæc Aloysio immissio tributa cohibita fuit, quia tres simul fratres ad consuccessionem prædictam jus habebant. Et quidem hanc ita constitutam consuccessionem nec Franciscus, nec Nicolai filia, et hæres sive hujus spectatissima mater, et tutrix denegant, neque abnuunt bona, quæ libera relinquere Vincentius fortasse potuit, trifariam esse dividenda, una e tribus partibus Aloysio addicta. Fructus etiam trientis hereditatis Vincentii a die apertæ successionis pro summa liquidanda Aloysio deberi certissimum est.

Ad ea vero tantum bona immissio- 2
nem Aloysio Patres tribuerunt, quæ tamquam libera ad Vincentium perti-

nuisse dignoscatur, sed illam ad ea non porrexere bona, quæ Vincentius cum fideicommissi onere possidebat; hæc namque ejus hereditatis partem constituere baud poterant. Consuccessio itaqua Aloysio baud debetur cum Francisco fratra, et defuncti Nicolai filis in ea bona omnia a Bartholo donata, quæ libera in donatario Antonio fuerunt, et de quibus ipse ad libitum disponera poterat, uti statuit contemporanea ad ea pertinens Decisio. De iis enim reapse ille disposuit, eaqua una cum omni sua substantia, quibusdam tantum exceptis bonis primogenituræ addictis, fideicommisso subjecit favore filiorum eorùmque descendantium masculorum in perpetuum cum reciproca inter eos omnes substitutione, atqua ea sub lege ut, si quis a filiis suæ voluntati obtemperare noluisset, et legitimam maluisset detrabere = *s' intenda ipso facto decaduto dalla mia eredità*, transeunte fideicommisso ad alios fratres qui = *si dimostreranno obbedienti a questo* mio *comando.*

3 Hinc itaqua, cum detracta ab Aloysio fuerit super paterna hæreditate legitima Nicolao, Francisco, et Vincentio ex patris voluntate integra cessit reliqua ea hæreditas cum onere fideicommissi et reciproca eos inter eorumqua descendentes substitutione. Quara, cum in Antonii fideicommissaria substantia compræhensa fuerint bona a Bartholo donata; plane consequitur quod ex ea legitimæ detractione omne ad haec bona uti ad alia cætera Antonii, fideicommisso subjecta, quovis tempore assaquenda jus Aloysius amiserit, ita ut, Vincentio defuncto, ad Nicolaum, et Franciscum fratres, qui parenti morigeros sese præbuerunt, pervenerint; ex quo inter Vincentii libera bona recenseri non potuerunt. Merito igitur Aloysius, cui jus tantum erat assequendi consuccessionem cum fratribus in defuncti Vincentii libera bona, rejactus fuit a Patribus in proposita postulatione consuccedendi in ea bona a Bartbolo provenientia, atque baec fuerunt, uti reliqua fideicommisso ab Antonio subjecta, Nicolao siva ejus filiae, et haeredi, atque Francisco addicta. Sartum vero, tectumqua erit Aloysio jus vindicandi mobiles res a Vincentio relictas, ac stabilia, quae in congruo judicio libere ad ipsum, aliunde quam a Patre, qui omna suum patrimonium fideicommissi nexu obstrinxit, pervenisse, et in ejus haereditate reperta fuisse probare poterit; quemadmodum aes alienum ab eodem Vincentio relictum uti haeres rependere obstringetur.

Et ita etc. utraqua etc.

PERUSINA CONSUCCESSIONIS

QUOAD

HAEREDITATEM VINCENTII

Veneris 14 *Junii* 1822.

ARGUMENTUM

Habes in superiori quae confirmatur « DECISIO LXXXII. »

SUMMARIUM

1. Fratres ad intestatam alterius fratris successionem, qui nec liberos, nec parentes sibi superstites reliquit ex jure vocantur.

In Superiori casu fructus debentur a die apertae successionis - ibidem. -

2. Pater qui caducum a sua haereditate ipso facto eum fieri voluit, qui nulli oneri obnoxiam legitimam detrahere maluisset, filius qui paternae voluntati non obtemperavit, omnes jus ad reliqua paterna bona amisit.

3. Cum non solum de immissione in genere quaestio sit, sed etiam de immissione in specie, quaeri oportet super quibus bonis danda sit immissio.

DECISIO LXXXIII.

Testamento, quod scripsit anno 1793 Comes Antonius Righetti, cum quatuor suis filiis, Nicolao, Francisco, Vincentio, et Aloysio, quos bæredes ex æquo instituerat, legem dixisset, ut ne liberam quidam legitimam haberent, sed integra ipsius bæreditas perpetuo re-

ciproco inter eos, eorumque descendentes fideicommisso subjecta esset, notissimaque adbibita Soccini cauthela, præcepisset, quod, si quis eorum suæ voluntati haud acquiesceret = *sia decaduto dalla mia Eredità, e instituito nella sola legittima, e nel rimanente gli altri che si dimostreranno obbedienti a questo mio comando* = uti narrat *præt. mea Decisio*, Aloysius, qui onus fideicommissi ferre noluit, liberam, omnique vinculo solutam legitimam sibi habuit, et ita jus ad paternam hæreditatem amisit, quæ cum onere prædicti fideicommissi in reliquos fratres, qui patris dicto audientes fuerunt, pervenit. Verum post diuturnum silentium, nuncium, quod ipse patris substantiæ miserat, sibi haud obstare existimans, quominus intestatæ hæreditatis fratris Vincentii anno 1803 defuncti, quæ fere omnis ab Antonio patre derivàns fideicommisso subjecta erat, portionem obtineret, alios fratres vexare cœpit trientem hujusce hæreditatis postulans.

Providentia Sanctissimi Principis cum hæc etiam controversia, *attenta connexione cum altera*, quæ Bartholi donationem respiciebat Sacro Nostro Ordini de communi partium consensu *VV. OO. præviis duabus, appellatione re mota* delegata fuerit, die 25 Februarii labentis anni OO. Dominos iuterrogavi = *An et pro qua summa, et super quibus bonis sit danda immissio ad bona hæreditaria Vincentii, et a qua die, et in qua summa sint restituendi fructus, et sit relaxandum mandatum in casu etc.* = Responsum accepi = *affirmative, et immissionem dandam esse pro triente ad bona libera Vincentii, et fructus esse restituendos, et mandatum esse relaxandum, in reliquis Negative* = uti constat ex mea Decisione, quæ sub ea die fuit in vulgus edita. Ex delegationis lege cum hæc Decisio novo examini subjicienda esset, iterum hodie Patres sub assueta Dubii formula consulti = *An sit standum, vel recedendum a Decisis* = persliterunt = *in decisis* =.

1 Jure vero, meritoque. Nam confirmanda erat ea, quam ipsi protulerant, Sententia, quæ unicuique jus summa tribuens, bona libera a fideicommissariis distinxit. Et sane, si ratio babeatur de bonis liberis, quæ in hæreditate Vincentii reperta sunt, res plane est expedita, nec ullum adesse potest dubium, quin ad ea pro triente Aloysio debeatur immissio. Nam fratres ad intestatam alterius fratris successionem, qui nec liberos, nec parentes sibi superstites reliquit, *tum* ex naturali, *tum* ex civili jure vocantur. Cum igitur Vincentio, qui, nullo scripto testamento, decessit, tres tantum fratres supervixerint. Aloysio alteri eorum triens ejus liberæ hæreditatis una simul cum fructibus a die apertæ successionis tribuatur oportet. Nec super hisce ulla est inter partes contentio. Quo circa sartum, tectumque servandum erit Aloysio jus in congruo judicio vindicandi, pro ea portione, quidquid bonorum vel mobilium vel immobilium in libera Vincentii hæreditate reperire ei datum sit, onere, quod qualitati hæreditariæ inhæret, insimul ab eo suscepto, æs nempe alienum, quod Vincentius reliquit, pro rata dimittendi, ut tradit mea *præt. decis.* § 3. 5.

Verum ad omnia bona quod attinet, quæ Vincentius a patre acceperat, inter quæ procul dubio ea etiam a Bartholo donata sunt recensenda, uti in mea contemporanea Decisione fuit constitutum, jus certe nullum super iis Aloysio esse potest. Quominus enim ei petita immissio ad ea bona concedatur, insuperabilem parat obicem ipsius parentis Antonii dispositio, qui, cum universa sua bona, paucis tantum exceptis, quæ Primogenituræ assignavit, petpetuo fideicommisso, favore filiorum cum reciproca inter eos substitutione subjecisset, caducum a sua hæreditate ipso facto cum fieri voluit, qui nulli oneri obnoxiam legitimam detrahere maluisset, transeunte fideicommisso ad alios Fratres, qui ejus præcepto obsequentes fuissent. Cum itaque Aloysius paternæ voluntati obtemperare detrectaverit, legitimamque ex universo Asse assequutus fuerit omne jus ad reliqua pa- 2

terna bona, Bartholi haud excepta substantia, amisit. Nemo proinde non videt, quam incivile sit, ut Aloysius nunc adversus leges testatoris, propriumque factum insurgens, consuccessionem cum fratribus postulet quoad ea bona, quæ in vim reciproci fideicommissi Nicolao tantum, et Francisco erant debita, nec hæreditatis Vincentii partem constituere poterant.

4 Quantum igitur jure Aloysius agere potest ad vindicandum liberi Assis Vincentii trientem, quem nempe hic aliunde, quam a patre quæsiverat, tantum profecto ab actione cadat oportet, quam vel ad bona a Bartholo donata, vel ad reliqua, quæ a communi parente profecta sunt, assequenda proposuit. Nullius autem ohicis esse potuit, quominus ita Patres definirent, futilis prorsus objectio ab Aloysio proposita, quod non sit hic locus constituendi in *specie*, quæ bona libera, quæ fideicommissaria Vincentii fuerint. Cum enim, non solum de immissione in *genere* quæstio sit, sed etiam in *specie* sub duhii formula quæratur *super quibus bonis* Aloysio debeatur immissio, fieri non poterat, quin in præsentia constitueretur ad bona omnia ab Antonio provenientia, iis compræhensis a Bartholo donatis, nulli pro Aloysio immissioni locum esse.

Atque ita universa Aula suffragante etc. Utraque etc.

PERUSINA IMMISSIONIS

Lunae 25 *Februarii* 1822.

ARGUMENTUM

Si in donationis actu, fuerint nominati - *Eredi e Successori* - non ob id inducitur statim fideicommissum, sed vulgaris tantum Substitutio. Nam ad inducendum fideicommissum, requiritur quod expressim futurum tempus fuerit designatum, et quod testator donatariis injunxerit bona conservandi Substitutis.

SUMMARIUM

1. *Ex juris praesumptione libera bona omnia existimantur.*

Etsi donationis verba protendantur - agli Eredi e Successori - *longe abest quod fideicommissum contineant - ibidem. -*

2. *Quum non agatur de fideicommisso, sed de vulgari tantum substitutione, haec in prima donatario, qui donatam substantiam assequutus fuit, expirat.*

Ad excludendam substitutionis resolutionem in simplicem vulgarem, necessariae sunt notae futurum tempus designantes, et ordinandi fideicommissi voluntas - ibidem. -

3. *A Cumani Theorica nunquam receditur, nisi testatoris verba agnationis votum praeseferant, et gravamen donatariis injunctum bona donata conservandi Substitutis.*

4. *Si Donans stipulaverit sibi correspecticum, hic actus, potius quam simplex donatio, erit contractus onerosus, et innominatus - do ut des.*

5. *Quam maximum discrimen semper adest inter haeredes et Successores comprehensos in contractibus, et haeredes ac Successores in testamento nominatos.*

6. *Exclusum remanet fideicommissum, si - Eredi, e Successori - nominati fuerint, non ad donata bona eis deferenda, sed ad majorem donantis cauthelam.*

7. *Legitimarius haeredis loco haud habetur, et qui patris voluntati non obtemperavit, nequit amplius ejus personam repraesentare.*

8. *Nemo potest una simul esse patris legitimarius, et haereditaria jura super bonis, quae repudiavit, exercere.*

Jurium reservatio, si expressim exhita fuerit, ad certa et determinata bona, nequit ad alia bona protendi - ibidem. -

DECISIO LXXXIV.

Irrevocabili *inter vivos* donatione, ab anno usque 1703, semissem omnium bonorum in fratrem Antonium, ut enm facilius ad colium conjngio subjiciendum alliceret, translulerat, una cum altero fratre Leandro, Bartholus Righetti Lambardi Perusinus. Anno deinceps 1743., sub die 11 Julii, postquam Antonius, Uxore ducta Anna Victoria Casanova, ex ea filium susceperat, Nicolaum idem Bartholus, per alterum irrevocabilem actum inter vivos, quidquid bonorum ipsi reliquum erat donavit = *Al Signor Conte Nicola Righetti suo Nipote carnale, ed al Signor Conte Antonio figlio del medesimo Signor Conte Niccola, ed agli Eredi, e Successori*

dei detti Signori Conte Niccola, e Conte Antonio =. Quæ donatio correspectiva, et onerosa donatariis fuit. Nam Donator, præter Urbanam, et ruris habitationem, atque usum =*dei Mobili, utensili, Masserie, suppellettili Argenti, Carrozze, ed altro*= annuam sibi reservavit pensionem Scutorum 1800, a Donatariis præstandam. Obiit post paucos ab hac donatione dies, nempe die 18 Julii prædicti anni 1743. Nicolaus, ejusque fatum die 12 Februarii anni 1744 saquutus fuit donator Bartholus. Postrema hinc dies 31 Martii 1793, fuit Antonio, in quo omnia Familiæ Righettiæ Lambardiæ bona coalucrant.

Quædam hic per supremas tabulas, usque a die 21 Februarii illius anni 1793 exaratas, bona jam Primogenituræ subjecerat erga Nicolaum juniorem, inter ejus filios majorem natu, aliosque designatos substitutos. Omnibus autem filiis, ipse, nempe Nicolao, Francisco, Vincentio, et Aloysio cum reciproca eos inter, eorumque descendentes substitutione, et onera perpetui fideicommissi, quacumque probibita alienatione, ac detractione et in legitima tantum institutis, qui ejus voluntatem accepto habere recusarent, cætera omnia, quæ possidebat, bona reliquerat. Maluit, eo defuncto, alter ex hisce ejus filiis, Aloysius, fideicommissarium onus respuere, atque legitimam detrahere portionem, quam ex Prætoris Perusini Sententia in sonti 7080 et obul. 48 est assequutus. Omnis hinc Antonii hæreditas, sive Familiæ Righettiæ, et Lambardiæ substantia inter alios ejus filios Nicolaum, Franciscum, et Vincentium juxta paternam legem divisa fuit. Res deinde quiete, ac pacifice ad annum usque 1821 processerunt. Quo tempore, postquam Vincentio, ac Nicolao defuncto, omnia prædicti Antonii fideicommissaria bona in Franciscum, et Nicolai filiam Mariannam pervenerant, supplicem Aloysius Sanctissimo Principi Libellum porrexit, ut cum, se læsum assereret a fratribus, quia virilem portionem super bonis a Bartholo, ut superius vidimus, anno 1743 donatis, sibi fidecommissi nomine debitam contendebat, celeri judicio quæstio absolveretur. Annuente itaque tum Francisco, tum Mariannæ Matre, ac Tutrice Comitissa Sulpitia, Causæ definitio Principali Rescripto ad S. Nostrum Ordinem = *præviis duabus Vid. O. O. appellatione remota* = ablegata fuit. Dubium hinc hodie universæ Aulæ resolvendum proposui, hac conceptum formula = *An constet de existentia donationis, et fideicommissi, ejusque progressivitate ita ut, et super quibus bonis sit danda immissio, et a qua die, et in qua summa sint restituendi fructus et sit relaxandum mandatum in casu etc.* =, quod responso diremptum fuit = *Negative in omnibus.* =

1 Immissionem siquidem postulat Aloysius ad virilem portionem bonorum, a Bartholo Righetti Lambardi provenientium, verbis innixus donationis ab hoc emissæ = *Dona al Conte Niccola Antonio, ed agli Eredi, e Successori* = ex quibus eruere studet *fideicommissum* a Bartholo super bonis donatis fuisse *institutum*, et sese ad hoc esse fideicommissum *vocatum*, uti Antonii parentis = *Erede, e Successore* = Verum inani labore, vel *fideicommissi institutionem*, vel suam ad hoc *vocationem* defendere conatur. Etenim, cum ex juris præsumptione libera bona omnia existimentur, evidentissime asserti fideicommissi existentia, ad hanc libertatis bonorum præsumptionem destruendam, esset demonstranda per *Textum in Leg. cohaeredes ff. de vulgar. et pupillar. substit. leg. ab eo Cod. de Fideicom. Castill. Controv. juris Lib.* 5 *cap.* 65 *numer.* 45. *Rota Decis.* 425 *numer.* 9 *in Recen. et in Tolentina Divisionis super Reservatis* 6 *Junii* 1752 § *final. coram. Elephantut. et in Civitatis Castelli Fideicommissi* 9 *Maii* 1753 § 2 *coram Paraccian.*: Nullum vero fideicommissum præseferre Bartholi donationem ex hujus verbis perspicuum est = *Per titolo di donazione fra i vivi* = ita Bartholus = *dona all'Illustrissimo Signor Conte Niccola Righetti, ed all' Illustrissimo Signor Conte Antonio figliuolo del medesimo Signor Conte Nicola, ed agli Eredi, e Successori dei detti Signori Conte Niccola*,

e Conte Antonio = Et sane verba donationem protandentia =*agli Eredi, e Successori dei detti Niccola*, ed *Antonio* = longo abest quod fideicommissum contineant, immo certum est, primis donatariis Nicolao et Antonio post adeptum donationis compendium, liberum prorsus fuisse, iis haud obstantibus verbis, arbitrium de donatis bonis, erga quemcumque extraneum disponendi, uti docet *Peregrinus de Fideicommissis Art.* 32 *numer.* 30. *Fusarius de substitutione quaest.* 339 *numer.* 1., *et seq. Castill. Controv. juris Lib.* 5 *cap.* 96 *numer.* 1 *Rota Decis.* 89 *numer.* 52 *coram Ansald. et in Sorana legitimae quoad bona Angeli Antonii Lisi* 18 *Martii* 1793 § *coram Resta.*

2 Porro Juris Consultorum omnium, ac Tribunalium, præsertim Sacr. Nostr. Ordinis constantissima Sententia est, quod donatio alicui facta, *ejusque haeredibus, ac Successoribus*, non fideicommissariam, sed vulgarem tantum substitutionem contineat, juxta notissimam *Cumani Theoricam in Leg. cum ita* §. *in fideicommisso ff. de legat.* 2.; ex quo substitutio in primo donatario, qui donatam substantiam assequutus fuerit, expiret. Cum itaque Bartholus Nicolao, et Antonio donaverit; et ii donata bona fuerint adepti, nunquam fideicommissum inducere potuissent eorum filii, vel hæredes ex illa dispositione, cujus vis ex vulgaris substitutionis natura per adeptum donationis compendium in primis donatariis cessavit per *Rot. Decis.* 207 *numer.* 1 *coram Ludovisio Decis.* 964 *numer.* 6 *coram Lancetta.* Quod adeo verum est, ut idem sentiendum esset, etiamsi per hypothesim Bartholus non donasset Nicolao, et Antonio, atque simpliciter = *agli Eredi, e Successori dei detti* =, uti reapse donatum vidimus in tabulis anni 1743., sed expressim donatio extensa fuisset ad *eorum filios.* Hoc enim etiam in casu filii ipsorum, quamvis nominatim vocati, nullum ad bona donata jus habere potuissent, postquam bæc ipsi primi donatarii acquisivere; *per Rotam in Decis.* 35 *numer.* 1 *coram Herzan Decis.* 111 *numer.* 1 *coram eodem in Decis.* 679 *numer.* 3 *coram Riminald.*, *et in Ripana Immissionis* 9 *Iunii* 1780 § 6 *coram Lancellotto.* Nec secus dicendum esset in duriori etiam themate, quod Bartholi donatio protensa fuisset ad Nicolai, et Antonii *filios, et descendentes*, nam ad excludendam substitutionis resolutionem in *simplicem vulgarem*, necessariæ etiam fuissent notæ futurum temporis tractum designantes, et ordinandi fideicommissi voluntas aliunde scatens, siculi tradit *Ridulphin. Alleg.* 104 *numer.* 7 *Rot. Decis.* 33 *n.* 1 *coram Ubald. Decis.* 65 *numer.* 1 *coram Emerix Decis.* 242 *numer.* 1 *coram Molines, et in Melevitana Immissionis* 17 *Aprilis* 1741 § 12 *coram Vicecomite.*

Toto vero Donationis Bartholi tenore perlustrato, nil aliud reperitur in ea, nisi pura, et simplex bonorum donantis collatio = *Al Signor Conte Niccola, ed al Signor Antonio, ed agli Eredi, e Successori dei detti Signori Conte Niccola*, ed *Antonio* =, ac nullum, ne minimum quidem in ea videre datum est volitæ a donante progressivitatis Successionis indicium, nullum fideicommissariæ substitutionis argumentum. Hinc, cum pateat nec futuri temporis cogitationem, nec ullum fideicommissum præseferre Bartholi dispositionem, manifeste consequitur quod ex indole vulgaris substitutionis, acquisita a Nicolao, et Antonio bonorum possessione, omne cujuslibet Substitutionis vinculum evanuerit *Redenasc. Cons.* 10 *numer.* 4., *et Cons.* 34 *numer.* 16. *Fusar. Cons.* 3., *et de substit. quaest.* 382 *nume.* 19. 20. *Bellon. Cons.* 26 *num.* 22 *Rot. Decis.* 242 *numer.* 2 *coram Molines, et Decis.* 172 *coram Olivatio.* Quævis itaque exulat a prædicta donatione species etiam fideicommissi, ad quam exhibendam opus saltem fuisset verbis præseferentibus agnationis Votum, aut gravamen donatariis injunctum bona donata conservandi substitutis, quæ omnia cum deficiant in illa donatione, fieri nunquam potest, ut a Cumani Theorica recedatur *per Fusar. de substit. quaest.* 382 *numer.* 46., *et* 64. *Torre de Majoratu quaest.* 36 *numer.* 25 *Tom.* 3

2. *Card. de Luca de fideicommis. Disc.* 92 *numer.* 3. *De Comitibus. Dec. Florentin.* 1. *numer.* 3. *Rot. Decis.* 242. *numer.* 9 *coram Molines*, *et in Montis Falisci Immissionis* 1 *Decembris* 1741 § 6 *coram Peralta.*

4 Hisce vero omnibus in jure receptissimis quam maximum accedit pondus ex eo, quod tabulæ anni 1743. contractum oncrosum, et innominatum =*do, ut des* =, potius quam simplicem donationem continent; nam Bartholus, præter alia, quæ sibi a Donatariis stipulatus fuit, annua præsertim, quousque viveret, scuta *mille octigenta* sibi ab ipsis præstari voluit, ex quo patet ipsum, dum hunc inivit correspectivum, et donatariis onerosum contractum, nunquam de ordinando fideicommisso cogitare potuisse, cum ad alia prorsus diversa voluntas ejus directa videretur, nec ea fideicommisso instituendo conveniens occasio foret, sicuti optime observat *Rota in Ripana Immissionis* 9 *Iunii* 1780 § 6 *coram Lancellotto.* Et patet quidem quem ad finem in eo contractu comprehendi voluerit Bartholus, præter Nicolaum, et Antonium = *i loro Eredi, e Successori* =: Hoc quippe fieri voluit, ut quæ sibi stipulatus fuerat, annuam præsertim conspicuam prædictam vitalitiam præstationem, eo certius assequi posset, cum ad pactorum implementum realiter, ac personaliter ne dum donatarios, sed horum etiam hæredes obstrictos sibi haberet.

5 Et re quidem vera, cum in omnibus Contractibus partes se se semper suosque hæredes ad conventa servanda obligent, si hæredum, ac Successorum in iis comprehensionem fideicommissum inducere diceremus, illud oriretur absurdum, quod in omnibus stipulationibus fideicommissum constitutum fuisse onusque stipulantibus fuisse injectum suis hæredibus res in contractu deductas restituendi, statuendum esset. Hinc optime quam maximum semper discrimen inter hæredes, et Successores comprehensos in contractibus, et hæredes ac Successores in testamentis nominatos Tribunalia agnoverunt. Qui enim in contractibus includuntur, non hæredes sunt sui ac sanguinis, sed hæredes *bonorum*, ac proinde etiam *extranei*, qui in locum auctoris succedunt, ejusque facta, ex ejus voluntate post hæreditatem accepto habitam, servare debent: atque hi adamussim sunt ii, quos Bartholus in donatione designavit, in quos nimirum Nicolaus, et Antonius eorum hæreditatem, eorumque obligationes una cum ea transtulissent, uti ponderat *Rota in recen. Decis.* 171 *part.* 12 *Decis.* 219 *num.* 16 *part.* 13 *et Decis.* 4 *num.* 15 *coram Rezzonico in Romana Immissionis* 11 *Ianuarii* 1751 § 7 *coram Molino*, *et in Confirmatoria* 14 *Iunii* 1754 § 3 *et* 4 *coram Eodem.*

Omnia vero ex hisce corruunt, quæ 6 Aloysius proponit de Thorica Cumani non admittenda in donationibus, sed tantum in testamentis, et de comprehensione filiorum in donationibus collatis in donatarios, eorumque filios, qui ex donantis, non ex parentum voluntate donationis emolumentum assequuntur, ad quæ facienda plura profert Doctorum tradita, et S. N. Ordinis definitiones. Sat enim est ad hæc eliminanda, quod in Bartholi donatione nulla inveniatur vel levissima fideicommissi nota, ut superius fuit demonstratum, et quod in ea Nicolai, et Antonii = *Eredi, e Successori* = nominati fuerint non ad donata bona eis deferenda, sed ad majorem donantis cauthelam pro illorum omnium implemento, quæ sibi ipse in ea donatione stipulatus fuerat, sicuti pariter jam probatum fuit. Allatæ cum auctoritates a themate prorsus extraneæ statim dignoscuntur, cum sint in terminis vel fideicommissi roapse instituti, qualis est casus Decisionum, quæ obiiciuntur in *Auximana seu Anconitana Immissionis quoad bona Alexandri Maluccari* 4 *Iunii* 1791 *et* 2 *Iunii* 1792 *coram Strasoldo vel* donationum, quæ emissæ fuerunt intuitu certi ac determinati matrimonii erga Conjuges, aut eorum alterum, ac insimul erga filios ex eo matrimonio orituros, sicuti quoad ab Aloysio adductas Decisiones *in Urbevetana Consuccessionis* 9 *Decembris* 1814 *et* 10 *Martii* 1815 *coram R. P. D. meo Decano Serlupi* animadver-

tit S. Nostrum Tribunal *in Auximana Primogeniturae* 2 *Martii* 1818 § 12 *coram bo. me. Zinanni*: Firmum itaque, immotumque maneat oportet Bartholi substantiam Aloysium nunquam assequi potuisse, nisi ex paterna voluntate, si hæres ab Antonio patre fuisset institutus, et nisi ipsius hæreditatem accepto habuisset. Ea namque Bartholi substantia adeo prædicti Antonii donatarii propriis erat, ut de illa ad libitum, sicuti de cæteris suis rebus, disponere posset.

7 Disposuit autem reapse Antonius de universa re sua, in qua, ut vidimus, bona omnia a Bartholo donata comprehendebantur; per testamentum Anno 1793 confectum, atque, uti poterat hæredes sibi extraneos etiam facere filiis quatuor, quos babebat, institutionis titulo, legitima portione relicta, ita voluit, et potuit, super aliquot peculiaribus bonis primogenituram ordinare, reliquum vero suum omne patrimonium fideicommisso subjiciere, ad quod vocavit = *per egual porzione* = quatuor prædictos ejus filios, Nicolaum juniorem, Franciscum, Vincentium, et Aloysium, eisque inter se reciproce substitutis, succedere, post eorum mortem, mandavit eorum filios, et descendentes Masculos in *infinitum* cum reciproca pariter eos inter substitutione, notissima vero Soccini cauthela adhibita præcepit, quod si ejus filii, et primi hæredes instituti = *volessero detrarre la legittima*, o *altrimenti contravenire alla presente mia disposizione, s'intendano, e si abbiano istituiti eredi nella pura, e sola legittima, e nel rimanente gli altri*, *che si dimostrassero obbedienti* =. Cum itaque Aloysius paternæ voluntati obtemperare noluerit, sed parentis hæreditatem fideicommisso subjectam rejecerit, et legitimam tantum assequi maluerit, sicuti reapse obtinuit Anno 1794, ex Perusini Judicis Sententia in summa scutorum 7082 48 omne jus ad reliqua paterna bona. Bartholi substantia haud excepta, amisit; quia parentis hæredes baud fuit, *legitimarius* enim hæredis loco haud habetur per Rotam *Dec.* 319 *num.* 16 *cor. Riminald. et in Romana fideicommissi super detractione legitimae quoad portionem Marii* 6 *Maii* 1813 § 21 *coram Resta*: *et in Confirmatoria* 1 *Aprilis* 1815 § 5 *coram Tassoni*; hinc prædicta a Bartholo donata bona, quæ sibi, uti Antonii parentis *haeres sanguinis* asserere nunquam poterat, sicuti superius in aperto fuit positum, petere ipsi baud licuit amplius ex qualitate hæredis testamentarii patris, quia hanc a se respuit personam. Et quidem, si secus res definienda foret, illud oriretur absurdum, quod Aloysius, qui paternam sprevit voluntatem, melioris fuisset conditionis, quam tres sui fratres, qui illi obsequentes fuerunt, nam, præter legitimam, quam ab omni onere liberam habuit, virilem etiam haberet portionem super rebus a Bartholo donatis.

Perperam vero, ad eam virilem portionem, præter legitimam, vindicandam, 8
proponit Aloysius præservationem jurium, quam pro ipso Perusini Prætoris Sententia Anni 1794 in judicio Familiæ herciscundæ cum fratribus admisit. *Primum* enim hæc jurium reservatio ei *in genere* prodesse nunquam potest, uti contraria ejus facto; quia cum, parentis voluntate pessumdata, et oneribus rejectis, quæ ipse institutis hæredibus imposuit; legitimam nulli obnoxiam vinculo assequi maluerit, non poterat una simul esse patris legitimarius, et hæres, et hæreditaria jura super bonis, quæ repudiaverat, exercere, *Dein* illud *in specie*, quoad eam jurium reservationem, potissimum accedit, quod reservata jura cohibita expressim fuerunt ad bona Familiæ Righetti ab Antonio Aloysii patre possessa = *Romae et in Civitatibus, et Territorii Velitrarum*, *et Tusculi, nec non in Oppido Mareni*, *itemque super creditis*, = quæ omnia nil commune habent cum bonis a Bartholo donatis, quæve præterea pro sua symbola jam Aloysius obtinuit. Hisce omnibus firmissime constitutis, atque excluso a Bartholi donatione asserto fideicommisso, et Aloysii actione ad immissionem pro virili ad donata bona, altera etiam pars Dubii spectans ad

quantitatem prædictorum bonorum, quæ virilem ab Aloysio injuria petitam portionem constituisset, bujusqne portionis fructus, merito a Patribus, ulla absque indagine, *negative* responsio dimissa fuit.

Et ita etc. utraque.

PERUSINA IMMISSIONIS

Veneris 14 *Junii* 1822.

ARGUMENTUM

Habes in superiori quae confirmatur - DECISIO LXXXIV.-

SUMMARIUM

1. *Cum fideicommissorum vincula odiosissima sint, in dubiis, pro libertate bonorum est ferendum judicium.*
2. *Donatio alicujus favore emissa, ejusque haeredum et successorum, non fideicommissariam, sed vulgarem tantum importat substitutionem.*

   Frustra ad Fideicomissum infertur, ubi nullum adest agnationis Votum, nulla alienationis bonorum prohibitio, nulla clausula perpetuitatem temporis denotans - ibidem. -
3. *Absurdum esset, progressivam substitutionem in donatione ordinatam fuisse arguere, ubi donatio onerosa inita fuit.*
4. *In Contractibus, sub nomine haeredum et successorum, non haeredes sui, uti in Testamentis, sed haeredes tantum bonorum, veniunt utpote qui auctoris obligationes servare tenentur.*
5. *Etiam in donationibus Cumani theorica, recepta, et approbata saepe fuit.*
6. *Verba* - Eredi e Successori - *adeo late patent, ut quemcumque successorem etiam extraneum complectantur.*
7. *Ubi praesertim de donatione onerosa agatur, sub nomine haeredum extranei quoque omnino veniunt.*
8. *Si Testator cauthelam Soccini adhibuit, et filius legitimam detrahit, contra patris voluntatem, fieri non potest ut postea hic filius haeres dicatur.*
9. *Omnes leges vetant, aliquem simul esse legitimarium, et haeredem, quia haec duo, simul stare nequeunt.*

DECISIO LXXXV.

Cum inter Comitem Aloysium Righetti, ac ejus Fratrem Franciscum, et Mariannam alterius fratris Nicolai prædefuncti filiam, quæ sub præstantissimæ Matris Sulpitiæ tutela est, controversia orta esset, quoad effectum irrevocabilis inter vivos donationis, quam correspectivam prorsus, et onerosam Comes Bartbolus Righetti anno 1743 emiserat erga = *il Signor Conte Niccola Righetti suo Nipote, ed il Signor Conte Antonio figlio, e gli eredi, e successori dei detti Conti Niccola, e Conte Antonio* = contendente Comite Aloysio ex hac donatione, fideicommissi nomine, ad ipsum, uti Antonii Parentis = *erede e successore* = virilem bonorum donatorum pertinere portionem, tuentibus e contra Francisco, et Marianna, sive ejus Matre, et Tutrice Sulpitia, nullam vocationem ex iis donationis verbis Aloysium posse desumere, eoque magis omni ad donata bona jure ipsum esse destitutum, quia, detracta, et accepta legittima ex hæreditate paterna, hæreditariam Patris qualitatem abdicaverat, communi consensu, prævia Sanctissimi Principis venia, res S. N. Ordinis judicio subjecta fuit, ita vero ut universæ Aulæ suffragio, præviis duabus tantum Decisionibus, Appellationeque remota, celeri judicio expediretur. Quare die 25 Februarii hujusce Anni, Dubium Patribus definiendum exhibui = *An constet de existentia donationis, et fideicommissi ejusque progressivitate, ita ut super quibus bonis sit danda immissio, et a qua die, et in qua summa sint restituendi fructus in casu etc.* = cui responsum accepi = *Negative in omnibus* = teste mea Decisione, quam tum publici juris feci, quæve fusius controversiæ rei conditionem exponit. Hac decisione, juxta legem in commissione præscriptam ad trutinam hodie revocata; et omnibus Aloysii studiis adversus eam in irritum cessis, proposito de more dubio = *An sit standum, vel recedendum a Decisis* = statim redditum fuit responsum = *In decisis* =.

1 Et sane consultissimum qui namque agit judicio immissionis, et fideicommissi nomine, bona vindicare studet, quæ ad se pertinere contendit, præcipuo promitur onere præclarissime evincendi actionis suæ fundamentum. Si quid dubii, si quid incerti in ejus actione adsit, cum fideicommissorum vincula odiosissima sint, continuo pro libertate bonorum, cui favet juris præsumptio, ferendum est judicium. Hoc vero onus minime implet Aloysius, qui tantum ex nudis, aridisque donationis Bartholi verbis = *dona al Conte Niccola, al Conte Antonio, ed agli Eredi, e Successori di detti Conte Niccola, e Conte Antonio* = eruere studet Fideicommissum fuisse a donante institutum, et sub hæredum, et successorum appellatione omnes donatariorum descendentes, quorum ipso in classe versatur, contineri contendit. Inspecta enim, *tum* donationis litera, *tum* donantis voluntate, *tum* contractus natura, apertum statim fit, quam perdito studio Aloysius assertum Fideicommissum, et, quam sibi ad hoc usurpat, vocationem proponat. Siquidem ea verba in prædicto donatione adbibita = *agli eredi, e successori* = tam longe abest, quod præseferant Fideicommissi existentiam, quin imo certissimum est liberum, plenumque, iis verbis haud obstantibus, arbitrium primis Donatariis, Nicolao nempe, et Antonio fuisse, adeptum donationis compendium in quemlibet etiam extraneum transferendi, uti firmat *mea præt. Dec.* § 3.

2 Vetus quippe est Jurisprudentiæ Canon, quod Cumani innititur Doctrinæ omnium Doctorum calculo firmatus, et in judiciis constantissime receptus, quod donatio alicujus favore emissa, *ejusque hæredum, et successorum*, non fideicommissariam, sed vulgarem tantum importet substitutionem, ita ut vocatio in primo Donatario sistat, qui donationis compendium assequutus fuit. Quapropter, cum ipsi Donatarii Nicolaus, et Antonius, quæ bona eis Bartholus donaverat, assequuti fuerint, in eis onus restitutionis intercidisset, ac omne aliorum, qui vocati ulterius dicendi essent jus evanuisset. Idque adeo est in jure probatum, ut idem sentiendum esset, etiamsi = *non agli Eredi*, e *Successori del Conte Niccola, e Conte Antonio* = sed eorum filiis donatum a Bartholo fuisset. Hoc etenim etiam in casu filiorum vocatio per vulgarem cessasset, postquam donata bona primi ipsi donatarii adepti fuerunt. Quod in durioribus terminis etiam obtineret, si nempe donatio complexa fuisset, Nicolai et Antonii *filios, et descendentes.* Nam hæc verba, licet digressum ad plures personas innuere videantur, tamen omni vestigio progressivitati, desiderato, vocatio egredi haud posset primos institutos hæredes, nec iis adeuntibus ulla substitutio locum haberet, uti, quamplurimis allatis auctoritatibus, argumentatur mea *præt. Decis.* § 4. Nec vero in themate ulla adest ratio, quæ a Cumani theorica recedere suadeat. Talis enim occurrit donatio, in qua si tabulæ ab imo ad summum excurrantur, nullum datum est invenire Agnationis votum, nullam alienationis bonorum prohibitionem, nullas denique clausulas perpetuitatem temporis denotantes: Cum igitur ne una quidem vocula, aut dictio in ea vocatione exciderit, quæ vel minimum præbere valeat fideicommissariæ substitutionis indicium, objectum Fideicommissum exulat oportet, substitutionisque vinculum per vulgarem expirasse dicendum est, eo ipso quod Antonius, et Nicolaus donata bona acquisivere, ut advertit *mea præt. Dec.* § 5.

Gravissima hæc sunt, majora 3 supersunt, quæ omnem fideicommissi speciem prorsus eliminant, si donantis voluntas, et contractus natura spectetur. Nil enim profecto minus Bartholus per eam donationem in animo habuit quam liberali, ac gratuita largitate agnationi, donatariorumque filiis, tardioribusque descendentibus consulere; sed correspectivam tantum, onerosamque obligationem imponere donatariis voluit, rebus dumtaxat, commodisque suis prospiciens. Et sane nemo erit, qui id in discrimen adducat,

si quæ quantaque onera Donatariis imposita fuerint, inspexerit. Debuerunt enim Donatarii obligationem subire = *di soccombere del proprio al pagamento totale di tutti i pesi, e debiti, tanto communi dei Fratelli Bartolo e Nicolò, quanto particolari del Conte Bartolo* = deinde onus susceperunt Bartholo præstandi = *l' uso del Palazzo, e Casino di Campagna, e similmente l' uso dei mobili, argenti, carrozze, e Cavalli nei medesimi Palazzi, e case in qualunque di essi vorrà risiedere* =. Nec satis. Culmen hisce imposuit ingens annua præstatio = *di scudi milleottocento* = quam Bartholus, quousque vita frueretur, sibi stipulatus fuit. Quo circa, cum nullum certe consilium agitare in mente potuerit de subjiciendis bonis donatis fideicommisso, qui tantum correspectivum, et Donatariis onerosum inire contractum voluit, jam facile patet, quam absurdum sit, progressivum substitutionem in ea donatione ordinatam fuisse proponere, ut arguit *mea præt. Dec.* §. 6.

4 Quod si onerosum contractum, et innominatum *do ut des*, potius quam donationem ex nuda proficientem liberalitate præsefcrunt tabulæ anni 1743 aperte statim intelligitur, Bartholum ea donatione, præter Nicolaum, et Antonium complecti voluisse eorum *hæredes, et successores*, non quia ad eos donata bona trasmitti voluerit, sed ut tantum prospiceret; ne unquam, si forte ipsi sibi Donatarii prædecessissent, deficeret, qui æs alienum solveret, sibique equos, currus, argentum cælatum, domos instructas, annuam demum ingentem vitalitiam pensionem scut. 1800 præstaret. Nec argumentis opus est, cum hæc omnia manifestissime pateant ex ipsa donationis litera, qua ipsi contrahentes declararunt, idcirco a Bartholo donatum fuisse = *perchè in correspettività di quanto sopra il Conte Niccola per se, e per il Conte Antonio, e per i suoi eredi, e successori promette adempire le cose tutte contenute e dichiarate nei capitoli precedenti* = ita ut, *il sig. Conte Niccola, e gli altri donatarii non possono per qualsivoglia motivo ritardare o sospendere l'annuale intiero pagamento di scudi mille ottocento* = Optime itaque, juxta omnium plausu receptam distinctionem, quod in contractibus sub omine *hæredum*, et *successorum* non hæredes sui, et sanguinis uti in testamentis, sed hæredes tantum *bonorum*, veniant, utpote qui post accepto habitam hæreditatem in jura auctoris succedunt, ejusque obligationes servare tenentur, sicut fert verbi propria significatio, quam latius dedecet in contractibus interpretari, maxime vero si in odiosi Fideicommissi argumentum flecti, ac in sensum a Testatoris mente alienum detorqueri velit, optime inquam, non alios Bartholum sub nomine = *eredi e successori* = in donatione complecti voluisse, quam eos, in quos nimirum Nicolaus, et Antonius jura sua tam activa, quam passiva transtulissent, constitutum fuit *in mea præt. decis.* §. 7. Alioquin absurdum quam maximum oriretur, quod in omnibus stipulationibus onus contrahentibus foret injectum res in contractu deductas suis hæredibus restituendi. Nullus enim existit contractus, ad cujus observantiam ipsorum stipulantium hæredes obstricti non sint.

Ab hisce angustiis non recte sese 5
expediebat Aloysius Cumani theoricam proponens intra actus ultimarum voluntatum coerceri, minime vero in donationibus locum obtinere posse. Prærerquam enim ad remotionem objecti satis fuisset, quod Bartholi donatio, procul quovis Fideicommissi vestigio, nunquam onus restitutionis donatariis inducere posset, eoque præsertim, cum non ad alium finem, quam ad majorem cauthelam, ut quæ plura sibi stipulatus fuerat perpetuo assequeretur, *hæredum et successorum* mentionem Bartholus fecerit, quæ omnia supra demonstrata sunt, maximæ auctoritatis non desunt, ne ulla vel minima dubitatio supersit Doctorum sententiæ, et N. S. Ordinis Definitione in donationibus affirmantes Cumani theoricam receptam, approbatamque fuisse. Cujus rei testes habemus *Polit. Diss.* 41

num. 12 *et Rota in Dec.* 242 *num.* 1. *cor. Molin. et in Romana Immissionis quoad Fideicommissum Sulpitiæ Vitelleschi* 27 *Januarii* 1792 *cor. Soderino.* Patet igitur evidenter Fideicommissum non existere, et proinde deficere præcipuum actionis ab Aloysio institutæ fundamentum.

6 Cum itaque ex progressivitate substitutionis nulla spes Aloysio superesset, tandem hanc relinquens desperatam provinciam, omnes conatus præcipue eo vertere in hac colluctatione adlaborabat, ut suaderet sese successiva vocatione minime indigere, quia directe, et immediate in donatione comprehendebatur. Sed Aloysius nova hac certandi methodo manus revera dabat victas. Nam, cum ex originaria Dubii formula quæratur = *An constet de existentia donationis, et fideicommissi, ejusque progressivitate, ita ut sit danda immissio* = palam, apertumque est hoc in judicio immissionem peti non posse, nisi in vim progressivæ substitutionis. Si igitur fideicommissum excludatur, actum est de immissione, quæ ad tramites Dubii, a quo divertere non licet, ut inconcussa exigit S. N. Ordinis consuetudo a fideicommissi tantum progressivitate pendet. Cæterum eo etiam seposito, subtiliter nunc excogitatam defensionis rationem nullo modo subsistere animadvertebant Patres. Nam quid juris ex propria persona super bonis donatis Aloysio esse possit intelligere haud datum est. Siquidem donationis compendium in eum nec proprio nomine, nec qua donatariorum filium collatum fuit, sed cessit tantum favore = *degli Eredi e successori del Conte Niccola ed Antonio* =, quæ verba adeo late patent, ut quemcumque successorem etiam extraneum complectantur, nulliusque personæ specialem contemplationem præseferant. Exploratissimum namque est sub nomine *hæredum et Successorum* filios non ita in donatione comprehendi, ut eam ex propria persona, et proprio jure assequi possint, ut tradit *Rota in Dec.* 320 *num.* 26 *cor. Olivat., Dec.* 147, *n.* 6 *cor. De Veri, et in Ancon. hæreditatis* 14 *Martii* 1754 §. 3 *coram Molin.* = Verba enim illa = *Eredi e successori* = diversa omnino a verbis *filiorum et descendentium* respiciunt non modo hæredes sanguinis, sed hæredes quoscumque etiam extraneos, veluti costans semper hac de re fuit S. N. Ordinis jurisprudentia, *ut in Reatina Immissionis* 7 *Martii* 1755 §. 14 *cor, Vice Comite in Camerinen. Immissionis* 26 *Januarii* 1782 §. 10 *cor. Mannelli in confirmat. diei* 10 *Maji* 1783 §. 10 *cor. eod., in Auximana successionis* 5 *Junii* 1789 *cor. Strasoldo* §. 26, *in Senogallien. Immissionis* 2 *Maii* 1797 *cor. Priolo* §. 7. *In Anagnin Immissionis* 5 *Febr.* 1806 *cor. R. P. D. meo Bussio* §. 14 *et in confirmat diei* 12 *Junii* 1807 *cor. R. P. D. meo Isoard.* §. 8.

Recedat igitur longum conjecturarum agmen, quas Aloysius, *vel* ex qualitate 7
Personæ, *vel* ex copula = et = quia donatarii, eorumque hæredes fuerunt simul conjuncti, *vel* ex insinuationis præcepto omnibus indiscriminatim injuncto depromptas profert, ut ostendat sese simultanee cum Nicolao et Antonio fuisse in donatione comprehensum. Nullo enim in pretio haberi possunt quot afferuntur, et quot afferri possunt hujusmodi conjecturæ, semel ac constat nullam ab iis verbis = *eredi e successori* = ex proprio jure, et propria persona Aloysium haurire posse vocationem. Nec minus sileant oportet omnes, quæ longe a re nostra absunt, distantque quam plurimæ auctoritates vel obtinentes in casu Fideicommissi, uti definitum fuit in *Auxim. seu Ancon. Immissionis quoad bona Alexandri Malaccari* 4 *Jun.* 1782 *cor.* 5 *Stras.* vel donationem respicientes intuitu certi, et determinati Matrimonii expletam, ad quam Pater et Filii fuerint, una simul, et collectivo nomine vocati, quo in casu loquitur *Rota in Urbevet. Consucceesionis* 9. *Dec.* 1814. *cor. Rmo P. D. meo Serlupi Decano.* Cum enim in themate de onerosa donatione agatur, in qua sub nomine

hæredum extranei quoque omnino veniunt, quisque facile percipit, quam inopportune ea proponantur exempla, quæ ad hanc speciem minime pertinent. Cum itaque nulla substitutio, nulla contemplatio Aloysium juvet, ut tamquam sanguinis hæres ex proprio jure bonorum donatorum portionem vindicare possit, firmum immotumque maneat necesse est non alias donata bona perseqni ei licere, quam si ipse causam a Patre donatario habuerit Libera enim, nulloque gravamine obstricta ita et bona Comitis Antonii propria facta erant, ut non modo ea pro suo arbitrio cuique oneri subjicere, sed etiam in extraneos transmittere posset, ut tradit *mea præt. Dec.* §. 8.

8 Sed quominus Aloysius, tamquam bonorum, hæres quod tantum ei liceret possit visilem bonorum quæ Bartholus donavit, vindicare portionem obstat, quod ipsa paternæ valedixerit hæreditati. Nam, eum Comes Antonius ea facultate usus, qua quisque suæ rei est moderator, et arbiter, omnibus suis Filiis Francisco, Nicolao, Aloysio et Vincentio hæredibus ex Asse institutis, in quo profecto etiam donata bona recensebantur, interdixisset, ne quidquam etiam jure legitimæ, liberam, ac integram hæreditatem reciproco, inter eos, eorumque descendentes ordinato subjecisset Fideicommisso, adhibitaque cauthela Soccini, præcepisset, quod si quis eorum = *volesse detrarre la legittima s'intenda ipse facto decadute dalla mia eredità, e s'intenda istituito nella sola legittima, e nel rimanente gli altri*, *che si dimostreranno obbedienti a queste mio comando* = Aloysius, Fideicommissi oneris impatiens, hæredis a se respuit personam, maluitque legitimam ex universa substantia. Atque idcirco ex donatis etiam bonis detrahere, ut ea pro arbitrio uti frui posset, quam integram paterni Assis habere virilem portionem reciproco eum fratribus vinculo fideicommissi obnoxiam. Cum igitur, qui legitimam detrahit, fieri non possit, ut hæres dicatur, siculi, præter auctoritates collectas *in præt mea Dec.* §. 9. *firmat. Rota in Dec.* 248. *Coram De Cursiis Tom. I. num.* 10 *Nuper. Part.* 9. *Dec.* 398. *num.* 1 *et dec.* 1003, *num.* 12 *cor Lancetta*, eo ipso quod Aloysius legitimam in vim Prætoris Perusini Sententiæ fuit consequutus, spes illico ei adempta fuit donationis emolumento perfruendi. Perperam igitur ipse adversus suum factum insurgit, et ea bona, quibus valedixit, vindicare contendit. Et sane id eo magis tenendum est, ne in illud incidamus absurdum, ut, et Aloysio, præter legitimam omni nexu solutam etiam virilem bonorum donatorum conseqni liceret, melior ipsius esset conditio, qui paternam sprevit voluntatem, quam cæterorum fratrum, qui ejus dicto audientes fuerunt.

Nec recte prædictus Aloysius confugeret ad præservationem jurium quæ Perusinus Judex in judicio familiæ herciscundæ cum fratribus sarta, tectaque ei servavit. Jus enim primum ei obstat, quod vetat, aliquem simul esse legittimarium, et hæredem, quæ duo simul stare nequeunt. Quo circa, eum ipse libere potius legitimæ, quam Assis fideicommissarii cupidus, illam detraxerit, hæc jurium præservatio, utpote ejus facto contraria, ipsi prodesse nequit. Præterea ei obest prædictæ jurium reservationis tenor. Cum hæc enim cohibita fuerit ad bona a Comite Antonio possessa = *Romæ et Velitrarum et Tusculi in Civitatibus et territoriis*, *nec non in oppido Mareni, et item super creditis*, super quibus sane omnibus nuperrima intercessit conventio a Comite Aloysio absque ulla alia præservatione obsignata, inani labore, eam ad bona a Bartholo donata, de quibus nulla mentio in ipsa facta fuerat, nec fieri poterat, quia ex iis Aloysius legitimam detraxerat, protendere conatur. Re huc perducta, jure, meritoque altera dubii pars, quæ virilis portionis ab Aloysio petitæ quantitatem, hujusce fructus respicit, dimissa fuit *negativo* Responso. Nam, denegata Aloysio ad bona donata immissione *in genere*, non erat de his *in specie* inquirendum; ac bonis ei haud debitis, nullum ad borum fructus jus ei esse poterat, cum hi bonorum sint acces- 9

siones, ut concludit *mea præt. Dec.* §. *fin.*

Et ita etc. Utraque parte viriliter dimicante ab OO. DD. definitum fuit.

PERUSINA

QUOAD VIGESIMAM ET FRUCTUS

Lunae 10 *Junii* 1822.

ARGUMENTUM

Patet ex Sommario.

SUMMARIUM

1. *Fructus, ratione dominii ipso jure, post testatoris mortem, in haeredes, et successores transferuntur.*
2. *In Judicio familiae erciscundae, ut recte ad liquidationem procedi queat, bona communia segregari debent ab iis, quae quisque acquisivit propria industria.*

DECISIO LXXXVI.

Ernestum Baldelli bona sua omnia Lutio Fratri de anno 1779 donasse, servata sibi Vigesima, testandi causa, atque tam in hac Vigesima, quam in cæteris etiam bonis, propria industria, post eam Donationem, comparatis, hæredem instituisse Catharinam Raggi fuse narrat mea contemporanea *Decisio Perusina Circumscriptionis, et Reintegrationis.* Reserato itaque, post Ernesti obitum, ejusdem Testamento, egit Catharina apud Perusinos Primæ Actionis Judices adversus Equitem Joannem Baptistam Baldelli, Lutii Donatarii hæredem, omniumque Bonorum Ernesti detentorem, ut Vigesimæ sibi ex Testamento debitæ separationem, nec non fructuum perceptorum restitutionem obtineret. Causa hæc una cum altera super circumscriptione captæ per Catharinam aliorum Bonorum, quæ in ipsam subsequenti alia Donatione Ernestus transtulerat, possessionis, ad A. C. Collegium delata fuit. Haud inficiatus tunc Eques Joannes Baptista, et Vigesimam, et illius fructus optimo jure Catharinam persequi, objecit tantummodo compensanda esse hæc omnia cum bonis, quæ in altera Causa super circumscriptione possessionis sibi esse ab eadem Catharina restituenda autumabat. At quoniam Judices ii circumscriptionis, ac reintegrationis actionem ab eo propositam rejecerunt, hinc qualibet etiam compensatione denegata, Judicem Perusinum delegarunt, qui Peritorum opera adhibita, bona omnia defuncti Ernesti æstimaret, ac secerneret, ad effectum petitam a Catharina Vigesimam liquidandi. Hoc haud arrisit Joanni Baptistæ judicium. Quare hæc quoque Causa venit ad Nostrum Sacrum Ordinem definienda sub a me proposito Dubio » *An sit locus separationi Vigesimæ, et restitutioni fructuum in casu etc.* » cui responsum fuit « *Affirmative in omnibus juxta modum, nempe ad formam sententiæ A. C.*

1 Vigesimam Bonorum Lutio donatorum partem Catharinæ deberi ex testamentaria Ernesti dispositione, neque ipse inficiatus est Joannes Baptista Lutii donatarii hæres. Hanc tamen compensandam esse objiciebat cum Bonis, ad quæ ex alia Ernesti posteriori Donatione, et ex Testamento immissa fuit Catharina, quæque ad ipsum spectare contendebat, namque de iis Ernestum disponere haud potuisse autumabat. At, cum ex contemporanea pateat Decisione, neque circumscribi illorum possessionem a Catharina captam, neque ideo Joannem Baptistam ad eadem Bona reintegrari posse, jam nulla superest huic concedenda compensatio. Idem quoad fructus dicendum est. Siquidem hos etiam compensari postulaverat. Esse autem restituendos a die obitus Ernesti explorati juris est, cum ii ratione dominii ad instar legitimæ ipso jure, post Testatoris mortem, in hæredem, et Successorem transferantur *Merlin. de Legit. lib.* 2 *tit.* 1 *quæst.* 1 *num.* 3 *Rot. coram Duran. decis.* 76 *et* 55, *et decis.* 192 *num.* 17 *part.* 15 *Recent.*

2 Quolibet itaque deficiente in Joanne Baptista jure bona vindicandi, de quibus Ernestus in Testamento, et Donatione favore Catharinæ Raggiæ, suo

utens jure, disposuit, ac omni per necessarium conseqnens penitus exulante eorum compensatione cum Vigesima, ejusque fructibus per eamdem Catharinam petitis, inquirendum supererat tantum de modo hæc omnia a cæteris Ernesti bonis separandi, ac Catharinæ liquido adjudicandi. Censuit A. C. Tribunal edita Sententia die 12 Septembris elapsi anni 1821 delegandum esse Judicem in partibus, qui, peritis aecitis hominibus, bona omnia defuncti Ernesti investiget, æstimet, atque segregat ab iis « *che abbia acquistato colla propria industria* » ut, his omnibus recte perpensis, ad Vigesimæ ejusque fructuum liquidationem tuto postea procedi queat. Et cum modus hic aptissimus jus suum cuique tribuendo dignoscatur; merito Patribus placuit, qui idcirco A. C. Sententiæ album calculum adjiciendum censuerunt.

Et ita utraque etc.

PRAENESTINA PECUNIARIA

Mercurii 26 *Junii* 1822.

ARGUMENTUM

Emptionis venditionis contractus perfectus intelligitur, a die quo contrahentes convenerunt de re et pretio. Et pretium dicitur certum aa determinatum, etiamsi partes ad illud praefiniendum, se se retulerint vel ad consuetudinem, vel ad peritorum et amicorum judicium.

SUMMARIUM

1. *Denegnnda est restitutio in integrum, nisi de nullitate, vel injustitia Re-judicatae doceatur.*
   Nisi clarissime pateat publici Instrumenti falsitas, paratam executionem semper habet - ibidem. -
   Nulla major probatio in judicio desideratur, quam quae ab ipsa eruitur debitoris confessione - ibidem. -
2. *Qui apud Judicem debitum suum fatetur, non potest amplius veritatem hanc in dubium adducere.*
3. *Edictalis lex Anni 1802 Eminentissimi Camerarii, normas praescripsit, quibus partitio fieri debebat quoad monetam proxime reprobandam.*
4. *Emptionis venditionis contractus, perficitur non a die initi instrumenti, sed a die quo partes de re et pretio convenerunt.*
5. *Quoad pretii certitudinem in emptione venditione, possunt contrahentes sese referre vel ad consuetudinem, vel ad peritorum, amicorumve, judicium.*
6. *Ubi Emptor partialem solutionem peragit, ac fructus impendit, eo ipso ratum habet contractum.*
7. *Rei traditio non pertinet ad substantiam emptionis venditionis, sed validus est contractus, etiamsi perficiatur post instrumentum.*
8. *Non aliter imperfectn censetur emptio venditio nisi expressim caverint contrahentes, quod valere contractus sine instrumenti stipulatione non possit.*
9. *Error calculi non affert veritati praejudicium.*
   Procurator in omittendo tantum, non autem in agendo litigantium juribus inferre potest praejudicium - ibidem. -
10. *In re propria nunquam ignorantia praesumitur.*
11. *Ignorantia non potest praesumi in illo, qui suis negociis dat propriam operam.*
    Etiamsi singraphn de recepto subscripta sit - a saldo - solidatas tamen rationes, quoad eos qui solvunt, intelligi tantum debent. ibid. -

DECISIO LXXXVII.

Vendidit, Mense Augusti anni 1800, Andreas Colizi Praenestinus belluas equinas *triginta quinque*, ac bovillas *octuaginta* Vincentio, Aloysio, Josepho, et Petro, fratribus Pelliccioni, nulla confecta scriptura. Pretii nomine convenit, ut scuta *termille quingentum octo* ab emptoribus solverentur, quorum partem jam ipsi rependerant, dum animantium traditionem Colizius explevit. Publicas deinde ineunte Jannario insequentis anni, celebrarunt contrahentes emptionis venditionis bujusque tabulas, in quibus professi non solum Pelliccionii fuerunt sequutam quadrupedum traditionem =*sin dal giorno* 18 *Agosto prossimo passato*=, sed ipse praeterea Colizius scutata *quingentum octo* ab emptoribus recepisse declaravit; cum pro reliquo pretio, quod in scutis *termille* constabat, sexennales inducias iisdem tabulis Pelliccionii obtinuerint, depactis interim *semissibus* usuris in singula centum, et annos.

Cum vero eo tempore fuerit emptio venditio contracta, quo aenea vilescens moneta in usu, et commercio erat, ita post editam Legem diei 31 Decembris anni 1802, quae pro initis nominibus » *dal primo Aprile a tutto li* 31 *Decembre* 1800 » praeceperat, ut pro quolibet debito in moneta aenea contracto » *per ogni scudo fino d'argento* » soluti baberentur » *baj. erosi cento venticinque* », subesse etiam reductioni debuit residuum pretium a scutis *termille* ad scuta *bis mille quatuorcentum* juxta praedictam normam in ea Lege constitutam. Actum deinde est inter Pelliccionios, qui in perfecta bonorum communione antea vixerant, de familia herciscunda. Universi itaque patrimonii divisione peracta, cum supremum diem obiisset Colizius, ejus Vidua Magdalena, jam exacto sexennio, condicendae pecuniae termino praefinito, urgere a singulis caepit ratam solutionis partem. Nulla quidem controversia quoad Josephum exarsit, qui cum defuncto Andrea convenerat alterius sexennii inducias ad contractum aea alienum luendum, aucta tamen usurarum mensura a scutis *sex* ad *septem* cum *dimidio*. At quoad alios *Petrum*, scilicet, *Aloysium*, et *Vincentium*, qui morae plus aequo indulgebant, Judicum auctoritatem implorare necesse fuit a quibus ad solutionem damnati, non caput tantum, sed anteactas quoque accessiones solidarunt.

Fructuum interea numerationem renuente Josepho, indictum ei vadimonium fuit coram iis Judicibus, qui de Primis Actionibus, dum Galli imperabant, jus Tyburis dicebant. Cum nihil autem ipse objecerit, quoad crediti existentiam, et cavillatus solum fuerit quoad fructuum modum; consultissima ideo Sententia, quae exceptiones a Josepho propositas rejecit, et cui album calculum addidit Appellationis Aula, ad rependendas insoluti capitis accessiones eum coegit. Diem extremum et ipsa demum viderat Andreæ Vidua Magdalena, dum altero, quod ratae portionis satisfactioni praefinitum fuerat, absoluto sexennio, iterum oportuit Josephum vocare apud A. C. Cuneo, ab eoque potere argenteos nummos *sexcentum*, quot secumferebat, inita reductione, primaeva debiti quantitas scutorum *trium millium* quadrifariam divisa. At, excipiente Josepho diem solutionis nondum venisse, supersedendum censuerunt instructo judicio demortui Andreae Filiae, et haeredes, usque dum integrum elaberetur induciarum sexennium. Advento denique tempore condicendi capitis, et instaurata actione, in eo errarunt haeredes quod non argenteos nummos *sexcentum*, veluti in anteacto fecerant, judicio, sed scuta *mille* aeneae monetae postularunt.

Errore postea detecto, qui ex male ductis calculis processerat, imploratum pro argenteis nummis *sexcentum* tantum a Judice Mandatum retulerunt Andreae filiae, quod super nonnullis, ad debitorem pertinentibus rebus mobilibus executioni commissum fuit. Provocavit Josephus ad supremam Justitiae Signaturae; tantasque excitavit coram eo Tribunali turbas de latae Sententiae nullitate, et injustitia, ut utraque controversa fuerit ad Sacrum Ordinem Nostrum ablegata cum clausula = *de Appellatione, et eidem cum facultate circumscribendi* =. Geminis itaque concordatis coram R. P. D. meo Marco dubiis, et vadimonio deserente Josepho, tum primo, quod hac formale proponebatur = *An, et in qua summa constet de credito ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* = responderunt Patres = *Pro informantibus* = nempe = *constare de credito scutorum sexcentum*, *et esse relaxandum mandatum* =; tum alterum, quod quærebat = *An sit locus circumscriptioni in casu etc.* = dirimendum iidem Patres justissime putarunt secundo Rescripto » *Pro informantibus* » scilicet » *Negative* ». Expedita hinc Sententia Rotali, licet unica prodierat super utraque quaestione *contumacialis* Decisio, nihil profuit Josepho novam provocationem obtinere quoad creditum tantum. Mihi enim commissa in gradu appellationis causa, cum exhibuerim ho-

die Dominis assuetam Dubii formulam » *An constet de Rejudicata, seu potius de Causis restitutionis in integrum in casu etc.* » responsum ab Eis accepi » *Constare de Rejudicata* ».

1 Firma siquidem sit oportet Resjudicata, et deneganda jugiter est in integrum restitutio, nisi de ejus nullitate vel injustitia, unde oritur laesio, doceatur, *Cap. ex literis de in integr. restit.* Ambigi autem non poterat de validitate, et justitia Rejudicatae, cum illa satis superque constet ex actis; hæc vero ex publicis ac solemnibus instrumenti tabulis, in quibus debitores sese renunciarunt Fratres Pelliccionii scutorum *termillium* erga Colizium ex antea perfecta venditione animantium. Tanta quippe, est Publici Instrumenti fides, et auctoritas, ac tam plena ex eo probatio constituitur. ut paratam executionem mereatur, nisi clarissime pateat ejusdem falsitas, veluti juxta *Textum in L. dolum 6. Cod. de dolo*, *L. merito* 51 *ff. pro socio* animadvertit superioris instantiae *Decisio* § 4. Sed tam extranea est ab instrumenti tabulis levissima quaelibet nota falsitatis, ut earum auctoritati disertissima cæteroquin accedebat debitoris confessio, tum extra judicium, tum in judicio prolata. Hic namque, priori exacto sexennio, quod erat restitutioni capitis constitutum, epistolium ad Magdalenam, Andreæ Viduam misit, in quo proprium debitum professus, certiorem eam fecit de aliis sexennalibus induciis a defuncto Andrea cum augumento fructuum obtentis. In discrimen igitur non erat revocandum filiarum, et hæredum Andreæ creditum, quod ab ipsa eruebatur debitoris confessione, qua nulla major probatio in Judicio desiderari valet, ut eadem expendit laudata *Decis.* § 5.

2 Maximi vero momenti visa est judicialis ejusdem debiti confessio, a qua non in *genere* tantum, sed in *specie* etiam creditum ipsum constabat. Postquam enim Andreæ Vidua probaverat viri sui factum de dilata ad aliud sexennium capitis solutione, cum jam novi cessissent fructuum termini, et moram alioquin faceret Pelliccionius petitæ satisfactioni, opus propterea fuit anno 1813 judicium adversus eum instituere coram Tyburtino Tribunali. Tam longe abfuit ea occasione Pelliccionius a deneganda quantitate debiti, de qua petebantur accessiones, ut iterum proprium nomen admiserit, motique ad decernendam Rei conventi condemnationem Judices fuerint ex animadversione » *Che per parte del Reo convenuto non s' impugna di pagare per il residuale debito di scudi seicento* » Qui autem apud Judicem vocatus debitum suum fatetur, postea non potest amplius veritatem hanc in dubium adducere, cum nemini liceat, a propria confessione desciscere, veluti, pluribus allatis auctoritatum exemplis, prioris arguit Instantæ *Decisio* § 6 *et* 7.

Irrito itaque conatu de vera nominis quantitate querelas excitabat Josephus, qui cæteroquin, si omnia perpendantur, prout revera sunt, liquidus apparebit debitor argenteorum nummorum *sexcentum*. Quoties namque ex publicis tabulis, quæ, ineunte Januario anni 1801, stipulatæ fuerunt, quatuor Fratres Pelliccionii, *Vincentius*, scilicet, *Aloysius*, *Josephus*, *et Petrus*, in pretium coemptarum belluarum sese soluturos sexennii spatio scutata *tria millia* spoponderunt; toties ex arithmetico calculo patet, quod inita primum reductione illius summæ juxta normam, quæ in calce Edictalis Legis Eminentissimi tunc temporis Camerarii anni 1802 continetur, ac quadripartito deinde debito reducto, unicuique fratri solvenda contigit quantitas argenteorum nummorum *sexcentum*, quot nimirum ab Josepho postularunt Andreæ filiæ, et hæredes. Et perperam contendebat Josephus non a die traditionis animalium, quæ accidit Augusto Mense anni 1800, sed a die stipulationis instrumenti, quod celebratum fuit Mense Januario insequentis anni desumendam esse nominis reductionem. Diversam sane taxationem pro temporum vicibus induxit ea Lex Edictalis, adeo ut pretium ipsum scutorum *termillium* eneæ monetæ in argenteis num- 3

mis *bis mille quatuorcentum*, facta reductione, consistat, si dies traditionis præ oculis habeatur; decrescat vero ad argenteos usque nummos *bis mille quadraginta duo* si dies e contra stipulati Instrumenti spectetur.

4 In hunc vero anacronismum incidebat Josephus, quia falso reputabat non antea perfectum, quam a die initi instrumenti, emptionis venditionis contractum, quem alioquin numeris omnibus absolutum censuerunt Domini ab ipsa die traditionis, licet non ei præcesserit, sed subsecuta sit Instrumenti stipulatio. Quandoquidem ab eo usque tempore concurrunt in contractu inter Pelliccionios, et Colizium gesto, *tria ea extrema*, *consensus*, *res*. *et pretium*, quæ ad perfectionem emptionis venditionis requiruntur ex constanti Doctorum, et Sacri Tribunalis sententia, *Andreol. controv. jur. par.* 2 *controver.* 112 *num.* 11., *et seqq.*, *Mantic. de tacit. lib.* 4 *tit.* 3 *num.* 14, *et* 15, *Corradin. de jure praelat. quest.* 20. *num.* 24 *Rot. coram Cerro decis.* 834. *num.* 2, *coram Falconer. decis.* 1 *num.* 4 *tit. de empt.*, *coram Riminaldo decis.* 85. *num.* 1, *in Romana executionis contractus* 2 *Julii* 1742 § 4 *coram de Vais*, *et in Firmana Venditionis*, *et Attentatorum* 28 *Januarii* 1754. §. 6. *coram Vicecomite*. Consensum suum præbuisse contrahentes emptioni venditioni, ex eo certe deducitur, quod nulla profertur exceptio, nec indicium ullum ex quo pateat aliquem ex contrahentibus improbasse contractum. Nec pariter de re est ambigendum, quæ suberat emptioni venditioni, et cujus traditio non ab epistolio solum, quod inde scripsit Josephus, sed abiipsis præterea comprobatur Instrumenti tabulis, ubi fassi Pelliccionii fuerunt, animalia recepisse = *fin dal giorno* 18. *Agosto prossimo passato* =.

5 Pretium denique, seu pretii portionem jamdiu ab emptoribus solutam fuisse, ex ipso instrumento dignoscitur, cum in eo venditor declaraverit, Pelliccionios ante stipulationem numerasse scutata *quingentum octo*, et iisdem debitoribus sexennales inducias pro reliquo pretio concesserit. Perfectum ergo contractum ab ipsa die traditionis hæc omnia demonstrant. Nec enim interest, quod pretii quantitas penderet ab ineunda æstimatione animalium. In abstracto quidem inter cætera requisita contractus emptionis venditionis exigitur pretii certitudo *Leg. haec. venditio* § 1 *ff. de contrahenda emptione*, § *pretium Instit. de empt. vendit.* Nihilominus quoad hanc pretii certitudinem possunt se se referre contrahentes vel ad consuetudinem, vel ad Peritorum, Amicorumve judicium, vel ad id, quod deinceps ipsi contrahentes existimabunt, *L. fin. Cod. de contrahen. empt.*, *Rocc. disput. jur. select. cap.* 161 *numer.* 18 *et* 19 *tom.* 2, *Gomez var. resolut. tom.* 2 *cap.* 2 *num.* 10. Hæc autem contrahentium pactio non impedit, quominus interea perfecta censeatur emptio venditio, translatumque in emptorem dominium, quia debent ipsi contrahentes Peritorum æstimationem sequi, nec aliter valent eorum improbare judicium, quam si injustum evincant, et immodicum, *Rot. coram Ansaldo decis.* 80 *num.* 4, *in Bononien. Praedii* 12 *Januarii* 1825 § *potissimum coram Aldovrando*, *et in Romana Immissionis* 2 *Decembris* 1726 § *praecipue coram Calcagnino*.

Sive igitur quod major, sive quod 6 minor futura esset pretii quantitas, hoc utique sufficit consensum, et rem accessisse contractui, et de pretio contrahentes quoque modo cavisse, quod certum deinde evadebat ex æstimatione, vel a Peritis, vel ab Amicis facienda, ut de perfectione contractus moveri quæstio nequeat. Et ipsi profecto Pelliccionii probarunt a secuta traditione perfectionem contractus, semel ac partialem solutionem scutorum *quingentum octo* peregerunt, ante quam annus 1800 ad exitum perveniret. Eamdem rursus contractus perfectionem ratam Pelliccionii habuerunt, dum fructus hujusce summæ post ipsas traditas belluas pensitarunt. Cum enim de constituto pretio conventæ fuerint usuræ in *semissi* mensura, et unoquoque emenso semestri spatio persolvendæ,

usque ad integri capitis dimissionem; ita ex totidem acceptilationibus, quas ipsi Pelliccionii afferebant, horum fructuum solutio evincebatur ante instrumenti stipulationem. Jam vero si talis fuisset ordo semestrium, ut incipere a dio stipulationis deberet, nullæ erant pensitandæ ante illud tempus usuræ. Quod si ordo semestrium a die traditionis incepit, et ab eo momento persolnti sunt fructus; ex hoc ipso evidens est perfectum contractum usque a die rei traditæ contrahentes habuisse.

7 Omne vero fert punctum animalium traditio, quæ cum nunquam præcedat, sed semper subsequatur contractum, tum illius perfectionem maxime probat, *Card. de Luca de empt. vendit. discur.* 4 *num.* 11 *Rot. coram Rimiualdo decis.* 356 *num.* 2 Devium namque cuique videtur a qualibet Juris præsumptione, quod velit debitor rem tradere emptori, et postea contractum inire. Tanto autem magis dicendum in themate est, rei traditionem secumferre perfectionem contractus, quo certius apparet celebratum instrumentum fuisse, post quam a *quinque* forme mensibus animantia receperunt emptores. Nec refert profecto, quod fuerint post belluarum traditionem initae tabulae, neque traditioni tabulae ipsae praeiverint. Sunt nonnulle in contractibus, qoae ad *substantiam* pertinent, quaeque *naturalia* etiam vocantur, quemadmodum in emptione venditione res, consensus, et pretium, ac in locatione conductione rei usus, vel operarum præstatio. et merces pro hujusmodi usu conventa; sunt alia quae *accidentalia* dicuntur, quæquo portinent ad executionem. Consistere sine primis stipulatiu nequit; at firma e converso ea manet, si cætera deficiant, vel uno, ut alio modo sint conventa, prout placuerit contrahentibus, quia nulla quoad hæc norma præscribitur, veluti doctissime alias monuit Sacrum Nostrum Auditorium *Romaua Pecuniaria* 12 *Januarii* 1807 § 8 *coram Emo Ruscon*[illegible]

8 [illegible] in[illegible]enti stipulatio unum [illegible] s[illegible]*tibus*, quae cum emptionis venditionis substantiam non constituant, tum permissu est contrahentibus propriam quoad illud voluntatem, et arbitrium sectari. Si ergo, traditione sequuta, perfectus omnino contractus existimatur, subsequens instrumentum non alia de causa celebratum apparet, nisi od majorem contractus probationem, non ad illius perfectionem, prout casus optimo distinguendo statuit Sacrum Tribunal in *Recen. decis.* 32. *num.* 7., *et seq. part.* 4. *tom.* 2, *coram Ansaldo decis.* 897. *numer.* 19., *in Firmana Venditionis, et Attentatorum* 28 *Junii* 1754 §. 7. *coram Figueroa*, *et in confirmatoria* 6 *Junii* 1756 § 9, *coram Amadeo.* Adeo reapse absolutus habetur contractus tribus iis rei, consensus, et pretii concurrentibus extremis, ut non eliter imperfectus censeatur, quam si in pactum deducta sit instrumenti stipulatio, et contextim caveant contrahentes, quod valere contractus sine instrumenti stipulatione non possit, *Mantica de tacitis lib.* 1. *tit.* 10 *num.* 7, *Capycelatro consult.* 11 *num.* 4. *vol.* 1. *Castil. controvers. lib.* 3 *cap.* 26 *num.* 3, *Magen. decis. Lucen.* 95 *numer.* 19. *Thomat decis.* 287 *num.* 6, *Rot. decis.* 995. *num.* 4. *coram Peaia*, *decis.* 898 *num.* 6 *coram Buratto*, *in Rec. decis.* 291 *numer*, 22, 23. *part.* 9., *et decis.* 548. *num.* 31. *part.* 18 *tom.* 2.

Quamobrem, constituta perfectione 9
emptionis venditionis a die *decima octava* mensis Augusti anni 1800, qua accidit animantium traditio; jam illud profecto sequitur, ut ea unice sit spectanda taxatio, quam præstituit Lex Edictalis » *dal primo Aprile a tutto il* 31. *Decembre* 1800 », quæ reductionem secumfert debiti ad hanc normam » *per ogni scudo di argento bajocchi erosi cento venticinque* », o contru autem posthabenda omnino sit alia, quam eadem Lex præscripsit » *dal primo Gennaro a tutto li* 27 *Giugno* 1801 » scilicet » *per ogni scudo fino di argento bajocchi erosi cento quaranta* » scquitur etiam, ut juxta priorom taxationem, inita nominis reductione, consistat Josephi debitum in scutis *sexcentis*; quod

denuo declinare frustra conabatur ex errore, quem irrepsisse instaurato judicio coram A. C. Cuneo dicebat, ubi scutata *millia* æneæ monetæ loco argenteorum nummorum *sexcentum* petivit filiarum, et hæredum Andreæ Procurator. Præter enim, quod hic agitur de errore calculi » *qui veritati non afferre præjudicium sæpe constitutum est* » ut inquit *Imp.* in *Leg. unica Cod. de errore calculi*, animadverti præterea debet, rem esse de Procuratoris facto, qui in *omittendo* tantum, non autem in *agendo* litigantium juribus inferre præjudicium potest, ad textum in *Leg. si Procurator Cod. de Procuratoribus*, *Card. de Luca de Feudis disc.* 123 *numer.* 14., *Angel. de confessione lib.* 3. *quæst.* 1 *num.* 14, *Rot. in Rec. decis.* 355 *num.* 17 *part.* 17, *coram Lancetta decis.* 565 *num.* 3, *coram Ratto decis.* 181 *num.* 28, *coram Ansaldo dec.* 165 *num.* 14.

10 Confirmabatur vera quantitas debiti ex iteratis Josephi confessionibus, quarum mentio superius fuit facta. Post quam porro debitum suum tam sæpe probavit, non est amplius audiendus Josephus dum excusare panditam ore proprio confessionem vult ex ignorantia solutionis scutorum *mille octiqentum* a fratribus peracta. Nam in re propria nunquam ignorantia præsumitur, sed ea semper invictis demonstranda est probationibus, *Gratian. discept. foren.* 233. *num.* 11., *Felic. de Societ. cap.* 5. *num.* 16., *Rot. in Rec. decis.* 521. *num.* 7 *part.* 14, *coram Merlino decis.* 796, *num.* 7., *coram Crescentio decis.* 244 *num.* 19, *et in Setina Pecuniaria super liquidatione quoad non resoluta* 8 *Maii* 1809 § 9 *coram bo: me: Tassoni*. Verum de re propria agit Josephus, qui per se omnia gerere cæpit post secutam divisionem, quique ab eo tempore seorsim a fratribus vitam duxit, proprium patrimonium administrando. Incivilem certe exceptionem ignorantiæ proponit quicumque divisis bonis, divisaque administratione, suis dat operum negociis, nec ab aliorum pendet arbitrio, *Rot. in Urbevetana nullitatis divisionis* 30 *Martii* 1807 §. 7. *coram Rmo P. D. meo Serlupi Decano*. Sed tanta incivilior ignorantiæ exceptio videtur, quo accuratior fuit ipsius nominis argenteorum nummorum *bismille quatuorcentum* divisio inter omnes Pelliccionios exarata, ex qua unusquisque debiti sui portionem agnovit.

Cæterum non ambiguæ, non generales erant Josephi confessiones; sed eæ punctim referebantur ad symbolam scutorum *sexcentum*, quæ ei contigit in divisione. His vero positis, deteriora erant objecta ultimo loco proposita, vel quod tres solum fratres, *Vincentius*, nempe, *Josephus*, *et Aloysius* in tabularum confectione fuerint, excluso Petro, nominati; vel quod in dimissione debiti scutorum *mille octingentum*; quam cæteri fratres expleverunt, finalem exaraverit acceptilationem Andreæ Vidua, quin de reliquo, quod Josephus debebat, ipsa mentionem fecerit. Quoad *primum* attinet, aut in tres, aut in quatuor partes dividatur emptionis pretium, manere semper Josephi debitum evidens est. Si enim in tres partes divisio fiat, scuta *octigentum* spectant ad quemlibet, et ita deterior erit Josephi conditio; si autem in quatuor partes secernatur debitum, redeunt scuta *sexcentum* ab unoquoque debita, quot filiæ, et hæredes Andreæ postularunt. Quoad *alterum* pertinet, etsi Andreæ Vidua singraphæ de recepto subscripserit » *a saldo* », solidatas tamen fuisse rationes quoad eos tantum, qui solvebant, juxta subjectam materiam intelligendum est. Compræhendi ergo in ea acceptilatione non potuit Josephus, qui nec interfuit actui, nec obulum numeravit, quia seorsim vivebat a Fratribus, et sexennales alteras captaverat indùcias, quibus consùmptis, ab solutionem proprii debiti damnandùm esse merito definitum est. 11

Et ita etc. Utraqûe etc.

RAVENNATEN FIDEICOMMISSI

LUDOVICI PENDASI SUPER IMMISSIONE IN GENERE

Lunae 29 *Aprilis* 1822.

ARGUMENTUM

Coajecturae et praesumptiones variae recensentur, ex quibus argui licet, quando substitutio sit simplex vulgaris, vel potius progressiva fideicommissaria - Ac casus eaumerantur, quibus locum abtineat Teorica Cumaai, vel non. -

SUMMARIUM

1. *Ei tribuenda est immissio, qui suam vocationem advenisse demonstrat.*

   Extiacta linea, quae ia prima, et secunda substitutionis esde vocata fuerat, successioni descendentium olterius lineae fit locus - *ib.* -
2. *Baptismatum fidibus, instrumentorum nuptialium tabulis, prabatio constituitur quoad descendentiam.*

   Si is, qui immissionem contendit, extraneus prorsus sit, ad eum excludendum leviores etiam prabationes sufficiunt - *ibidem.* -
3. *Sola Verba* - i discendenti Maschi - *suapte vi complectuntur masculos a designata Stipite descendentes, sive per simplex, sive per duplex faemiainum nudum procedant.*
4. *Teorica Cumani in eo tantum casu procedit, quo testator, primo haerede instituto obeunte, alium scripserit successorem, ac deinde in eadem oratione omnes ejus filios, et descendentes complexus fuerit.*
5. *Verbum* - discendenti - *tractum temporis successivum designat, proinde non simplicis vulgaris, sed fideicommissariae substitutionis indicium praebet.*
6. *Conticescit Cumani Theorica, si clara occurrant indicia, ex quibus deprehenditur descendentes, non per vulgarem, sed per fideicommissariam progressive vocatos fuisse.*
7. *Alienandi interdictum, tum quodcumque tempus, tum quamlibet personam respicientibus, restitutiorum ordinatum fuisse fideicommissum demonstrat.*
8. *Posterior substitutio a praecedenti normam petit, interpretationemque mutuatur.*

   Si Testator restitutionis onere eos gravavit, qui sibi cogniti erant, eo magis dicendum est caeteros gravare voluisse sibi incognitas - *ib.* -
9. *Testatorem, substitutionem per fideicommissum necessario inducere voluisse praesumitur, si reciprocam linearem substitutionem jusserit.*
10. *Gradualis vocatio* - prima, e poi - *innuit ordinem successivum, et ostendit perpetuum condere testatorem voluisse fideicommissum.*
11. *Observantia maximi est facienda ad interpretandam in qualibet dubietate testatoris voluntatem.*

DECISIO LXXXVIII.

Nil magis habens in votis Ludovicus Pendasi, quam perpetuo fideicommissi vinculo opulentam suam hæreditatem subjicere, in suis testamentariis tabulis, quas Kalendis Januarii anni 1644. obsignavit ita suam voluntatem explicavit. Primum ne sua bona ullam diminutionem subirent, ita ut integra ad omnes vocatos devolverentur, enixe prohibuit = *onninamente ogni alienazione perpetuamente, ed oltre mille anni* =. Deinde plures scripsit hoc ordine substitutiones; Hæredem ex asse instituit Jacobum De Pendasiis consanguineum suum, eique filios masculos, servato primogenituræ ordine, substituit = *in infinito, e con perpetuo fideicommisso* = Si masculina vero Jacobi progenies defecisset Comiti Theodoro de Pendasiis, ejusque filiis masculis, eodem repetito ordine primogenituræ, spem succedendi secundo loco reservavit. Quod si demum aliquando contigisset, ut ex utraque linea nemo superesset, fideicommissi compendium pro semisse deferendum esse jussit Locis Piis Ferrariæ, quæ majori egestate premerentur, arbitrio, et prudentia Episcopi, et R. Rectoris Societatis Jesu, Priorisque Collegii Jurisperitorum ejusdem Civitatis eligendis; pro altero vero semisse substituit = *i figli, e discendenti maschi di Caterina Pendasi in capo, e non in stirpe, i quali figliuoli, e discendenti sostituisco vicendevolmente prima tra le loro linee particolari, e poi da linea a linea, però sempre maschi legittimi, e naturali* =, Denique, ne sua hæreditas unquam ulla alienatione disperderetur, et ne quidquam vocatorum damno detraheretur eamdem legem, quam in prima tabularum cera edixerat, impensissimo studio iteravit = *proibisco al mio erede universale, e suoi successori l'alienare mai senz'alcuna prefinizion di tempo parte, benchè piccola dei miei beni, anzi comando loro, che non di-*

straggane Trebellianica, nè Falcidia, nè altra quota della mia Eredità =.

Quod in remotum tempus fieri posse testator cogitavit, ut utraque linea tum Jacobi, tum Theodori exaresceret, id, ut rerum humanarum fert caduca conditio, fere contigit in limine successionum. Vix enim ad annum 1665. ventum est, nemo ex iis, qui primo, vel secundo loco vocati erant, extitit, qui fideicommissum acciperet. Quo de re, cum dies substitutionis cessisset favore Locorum Piorum, et descendentium ex Catharina Pendasi, adhibito officio Vicarii Generalis Ferrariensis, cæterorumque, quorum fidei suam voluntatem Ludovicus concrediderat, solemni præunte bonorum ab hæreditate ipsius obvenientium descriptione, Fideicommissum juxta testatoris præceptum æquis partibus dispertitum fuit, illiusque semissem Loca Pia habuerunt, alterum vero inter Hannibalem Marocelli, ac Carolum Ferri, utpote Catharinæ descendentes, divisum prius remansit; donec per obitum Caroli, qui nulla suscepta sobole decessit, integrum in Hannibale coaluit. Hannibali deinde Cajetanus filius successit, qui, cum esset improlis, bona fideicommissarie in quatuor nepotes masculos ex Rosalinda sorore, quæ in sacra Comitis Zinanni concesserat, nempe Hieronymum, Hannibalem Juniorem, Catharinam, et Thaddæum, post supremum suum diem transmisit. Nec vivens de progressivitate fideicommissi dubitavit. Nam in iis tabulis, quibus Nepotem Thaddæum in filii locum, quem natura sibi negaverat, adrogatione adscivit, aperte declaravit, sese bona transversali fideicommisso Ludovici Pendasii obnoxia possidere, ed quæ, si absque prole masculina decessisset = *sono chiamati tutti li Signori Conti Zinanni, come discendenti maschi di Caterina Pendasi* = atque idcirco ultro essentitus est = *che adesso per allora detti Conti Zinanni prendano il possesso dei detti beni Pendasi, come ad essi spettanti* =.

Eo vero defuncto, magis etiam innotuit existentia, et progressivitas fideicommissi. Non solum enim fratres Zinannii eam suo facto agneverunt cum fideicommissaria bona communiter, atque una simul indivisa possedissent, sed etiam judicio, apertissimis verbis fassi fuere. Nam, cum Comes Modoni nonnulla vectigalia ad fideicommissum Pendasi spectantia, nuncupata = *Dazio del transito delle merci*, ac *del Passo del Pò* = occupasset, quæ falsa opinione ductus, quod simul cum masculina linea de Marocellis fideicommissum expirasset, atque ad publicum Ærarium reversa fuissent, e Summo Pontifice sibi deferri impetraverat, fratres Zinannii uti = *Discendenti dalli figli di Caterina Pendasi chiamati, ed invitati alla eredità di Ludovico Pendasi* = quia filii Rosalindæ ab Hannibale natæ, prospero fato, *tum* coram R. C. Auditore, tum apud ejusdem Rev. Cameræ Sacram Congregationem adversus eum certarunt, ac binas votis consonas obtinuerunt Sententias, donec, lite transactione composita, quam Balthaxar, tam nomine proprio, quam = *come Mandatario dei Conti Zinanni di lui fratelli* = stipulatus fuit, vectigalia fideicommisso vindicarunt. Sed res deinceps hon ita pacifice progressæ sunt. Nam, postquam fato cesserunt Thaddæus, Balthaxar, et Hieronymus, omnes prædictæ Rosalindæ filii, etsi hic quatuor filios reliquisset, Cajetanum nempe, qui meliore sequutus ad Episcopatum Fulginei evectus est, Rosalindam juniorem, quæ cum Francisco dell' Osso matrimonium iniveret, Victoriam, quæ Comiti Bartholomæo Zinanni nupserat, filiosque jam susceperat, et Luciam quæ in sacra Comitis Thesei Rasponi iverat, Hannibal junior, unicus e Rosalindæ senioris filius superstes, fideicommissi progressivitatis oblitus, omnibus successionem præripere adnisus est, ut omnia bona fideicommissi Pendasii in unicam ejus filiam, nomine Placidiam quæ jugali nodo sese Alexandro Guicciolio sociaveret, conferret.

Quamobrem, postquam ipse ab humanis excessit, cum Placidia fideicommissariæ illius substantiæ possessionem nacta fuisset, lis statim inter eam exarsit, ac filius Victoriæ Zinanni, nempe Felicem, Hieronymum, et R. P. D. Aloysium, qui deinde in S. N. Cætum cooptatus est, iis ægre ferentibus, quod bonu,

quæ ex fideicommittentis voluntate erant masculis descendentibus ex Catharina Pendasi restituenda, a fœmina, quam perpetuo testator excluserat, in sui præjudicium retinerentur. Acta primum res fuit anno 1785. cor. Trib. Vic. Gen. Ravennæ qui sua Sententia constituit, quod immissio ad bonorum semissem Zinannis tribueretur; in reliqui vero semissis possessione, manutenenda esset Placidia, putans huic etiam successionem ad fideicommissum debitam fuisse, licet masculi tantum ad illud fuissent a fideicommittente vocati. Sed, instaurato certamine coram Judice A. C. Priocca, res cessit Zinanniis pro votis. Quippe definitum fuit ad omnia fideicommissaria bona, quæ in divisionis anni 1665. tabulis descripta fuerant, penitus Placidia exclusa, fratres Zinannios esse immittendos. Ab hac Sententia statim provocavit Guicciolius, qui in jura suæ prædefunctæ Uxoris successerat, sed diu, ob publicas rerum vicissitudines, et ob quamplurimas ipsius Guiccioli tergiversationes, lis siluit. Ea demum anno 1818 reassumpta coram Bononiensi Appellationis Tribunali, exitus is fuit, ut sententia A. C. confirmaretur, et immissio, tum eis, qui e Familia Zinanni supererant, nempe R. Præsuli Aloysio, et Anastasio, qui patris Felicis hæres extiterat, *tum* Christino Rasponi, qui, ex Lucia altera Hieronymi filia ortus, liti accesserat, tributa fuerit. Haud fractis viribus Guicciolius deinde Causam Sac. Nostro Ordini definiendam committi obtinuit. At cum hoc mane Dubium proposuissem = *An sit danda immissio in casu* etc. = frustra dilationem implorans, vadimonium deseruit. Quare incunctanter Responsum datum est = *Affirmative proinformante*= Anastasio, qui tam nomine proprio, quam Christini nomine judicio stetit, acerbum enim interea fatum R. P. D. Aloysium abstulerat.

1 Nec aliud unquam proferri posset judicium. Nam eis tribuenda est immissio, qui suam vocationem, et suæ vocationis diem advenisse demonstrant, ut Rota tradit in *Aesina Immissionis 4. Julii* 1806 §. 2. *coram Strasoldo*. Multis vero opus non erat, ut Actores suam vocationem ostenderent. Perspicua enim adest testamenti litera, in qua testator, extincta linea, tum Jacobi, tum Theodori, ad semissem fideicommissi vocavit = *li discendenti maschi di Caterina Pendasi* = Cum itaque Zinannius, et Rasponius masculi sint, et a Catharina Pendasia descendant, nemo inficias ibit, quin ipsi in substitutione contineantur. Nec minus quoque diem successionis ipsis deferendæ venisse patens est. Siquidem solemnes divisionis prostant tabulæ, quæ indubiam fidem faciunt, usque ab anno 1665., utraque linea extincta, quæ in prima, et secunda substitutionis vocata fuerat, successioni descendentium ex Catharina Pendasi locum factum fuisse. Nulla igitur, vel minima, superesse potest dubitatio, quin Actorum favore immissio sit omnino tribuenda.

Quin recte Guicciolius vocatione ipsos destitutos esse contenderet, sive quia negaret eos a Familia Pendasi descendere, sive quia proponeret, ad eos, qui per duplex medium fœmininum, Victoriæ nempe, et Rosalindæ senioris a Catharina originem ducunt, devenire haud posse fideicommissi compendium, quod Descendentibus tantum Masculis fideicommittens deferri jussit. Et re quidem vera, injuria prorsus Guicciolius in discrimen adduceret descendentiæ probationem, quam optime præstant Actores. Nam sese per distinctos, continuatosque gradus ab Hannibale derivare, qui primus fideicommissi semissem anno 1663. accepit, *tum* Baptismatum fidibus, tum instrumentorum nuptialium tabulis, *tum* demum testium depositionibus evincunt. Quæ omnia monumenta, si aptissima semper habita sunt ad indubiam descendentiæ demonstrationem constituendam, ceu videre est *in Firmana Manuteniionis super bono jure* 16 *Februarii* 1792 § 4 *cor. Guardoqui, in Romana Immissionis quoad Loca Montium* 13 *Maii* 1793 § 2 *cor. Resta, in ejus Confirmatoria* 10 *Februarii* 1794 § 2 *coram eodem, in Romana Immissionis quoad fideicommissum Card. Friderici Caesi anni* 1855. 5 *Decembris* 1803 § 3 *cor. eodem*; eo magis in themate vim habeant oportet, cum is, qui immissio- 2

nem Actoribus contendit, extraneus prorsus sit, nulloque sanguinis vinculo cum Familia de Pendasiis conjunctus; quibus sane in terminis juris rigor aliquanto remittendus esset; leviores que etiam probationes sufficerent, ut docet *Rot. in decis.* 289 *numer.* 17 *part.* 14 *Decis.* 535 *num.* 23 *Decis.* 442 *num.* 11 *part.* 18 *Recent. in Albinganen. Cappellaniæ* 2 *Decembris* 1752 § 6 *cor. Bussi, et in Tridentina Cappellaniæ* 27 *Junii* 1757 § 6 *cor. Amadeo.*

3 Deterior vero altera esset exceptio, quod nempe duplex descendentiæ medium fæmininum Actoribus impedimento fuerit, quominus ipsi fideicommissum consequerentur. Ad hoc enim objectum prorsus eliminandum sat est, quod testator simpliciter, et indefinite vocaverit « *i discendenti maschi* ». Nam hæc verba *i discendenti maschi* omnes suapte vi complectuntur masculos a designato stipite originem trahentes, sive per simplex, sive per duplex fæmininum medium procedant juxta notissimam Fulgosii Theoricam in *Cons.* 85., quæ semper in hujusmodi quæstionibus dirimendis a Sac. Nostro Ordine recepta est, prout constat *ex Decis.* 993 *numer.* 7 *coram Molin. Decis.* 105 *num.* 3 *cor. Crescent., in Bononien. successionis super* 2 *Dubio* 6 *Junii* 1753. § 3. *coram Herreros in Ferrarien. Fideicommissi quoad fratres de Sirenis* 8 *Maii* 1775 § 4 *cor. Herzan, et in Romana Consuccessionis, quoad fideicommissum Septimii Inghiramii* 7 *Junii* 1700 § 5 *cor. Soderino.*

4 Hæc adeo explorata erant, ut vix in discrimen adducere Guicciolius ausus fuerit; Sed ad id præcipue controversiam omnem redigebat, ut summo studio insinuare laboraret, descendentes masculos Catharinæ minime per fideicommissum substitutos fuisse, proindeque, postquam unus eorum, nempe Hannibal successit, cæterorum descendentium substitutionem per vulgarem evanuisse. Sed inanissimam hujusmodi exceptionem, quæ unice innititur Cumani doctrinæ, nullum sibi posse in themate vindicare locum compertum facillime fuit. Quippe *Cumanus* ita sentiendum putavit eo tantum in casu, quod Testator, primo hærede instituto obeunte, alium scripserit successorem, ac deinde collectivis verbis in eadem oratione, ac periodo omnes ejus filios, et descendentes complexus fuerit. His sane in terminis, si expresse substitutus in fideicommisso successit, vulgarem substitutionem in primo tantum gradu Fideicommissum hærere Cumanus tradidit. Sed a specie, de qua ipse loquutus est, longe abest casus noster, in quo fideicommittens Catharinam, non in stipitem vocationis, sed in stipitem originis constituit, atque dedit descendantibus ejus masculis, certis constitutis legibus, substitutionis sedem, ut in perpetuum fideicommissum progrederatur. Nequit igitur ea Theorica ad rem nostram traduci ut Rota animadvertit *in Romana, seu Bononien. Immissionis quoad fideicommissum Caroli Antonii Caccialupi* 4 *Julii* 1791, §. 13. *coram Resta.*

Hujus vero discriminis ratio in aperto 5 est. Nam in thesi Cumani nempe testator fidaicommissum in certam personam contulit, at descendentes tantum vocavit, ut succederent, si primo vocatus hæres non esset, nil mirum quod fideicommissum in primis adeuntibus expiret, cum ad utilitatem tantum hæredis instituti testator repexerit. At quam maxime a contra ab justitia, et a recta ratione abhorreret, si cum testator vocationem ad omnes descendentes direxerit, qui omnes sunt sibi æque ignoti, pariterque dilecti, substitutio ad primum gradum coerceretur, præsertim vero, cum verbum ipsum *discendenti*, quod est natura sua collectivum, pluresque personas et tractum temporis successivum dasignat, non simplicis vulgaris, sed fideicommissariæ substitutionis indicium præbeat, ut firmat *Peregr. Cons.* 159. *num.* 3. *Vol.* 5 *Rota decis.* 5. *num.* 11. *cor. Arguell. in Ferrarien. Immissionis* 16. *Julii* 1755. §. 8. *cor. Vicecomite.*

Id unum satis superque esset, ut 6 extranea comperiretur omnino Cumani doctrina, licet etiam apertissima non constarat, ex voluntate testatoris, et ex testamenti litera perpetuum, et pro-

gressivum fideicommissum inter Catherinæ descendentes ordinatum fuisse. Quæ tamen cum apertissima sint, omnem dubietatem eo magis exulare oportet. Neminem enim latet conticescere Cumani Theoricam, si clara occurrant argumenta, manifestaque indicia, ex quibus possit deprehendi adscendentes, non per vulgarem sed per fideicommissariam progressive vocatos fuisse, quemadmodum tradunt *De Comitibus Decis. Senen.* 31. *num.* 2 *et Rota in Decis.* 59. *num.* 73. *par.* 18 *Recent. Decis.* 136. *n.* 25. *part.* 9. *Nuperr. Decis.* 318 *num.* 2 *cor. Caprara, et in Romana, seu Bononien. Immissionis quoad fideicommissum Caroli Antonii Caccialupi* 4. *Julii* 1791. §. 13. *cor. Resta.*

7 Testamento autem, qua late patet perlustrato, nil est evidentius, nil exploratius, quam fideicommissum, de quo agitur, progressivum inter Catharinæ descendentes fuisse. Primo enim quam maxime urgot flagrans fideicommittentis desiderium, ne sua bona ulli detractioni, ulli diminutioni unquam obnoxia fierent. Quandoquidem testator in ipso testamenti principio impensissimo studio omnem alienationem prohibuit = *perpetuamente ed oltre a mille anni* = et rursus in ima ipsius testamenti cera iterum vetuit = *al suo erede, e successori senza alcuna prifinizione di tempo alienare alcuna benchè piccola parte dei miei beni, nè distrarre ne' Trebellianica, ne falcidia, ne altra quota della mia eredità* = . Hoc alienandi interdictum, tam apertis verbis, *tum* quodcumque tempus, *tum* quamlibet personam respicientibus, panditum profecto restitutorium fideicommissum inter omnes Catharinæ Descendentes ordinatum fuisse demonstrat. Impossibile enim omnino est, quod testator voluisse dicatur, ut fideicommissum ad perpetuitatem compositum brevi temporis cursu intercidere posset, ita ut vana fierent omnia ejus conservationis bonorum vota, haud secus implenda, quam, si Catharinæ descendentes per fideicommissum succederent, ut animadvertit *Rota in Decis.* 253. *num.* 9. *cor. Priolo decis.* 235. *num.* 4. *coram Riminaldo*, *in Romana seu Sabinen. Fideicommissi* 16. *Januarii* 1804. §. 3. *cor. De Alteriis et in Maceraten. fideicomm.* 12 *Martii* 1819. §. 11. *cor. R. P. D. Meo Bussio.*

Hisce pondus insuper addit, quod 8 testator primogenitos masculos tum Jacobi, tum Teodori vocaverit = *in infinito, e con perpetuo fideicommisso* = Si igitur testator in prima, et secunda vocationis sede nil anxius exoptavit, quam ut fideicommissum in ævum persisteret, ac perduraret, nil æquius videbatur, quam ut etiam in tertia substitutionis sede hujusmodi interpretatio ejus voluntatis fieret, quæ tueretur fideicommissi perpetuitatem. Probatum est enim in jure posteriorem substitutionem a præcedenti narmam petere, interpretationemque mutuari, ut docet *De Comit. Decis. Senen.* 31. *n.* 20. *et in Rota Decis.* 162. *num.* 4. *part.* 10, *Recent. Dec.* 801. *num.* 7. *cor. Molin. et in Urbevetana, seu Montis Falisci fideicommissi* 11. *Julii* 1790. §. 11. *cor. Resta.* Reque vera, cum nulla adsit causa, qua dicendum sit testatorem diversimode quoad descendentes Catharinæ disponere voluisse, ac de descendentibus agnatis disposuerat, eadem quoad unam, alteramque substitutionem ferenda est sententia. Quin imo, si testator restitutionis onere eos gravavit, qui sibi congniti erant, magisque dilecti, eo magis dicendum est cæteris gravare voluisse sibi incognitos minusque dilectos, ita sane arguit *De Comitibus Decis. Senen.* 31. *num.* 21. *Dec.* 106. *par.* 6. *Nuperrim Decis.* 253 *num.* 5. *coram Priolo, et in Urbevetana seu Montis Falisci fideicommissi* 11. *Junii* 1990. §. 11. *cor. Resta.*

Perpetuitas fideicommissi vero longe 9 clarius apparet si intueatur posterior, quam testator ordinavit, substitutio favore isporum descendentium ex Catharina Pendasi. Quot enim ibi sunt verba totidem sunt substitutionis fideicommissariæ evidentissima argumenta. Urget primum testatorem inter descendentes expressam linearum reciprocam hisce verbis præscripsisse = *quali figli discendenti sostituiscono vicendevolmente prima trà*

le loro linee particolari ». At cum haud aliter hæc reciproca linearis substitutio locum obtinere posset, quam si restitutionis onus, tam in filios primi gradus, quam in ulteriores descendentes progrederetur substitutionem per fideicommissum testatorem inducere voluisse necessario consequitur, ut etiam argumentatur *Rota in Dec.* 136 *n.* 16 *tom.* 9. *Nuperr. Dec.* 10 *num.* 11 *cor. Herzan., et in Bononien. successionis super II. Dubio* 6 *Junii* 1757 § 2 *cor. Herrer.*

10 Accedit quod testator usus est verbis tractum temporis successivum præseferentibus. Jussit siquidem descendentes succedere « *prima tra le loro linee particolari, e poi da linea a linea* » Gradualis enim vocatio *prima, e poi,* sicuti ordinem substitutionis successivum innuere videtur, sic manifeste ostendit perpetuum condere testatorem voluisse fideicommissum, nec antea expiraturum quam omnis Catharinæ descendentia penitus interiisset, fortius vero quia testator descendentes vocavit adjecto verbo *per lineam,* quod cum suapte natura collectivum sit plurium personarum, et graduum, tractumque temporis comprehendat, progressivam descendentiam omnium vocationem de gradu in gradu inducit ex congestis per *Rotam in decis.* 6 *num.* 23. 5 *Decis.* 280 *num.* 7 *parte* 10 *Recent., et in Hortana Immissionis* 5 *Martii* 1759 § 6 *cor. Paracciano.* Culmen vero imponit, quod testator vocationem ad masculos direxit « *però sempre legittime e naturali* » Nam cum dictio isthæc *semper,* omnem casum complectatur, et temporis perpetuitatem importet, aperte absonum, et testatori dispositioni manifeste repugnans esset, substitutionem ad unum tantum gradum cohibere, ut firmat *Rota in Decis.* 354 *p.* 11. *Decis.* 306 *num.* 16 *part.* 12. *Dec.* 278 *num.* 4 *p.* 18. *Decis.* 160 *numer.* 21 *cor. Olivat., et in Prænestina Fideicommissi super bono jure quoad resoluta* 11 *Martii* 1793 § 3 *cor. Soderino.*

11 Ad magis, magisque fideicommissi existentiam, et progressivitatem demonstrandam præsto demum est observantia. Hæc enim porro semper fuit constans opinio ut bona a Ludovico Pendasio relicta perpetuo essent fideicommissi vinculo obstricta. Constat id siquidem ex aperti Cajetani verbis, qui in adrogationis tabulis fassus fuit aliqua bona «*esser soggetti al fidecommisso transversale di Ludovico Pendasi, alli quali dopo la morte del Conte Morocelli sono chiamati tutti li Conti Zinanni come discendenti maschi di Caterina Pendasi* » Et clarius id emicat, nedum ex eo quod fratres Zinanni in possessionem bonorum ad fideicommissum pertinentium iverunt; verum etiam quod ipsi «*come discendenti dei figli di Caterina Pendasi chiamati, ed invitati alla Eredità di Ludovico Pendasi* » nonnulla vectigalia, quibus eos Comes Modoni spoliaverat, vindicarunt, ope duplicis Judicati, et transactionis, qua Sententiæ accepto habitæ fuerunt, ita ut Reijudicatæ vires nactæ fuerint. Quæ quidem observantia maximi est facienda ad interpretandam in qualibet dubietate testatoris voluntatem, et fideicommissi existentiam constituendam juxta ea, quæ tradit Rota *in Decis. Bononien. Immissionis* 14 *Aprilis* 1755 § 12 *cor. Stodion. in Sabinen. Fideicomm.* 10 *Aprilis* 1758 § 10 *cor. Frangipane, et in Moceraten. Fideicommissi* 12 *Martii* 1819 § 9 *coram R. P. D. Meo Bussio.* Incivile est igitur in dubium revocare, quod semper fuit agnitum, probatumque;at id nefas omnino est Guicciolo, qui subvertere, et impugnare non potest ea, quæ Hannibal fassus fuit, cujus ipse extitit mediatus hæres, quia in Uxoris Rosalindæ Senioris, ipsius Hannibalis filiæ, et hæredis jura successit ad tradita per *Rotam in Decis.* 1010 § 12 *cor. Molin. et in Romana Hæreditatis quoad portionem Agnetis Donnini* 6 *Julii* 1804 *cor. R. P. D. Meo Bussio.*

Atque ita etc. Altera tantum etc.

RAVENNATEN FIDEICOMMISSI

LUDOVICI PENDASI
SUPER IMMISSIONE IN GENERE

Veneris 13 Decembris 1822.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur « DECISIO LXXXVIII ».

SUMMARIUM

1. *Sub nomine* - di discendenti Maschi - *omnes masculi, sive per simplex, sive per duplex medium foemininum originem ducant, comprehenduntur.*
2. *Cumani Theoricae non fit locus, si Fideicommittens non in stipitem vocationis, sed in stipitem originis diversas lineas substituit.*
3. *Praedictae Theoricae pariter non fit locus, quoties ex dispositione, vel ex voluntate argui potest, non per vulgarem, sed progressive per Fideicommissum descendentes vocatos fuisse.*
4. *Quum clausulae, nullo tempore, nullos gradus designent. substitutio per vulgarem in primo gradu haud haerere debet, sed ad ulteriores excurrere.*
5. *Vocatio gradualis, latissimum praebet argumentum perpetuum testatorem condere voluisse fideicommissum.*
6. *Si Testator enixis verbis quamlibet prohibuit alienationem, fideicommissum progressivum, ac in aevum ordinatum fuisse, dicendum est.*
7. *Praesumi non potest, cohibitam in primo adsunte fuisse vocationem, ubi testator quamlibet detractionem prohibuit* - sia di Trebellianica, sia di Falcidia. -
8. *Posterior substitutio a praecedentibus interpretationem mutuatur.*

   Absurdum esset testatorem eos quos magis dilexit onere afficere voluisse, quin idem onus indixerit tardioribus descentibus - ibidem. -
9. *Fieri non potest, quod substitutio* - prima tra le loro linee - *et si aliqua linea deficiat* - da linea a linea - *locum sibi vindicet, nisi fideicommissorum perpetuum duraturum sit inter descendentes.*
10. *Observantia primorum descendentium, gravissimum suppeditat argumentum ad agnoscendam naturam Fideicommissi.*
11. *Re-judicata, quae sancivit progressivitatem fideicommissi, nequit amplius oppugnari.*
12. *Studium perpetuitatis a voluntate testatoris depromptum, non excludit quod fideicommissum porrigi etiam possit ad cognatos.*
13. *Successorum nomine comprehenduntur, tam qui in asse, quam qui in haereditatis quota succedunt.*
14. *Vocatio in Capita, si facta sit ut demonstretur origo lineae, non repugnat perpetuitati fideicommissi.*

DECISIO LXXXIX.

Quod jampridem Sententia Judicis A. C. Priocca, et dein Sententia Tribunalis Appellationis Bononiae definitum fuerat, ad semissem fideicommissi, quod Lugdovicus Pendasi instituerat, immissionem fratribus Zinanni, utpote Catharinae Pendasi descendentibus tribuendam esse, id Comitis Anastasii Zinanni, et Christini Rasponi favore, qui nunc tantum masculi a designato stipite derivantes supersunt, novissime confirmavit Sac. Noster Ordo contra Guiccioliun, qui nomine Placidiae suae Uxoris a Catharina descendentis, bona a Lugdovico fideicommisso subjecta, uti libera occupaverat, teste mea Decisione die 29 Aprilis labentis anni, Guicciolio ipso vadimonium deserente, evulgata, qua rei species late exponitur. Adversus eam jura sua deducendi veniam facile impetravit Guicciolius, sed in irritum omnes ejus cessere conatus. Patres enim hodie per me assueta sub Dubii formula interrogati = *An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu etc.* = incunctanter responsum dederunt = *In decisis.*

1 Et jure quidem meritoque firma, immotaque stetit, quae jam prodiit definitio. Ea enim omnia, quae ad petitam immissionem obtinendam ex *leg. fin. Cod. de Edict. Divi Adrian. tollen.* requiruntur, vocatio nempe, et substitutionis eventus, Actores Anastasius Zinanni, et Christinus Rasponi optime praestant. Evidentissima quippe est eorum vocatio. Nullo enim egent interprete testamentariae tabulae, quibus Lugdovicus Pendasi aliquando futurum praesentiens, ut *cum* Jacobi, *tum* Theodori lineae quas in prima, et in secunda substitutionis sede vocaverat, exarescerent, fideicommissi compendium pro semisse ad Loca pia Ferrariae, pro altero vero semisse = *ai figli, e discen-*

denti maschi di Caterina Pendasi = deferri voluit. Cum itaque Zinannius, et Rasponius masculi sint, et a designato stipite ortum duccre luculentissime evincant, nulla esse potest dubitatio, quin ipsi expressam vocationis sedem in substitutione babeant. Quin obstet par duplex medium fœmininum eos esse Catharinæ conjunctos. Nam nil est in foro vulgatius, quam sub nomine *di discendenti maschi* omnes masculos, nullo facto discrimine, sive per simplex, sive pcr duplex medium fœmininum originem ducant, comprehendi qnemadmodum, post *Fulgosium*, tenuit semper *Rota* prout constat ex mea præterita *Decis* § 7. Nec multis opus erat ut alterum quoque perspicuum fieret, venisse ncmpe substitutionis diem. Solemnes siqnidem divisionis tabulæ anno 1665, exaratæ cum extincta utraque linea Agnata, fideicommissum æquis partibus inter Loca pia Ferrariæ, ec Catbarinæ Pendasi descendentes, juxta testatoris præceptum dispertiri oportuit, cognatorum substitntioni locum jamdiu factum fuisse apertissime ostendunt. Quamobrem dubitari baud poterat, quin Actorum favore immissio omnino esset tribuenda, ut statuit *praeter. mea Decis.* § 5.

2 Hisce omnibus sponte assentiri videbatur Guicciolius. Eo namque solum ipse defensionem suam cogebat, ut descendentium Catbarinæ Pendasi vocationem per meram vulgarem factam fuisse contenderet, itaut, postquam unus eorom in collectiva contentus fideicommissariam substentiam adeptus fuerit, aliorum vocatio juxta omninm plausu receptam Cumani Theoricam expiraverit. Sed ad id eohibita defensio facillime corruebat. Longe enim abest, ut in Lugdovici dispositiona objecta Cumani Sententia obtineat. Nam in eo tantnm casu substitutionem in primo adeunte hærera Cumanus sensit, enim certa institnta fuit persona, eique unico contextu collectionis verbis filii, et desccndentes fuerunt substituti. Sed non ita se res habet in testamento, de quo agitur. Quandoquidem post utramqua lineam agnetam defectam, Lugdovicus substituit = *i figli, e discendenti maschi di Caterina Pendasi in capo, e non in stirpe, i quali figliuoli, e discendenti sostituisco vicendevolmente prima frà le loro linee particolari, e poi da linea a linea, maschi però sempre legittimi, e naturali* =. Cum igitur fideicommittens non in stipitem vocetionis, sed in stipitem originis Catharinam constituerit, singulisque ajus descendentibus distinctam longo progressivo ordine, certisqua interjectis legibus dederit substitutionis sedem, minime aditus patere potest Cumani Theoricæ alienaque prorsus fit, quæ illius in foro invaluit opinio, ut animadvertit *praet. mea Decisio* § 8.

Nequa vero daest discriminis ratio. 3
Nam in specie, cui Cumanus consuluit, cum testator videatur utilitati tantum hæredis instituti, quem unum diligebat, prospexisse, descendentesque solum in eo casu vocasse, si primo institutus bæres non esset, par ideo erat, quod substitutio non ultra unum gradum excurreret. At, cum testator indistincte ad omnes descendentes vocationem, dilectionemque suam æqualiter porrexit, maximam profecto saperet iniquitatem, si, cum vocatio, et dilectio omnibus fuerit communis, unus tantummodo successionis emolumento frueretur, cæterique inanès dimitterentur. Ex ipso igitur dispositionis contextu minima ad hunc casum traduci posse Cumani Theoricam, extraneaqne prorsus fieri exempla, quæ Guicciolins inani studio extollebat, adeo manifestum erat, ut nil supra. Quamvis vero Cumani Sententia sibi locum vindicare posset in thebmate, nullum tamen præsidium Guicciolius possct ab ea mutueri. Neminem enim latet, ac nil est antiquius, exploratiusque, quam limitationem eam Theoricam accipere, passimque ab ea recedi, quoties cx dispositionis litera, vel ex voluntate testatoris manifesta subsunt indicia, et argumenta, e quibus erui possit non pcr vulgarem, sed progressiva per fideicommissum descendentes vocatos fuisse, prout, quamplurimis allatis Doctorum, ac Tribunalium auctoritatibus docet *praet. mea Dec.* § 10.

4 Lugdovici vero tabulæ sedulo perlustratæ hujusmodi conjecturis, et argumentis adeo redundant, ut perpetuum substitutionem inter Catharinæ descendentes progressum, non tam indigitent, quam necessario præseferant. Reque vera si primo verbis hæremus, quilibet intelligit Cumanum in eo tantum casu suam aperuisse animi Sententiam, quo testator directis verbis suæ hæreditatis compendium in aliquem contulerit, minime vero si obliquis, vel communibus verbis, quæ vulgari substitutioni omnino repugnant usus fuerit, ut docent *Peregrin. de fideicomm. quaest.* 18 *num.* 12., *et Rota in Bononien. Fideicommissi de Gargantis super reservatis* 9 *Martii* 1729, *coram Calcagnino*, *in Romana Concursus de Gabrielis super fideicommis.* 29 *Aprilis* 1743 § 4 *coram eodem et in Urbevetana, seu Montis Falisci Fideicommissi* 11 *Junii* 1790 § 8 *coram Resta.* Cum itaque Lugdovicus substitutionem ad filios, et descendentes masculos Catharinæ protendens, obliquum, seu commune verbum adhibuerit = *sostituisco* =; quantum illud a directa substitutione deflectit, tantum vulgarem a themate abesse necessario consequitur.

5 Sed magis magisque eamdem nostro in casu extraneam prorsus esse Theoricam patet, cum nulla fere occurrat testamenti pars, quæ clausulas adjunctas non habeat perpetuitatem temporis, ac tractum successivum præseferentes; quibus in terminis exploratissimum in jure est prorsus conticescere Cumani Theoricam, ut late probat *Rota in decis.* 579 *num.* 10. *T.* 1 *divers. decis.* 496 *num.* 2 *coram Cavaler. decis.* 8 *num.* 5 *coram Ubald.*, *et in Firmana Fideicommissi* 27 *Martii* 1786 § 7 *coram Resta.* Reque vera quot erant bujusce testamenti verba, totidem erant perpetuitatis indicia. Nullam enim testator sibi elabi passus est opportunitatem, qua non apertissime declararet: quam sibi esset in votis, ut fideicommissum, si fieri posset, in perpetuum produceret. Hinc sollicitus in prima testamenti cera consuluit, ne ex hæreditate sua quidquam disperderetur =*perpetuamente*, *ed oltre mille anni* = Hinc rursus in postrema testamenti parte idem alienandi interdictum enixius renovavit = *mai per alcun tempo e senz' alcuna prefinizione di tempo* = Hinc substitutionem inter agnatos excurrere jussit = *in infinito, e con perpetuo fideicommisso.* Hinc demum, dum ad descendentes cognati generis substitutionem porrexit, ut masculi legitimi, et naturales *sempre* Fideicommissi compendio fruerentur præcepit. Quae cum omnes clausulæ, et notae nonnullos particulariter casus, nulla tempora, nullos gradus designent, uti apposite ad singulas docent *Barbos. de dict. Dict.* 231 *Rota decis.* 10 *num.* 5 *part.* 2. *decis.* 347 *num.* 11 *part.* 9, *decis.* 174 *n.* 4 *part.* 13., *decis.* 163 *num.* 3 *part.* 16 *decis.* 218 *num.* 4 *part.* 18. *Recent.*, *decis.* 879 *num.* 18 *coram Molin. decis.* 138 *num.* 15 *coram Lancetta, decis.* 340 *num.* 10 *coram Riminald.*, sicuti longissimae progressionis desiderium aperiunt, sic minime patiuntur, quod substitutio per vulgarem in primo haereat gradu, non item ad ulteriores excurrat.

6 Congruit hisce ad eumdem fideicommissarium progressum suadendum latissima, et indefinita *descendentium* substitutio, quae cum omnes in infinitum, etsi in remotissimum gradum a designato stipite ortum ducant, complectatur, vi sua demonstrat singulos gradatim, quoniam fieri non potest ut omnes una simul, eodemque tempore existant, in suam sedem successivo ordine admittendos esse, ut, præter auctoritates *in mea decis. praeter.* § 9 congestas tradit etiam *Rota in decis.* 231 *num.* 2 *coram Rezzonico*, *in Romana Concursus de Gabrielliis super fideicommisso* 29 *Aprilis* 1743 § 3 *coram Calcagnino, in ejus Confirmatoria* 13 *Januarii* 1744 § 3 *coram Nunez*, *et in Romana Immissionis* 16 *Junii* 1785 § 21 *coram Resta.* Sed et præclariora longe sunt, quæ deinde occurrunt in tabulis verba, dum testator, substitutionum progressum inter ipsos Catharinæ descendentes producens, eos ipsos reciproce substituit = *prima trà le loro*

linee particolari, e poi da linea a linea = Gradualis enim hæc vocatio = *prima, e poi* =, cum progressivum substitutionum ordinem manifestissime importet, latissimum jugiter præbet argumentum perpetuum condere voluisse testatorem fideicommissum, nec unquam expiratum, donec vel unus ex vocato cognatorum genere superesset, uti recte ponderant *Decian. cons. lib.* 1 *num.* 226. *Curt. Jun. cons.* 48 *n.* 4. *Barbos. de Dicttion. dict.* 6 *Rota decis.* 8 *num.* 18 *coram Ansald. in Bononien. Fideicommissi super Reservatis* 7 *Martii* 1729 §. *Atque coram Calcagnino, et in Urbevetana, seu Montis Falisci Fideicommissi* 11 *Junii* 1790 § 9 *coram Resta.*

7 Verborum proprietati mens etiam testatoris, quæ præsertim in fideicommissis interpretandis, quam maxime dominatur, cohæret. Flagrans enim urget fideicommittentis desiderium, ut perpetuo sua bona in posteritate sua servarentur. Siquidem testator disertissimis, effrænisque verbis in ipso testamenti exordio enixe prohibuit = *ogni alienazione perpetuamente, ed oltre mille anni* =; quod pressius iterum edixit in ima testamenti cera, qua impensissimo studio = *all'erede universale* = sed etiam = *ai suoi Successori* = vetuit = *l'alienare mai per alcun tempo, e senza alcuna prefinizione di tempo parte benchè piccola de' miei beni* = Fieri porro nequit, ut absque fideicommissi progressivitate, perpetuum hoc alienandi interdictum adeo conceptis verbis iterum atque iterum, separatis præsertim orationibus, præscriptum concipiamus. Bona enim cum perpetuo conservari haud possint, nisi ad omnes descendentes pervenire debeant, testatoris voluntatem ne fraudari contingat, qui illud voluisse præsumendus est, quod ad optatum finem, quem sibi proposuit, conducit, jam patet manifestissime restitutorium, progressivumque in ævum, quod liceat, ab eodem fuisse fideicommissum ordinatum, uti tradunt *Peregrin. de fideicom. art.* 19 *num.* 17 *et Rota dec.* 253 *numer.* 6 *coram Priolo, et in Romana, seu Sabinen. fideicommissi* 16 *Jan.* 1804 §. 3 *cor. Resta.*

8 Quod eo evidentius fit, quia hac alienandi prohibitione, nedum is, qui primo hæres scriptus fuerat, sed omnes etiam ejus Successores teneri, obstringique debent. Id enim, cum enixam ostendat conservandi bona voluntatem inter etiam personas, quæ vel per longissimam distant successionem ab hærede in stipitem originis constituto, illud una simul demonstrat, restitutorium fideicommissum inter easdem personas fuisse ordinatum, quemadmodum semper docuit Sac. Noster Ordo præsertim *in Decis.* 253 *numer.* 4 *cor. Riminald. in Maceraten. Fideicommissi* 12 *Martii* 1819 § 11 *cor. R. P. D. meo Bussio, in ejus Confirmatoria* 4 *Junii* 1821 § 9 *cor. Eod. et in Auximana Fideicommissi* 22 *Aprilis* 1822 § 6 *cor. R. P. D. meo Martinez.* Idque ipsum præterea suadet aliud præceptum, quod testator cunctis generatim successoribus injunxit, ne scilicet detraherent = *nè Trebellianica, nè Falcidia, nè altra quota della mia eredità* = Si namque testator adeo sollicitum se præbuit, ut non solum qualibet alienatione, sed etiam qualibet detractione interdicta, perpetuæ Fideicommissi integritati prospiceret, eo magis quisque vel invitus fateatur necesse est, impossibile omnino fuisse, quod fideicommissum in primo adeunte per vulgarem expirare ipse voluerit uti inter plurimos apposite docent *Bursatt. Cons.* 22 *lib.* 2 *Fusar. de substitut. quæst.* 480 *num* 78 *Rota dec.* 315 *num.* 25 *coram Rezzonico, et in Romana Concursus de Gabriellis super fideicommisso* 29 *Aprilis* 1743 § 7 *cor. Calcagnino.* Alias enim ingens illud testatoris desiderium, ne sua hæreditas unquam ulli detractioni fieret obnoxia, non frustraneum modo, sed irridendum etiam redderetur, si cohibita in primo adeunte juxta Cumani Theoricam vocatione, alii futuri non essent in quos integra hæreditas migrare deberet, prout animadvertit *praet. mea Decis.* § 11.

9 Manifestæ hujus voluntatis nec majora desunt argumenta, si ea testamenti pars perpendatur, qua fideicommittens Agnatos ad successionem vocavit

= *in infinito*, *e con perpetuo fideicommisso.* = Nam, si ex hisce verbis fideicommissum in æternitatem, si fieri posset, fuisse inter agnatos, quos in prima, et secunda substitutionis sedes vocaverat, compositum ambigi non potest; non est cur quoad cognatorum posteriorem substitutionem non idem sit ferendum judicium, quod fideicommissi tueatur perpetuitatem; adstipulante præsertim Juris regula, qua monemur ex antecedentibus elici mentem scribentis, et posteriorem substitutionem a præcedentibus normam petere interpretationemque mutuari, ad tradita *in mea praet, Decis.* § 10. Et sane profecto ab Jure, et a recta ratione devium, alienumque maxime esset, aliter de agnatorum, ac de cognatorum substitutione judicare, cum nulla intercedat discriminis ratio, sed potior quin immo ad eamdem ferendam sententiam ratio cum urgeat. Nam si testator eos, quos magis in deliciis habuit, restitutionis onere afficere voluit, nemini suadere poterit, quin idem gravamen tardioribus descendentibus cognati generis in remotissimum tempus prodituris, quos minori benevolentia prosequebatur, indicere voluerit. Melioris conditionis testatorem fecisse cognatos, quam agnatos quos illis prætulit, maximum omnium esset absurdum, ut ponderat *mea praeter. Decis.* § 10.

10 Sed conjecturis, et argumentis opus non erat, ut statuendum foret fideicommissum ad omnes Catharinæ descendentes progredi debere, cum testator, perlongo inter eos substitutionum digressui indulgens ipsos substituerit = *vicendevolmente prima tra le loro linee particolari*, *e poi da linea a linea* = Nam, cum fieri non possit, quod reciproca substitutio = *prima tra le loro linee* = et = *poi* =, si aliqua linea deficeret, = *da linea a linea* =, locum sibi vindicet, nisi restitutionis gravamen per totam progrediatur, pluribus opus non est, ut unicuique persuasum sit fideicommissum perpetuo duraturum suos inter cognati generis descendentes testatorem condidisse, ut mea advertit *praeter Decis.* § 13. Quod maxime tenendum est, cum accedat dictio illa *per lineam.* Nemo enim cum nesciat lineam a serie plurium graduum confici, ne progressio descendentium, sub collectivo *lineae* nomine contemplata, intercipiatur, necessario consequitur, quod successio continuata decurrere debeat per omnes descendente, quot adamussim ii esse possint, qui lineam componunt. Cæterum, si quid dubii superesset, quod certe nullum videtur, dirimetur omnino ex verbis, quæ postea subsequuntur = *maschi però sempre legittimi*, *e naturali* = Nam si testator adeo studiosum se præbuit de illorum qualitate in tot substitutionum gradibus inter columnellos, et lineas ordinatis, nil luculentius desiderari potest, ut evidens reddatur, testatorem a vulgari substitutione, et proinde a Cumani Theorica prorsus abborruisse, ut probat. *praet. mea Decis.* § 14.

Ex hisce omnibus magis, quam dicendo probari queat, progressivitas fideicommissi in comperto posita erat. 11
Sed observantia insuper accedit, quæ summum fastigium imposuit ad fideicommissi existentiam evincendam, ut statuit mea *praet. Decis.* § 15. Hæc porro semper constans fuit in descendentibus Catharinæ opinio, bona a Lugdovici hæreditate profecta perpetuo fuisse vinculo fideicommissi obstricta. Ita enim testatoris voluntatem interpretati sunt, nedum qui primi e Catharinæ descendentibus fideicommissi medietatem adepti fuere, nempe Jacobus Ferri, et Hannibal Marocelli, quorum alter, cum improles decesserit, alteri hæreditatem restituit, juxta reciprocam linearem a testatore constitutam, sed omnes etiam cæteri Hannibalis descendentes, qui semper bona, utpote progressivo fideicommisso affecta, summo studio in Familia servarunt. Idque clarius confirmavit ultimus e Marocellia linea Comes Capitanus, qui in iis tabulis, quibus filium, quem sibi natura negaverat, adrogatione adscivit, aliqua bona possidere commemorans = *soggetti al Fideicommisso di Ludovico Pendasi* = apertissimis verbis

professus fuit, ad ea vocatos fuisse = *tutti li Conti Zinanni, come discendenti maschi di Caterina Pendasi* = Nec satis. Fideicommissi progressivita magis magisque emicuit ex facto Comitis Hannibalis Zinanni, cui Guicciolius mediatus exititi hærea, cæterorumque ejus fratrum qui, non solum in vim fideicommissi bona occuparunt, sed etiam, ne quid desiderandum supersit, = *come discendenti di Caterina Pendasi chiamati ed invitati alla eredità di Ludovico Pendasi* = nonnulla vectigalia, ad fideicommissum pertinentia, quibus eos Comes Modoni, falsa ductus opinione, quod fideicommissum expirasset, spoliaverat, in vim duplicis Judicati, et transactionis, qua eæ Sententiæ accepto habitæ sunt, ita ut Reijudicatæ vires nactæ fuerint, revindicarunt. Nonnisi igitur, quam per summam Guicciolius studet injuriam fideicommissi progressivitatem inficiari, quam nedum omnes Catharinæ Decendentes semper professi sunt, sed etiam ipsi sui auctores in judiciis propugnarunt, ut advertit *praet. mea Decis.* § *fin.* Eoque vel magis cum ipsam confirmans progressivitatem Resjudicata accedat, quam oppugnare Guicciolio omnino incivile est, ut docen- *Fusar. de Substit. quaest.* 502 *num.* 1 *Peregrin. de fideicom, art.* 53 *num.* 32.

12 Adversus validissima hæc omnia argumenta, quorum vel unum satis superque esset, ut a Cumani Theorica recedendum foret, non pauca a Guicciolio opponebantur, quæ tamen cuncta Patres noverunt nullius ponderis esse. Irrito enim prorsus studio Lugdovici dispositionem in duplicem scindens partem, quam maxime laborabat, ut suaderet, alte insedisse animo testatoris voluntatem fideicommissum tantum ordinandi inter unos Agnatos, nec idcirco licere fideicommissum ampliare ultra lineas præfinitas; potissime vero quia in qualibet ambiguitate ea sumenda foret interpretatio, quæ indulget bonorum libertati, potium quam ea quæ prorogat fideicommissi vinculum. Nam a veritate omnino erat alienum, inter Agnatos tantum testatorem perpetuitati fideicommissi prospexisse, ita ut agnatione defecta, cujuscumque fideicommissi vestigium pariter deficere debuerit. Nullum enim vel minimum in Lugdovici tabulis de agnatis, vel de Agnatione non solum occurrebat indicium, sed etiam ex iisdem tabulis nullo modo dubitare liceat, quin testator minime inter cognatos perpetuitatis desiderium abjecerit. Si namque Lugdovicus progressivam substitutionem seriem = *prima* = inter columnellos, ac = *poi* = de linea ad lineam indixit, ita vero, ut *tum* in columnellis, *tum* in lineis masculi = *semper* = succederent, nemo non videt testatorem, studium perpetuitatis, quam unam habebat in votis, post extinctam utramque lineam agnatam, etiam inter Catharinæ descendentes produxisse. Absit igitur recedatque inanissima ea cavillatio, quæ votum testatoris, apertissimamque verborum significationem penitus pervertit.

Quin referat discretivus loquendi mo- 13
dus, quem testator adhibuit, cum ipse inter agnatos sese perpetuitatis amore ductum esse enixe significaverit, o contra vero in sede cognatorum nil dixerit, ex quo consulto id fecisse extimandus sit, quia in eos solos agnatos de perpetuitate sollicitus fuerat. Nam, si regula obtinet in foro ut posterior substitutio ad normam superioris intelligenda sit, maxime porro in hac specie ea obtinere debet, qua, post vocatos cognatos, manifestissima subsequuntur verba, et argumenta, quæ fideicommissarium restitutionis gravamen inter ipsos evincunt. Deterius vero erat quod Guicciollius, ut votum conservationis bonorum inter cognatorum genus declinaret, objiciebat; alienandi scilicet prohibitionem successoribus universalibus indictam, Catharinæ descendentibus minime congruere posse, qui ad hæreditatis tantum semissem vocati fuerant. Ullo enim absque discrimine successorum nomine comprehendi tam, qui in asse, tam qui in hæreditatis quota succedunt, nemo unquam in dubium revocavit. Sed quævis dubitandi ratio magis absit oportet, cum alienandi severissimum interdictum, in ima testamenti cera tantum cunctis successori-

bus hæredis universalis præscriptum non fuerit, sed in ipso testamenti exordio indefinitis verbis etiam indictum, universam complectatur dispositionem, nec minus ad agnatorum, quam ad cognatorum omnes substitutiones referri debeat.

14 Despicienda pariter altera erat objectio, quam Guicciolius, ad reciprocam inter columnellos, et lineas excludendam pluribus verbis, ut confusionem ingereret, proferebat, eo innixus, quod Catharinæ descendentes *in capita*, haud vero *in stirpes* vocati fuerunt. Sat enim superque ea elidebatur responso, quod hæc vocatio in capita ideo facta videtur, ut originem, unde successio in qualibet linea deinceps progrederetur, minime vero, ut progressum successionis inter columnellos, et lineas inter se reciproce substitutos informaret. Quin imo non solum fideicommissi perpetuitati ea non repugnat in ipso ingressu successio in capita, sed ei congruit omnino, cum secus omnes substitutionum gradus, quos testator, reciproca lineari constituta, mente agitaverat, locum sibi vindicare non possent. Caetera vero quae a Guicciolio cumulabantur, ut vel apertissimam verborum, progressum substitutionum præseferentium, significationem corrumperet, vel observantiae vim averteret, adeo futilia erant, ut ne refutatione quidem egerent, eaque idcirco a Patribus despecta omnino fuere.

Et ita Partibus strenue dimicantibus jus redditum est.

RAVENNATEN FIDEICOMMISSI

LUDOVICI PENDASI

SUPER IMMISSIONE IN SPECIE

ET FRUCTIBUS

Veneris 13 *Decembris* 1822.

ARGUMENTUM

Argumento non indiget.

SUMMARIUM

1. Ad evincendam bonorum identitatem nulla datur major probatio, quam quae proficiscitur ab antiquo Instrumento divisionis.

Haeres mediatus non potest adducere in discrimen factum sui auctoris - ibidem. -

2. Qui causam habet ab haerede gravato, arctissimo premitur onere futuris vocatis rationes reddendi de rebus fideicommissariis.

3. Fructus debentur a die litis contestatae, quia ab hac die abest bona fides.

DECISIO XC.

Post concessam Comiti Anastasio Zinanni, et Christino Rasponi immissionem in *genere* ad semissem fideicommissi a Lugdovico Pendasi instituti, non dubitarunt Patres, quin eorumdem favore, ut refert præcedens Mea Decisio diei 29. Aprilis labentis anni, immissionem etiam in *specie* dandam esse ad bona descripta in Instrumento divisionis anni 1665., fructusque esse restituendos a die motæ litis, nec non esse relaxanda mandata de immittendo, et respective exequutivum pro fructibus in summa liquidanda, decerneret. Instaurato hodie certamine, nullum tamen Guicciolius, qui antea vadimonium deserverat, fructum, ex contradictione retulit. Patres enim de more per Me hodie interrogati » *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.* perstiterunt = *In Decisis* -

Existentia fideicommissi quod Lugdovicus Pendasi ordinavit, ejusque pu- 1
rificatio Actorum favore, cum amplius in discrimen nequeat adduci, prout ex contemporanea mea Decisione manifestissime patet, totum causæ momentum ad hoc judicium quod spectat, eo redigebatur, ut videndum esset, quæ bona Lugdovicus fideicommisso subjecerit. Sed identitas bonorum adeo certa, et perspicua visa fuit, ut nullam disputationem admitteret. Siquidem præsto erant solemnes divisionis tabulæ anni 1665. exaratæ, cum, extincta tum Jacobi, tum Theodori linea, fideicommissum, juxta testatoris præceptum æquis partibus inter Loca Pia Ferrariæ, et Descendentes Catharinae

Pendasi dividi, oportuit, quibus, quæ fideicommissi erant propria, omnia singillatim a Rev. Vicario Generali Episcopo Ferrariæ, cæterisque exequutoribus testamentariis diligenter, et accurate descripta fuerunt. Cum igitur ex his luculentissime pateat quibus bonis fideicommissum conflatum esset, nil magis planum, expeditumque erat, quam ad bona, quæ in iisdem tabulis continentur, Actoribns tribueretur immissio. Traditum namque est nullam ad evincendam bonorum identitatem majorem desiderari posse probationem, quam quæ ab antiquo solemnis divisionis Instrumento proficiscitur, ut statuit *præter. mea Decis.* §. 2. Quod eo magis in themate vim habeat oportet, cum eæ divisionis tabulæ in discrimen nullo pacto a Gnicciolio queant adduci, qui mediatus est hæres eorum, qui eas stipulati sunt, atque earum in vim possessionem bonorum, quæ ad fideicommissum pertinent, adepti fuere, nt Rota docet *in Dec. Aven. seu Gallien. Immiss. in specie* 10. *Junii* 1785. §. 8. *coram de Bayane.*

2 Inficiari hæc hand valens Guicciolius eo tantum omnia studia sna verterat, ut inutilem prorsus evadere propositam ab Actoribus actionem contenderet, ni una simul probarent omnia Lugdovici bona ad se pervenisse. Nequidquam tamen. Nam is non est tertius extraneus possessor, qui merito hujusmodi probationis onus in Acctores reiiciat, sed is est, qui, cum in jura Placidiæ successerit, causamque habeat ab hærede gravato, arctissimo idcirco premitur onere futuris vocatis rationes reddendi de rebus fideicommissariis, ut *Rota* docet *in decis.* 179. *num.* 6. *coram Olivat. in Romana Dotis super redditione rationis* 30. *Aprilis* 1756. §. 27. *coram Stadion. et in Romana Immissionis* 26. *Novembris* 1819 §. 7. *coram Rev. P. D. meo Tiberi.* Hoc unum satis, superque esset, ut exceptionem penitus in Jure prosterneret; sed et illud insuper accedit, eam neque in facto consistere. Nam, cum indubium sit, linea de Marocellis extincta, fratres Zinannios omnia fidecommissaris bona occupasse, nemo sibi suadere poterit, quod ea ad Guicciolium non pervenerint; eoque præsertim, quia secus is, nec tanto temporis spatio, nec tanto studio Actorum instantiæ obstitisset. Cæterum, si Guicciolius, nec sese, nec suos auctores fideicommissaria bona, vel integra, vel pro parte unquam possedisse ostenderit, nil erit, de quo ipse querstur, si ab ea actione, cujus probant extrema, Actores non repelluntur, cum eis deinceps cura esse debeat bona ab iis, penes quos sunt, congruo reintegrationis judicio revindicare, ut monet *præt. mea Decis.* §. 3.

Minus vero dubitandum erat, quin etiam fructus, cum illi dominium sequantur, et proprietatem, a Guicciolio restituendi sint pro rata bonorum, quæ dimittere debet. Nec dubitari poterat, quin recte eos restituendos esse a die litis contestatæ constitutum fuerit, *tum* quia, vix inchoato judicio abfuit a Guicciolo bona fides, *tum* quia id exigit possessorii judicii natura, quo in vim *leg. fin. Cod. de Edict. Div. Adrian. tollen.* versamur, ut statuit *præt. mea decis.* §. *fin.* Opportuna demum etiam mandata tam de immittendo ad bona, quam exequutivum pro summa fructuum in posterum liquidands, ut jus suum cuique tribuatur, esse relaxanda iterum Domini optime statuerunt. 3

Et ita etc. Utraque etc.

RAVENNATEN FIDEICOMMISSI

LUDOVICI PENDASI SUPER IMMISSIONE IN SPECIE ET FRUCTIBUS

Lunae 29 *Aprilis* 1822.

ARGUMENTUM

Argumento non indiget. Vid. DECIS. XC.

SUMMARIUM

1. *De bonorum identitate nulla desiderari potest luculentior probatio, quam quæ ab Antiquis tabulis proficiscitur.*

2. Qui bona fideicommissi obnoxia, pendente lite alienavit, pretium reddere tenetur.

3. Fructus fideicommissi restitui debent a die motae litis, quia ab hoc tempore mala fides incipit.

DECISIO XCI.

Nedum immissionem *in genere*, sed etiam immissionem *in specie* ad possessionem bonorum ad fideicommissum pertinentium, quod Ludovicus Pendasi instituerat, juxta divisionis solemnes tabulas anno 1665 ab exequutoribus testamentariis exaratas, et restitutionem insimul omnium fructuum ex bonis ejusdem fideicommissi a die motæ litis perceptorum, Comes Anastasius Zinanni, tam nomine proprio, quam Christini Rasponi nomine, adversus Alexandrum Guicciolium postulavit, et hæc etiam Caussa S. N. Ordini commissa fuit ex R.P.D. Audit. Sanctissimi Rescripto. Quare, præter Dubium immissionem *in genere* respiciens, in altera mea contemporanea Decisione discussum, aliud super immissione *in specie* hodie Patribus definiendum exhibui bisce verbis conceptum = *An, et ad quæ bona sit danda immissio, et a quo tempore, et pro qua summa sint restituendi fructus, itaut sit relaxandum mandatum de immittendo, et respective exequutivum in casu etc.*, cui Ipsi, cum jam definiverint, constare de progressivitate fideicommissi, illudque Actoribus deferendum esse, dilatione imploranti Guicciolio denegata, consectarium Responsum reddiderunt = *Affirmative in omnibus, et immissionem dandam esse ad bona descripta in Instrumento divisionis anni 1665, et fructus esse restituendos a die motæ litis, nec non relaxanda mandata de immittendo, et respective exequutivum in casu pro summa liquidanda* =.

1 Et merito quidem. Cum etenim nulla exoriri possit quæstio de existentia fideicommissi, et de ejus purificatione Actorum favore, uti manifeste patet ex mea contemporanea Decisione, unum supererat investigandum, ad hoc judicium quod spectat, quæ bona in specie fideicommisso obnoxia fuerint, ad quæ debeatur immissio; sed, cum solemnes divisionis tabulæ, quas R. Vicarius Generalis Episcopi Ferrariæ, cæterique testamentarii exequutores summa cum diligentia anno 1665 exararunt, dum, extincta, tum Jacobi, tum Theodori linea, juxta testatoris præceptum fideicommissum inter Loca Pia, ac descendentes ex Catharina Pendasi divisum fuit, singillatim omnia fideicommissaria bona contineant, nil dubii erat, quin ad bona, quæ in iisdem reperiebantur descripta, immissio Actoribus tribuenda esset. Nil quippe rectius definiri poterat. Nulla namque desiderari potest luculentior probatio, si quando de identitate bonorum contingat disputari, quam quæ ab antiquis tabulis proficiscitur, prout colligitur ex S. N. Ordinis *Dec.* 1133 *n.* 4 *cor. Lancetta, Decis.* 738 *n.* 31 *cor. Ansaldo, in Perusina Immissionis* 6 *Maii* 1703 § 5 *cor. Priolo, in Fanen. Fideicommissi Vincentii Palatii super immissione in specie* 19 *Junii* 1801 § 2 *cor. Emo Cesarei, et in Confirmat.* 18 *Junii* 1802 § 1 *cor. Eod.*

Quin moram immissioni afferre pos- 2
set quod hæc bona non amplius a Guicciolio possideantur. Primum enim id nemini suasum iri poterit, quia secus, nec tanto temporis spatio, nec tanto studio is Actorum instantiæ obstitisset. At, etsi revera ea bona in ejus patrimonio non essent, nil id Zinanni, et Rasponio obstaret. Nam, si Guicciolius ea pendente lite alienaverit, honeste eorum pretium reddere tenebitur; si vero is nunquam ea possederit, tum ipsi Actores curabunt eadem a tertiis possessoribus, penes quos ea sunt, vindicare.

Quod autem pertinet ad fructus, cum 3
illi dominium sequantur, et proprietatem, ambigendum non est, quin eorum restitutio decernenda fuerit. Placuit vero, restitutionem decernere a die motæ litis, a quo tempore, procul omni dubitatione, in mora, ac mala fide Guicciolius constitutus fuit, adstipulante præterea altera ratione quod possessorii judicii, quo, in vim *leg. fin. Cod. de Edict. D. Adrian. tollen.* versamur, indoles, secumfert, quod fructus a die litis contestatæ reddantur ad firmat. *per Rot. in Bononien. Consuccessionis quoad*

fideicommissum Jacobi de Antiis 5 Februarii 1790 *cor. Paracciano, et in Cingulana, seu Auximana super fructibus die* 4 *Junii* 1821 § 3 *et in Confirmatoria* 14 *Januarii hujusce anni* 1822 § *final. utraq. cor. Me.* Ut vero hæc definitio, *tum* quoad immissionem, *tum* quoad fructuum restitutionem suum statim sortiatur effectum, præter mandatum de immittendo quoad bona, mandatum etiam pro fructibus exequutivum in summa liquidanda relaxari oportuit.

Atque ita etc. Altera tantum etc.

ROMANA CADUCITATIS

Veneris 11 *Januarii* 1822.

ARGUMENTUM

Qui alienat bona a testatore alienari prohibita in caduci paenam incidit, absque quod opus sit quod praecedat Judicis Sententia; verum ab hac paena excusatur minor qui tutoris auctoritati subjectus est.

SUMMARIUM

1. *Qui culpa expers est, in caducitatis paenam haud incidit.*
   Futuri vocati non aliter jus nominandi exercere possunt, nisi post penitus extinctam lineam primo loco vocatam - ibidem. -
2. *Qui bona a testatore alienari prohibita distrahit, eo ipso in caducitatis paenam incidit.*
   Ubi testator caducitatem indixit ipso facto, nulla Judicis sententia opus est, ut incursa declaretur caducitas - ibidem. -
3. *Diversum omnino est ecclesiasticis muneribus fungi, ac sacerdotali charactere esse insignitum.*
   Ubi adest casuum disparitas, inutiliter promovetur argumentum paritatis - ibidem. -
4. *Qui sui juris est, ac bona cum aliis fratribus indivise possidet, a culpa haud expers est, si leges fundatoris ab aliis pessumdari sivit.*
5. *Qui tutoriæ subjectus est potestati, culpa vacat si sollicitus non fuit in adimplimento onerum quae per testatorem jussa fuerunt.*
   Culpa suos tenet auctores, ac caducitatis paena quae ex alterius facto incurritur, nunquam protenditur in insontes - ibidem. -
6. *Jus patronatus ad substitutos devolvi non potest, dum aliquis extat ex linea, quae praelativam vocationem habuit.*
7. *Ubi quis in jure nominandi vocatus est ex persona propria, nocere ei non potest quod Auctor vel pater in caduci paenam inciderit.*
   Nunquam praesumitur, ex quo aliquis Institutionis praecepta violaverit, ob id testatorem caducitate affici voluisse omnem lineam sibi magis dilectam - ibidem. -
8. *Improbum est, quod Tutor in pupilli detrimentum avertat, quod ratione sui muneris tenebatur facere.*
   Praesumptionibus et conjecturis probatur praeexistentia documenti, quod proferri non potest, quia deperditum, aut subtractum lapsu temporis - ibidem. -
9. *Actus qui enunciati inveniuntur in publico Regestri officio, deliberationes sumptae in comuni familiae consilio, ac aliae conjecturae simul congestae, plene probant tutoriam qualitatem.*
10. *Actus posterior stare non potest, nisi concipiatur actus anterior, ubi ille ab hoc causam ducat.*
    Spernendi sunt testes, ubi horum dicta adversantur publicis monumentis - ibidem. -

DECISIO XCII.

SUPREMO, quod anno 1757. obsignavit, suæ voluntatis elogio Præsbiter Antonius Panalfronius, ex Oppido Leonissæ, perpetuum suæ religionis, ac pietatis monumentum reliquit. Nam laicalem Cappellaniam in Ecclesia Divi Josephi, eadem in Civitate extante erexit, eamque, constituta, *tum* plurium Missarum, *tum* aliarum Sacrarum functionum celebratione, omnibus suis bonis dotavit, lege etiam adjecta = *che detti beni stiano sempre per fondo* = ut nempe injunctis oneribus implendis, quibus nil prius habuit testator, perpetuo inservirent. Primum ipse Cappellaniæ rectorem Joannem Baptistam Vanni, sororis filium, nominavit; eo vero defuncto, jus Cappellanum eligendi in Fabricium Vanni Joanni Baptistæ fratrem contulit, = *e dopo la sua morte alli suoi figli maschi, e loro discendenti maschj in stirpes, et non in capita.* Si vero hæc linea deficeret, liberos masculos, eadem lege, nempe in stirpes vocatos, ei substituit, ex matrimonio Franciscæ Vanni cum Joanne Ettore descendentes; Hisce etiam desideratis, facultatem nominandi de-

scendentibus masculis ex Catharina Vanni, ac Alexio Marcocci conjugibus reservavit.

Jussit deinde, quod, si quis de lineis institutis, substitutisque extaret, qui Sacerdotali charactero insignitus esset, vel ad Sacros Ordines fuisset promovendus, is esset ad Cappellaniam nominandus; nemine vero existente, vel Sacerdotali dignitate prædito, vel ad Ecclesiasticæ militiæ nomen daturo, arbitrium ei dedit, ad quem juspatronatus pro tempore spectaret, fructibus, redditibusque Cappellaniæ fruendi; dummodo singula munera Cappellani per alium adimpleret. Sed, ne fraus ulla Cappellaniæ fieret, suaque voluntas sperneretur impune, præcepit quod Administrator, post anni lapsum intra bimestrem omnia onera satisfacta ad unguem fuisse ostendere cogeretur = *sotto pena di caducità da incorrersi ipso facto, e purificarsi a favore dell' altro immediatamente chiamato, e sostituito alla detta facoltà di nominare senza speranza di essere a quella reintegrato*. Hoc testamento ita condito, supremum clausit diem Præsbiter Antonius, Cappellaniamque illico obtinuit Joannes Baptista Vanni ab ipso testatore nominatus, qui fundatoris voluntati obtemperans, ea, quæ ipse præceperat. diligentissime servavit. Sed, cum dein, per obitum ipsius, anno 1798 suo rectore viduata Cappellania fuisset, nemoque, tum in vocatis, tum in substitutis lineis extaret, qui juxta Testatoris vota Cappellaniam consequi posset, Franciscus Vanni, Fabritii filius bonis Cappellaniæ assignatis potitus est; verum is numquam onera, quæ adeo enixe, et sub caducitatis pæna fundator injunxerat, per alium adimplere curavit.

Eo vita functo anno 1803, quatuor superstites, qui ei fuerant filii, Petrus nempe, Fabritius, Alexander, et Joannes Baptista, bona ejus indivisa retinuerunt; Cappellaniam vero unus Fabritus, cum tunc Ecclesiasticæ militiæ nomen dedisset, consequutus fuit. Sed neque is magis deinde sollicitum se præbuit, nedum, ut Sacros Ordines susciperet, sed etiam ut onera Cappellaniæ per alium impleret; quin immo testatoris voluntatem adeo pessumdedit, ut anno 1809. vineam ad Cappellaniam pertinentem extra Lateranensem portam sitam, quæ audit *la Memoria di Urbano VIII.* assentiente Conceptio patruo, ac Petro fratre, favore Francisci Ricci alienare haud dubitaverit, dato, ad eum effectum, opportuno mandato Josepho Lopez, qui Vanniorum Negotia tunc Romæ administrabat. Hæc vero omnia peragebantur, dum Alexander Neapolis vitam denegat, ac Joannes Baptista, in minorili ætate constitutus, sub tutela, et cura Josephi Antonii Ettore versabatur. Tum Ettorius, qui, sui muneris haud valde memor, nunquam pro minore Joanne Baptista prospexerat, ut onera Cappellaniæ implerentur, omnes Vannios fratres, ob neglecta fundatoris praecepta, ab jure nominandi, et Cappellaniae compendia assequendi cecidisse contendens, anno 1815 coram Judice provisorio A. C. tunc Advocato, et eximio nunc Praesule Colapietro, postulavit, ut Vanniis de medio sublatis, substitutio ipsius lineae favore aperta declararetur. Nec ejus votis potuit non adhaerere Judex. Vannis silentibus, qui vadati haud fuerant; Quare ex ejus Sententia mandatum ipse primum obtinuit, quo possessionem bonorum arripuit, nemine interpellato, licet Mandato clausula adjecta esset = *dummodo possessio sit vacans, et sine præjudicio habentium meliora, et potiora jura* =; deinde vero reintegrationem ad possessionem vineae consequutus fuit, quam Riccius emerat, teste Decisione *Romana Manutensionis, seu Reintegrationis* 17. *Junii* 1816 *coram Tassoni*, et consona Rotali sententia.

Verum hujus Judicati A. C. nedum injustitiam, sed etiam nullitatem, ex triplici jurisdictionis, citationis, et mandati defectu proponens Alexander, cui postea huic liti sese socium Joannes Baptista adjecit, dum alii duo fratres Fabricius, ac Petrus ab ea lite recesserunt, confestim Signaturae Tribunal

adivit ejusdem Judicati circumscriptionem postulans; sed tantum Appellationem obtinuit cum Clausula = *Eidem cum facultate circumscribendi*, Cum caussa, in vim hujus Rescripti, ad S. Nostrum Tribunal conscenderit, conveniens Patribus visum fuit, duo dubia ei clausolae congruentia concinnare, de caducitate *unum*, de circumscriptiono *alterum*. Ad rei vero definitionem differendam quot, quantasque turbas, tum coram Sac. Rota, tum coram Signatura, Josephus Ettore super concordatis Dubiorum formulis excitaverit, referre supervacaneum est. At tandem omnibus ejus tergiversationibus sublatis die 21. Junii Anni 1819. Dubium super caducitate, his verbis conceptum = *An constet de caducitate in casu etc.* = Dominis definiendum exhibuit R. P. D. Meus Isoard; Sed, ut Magis de Ettorrii tutoria qualitate quoad Joannem Baptistam pateret, moram dirimendo negotio Patres interponere censuerunt, edito Responso = *Dilata. et coadjuventur probationes*. Denuo vero instaurato hodie certamine, causaque novis documentis ex parte Joannis Baptistae instructa, Patres a me interrogati eadem sub Dubii formula, nil hæserunt, quin Responsum mihi darent = *Quoad Alexandrum affirmative, quo vero ad Joannem Baptistam Negative.*

1 Optime quidem a S. Ordine definitum fuit, quod, etsi fratres Vannii in caducitatem inciderint, quia testatoris leges, sub caduci pacna indictas, pessumdederunt, tamen unus, cujuslibet culpæ expers, Joannes Baptista hac odiosissima pæna non esset plectendus, qui cum adhuc supersit de eo genere prædilecto, cui primo facultatem nominandi, et administrandi contulit fundator, omnia Cappellaniae compendia consequi debet, ac omnem spem idcirco adimit succedendi Josopho Ettorre, ejusque descendentibus, qui non aliter jus nominandi, et administrandi exercere ex testatoris voluntate poterant, nisi post penitus extinctam lineam primo loco vocatam. Quoad utrumque porro hujusce definitionis caput, nihil justius ac æquitati, et rationi magis consentaneum constitui poterat. Quo enim ad *primum* attinet, Vannios scilicet in caduci pænam incidisse adeo perspicuum est, nulla ut vel minima hac de re oriri possit ambiguitas. Indubia siquidem, et manifesta est R. Antonii Panalfroni voluntas qui cum posset quamlibet Legem sibi magis benevisam præscribere ei, cui jus Cappellaniæ compendium assequendi deferebat, caduci pænam illi inflixit, quam *ipso facto* ulla absque spes reintegrationis incurri voluit, si post bimestris lapsum in singulos annos ostendere neglexisset sese onera indicta, tum Missarum, tum aliorum solemnium Sacrorum ad unguem, vel per se ipsum, vel per alium implevisse.

At Vanni nil minus curarunt, quam hisce fundatoris legibus obtemperare. 2
Non modo enim muneri defecerunt, et per alium implerent onera Cappellaniæ, eorumque implementum demonstrarent, sed in majorem legum fundatoris proculcationem, alienare non dubitarunt omnia fere bona eidem Cappellaniæ adsignata, ita ut pene ipsum Cappellaniæ vestigium deleverint. Id testes univoco dicto deponunt, qui, cum numero sint plures, et optimam scientiæ causam reddant, præterea que sint Sacerdotali charactere insigniti, omnimodam sibi concilian fidem. Quibus majorem vim tribuit ipsorum fratrum Vanni majorum natu declaratio. qui judicio idcirco valedixisse fassi sunt, quia nullo modo poterant onerum implementum ostendere. Cum igitur legi a testatore indictæ paritum non fuerit, in pænam constitutam contravenientes incidisse consequitur. Exploratissimom est enim, ut ita jus esse debeat, uti quisque de rebus suis disposuit. Neque ad hanc caducitatem declinandam obiicere fas esset adhuc desiderari Judicis Sententiam, quæ de incursa caducitate monumentum præbeat. Extraneum enim fuisse inquirere, an præcedere debuisset ea Judicis declaratio, dum testator ab ipsa die adimplementi *ipso facto*, et ulla absque

reintegrationis spe omni Cappellaniæ commodo contravenientem privavit, ejusdemque compendium ad substitutum statim devolvi voluit. Constans enim in his terminis, receptumque est apud omnes, nulla Judicis Sententia, qua caducitas incursa declaretur opus esse, ut docet *Rota in Romana Cambii super restitutione in integrum* 5. *Febraarii* 1751 §. 8. *coram Elephantutio*, *in Nucerina Immissionis* 2. *Junii* 1755. §. *fin. coram Figueroa*, *et in Romana Majoratus super restitutione in integrum* 4. *Martii* 1805. §. 21. *cor. Resta.*

3 Perperam vero, ut ab his angustiis sese expedirent, Vannii proponebant, quod hanc caducitatis pænam testator illigaverit casui, si omni rectore viduata Cappellania fuisset, non autem si quis Sacerdos Cappellanus adesset, illamque juris receptissimam regulam usurpabant, quod caducitas latiorem respuat interpretationem, et uno in casu comminata nequeat etiam ex majoritate rationis ad alium casum traduci ad firmata per Rotam in *Decis.* 603. *num.* 9. *coram Olivat.*, *et in Romana Nominationis super restitutione in integrum* 13. *Aprilis* 1804. §. 8. *cor. Resta*; ex quo cum Fabritius Cappellaniam consequutus fuisset, omnem de caducitate longe exulare quæstionem præ viribus insinuare contendebant. Hæc enim inania simul, et falsa. Nam etsi Fabritius ad Cappellaniam nominatus fuerit, quia tum Ecclesiasticis muneribus vacaturus videbatur, tamen ambigi non potest, quod nunquam Sacerdotali charactere is insignitus fuerit. Quin imo eum, Ecclesiasticis postbabitis, civilia munera capesisse *di preposto delle Dogane* ex quamplurimm testium fide apertissime liquet. Cum igitur nulla esset inter unum, alterumque casum disparitatis ratio, inutilis ea promovebatur a Vanniis fratribus disputatio, ac merito, ob onerum inadimplementum, eos ab jure nominandi, et administrandi bona Cappellaniæ assignata cecidisse constitutum fuit.

4 Verum et ipsi probe vident Alexander, et Joannes Baptista, ob inadimplementum onerum, caducitati locum fuisse factum. Sed, ut hanc a se pænam avertant, proponunt, sese participes haud fuisse transgressionis testatoris voluntatis, cum eorum alter, nempe Alexander, Neapolis, degens, Joannes Baptista vero in minorili ætate constitutus, omnium rerum fuissent ignari, quæ tum a Petro, tum a Fabritio majoribus natu peragebatur. At, quæ Alexander proferebat, spreverunt Patres, dum ea ab Joanne Baptista deducta facile probarunt. Reque vera nemo dixerit ullam excusationis rationem duceret, plenæ jam ætatis, suique juris cum esset, sollicitus esse debuerat, ut testatoris voluntas ad unguem servaretur, ne in caducitatem ipse incurreret: eoque magis curare tenebatur, ut omnia Cappellaniæ onera impleta diligentissime essent, cum ipse bona communiter, et indivise cum cæteris fratribus possideret, compendiumque Cappellaniæ et ipse perciperet. Cum igitur non absque culpa ille se gesserit, dum leges fundatoris pessumdari sivit, non est a caducitate excusandus, Nec dubitari potest, quin Alexander rerum communionem cum fratribus servaverit. Luculentissimum de ea testimonium perhibent instructissimi testes, omnique exceptione majores. Eam deinde demonstrant censuariæ tabulae, ex quibus nulla emergit prædiorum divisio inter fratres Vannios expleta. Eam deniquo confirmant, tum Perceptor vectigalium, tum Sindacus Leonissæ, quorum fides maximi est facienda, quippe quia de re ad proprium officium pertinente deponunt. Merito igitur spernenda prorsus erat, quam Alexander proferebat, excusatio, neque impedimento ea esse poterat, quominus ipsnm in caducitatis pænam fuisse prolapsum inficiari nunquam jure posset.

Haec vero quoad Alexandrum. At 5
aliud quoad Joannem Baptistam sentiendum est. Cum enim ipse infirmae adhuc aotatis, expers consilii, tutorisque subjectus potestati, nil per se agere valeret, nulli est ejus culpae tribuendum, si sollicitus non fuit, ne

tum onerum inadimplemento, *tum* bonorum alienatione, Cappellaniae instituta fraudarentur, fundationisque leges essent proculcatae. Cum igitur omni culpa ipse vacaverit, iniquum esset eum ob transgressionem fratrum caducitate plectere, ex factis quorum numquam particeps fuit. Neminem enim fugit, culpam suos tenere debere auctores, caducitatisque paena, quae ex alterius facto incurritur, nunquam in insontes protendi posse, ut docet *Textus in leg.* 44. *ff. de hær. inst. et Rota in Decis.* 63. *num.* 3. *coram Olivat.*, *et in Romana Legati super fructibus* 25. *Martii* 1786. §. 4. *coram Origo.* Quod non minus sanctioni juris congruum est, quam perspicuae etiam fundatoris voluntati. Is quidem voluit in obsequentem caducitate affici, at tamen adjecit = *purchè la mancanza proceduta non sia per colpa di chi avesse in tal tempo detta facoltà* = Quisque igitur facile percipit non modo ex jure, sed etiam ex testatoris praecepto Joannem Baptistam, a quo omnis culpa abfuit, caducitate immunem esse debere.

6 Qua propter si ex fratruum contraventione nullam Joannes Baptista immerens minorennis ferre debet pænam, sponte sua sequitur, quod jus nominandi, atque Cappellaniæ compendium assequendi, quod fratres ex incursa caducitate amiserunt, in eo uno coalucrit, proindeque jus patronatus ad substitutam Ettorrii lineam transferri nequeat; cum ei insuperabilem obicem ipse Joannes Baptista paret e linea primo loco vocata superstes, qui nunquam in caduci pænam incurrit. Explorati enim juris est, quod, *nec* jus patronatus ad substitutos devolvi posset, dum aliquis extat ex linea, quæ prælativam vocationem habuit, ut in terminis fideicommissi, qui juri patronatus conveniunt apertus est *Text. in leg.* 57 *ff ad S. C. Trebell.*, et docet *Rota in decis.* 460 *num.* 5 *coram Riminald. Decis.* 143 *num.* 3 *coram Herzan.*, *et in Maceraten. Cappellaniæ* 3 *Aprilis* 1797 § 4 *coram Soderin.*, nec satis sit, ut substitutioni locum patere censeatur, quod unus, alterve ex institutis in caducitatem lapsus fuerit, quando aliquis superest, quem caducitas non afficit, ut statuit *Text. in leg.* 77 § *liberis ff de legatis* 2, *et Rota in Decis. Avenionen. Immissionis super bonis liberis Jo. Mariæ* 21 *Junii* 1734 *coram Harrach. et in Viterbien. Legati* 5 *Julii* 1734 § 14 *cor. de Vais.*

Adversus hæc nil prorsus habet, quod recte obiiciat Ettorrius. Duo quidem præ viribus insinuare studebat, ut Vannii omnes caducati declararentur. *Alterum* quod Franciscus eorum pater, ob neglectum onerum implementum ab jure nominandi delapsus, omnem suam descendentiam eodem jure privaverit; *alterum* quod Vannii in stirpes non in capita vocati fuerint. Neutrum tamen apud Patres obtinuit. Et merito. Omnem enim quoad *primum* removet difficultatem sola testamenti inspectio, ex qua compertissimum est, Francisci filios independenter a patre vocatos fuisse. Eis igitur nocere non potuit, quod pater in caduci pænam inciderit, cum ipsi ex propria persona in jure nominandi, atque administrandi successerint. Eo vero deterior hæc fit exceptio, cum quævis pæna egredi non debeat delinquentem, neque post tantum temporis lapsum amplius fas sit de ea disputare. Levius est autem *alterum* objectum, quo Ettorrius mordicus contendebat totam Vannii lineam in caducitatem incidisse, quia Vannii fuerunt in stirpes, haud vero in capita vocati. Præterquam enim, quod in quavis ambiguitate omnis capienda esset interpretatio, quæ voluntati testatoris magis congrueret, qui nullo modo voluisse præsumi potest caducitate affici omnem lineam sibi magis dilectam, ex quo aliquis eorum ipsius præcepta violaverit, obstant etiam ipsius testamenti verba, e quibus apertissime liquet, quod caducitas eis tantum fuerit comminata, qui testatoris voluntatem spreverint. Absurdum enim esset si alterius lineæ favore substitutio aperta diceretur, dum in linea primo vocata aliquis supersit, ad quem jus patronatus spectat. Quod si testator vocavit

Vannios in stirpes non vero in capita, id cohibendum est ad solam facultatem nominandi, ut nempe is Cappellaniæ præesset, quem Vannii non pro capitum numero, sed babita ad eorum stirpes ratione elegissent.

8 His ita se habentibus, nemo non videt, quanta Ettorrius studeat injuria ob onerum inadimplementum, Joannem Baptistam omnis culpæ expertem ab jure nominandi, et administrandi arcere: Quod vero eo magis est incivile, cum ab Ettorrio proponatur, qui uti Joannis Baptistæ tutor, omnia tenebatur facere, quæ quodvis detrimentum a pupillo averterent, ut statuit Textus *in leg.* 48 *ff de Administr. et jur. tut.*, *leg.* 15 § *Sed si emptor ff de Rei judic.*, *et in* § *fin. Auth. Ut ii qui oblig. se perhib.*, quibus consonat *Gutier de tutel. part.* 1 *cap.* 1 *numer.* 15 *Montan. de Tutor. Cap.* 33 *num.* 2 *sequ. et Rota in decis.* 372 § 34 *coram Ansaldo, et Forolivien. Fructuum* 27 *Junii* 1760 § *final. coram Azpuru, et in Alexanen. Beneficii* 23 *Novembris* 1761 § 3 *coram Paracciano*. Probrosum enim visum fuit, quod onerum inadimplementum suæ tantum socordiæ tribuendum, Joanni Baptistæ ipse imputaret, atque ex eo sibi devolutum assereret Cappellaniæ compendium. Suam itaque bonam fidem tanto fortius Joanni Baptistæ prodesse Patribus compertum fuit, quanto magis æquitati, ac juri congruit ut Ettorrius ex propria culpa nullum lucrum assequi posset. Inani vero labore Ettorrius eam tutoriam qualitatem a se reiicere studebat, quia nullum extat documentum, ex quo ejus electio in tutorem evincatur: Non etenim ex defectu authographi actus, quo Ettorrius ad tutoris officium electus fuit, in dubium revocari in eo potest tutoris qualitas, cum tot alia præsto sint documenta, quæ omnia tutoris munus ab eo fuisse susceptum apertissime demonstrant. Receptissimum vero in jure est, ut præsumptionibus etiam, et conjecturis probetur præexistentia documenti, quod, forte deperditum, aut subtractum, proferri non potest. Ita tradit *Bart. in tract. de Testibus numer.* 33 *Mansi Consult.* 5 *num.* 23, *et consult.* 6 *num.* 27 *et Rota in Recent. decis.* 427 *num.* 9 *par.* 4 *tom.* 2 *et decis.* 802 § 5 *coram Ansaldo.*

Verum tot, tantaque ad evincendam 9 veritatem atque existentiam illius actus argumenta concurrunt, ut tutoris qualitas in Ettorrio perspicua undique sit. Adest in primis Sindaci Falconi fides, qui testatur = *Giovanni Battista in età minore trovasi attualmente soggetto alla tutela di Giuseppe Antonio Ettorre* =; Accedit deinde, quod electionis Ettorrii in tutorem Joannis Baptistæ processus descriptus inveniatur in publico Regestri Officio, cujus auctoritas maxima est, ut in cujuscumque publici Archivii terminis tenuit semper Rota præsertim *in Recent. decis.* 379 *num.* 5 *par.* 12 *dec.* 427 *num.* 3 *coram Molines decis.* 345 *numer.* 6 *coram Ansaldo, in Reatina Laudi* 1 *Junii* 1801 § 10 *coram Resta, et in Maceraten. Fideicommissi Joannis de Asclepiis* 3 *Februarii* 1814 § 9 *coram Eminentsssimo Cesarei.* Eo vero magis, quia regestratio ad id præscripta fuit, ut, si forte alicujus actus authographum deperderetur, de realitate, et existentia illius semper constare posset. Adest præterea aliud authographum deliberationis Consilii familiæ Vanniæ, anno 1815 congregatæ, ut Vanniorum Matri ususfructus bonorum tribueretur, quod Josephus Ettorrius tutorio nomine pro Joanne Baptista subsignavit, quæ declaratio tanti est facienda, ut, veluti proprii oris confessio, plenam faciat probationem. Nec satis. Accedit enim altera Vanniæ familiæ Consilii deliberatio dici 20 Martii anni 1819, ad effectum alienandi domum hæreditariam cui ut indemnitati pupilli Joannis Baptistæ consultum foret, uti tutor Marcoccius interfuit, asserens sese subrogatum fuisse = *per l'impedimento del Signor Giuseppe Ettorre Tutore* =; cujus enunciativæ veritatem satis, superque probant agnitiones, tum emptoris, tum cæterorum, qui ei Consilio adfuerunt. Hæc omnia igitur simul congesta omnem

adimunt ambiguitatem, si quæ adesse visa est, oportet, proximamque calumniæ reddant exceptionem, qua Ettorrius tutoris prædicta qualitate sese exuere conatur.

Et si igitur authographus actus, quo Ettorrio munus tutoris quoad Joannem Baptistam tributum fuit, hodie non reperiatur, cum tamen de ejus realitate, et præexistentia tot prostent argumenta, non est cur in discrimen revocari possit. Reque vera ii omnes posteriores actus, superius recensiti, a quibus in Ettorrio tutoris qualitas evincitur, stare non possent, nisi præsupponeretur ille etiam actus, quo ipse electus fuit ad tutoris officium. Effectus enim sine causa, ad quam possit referri, non datur ad *Text. in Leg. fin. ff unde liberi, leg. Sancimus Cod. de Administr. Tutor. Rot. in dec.* 341 *num.* 3 *part.* 11 *decis.* 327 *num.* 13 *part.* 19 *Recent. decis.* 930 *num.* 13 *coram Cerro, in Romana Casalis Massæ* 10 *Junii* 1757 § 7 *coram Canilliac., et in Civitatis Castelli Reintegrationis* 27 *Aprilis* 1804 § 9 *coram Reverendissimo P. D. meo Decano Serlupi.* Et sane prædictus electionis Ettorrii actus, aut casu periit, quod facillime in tot rerum publicis eversionibus fieri potuit, aut subtrahi potuit ab Ettorrio, qui munus pro locali Judice Pacis gerens, annis 1814, et 1815, omnem habebat commoditatem cum ex Archivio, ubi custodiebatur, subripiendi, et cujus intererat, ut deleretur, ut Textus *arguit in leg.* 1 § *ille Cod. de lat. lib. toll. et Rota in Recent. decis.* 305 *numer.* 15 *decis.* 370 *numer.* 11 *part.* 18 *decis.* 186 *num.* 14 *part.* 19. Nullo vero in pretio haberi potuit quædam generica testatio, qua asserebatur Ettorrium nunquam sese immiscuisse in tutelæ gestione. Apertissimi enim mendacii arguendi sunt testes, quorum dicto tot luculentissima monumenta adversantur. Patet itaque ex hisce omnibus merito Ettorrii actionem, ad Cappellaniæ compendium assequendum institutam, rejectam fuisse, extante Joanne Baptista Vannio, qui, uti ab omni culpa immunis, et nunquam in caducitatem incursus, eo ex fundatoris voluntate frui debet.

Et ita etc. Utraque etc.

ROMANA CADUCITATIS

Veneris 5 *Julii* 1822.

ARGUMENTUM

Habes in superiori quae confirmatur « DECISIO XCII. »

SUMMARIUM

1. *Ad Cappellaniam vocatus qui legibus ab Institutore indictas non obtemperat, a jure activo, et passivo ad Cappellaniam decadit.*
2. *Caducitati praeire non debet Sententia Judicis; quoties testator expresse voluit, ut Cappellaniae possessor* ipso facto *in paenam caducitatis incideret.*
3. *Ubi adest bonorum communio, quisque cavere debet de facto alterius.*

   Qui testatur de eo quod spectat ad proprium officium, plenissime probat - ibidem. -
4. *Frater qui manet sub tutoria auctoritate, nequit plecti paena caducitatis, ab facta aliorum fratruum.*
5. *Nunquam fit gradus ad substitutos in altera linea, donec aliquis extet ex vocatis in linea priori.*
6. *Caducitas, in quam incidit unus, et alter ex priori generi vocatorum, impedimento caeteris non est, qui in eamdem caduci paenam prolapsi non sunt.*

   Ex facto patris praejudicium filio non infertur ex persona propria venienti - ibidem. -
7. *In quovis dubio vocatio censetur facta in stirpes, potius quam in capita.*
8. *Praesumpta testatoris voluntas eruitur ex verbis quibus usus fuit in testamento.*
9. *A Tutoribus eadem diligentia exigitur, quam diligens pater familias in rebus suis praebere debet.*

   Iniquum est; ut quis ex propria culpa, et negligentia fructum percipiat - ibidem. -
10. *Praesumptionibus, et argumentis praeexistentia documenti probatur, quod sorte deperditum, aut subtractum proferri non potest.*
11. *Actus solemnes expleti ab aliquo uti Tutore, indubiam fidem reddunt de tutoria qualitate.*

    Nulla fides est accomodanda testibus, qui deponunt adversus ea, quae ex publicis actis dimanant - ibidem. -

DECISIO XCIII.

Ab activo, et passivo jure ad Laicalem Cappellaniam, quam anno 1757 supremis tabulis instituerat Presbiter Antonius Panalfroni, ob factas alienationes, et onera non adimpleta, Petrum, Fabritium, Alexandrum, ac Joannem Baptistam fratres Vanni cecidisse contendens Joseph Antonius Ettorre, in quem, post defectam Vanniorum masculinam lineam, hujusce Cappellaniæ a Testatore collatum fuerat emolumentum judicium hac de re instruxit anno 1815 coram judice, nunc Eximio Præsule Colapietro, qui *provisorie* sedebat in subselliis A. C. Silentibus Vanniis, quibus nullum indictum fuerat ab Ettorrio vadimonium, obtinuit ipse Mandatum, ex quo bonorum nactus fuit possessionem. Verum nullitatem, et injustitiam latæ ab eo Judice Colapietro Sententiæ proponentibus binis, nempe Alexandro, ac Joanne Baptista, ex fratribus Vannis, Fabricius namque et Petrus sese a lite abstinuere, controversiæ definitio Sacro Nostro Ordini commissa fuit a Signatura Justitiæ *cum facultate circumscribendi*. Sic respectivis quoad utramque quæstionem *caducitatis*, et *circumscriptionis* concinnatis Dubiorum formulis cum quæsitum primum fuerit « *An constet de caducitate in casu etc.* » Ampliatis primum ex jussu S. Ordinis utrinque probationibus in Comitiis tandem diei 11 Januarii proxime elapsi prodiit Rescriptum « *Quoad Alexandrum Affirmative, quo vero ad Joannem Baptistam negative* » ut latius, una cum factorum serie, enarrat edita sub ea die *Decisio coram me*. Nihil postea profuit Ettorrio beneficium novi experimenti, dum instaurato certamine, et, eo perperam comperendinationem postulante, interrogati hoc mane Patres « *An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu etc.* » Responsum dedere « *In Decisis* ».

1 Inspecta Testamenti litera, ac non ambigua mente Institutoris Cappellaniæ in caduci pœnam incidisse Petrum, Fabritium, ac Alexandrum fratres Vanni, minime vero Joannem Baptistam, non ambigitur. Panalfronius enim, cui jus erat, et arbitrium quamcumque legem institutioni Cappellaniæ adjicere, inflicta pœna caduci, jussit, ut intra bimestre tempus in singulos annos de jugi onerum adimplemento, vel per se ipsum, vel per alium ille doceret, cui Cappellaniæ compendium obvenerat. Maxime autem in hanc legem Vannii peccarunt, qui non solum, Testatoris voluntate posthabita, nunquam curarunt, ut per alium saltem implerentur onera Cappellaniæ, et Sacra fierent, sed omnia fere bona, a Testatore tanta anxietate, et religione Cappellaniæ addicta nefarie distrahere non dubitarunt. Non excusanda hæc eorum culpa, et alienationis factum, tum a Testibus colligebatur fide dignissimis, tum a singulis patebat emptionum venditionum Instrumentis, nec ipsi cæteroquin Vanni hæc impugnabant, dum de onerum adimplemento docere debentes, vel aufugerant a periculo judicii, vel omnino in hac probatione deficiebant. Si indictis itaque a Panalfronio legibus Vannii non obtemperarunt, illud certe consequitur, ut a jure activo, et passivo ad Cappellaniam ceciderint. *Rot. cor. Crispo decis.* 88 *num.* 11 *in Nucerina Immissionis* 1 *Julii* 1757 § 2 *cor. Paracciano, et in Romana Caducitatis* 8 *Martii* 1771 § 5 *cor. Mannelli*.

Extraneum hinc fuisset inquirere, an declaratam caducitatem præire deberet Sententia Judicis, quoties Testator ab ipsa die neglecti adimplementi, et non redditarum rationum diserte, atque expresse voluit, ut Cappellaniæ possessor *ipso facto* in pœnam caducitatis incideret « *senza speranza di essere a quella reintegrato* » et Cappellaniæ compendium statim transtulit in substitutum. In tanta enim verborum, et voluntatis perspicuitate non opus esse Judicis Sententia, qua caducitas ipsa declaretur, opportune statuit superioris propositionis *Decisio*, quæ confirmatur § 6. Et nihil certe proficerent Vannii, si inflictam a Testatore caducitatem alligatam casui dicentes, quo nullus adsit, Cappellanus, vires suas eam in themate non exerere contenderent, in quo Fa- 2

britius, alter ex fratribus Vanni in Cappellanum fuit nominatus, et Cappellaniæ bona reapse possedit. Licet enim Fabricius, cum nominationem ad Beneficium obtinuit Ecclesiasticis muneribus addictus Sacerdotium amplexurus videretur, revera tamen ab hoc insigni charactere adeo semper abhorruit, ut civilia munia etiam obierit. Incidebant itaque Vannii in miseram principii petitionem, et cum eo solvebant quæstionem, quod falsum apprime comperiebatur. Quare cum nulla inter utrumque casum ratio disparitatis intercedat, unusquisque reputabit justissimum, ut ii pænam caduci subeant, qui institutionis leges tanta malitia spreverunt.

3 Neque erat audiendus Alexander alter ex germanis fratribus Vanni, dum a se avertere caduci pænam ex eo conabatur, quod, Neapolis degens, nullam unquam de familiaribus negociis partem susceperit. Etsi namque Neapolis ipse moraretur, non minus ideo ei cordi esse debebat postremæ defuncti voluntatis exequutio, dum firmæ jam ætatis sui juris evaserat. Cavere imo tenebatur, ne, onerum implemento neglecto, et Sacrorum celebratione posthabita, tanta fieret bonorum direptio, ut vix vestigium de Cappellania maneret. Eoque magis animadvertebant Domini, curare hæc omnia Alexandrum debuisse, quia perfecta inter fratres bonorum communio vigebat, de qua invictissima probatio erat, dum non solum ex publicis constabat Censualibus tabulis, sed de ea quoque deponebant instructissimi Testes, quos inter, ipsi Publicanus, et Syndacus Oppidi Leonissæ, ubi ortum duxit Panalfronius, quibus omnino deferendum est, cum de eo testentur, quod ad proprium spectat officium *Menoch. de arbitrar. judic. cas.* 99 *n.* 3 *Gratian. discept. for. cap.* 626 *num.* 8 *Card. De Luca de Regal. disc.* 14 *n.* 5, *Rot. Dec.* 152 *num.* 6 *part.* 12 *Rec.*, *et decis.* 635 *num.* 19 *cor. Ansald.* Futillima hinc exceptio videtur, ab Alexandro proposita ad effugiendam caducitatem, in quam cum cæteris Fratribus eum incidisse, probatum est, ut ponderat superior *Mea Decisio* § 8.

4 Quantum autem recte S. Ordo probavit in caduci pænam prolapsos fuisse Petrum, Fabritium, ac Alexandrum Fratres Vannios, tantum juste ab ea censuit excipiendum Joannem Baptistam ultimo loco natum, qui, cum infirmæ esset ætatis, et expers consilii, nihil agere per se poterat, et sub cura, et tutela extabat, quam ipse susceperat Ettorius. Non est ergo Joanni Baptistæ succensendum, si ea non curavit, de quibus ob imbecillitatem ætatis sollicitus esse nequibat, neque restitit bonorum alienationi, quæ ab ipso impugnanda imo erat Ettorrio, qui tutelam Joannis Baptistæ gerebat. Esset ideo ab omni devium æquitate, et justitia, insontem plectere ea odiosissima pæna, quæ ex alieno facto nunquam incurritur, cum suum semper culpa sequatur auctorem. Nam ibi *est pæna*, ubi *et noxia est*, ut monet *Imp. in leg. sancimus* 22 *Cod. de pænis* quam sequitur, pluribus adductis, *mea Decis.* § 9. Juris autem sanctioni mens Testatoris accedit, qui, dum onerum adimplementum injunxit sub pæna caducitatis, addidit tamen « *purchè la mancanza proceduta non sia per colpa di chi avesse in tal tempo detta facoltà di nominare* ». Cum itaque Joannes Baptista nullam dederit causam, vel onerum violationi, vel bonorum alienationi, et utraque processerit ab unico Fratrum suorum facto, rite consequitur, ut etiam ex institutionis litera eximendus sit a pæna caducitatis.

5 At, si solus Joannes Baptista pænam caduci non patitur in eum unum, coaluisse dicendum est jus nominandi omneque Cappellaniæ compendium, quod cæteri fratres amiserunt. Quoties enim aliquis supersit de eo genere prædilecto, cui primum nominandi, et administrandi potestatem tribuit Testator, toties omne instituti Beneficii emolumentum obvenire ei debet, ac succedendi spes adempta videtur Ettorrio, ejusque descendentibus, quorum vocationi non aliter locus esse potest, quam linea Vanniorum penitus extincta. Quemadmodum quippe in Fideicommissis nunquam fit gradus ad substitutos in

4 altera linea, donec aliquis extet ex vocatis in linea priori *ad Text, in leg.* 87 *ff. ad* S. C. *Trebell. Rot. dec.* 460 *n.* 5 *cor. Riminaldo decis.* 143 *num.* 3 *cor. Herzan in Melevitana Primogeniturœ Canonici Joannis Baptistœ Mangion.* 11 *Martii* 1774 *et* 28 *Aprilis* 1775 § 5 *et* 6 *cor. Origo,* ita etiam hæc methodus servanda est in Jure patronatus, quod non devolvitur secundo loco vocatis, quousque aliquis existit ex familia primo loco nominata *ad Text. in Cap. Cum Bertoldus in fin. de Senten. et Rejudic. Vivian. de Jurepatronatus lib.* 12 *cap.* 7 *num.* 2, *Rot. cor. Bich. decis.* 118 *num.* 29 *cor, Falconer. de Jurepatronat. decis.* 40 *num.* 3 *et dec.* 208 *num.* 2 *coram Herzan.*

6 Nullum enim discrimen intercedit inter successiones, quæ ad Juspatronatus, vel ad Fideicommissa deferuntur. Exploratum imo est, Juspatronatus iisdem legibus subesse, quæ præscriptæ sunt in Fideicommissariis successionibus *Piton. de Controv. Patron. Allegat.* 10 *num.* 16 *Card. De Luca de Jure Patron. disc.* 50 *num.* 5 *Rot. post Vivian. de Jurepat. disc.* 71 *num.* 4 *in Rec. decis.* 64 *num.* 3 *part.* 13 *decis.* 473 *num.* 10 *coram Ansaldo.* Quare caducitas, in quam incidit unus, et alter ex priori genere vocatorum, impedimento cæteris non est, qui in eamdem caduci pænam prolapsi non sunt, ut expendit etiam *mea præcedens Decisio* § 10. Hinc levissimum visum fuit objectum ab Ettorrio propositum, nempe, Franciscum Vanniorum Patrem, ob neglectum onerum implementum ab jure nominandi delapsum, omnes suos descendentes eodem jure privasse. Omnem siquidem ambiguitatem tollit institutionis litera, ex qua compertum est, seorsim a Patre Vannios fuisse vocatos. In hoc utique themate caducitas, in quam incidit Pater, non obstat Filiis quominus Cappellaniæ compendium assequantur, cum certa sit juris censura, ex facto Patris præjudicium filio non inferri ex persona propria venienti. *Peregrin. de Fideicommiss. art.* 52 *num.* 95 *Rota coram Peutinger. decis.* 214 *num.* 23 *coram Zaratt. decis.* 73 *num.* 9 *in Rec. decis.* 597 *num.* 15 *part.* 5 *decis.* 202 *num.* 5 *part.* 11 *coram Lancetta decis.* 42 *numer.* 24 *coram Olivatio decis.* 402 *num.* 2, *et decis.* 143 *num.* 5 *coram Herzan.* Eo firmius hoc retinendum quo magis patet, serotinam exceptionem proponi, postquam scilicet, elato Patre, jugiter in Cappellaniæ possessione versati sunt filii, qui deinde non ex paterna, sed imo propria culpa caduci pænam subjerunt.

Quin secus censeri debeat, quia Testator ad jus nominandi non *in capita,* 7
sed in *stirpes* Vannios vocaverit. In quovis sane dubio omnis capienda est interpretatio, quæ Fundatoris menti magis congruat; cum cæteroquin non sit præsumendum, lineam omnem sibi prædilectam pæna caducitatis plectere Testatorem ex unius, vel alterius tantum culpa voluisse *Rota coram Caprara decis.* 468 *num.* 5, *coram Lancetta decis.* 1030 *num.* 1 *et in Nucerina Cappellaniæ* 6 *Decembris* 1753 § 4 *coram Elephantutio.* Juris præterea præsumptio vires acquirit ex Testamenti verbis, quæ non ambiguum præseferunt argumentum eis tantum comminatam fuisse caducitatem, qui sprevissent leges Cappellaniæ. Absurdum alioquin oriretur, ut successionis aditus substitutis in secunda linea pateret, dum aliquis adhuc extat in linea priori, et magis dilecta testatori ad quam juspatronatus pertinet. In stirpes itaque, non in capita, vocatio unico coercenda ad casum videtur facultatis nominandi; adeo ut is, Cappellaniæ emolumentum assequeretur, quem Vannii, non pro capitum numero, sed, habita ad eorum stirpes ratione, nominassent ceu præcedens arguit Causæ *Decis.* § 11.

Tanto autem incivilius reputarunt 8
Patres Adversus Joannem Baptistam institutum ab Ettorrio caducitatis judicium, quo certior erat ipsius obligatio, cum ipse esset Joannis Baptistæ Tutor, ea omnia explendi, quæ quodvis detrimentum a pupillo averterent cum = *a tutoribus, et curatoribus eadem diligentia exigenda sit circa ad-*

ministrationem rerum pupillarium, quam pater familias in rebus suis ex bona fide præbere debet = ut bis verbis inquit *Paulus in Leg. A tutoribus* 34 *ff de administrat., et pericul. Tutor.* et expendit etiam, pluribus adductis, superior mea *Decis.* § 12. Ipse igitur Ettorrius curare debebat, ne a Fratribus Vanniis ea onera pessumdarentur, quæ sub pœna caducitatis fuerunt præscripta, et bona non alienarentur Cappellaniæ doti unice addicta. Quamobrem iniquum erat, ut onerum inadimplementum propriæ tantum culpæ tribuendum, Joanni Baptistæ imputaret Ettorrius, qui cæteroquin erga pupillum, et minorem de his omnibus tenebatur, quæ non fecit, et facere debebat. *Ad Text. in leg.* 1 *ff de Tutor. leg.* 7 *Cod. de arbitr. tutel. Rota cor. Herzan. decis.* 258 *num.* 9. Eo magis ideo sua Joanni Baptistæ prodest bona fides, quo magis a jure, et æquitate repugnat, ut fructum ex propria culpa, et negligentia Ettorrius percipiat *ad Text. in leg. Ita demum* § *de Arbitr., leg. si ex dolo ff de rei vindicat. Barbos. Axiom.* 102 *num.* 5 *Rot. dec.* 168 *n.* 4 *cor. Ansaldo.*

9 Perperam vero in discrimen revocabat Ettorrius tutorium munus, quia nullum de eo extat monumentum ex quo ipsius in tutorem electio demonstretur. Non enim ex eo quod deficit actus authographus, quo Ettorrius tutoris officium suscepit, ideo minus probata in eo dici potest tutoria qualitas, cum alioquin tot alia concurrant, quæ eamdem in Ettorrio qualitatem evincunt. Atqui compertum in jure est, ut præsumptionibus, argumentis, et conjecturis præ existentia documenti probetur, quod sorte deperditum, aut subtractum, proferri non potest; ne aliter vix fraudibus aperiatur, quemadmodum arguit pluribus auctoritatibus S. N. Ordinis suffulcta *mea superior Decis.* § 12. Ad tutoriam autem in Ettorrio qualitatem constituendam confluit primum Syndici Oppidi Leonissæ fides, dum deponit, quod = *Giovanni Battista in età minore trovasi attualmente soggetto alla tutela di Giuseppe Antonio Ettorre* = Confluit rursus electionis Ettorrii in tutorem Joannis Baptistæ *Processus* in publicas tabulas = *del Registro* = relatus, quibus maxima adhibenda fides est, veluti in terminis publici cujuscumque Archivii tenuisse Sac. N. Tribunal ostendit *mea Decis.* § 13. Idque locum præcipue sibi vindicat, quia actorum relatio in publicas tabulas = *Del Registro* = ideo præscripta fuit ut tutius de actus existentia constaret, si forte, illius authographum, aut temporis injuria, aut casu etiam amitteretur.

Accedit itidem authographum Familiæ Consilii *anno* 1815 a Vanniis habiti, ut eorum Matri bonorum tribueretur ususfructus, cui tutorio nomine Joannis Baptistæ subscripsit Ettorrius. Adstipulatur denique alterum Familiæ Consultum, a Vanniis pariter *anno* 1819, hæreditariæ Domus alienandæ causa, habitum, cui, uti Joannis Baptistæ Tutor interfuit Franciscus quidam ex Familia Marcocci, in tertio substitutionis gradu ad jus nominandi, et Cappellaniam vocata, qui ea occasione asseruit, suffectum se Ettorrio fuisse = *per l'impedimento del Signor Giuseppe Ettorre Tutore* = cujus assertionis veritatem satis superque probarunt tum emptoris, tum aliorum, qui consilio adfuerunt, agnitiones. Tanti hæc ponderis sunt, ut indubiam reddant tutoriam Ettorrii qualitatem quoad Joannem Baptistam, bujusque minorem ætatem, dum, ab anno 1809, in caducitatem incurrerunt ejus fratres, et proximas calumnia demonstrant exceptiones omnes ab eo propositas. Existere namque non possunt actus ii omnes posteriores huc usque recensiti, a quibus tutoria qualitas eruitur, nisi identidem extitisset, ipsa tutela ab Ettorrio suscepta, cum sine causa, ad quam referri possit, non detur effectus, ut, innumeris adductis late firmat ipsa prima *Decis.* § 14. 10

Aut igitur actus authographus electionis Ettorrii in tutorem Joannis Baptistæ Vannii casu periit, quod facillime in summa rerum perturbatione evenire poterat; aut callide, et do- 11

lose surreptum ab ipso Ettorrio fuit, qui annis 1714 et 1815 Trenarchæ unus exercens in Oppido Leonissæ, non occasionem tantum, et commodum habebat illud surripiendi, sed ejus etiam intererat, ut a publico Tabulario subtraheretur, veluti firmat præcedens *Decisio dict.* § 14. Spernendi hinc erant Testes omnes ab Ettorrio in eum finem adducti, ut probaret, nullam se partem in hujusce tutelæ gestione suscepisse. Quippe haud vera narrantes apprime dignoscebantur, dum eorum depositiones publicis actis repugnabant; ideoque nullam eis adhibendam fidem esse, recte statuit Sacer Noster Ordo *coram Falconer. tit. de Emphyt. dec.* 2 *num.* 18 *coram Herrera, decis.* 93 n. 3 *et decis.* 260 *num.* 9 *coram Tanara.* Si ergo caduci pæna, in quam reliqui prolapsi sunt Fratres Vanni, ad Joannem Baptistam ab omni noxia immunem non progreditur, nullus esse potest locus Ettorrii substitutioni, nisi Vanniorum masculina linea penitus extincta.

Et ita frustra dilationem Ettorrio postulante, resolutum est.

ROMANA CIRCUMSCRIPTIONIS

Veneris 11 Januarii 822.

ARGUMENTUM

Nullitatis vitio laborat Sententia, quae lata fuit contra Minorem, absque quo vadaretur Tutor.

SUMMARIUM

1. *Circumscriptionis quaestio pendet plerumque a definitione judicii, quod super negocio principali fertur.*
2. *Manifesta nullitate laborat Sententia, quae non vadato reo, lata fuit.*
3. *Qui tutoriae subest potestati, nequit vadari in personam a tutore dixertam.*
4. *Tutor, pro Minore citari debet in judicio, ut ipse pro Minore vadimonium abeat.*
5. *Cum circumscriptionis querela ab judicio, quod super merito principali feratur, praecipue pendet, ea semper est per mitiorem viam admittenda.*

DECSIO XCIV.

Ad tramites contumacialis Sententiæ Judicis Provisorii A. C. Colapietro, qua omnes fratres Vannii *caducati* declarati fuere a Cappellania instituta a Sacerdote Antonio Panalfroni, Joseph Antonius Ettorrius, ad quem, Vanniis exclusis, jus nominandi atque administrandi bona Cappellaniæ prædictæ pertinuisset, mandatum, quod contra prædictos Vannios haud citatos obtinuerat pro immissione ad ea bona cum clausula = *dummodo possessio sit vacans* = exequutioni commisit, atque horum bonorum reapse possessionem arripuit, ut fusius narratur in mea contemporanea Decisione quoad *caducitatem*. Adversus vero eam inimicam Sententiam, nedum de ejus injustitia, sed etiam de nullitate conquerentes Alexander, et Joannes Baptista Vannii coram Signaturæ Tribunali steterunt, atque petierunt, ut illud Judicatum, omniaque, quæ posterius in illius vim gesta fuere, circumscriberentur; atque facile obtinuerunt Rescriptum, quo delegata fuit Sac. Nostro Ordini illius Sententiæ revisio, etiam *cum facultate circumscribendi*. Hinc bina dubia, quæ Sac. Tribunal, ei clausulæ congruentia, disputanda decreverat, in Comitiis diei 21 Junii anni 1819. R. P. D. meus Isoard Dominis definienda proposuit; sed dilata resolutione quoad Dubium, princeps causæ meritum super caducitate respiciens, alterum etiam super circumscriptione eisdem subiici vicibus oportuit. Hodie vero, cum a Patribus quid de caducitate sentirent, ego quæsiverim, contextim etiam eos interrogavi = *An sit locus circumscriptioni in casu etc.* = et, cum caducitas quoad Joannem Baptistam exclusa fuerit, ut ex contestuali mea Decisione patet, consonum quoad circumscriptionem Responsum accepi = *Affirmative per viam nullitatis* =.

Nec diversum ferri poterat judicium. 1
Compertissimum est enim in foro, quod circumscriptionis pedissequæ quæstiones quæ, sicuti contigit in themate, una cum causæ merito ex Signaturæ

Rescripto S. Nostro Ordini demandantur non aliter quam ad illius tramites dijudigandæ veniunt, earumque definitio omnino ab judicio pendeat, quod super negocio principali feratur, ut Rota tradit *in Romana, seu Urbevetana literæ cambialis super circumscriptione* 23 *Junii* 1817 *cor. Piccolomini in Melevitana Cappellaniæ super circumscriptione* 17 *Januarii* 1817 §. 2 *cor. Odescalchi in Romana Circumscriptionis* 19 *Januarii* 1818 §. 3 *cor. R. P. D. meo Spada.* Cum igitur Patres injustam esse cognoverint eam Sententiam, quam Judex provisorius A. C. Colapietro tulerat, quia Joannes Baptista insuperabilis obicis est, quin Ettorrius Cappellaniæ compendium consequi posset, eamdem non potuerunt etiam irritam non habere, atque ideo circumscribendam esso constituere.

2 Accedit etiam, quod prædictæ sententiæ nullitas apertissima ost, ex defectu præsertim citationis Joannis Baptistæ. Nimis enim, non modo a legibus Civilibus, et ab æquitate Sacrorum Canonum, verum etiam ab jure naturali, a tutela civilis societatis, et ab ordine judiciorum abhorreret si quis inopinata, et exitiali sententia, nulla præeunte citatione damanari posset, ut post *Text. in Cap. Romana* §. *contrahentes de foro competenti, et in Clement.* 1 *de judiciis, animadvertunt Uber. de cit. Cap.* 8. *num.* 1. *Ridolphin. in Prax part.* 2. *Cap.* 11 *num.* 118, *et Rota in Decis.* 619 *numer.* 18 *cor. Olivatio, in Romana Molestiarum quoad sententiam anni* 1757 §. 2. 10 *Martii* 1759 *cor. Paracciano, in Fulginaten. Circumscriptionis* 21 *Martii* 1794 §. 4. *cor. eodem,, et in Maceraten. Circoumscriptionis* 7 *Junii* 1805 §. 5. *cor. Rmo P. D, meo Serlupi Decàno.* Reque vera si citatio impune omitti posset, nil judicia ab aperta vi, et spolio distarent. Merito igitur definitum fuit, nullitate eam laborare sententiam, quæ Joanne Baptista nec vadato, nec monito, cum enormi ejus detrimento lata fuit.

3 Inaniter vero bunc citationis defectum objiciebat Ettorrius sanatum fuisse, quia interpellatus fuerat Josephus Lopez, qui mandatum a Vanniis habuerat, ut vineam extra Lateranensem portam sitam Riccio venderot, cæteraque eorum negotia administrare Romæ non destitisse dicebatur. Hoc etenim objectum, quavis in hypothesi, inutiliter adversus Joannem Baptistam proponeretur. Nam, etsi Josephus opportuno mandato quoad cæteros fratres præditus fuisset, ita ut citationis defectum, quoad illos, supplere potuisset citatio ad eum transmissa, nil tamen id Joannem Baptistam afficeret, qui infirmæ adhuc ætatis, et tutoris sub potestate, nullum unquam ei mandato præstit, nec præstare poterat consensum. Cum igitur Josephus Lopez Joannis Baptistæ personam repræsentaro numquam posset, nullius fuisset ea citatio roboris in præjudicium dicti minoris, ac semper quoad ipsum habenda esset, ac si nullo modo intercessisset, ut tradit Rota *in Romana Spolii* 2. *Decembris* 1737 §. 3 *cor. Bussio, et in Constantia. Reædificationis Ecclesiæ* 3 *Martii* 1738 §. 4 *cor. Ratta.*

Nec igitur Joannes vadatus fuit, ullo modo excusari poterat hujus citationis defectus. Eoque magis quia ab Ettorio tutore vadari ipse non poterat, sed subrogatus ipsius tutor Marcoccius citari debuisset, ut ipse pro minore vadimonium obiret in judicio contra hunc a prædicto tutore Ettorrio instituto ad *Text. in leg.* 1 *ff. de minor leg.* 1. *Cod. qui per. tut. leg. Cum minores Cod. si advers. rem jud. et* §. *Item invito Institut. de Curat.* Quare cum nunquam Marcoccius fuerit ab Ettorrio citatus, neque vadimonium suscipere, minorisque jura protueri potuerit, ex hoc etiam Sententia A. C. nullitatis labe infecta renuncianda est. Quod enim, instante tutore, inscius pupillus, indefensusque nullo curatore deputato, ac citato, improvisa Sententia feriatur, id esset inhumanum, absurdum, atque providentia legum indegnissimum, quemadmodum tenuit constanter Rota præsertim *in decis.* 180. *num.* 5. *par.* 8 *Dec.* 273 *num.* 14 4

par. 17 *Recent. Decis.* 96 *num.* 5 *cor. Otthobon. Decis.* 404. *num.* 6. *coram Celso decis.* 271. *num.* 3. *coram Crescent. Sen. et decis.* 338. *num.* 1. *tom.* 4. *Nuper.*

5 Satis hæc superque esse ad Sententiæ sæpius memoratæ circumscriptionem indicendam Patribus visa sunt, quin opus esse censuerint de aliis adversus eam nullitatis capitibus propositis inquirere. Quo vero ad modum circumscribendi putarunt per viam nullitatis tantum omnia acta esse delenda. Et merito quidem. Exploratissimi enim juris est, ut, cum circumscriptionis querela ab judicio, quod super merito principali feratur, præcipue pendet, ea semper sit per mitiorem viam admittenda. Accedit præterea, quod Ettorrius, non facto suo, propriaque auctoritate, sed mandante Judice, possessionem bonorum nactus fuit, ex quo aliquam mereri excusationem visus fuit. Illud etiam animadverterunt Domini, quod proposita Dubii formula ad circumscriptionis quæstionem *in genere* tantum cohibita, cum desit particula = *quomodo* = ad modum pertinens, viam præcludit illi extendendæ præter simplices, ac naturales fines nullitates actorum.

Et ita etc. Utraque etc.

ROMANA CIRCUSCRIPTIONIS

Veneris 5 *Julii* 822.

ARGUMENTUM

Habes in superiori quae confirmatur « DECISIO XCtV. »

SUMMARIUM

1. Circumscriptionis quaerela plerumque pendet ob judicio, quod fertur super negocio principali.

2. Manifesto nullitate loborot Sententia, quae non vadato reo, loto fuit.

3. Qui tutoriae subest potestati, nequit vodari in personom o tutore diversom.

4. Tutor pro Minore citari debet in judicio, ut ipse pro Minore vadimonium obeat.

5. Cum circumscriptionis querela ob judicio, quod super merito principali feratur, proecipue pendet, ea semper est per Mitiorem viam admittenda.

DECISIO XCV.

Edita ab A. C. Provisorio Judice Colapietro Sententia, quæ in caduci pænam prolapsos omnes fratres Vannios fuisse declaraverat, ac jus nominandi, et Cappellaniæ Panalfroniæ compendium assequendi uni addixerat Joanni Baptistæ Ettorrio, obtinuit ipse ab eodem Judice Mandatum de immittendo ad illius Cappellaniæ bona eum clausula = *dummodo possessio sit vacans* = quod adversus prædictos Vannios, licet non citatos, executioni commisit, atque ita Cappellaniæ bonorum cepit possessionem, ut latius enarrat altera hujusce diei *Decisio super Caducitate*. Querelam de nullitate, et injustitia latæ ab Judice Colapietro Sententiæ, detulerunt Alexander et Joannes Baptista tantum, ex fratribus Vanniis, ad Signaturæ Tribunal, a quo illius Sententiæ cognitio delegata Sacro Nostro ordini fuit *cum facultate circumscribendi*. Præter itaque Dubium super principe *caducitatis* quæstione, alterum quoque concinnatum fuit hac formula = *An sit locus Circumscriptioni in casu etc.* =, cui in Comitiis diei 11. Januarii nuper elapsi, post ampliatas ex jussu S. Tribunalis quoad caducitatem probationes, responderunt Patres = *Affirmative per viam nullitatis* = Licet vero obtinuisset Ettorrius ut adversus Editam Decisionem obloqui posset, iterum tamen proposita hodie Causa sub Dubio = *An sit standum, vel recedendum a Decisis, in casu etc.* =, et inutiliter dilationem ipso petente, Responsum prodiit = *In decisis* =.

Satis erat ad demandandam latæ ab 1 Judice Colapietro Sententiæ circumscriptionem animadvertere, nullitatis querelam commissam a Signatura Justitiæ Sacro Nostro Ordini fuisse *cum facultate circumscribendi* =, ut ea ad tramites definienda sit lati super caducitate judicii. Ex laudabili enim Sacri Auditorii consuetudine optime, ad inanes effugiendos circuitus, constitutum est ut pedissequæ istæ circumscriptionis, et attentatorum controversiæ ab judicio pendeant, quod fertur super negocio principali, ut, pluribus adductis auctoritatibus, prima probat Causæ *Decisio* §. 2.

Cum igitur injusta undequaque quoad Joannem Baptistam comperta fuerit actio caducitatis ab Ettorrio instituta, et nullum identidem jus vindicare sibi valeat Ettorrius ad Cappellaniæ acquirendum emolumentum, donec aliquis extet ex masculina linea Vanniorum, ut fusius expendit altera hujusce diei *super caducitate* Decisio, ita justum quoque videtur, ut, circumscriptionis ope obliteretur edita ea Sententia, atque e media tollatur capta Cappellaniæ Bonorum ab Ettorrio possessio.

2 Sed, prætermissa etiam boni juris indagine, nullitas prædictæ Sententiæ manifestissima erat ex defectu potissimum citationis, dum in jus vocatus minime fuerat Joannes Baptista. Abhorret enim, tum a Civilium, et Canonicarum Legum disciplina tum ab Jure Naturali, et ab ordine judiciorum, civilisque societatis, ut aliquis ex inopinata et exitiali Sententia, nulla præeunte citatione, damnetur, veluti, innumeris adductis, prima probat Causæ *Decisio* §. 3. Nam, si omitti posset impune citatio, nihil jam a violenta, et spolio judicia ipsa distarent, quod oppido absurdissimum esset. Jure itaque, meritoque definitum fuit, nullitate Sententiam laborare, quæ Joanni Baptistæ, nec vadato, nec monito, tantam intulit cladem, ut non solum in caducitatem eum incidisse declaraverit, sed a propria etiam, et legitima possessione ipsum exturbaverit.

3 Ineptissime autem urgebat Ettorrius, sanatum quodammodo censeri vitium citationis ex indicto vadimonio cuidam Josepho Lopez, qui Procuræ Mandatum a Vanniis habuerat ad Vineam vendendam, quæ extra Portam Lateranensem sita est, eorumque negocia Romæ administrare dicebatur. Seposita siquidem quæstione, an rite fuerit ex hoc Procuræ mandato pro Vanniis dies dicta Lopezio, in quavis hypothesi inutiliter semper adversus Joannem Baptistam obiiciebatur, qui cum infirmæ adhuc esset ætatis, et tutoris auctoritati subesset, quemadmodum nullam huic Procuræ Mandato præstitit, vel præstare poterat consensum, ita nullum ex eo debebat detrimentum sentire. Si itaque Lopezius repræsentare Joannis Baptistæ personam nequibat, nocere ei nequit antedicta citatio, ac semper quoad ipsum habenda esset, ac si facta omnino non fuisset, ad tradita in priori *decis.* §. 4. Certius id erat retinendum, quia sciebat Ettorrius, nunquam se probasse Mandatum illud, nec unquam huic subscripsisse, sicut oportebat, ut pupillum obligaret.

Cæterum non poterat Ettorrius, neque ipsum Joannem Baptistam, neque pro eo Lopezium vadari, donec novus pupillo tutor eligeretur. Cum enim = *præcipuum tutoris officium sit, ne indefensum pupillum relinquat* = ut *Marcellus ait in Leg. Tutoris ff. de admin., et peric. tut., et cur.* ideo exploratum in jure est, tutorem debere antequam litem cum pupillo instituat curatorem ei eligi curare, qui pupillum ipsum in judicio defendat *ad Text. in leg, Cum minores Cod. Si adv. rem. jud. leg.* 1. *ff. de Minor.* §. *Item inviti Instit. de Curat.* Si itaque, post litem ab Ettorrio instructam in pupilli curatorem Marcoccius fuit deputatus, necessario consequitur, Ettorrium debuisse Marcoccio vadimonium indicere. At, si Marcoccius haud fuit in judicium vocatus, atque ideo vadimonium pro pupillo obire non potuit, ex hoc etiam lata Sententia nullitatis vitio corruit. Juris quippe censura non patitur, ut, instante tutore, inscio, et indefenso pupillo, ac nullo ei curatore deputato judicia adversus eum, et Sententiæ ferantur, ut statuit prima *Decis.* §. 5. 4

Semelac autem citationis defectus manifeste patebat, erat oppido supervacaneum de aliis inquirere nullitatum capitibus. Ratio vero, ex qua Patres Sententiæ circumscriptionem per *viam nullitatis* tantum præscripserunt, ea primum fuit, quod, cum querela Circumscriptionis a definitione pendet alterius præcipuæ quæstionis, ea semper viam mitiorem demandanda est, cum Jura Nostra, et Sac. præsertim Nostrum Tribunal æquitatem sequi soleant *ad Text. in leg. Si servus* 91. §. *Sequitur ff. de verb. obligat., leg. In omnibus* 90. *ff. reg. de jur. Rot. decis.* 52. *num.* 11. *cor. Ansald. decis.* 544. *num.* 15. *cor. Olivatio, et dec.* 272. *num.* 19. *cor. Riminaldo* = Animad- 5

verterunt deinde Ettorrium non facto suo, propriaque auctoritate, sed mandato Judicis possessionem bonorum nactum fuisse, adeout a rigorosa purgatione facilius videretnr excusandus. Ipsa dcmum formula Dubii, quæ de circnmscriptione qnærit *in genere* tantnm, neque clausulam = *quomodo* = continet, quæ admodnm pertinet, quodammodo vetat, ne mandata circnmscriptio simplices, ac naturales fines nullitatis actorum excedat ut ponderat superior *Decisio* §. *fin.* Et ita, rejecta Ettorrii pro comperendinatu instantia, definitum fuit etc.

ROMANA EVACUATIONIS
DOMUS

Veneris 25 *Januarii* 1822.

ARGUMENTUM

Ubi quis Inquilinatus juri valedixerit, nequit amplius uti hoc privilegio. Quod in quovis casu, limitationem semper patitur, si res locata necessario inserviat proprio domino, quia tunc Inquilinus, etiam ante expletum contractum expelli a domo potest.

SUMMARIUM

1. *Ubi tempus conductioni præfinitum, elapsum sit, liberum est locatori in possessionem rei locatae redire.*
2. *Si Inquilinus, finito locationis tempore, rem locatam dimittere detractat, tenetur ad domnorum omnium emendationem.*
3. *Inquilinatus jure semel abdicato, nequit amplius quis in medium proferre.*
4. *Cui indictus est terminus ad perficiendum Instrumentum, et intra illud tempus perficere recusat, jus omne in posterum ammittit.*
5. *Omnibus obligationibus tacita inest clausula - rebus sic stantibus - adeo ut eodem tempore, ac eodem actu, oportet quod accedat consensus.*
   Perperam id petitur, quod jam intus quis haberi probatur - ibidem. -
6. *Domus, quae octo tantum cubiculis constat, incommoda reputatur pro familia, quae plurimis constat personis.*
7. *Ex dispositione legis - aede - Cod. locat. Conduct. - si probatur necessitas in locatore proprias aedes inhabitandi, licitum eidem est conductorem expellere etiam non finita locatione.*

DECISIO XCVI.

Peramplas ædes in nobiliori Urbis Via » *del Corso* » positas, ac ordinis *numero* 300 signatas, quas possidet nobilissima Gens Verospia, inhabitandas concesserat Octavio Dionigi, nulla confecta scriptura, in præsens defuncta Virginia Verospi Gavotti. Sed incuriæ suæ postea eam penituit, quæ adhibitis prius inutiliter omnibus urbanitatis officiis, Dionisium tandem judicio lacessivit anno 1805 ab eoque patiit, ut vel scripturam locationis conductionis conficeret, vel vacuam domum redderet. Latum deinde fuit ab A. C. Ridolfi Decretnm, quo Dionysium damnavit, constituto termino *quindecim* dierum, ad stipulationem Instrumenti per *triennium*. Provocavit tam Dionysius ad Sacr. Ordinem nostrum sed proposito Dubio = *An, et quomodo sit facienda locatio* = prodiit Responsum = *Affirmative juxta modum* = nempe = *ad formam Decreti A. C.*, ceu pandit Decisio *in Romana Locationis* 26 *Junii* 1807 *coram Emo Bardaxi*. At in nova actione, quam experiri voluit Dionisius biennio post evulgatæ Decisioni censuerunt Patres modum adjicere, edito Responso = *In Decisis salvo iure Inquilinatus* ut ex altera *Decisione diei* 28 *Aprilis* 1809 *coram Eodem Emo Bardaxi* apparet.

Quæ publicæ deinde supervenerunt calamitates instituti judicii cursum adeo turbarunt, ut interca temporis facto cesserit Baronissa Virginia, ac Dionisius in detentione earum ædium permanserit; Verum *anno* 1819 Hieronimus Gavotti Virginiæ filius, qui conductitias ædes inhabitat, tum incommodas, tum etiam familiæ usibus impares, urgente in dies necessitate, juratus apud acta declaravit = *che intende di servirsi per proprio uso dell'appartamento di sua proprietà posto al palazzo Via del Corso num.* 300 *ritenuto in affitto dal Sig. Dionigi senza locazione* » easque propositi sui causas pertulit » *attesa la necessità, che ha di detto appartamento per la propria abitazione, e per collocarvi ancora la sua*

famiglia » ac etiam » *in vista altresì che andando a spiragli il contratto di affitto della Casa dal medesmo attualmente abitata, non avrebbe altra abitazione di cui potesse valersi, per cui abbisogna necessariamente di detto appartamento* » Ilis suffultus præsidiis Dionisio diem dixit coram Capitolina Curia, ab eaque petivit domus *evacuationem*, sin minus Mandatum *de evacuando, aut exfractando* a Judicibus illis imploravit. Cecinit primo surdis Gavottus, sed renovata, ut inquiunt Pragmatici, *per affixionem* instantia, denunciatum Dionisio fuit Decretum *pro exfractione*.

Hoc tunc in re trepida consilium cepit Dionisius. Ratus enim saltem per aliud, triennium Verospias ædes se posse retinere, non solum, emissa *ad diem 28 Junii ejusdem anni* 1819. solemni declaratione, se paratum exhibuit ad Instrumenti locationis conductionis stipulationem per triennium, sed accepto babuit etiam Decretum A. C. Ridolfi, et nuncium eodem tempore misit actis omnibus coram Sacro Auditorio gestis, et potissimum superius recensitis Decisionibus. Nonnulla etiam opposuit super nullitate acti judicii coram Curia Capitolina, sed ejus pro circumscriptione instantiam merito rejecit Supremum Signaturæ Tribunal. Interim vero novas Gavottius patiebatur molestias a Duce Torlonia, a quo denunciatum anno 1820 ei fuit, ut dimitteret ædes, quas inhabitat ex conducto. Impensius itaque institit ipse apud Judices Capitolinos, a quibus, allata etiam Architecti *Jacobi Palazzi* relatione super necessitate qua premitur, proprias habitandi ædes, Mandatum *evacuationis, seu exfractationis* advesus Dionisium imploravit, et obtinuit. Appellatione tamen a Dionisio interposita ad S. Nostrum Tribunal cum rogaverim hodie Patres sub Dubii formula » *An sit locus evacuationi, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* deserto a Dionisio vadimonio, Responsum accepi » *Pro informante* » idest » *Affirmative in omnibus.*

1 Etsi enim *in Decisione diei* 28 *Aprilis* 1809 *coram Emo Bardaxi de Azara* definitum fuerit, cogendum esse Dionisium a Instrumenti locationis conductionis stipulationem, *salvo jure Inquilinatus*, nunc tamen non in eodem statu sunt *res*, quemadmodum erant, dum illud prodiit judicium. Nam in præsens, neque *ex conducto* retinere Dionisius ædes illas valet, neque *inquilinatus* privilegio frui, quod a notissimo profluit *Camerali Decreto*. Quoties autem certum est neutrum Dionisio prodesse, ut diutius in illegitima ædium retentione consistat, toties liberum esse debet ipsorum ædium domino Dionisium, cum *Mandato* etiam *de exfractando* ad evacuationem compellere *ad Text. in Leg. Item quaeritur* 14 § *qui impleto ff. locat. Caneer. Var. Resolut. tom.* 1 *cap.* 14 *num.* 57 *Fattinell. Respons.* 64 *num.* 7 *Pacion. de locat. cap.* 64 *num.* 45 *et cap.* 60 *num.* 1, *et seq. Mans. consult.* 26 *num.* 20 *Rot. coram Ansaldo decis.* 897 *n.* 1 2 3 *et in Romana Evacuationis Appartamenti* 3 *Julii* 1741 § 2 *cor. Vice Comite.*

Adeo vero exploratum est in jure 2
inquilinum finito locationis conductionis tempore, locatas ædes dimittere debere, ut Leges jubeant, eum teneri, tamquam invasorem alienæ rei, ad damnorum omnium emendationem, quæ ex pervicaci detentione possessori, et domino obvenerit, si diutius in conductione consistat » *Conductores alienarum rerum* (*inquit Imp. in leg.* 34 *Cod. locat.*) *seu alienam cujuslibet rei possessionem precario detinentes, seu haeredes eorum, si non eam dominis recuperare volentibus restituerint, sed litem usque ad definitivam Sententiam expectaverint, non solum rem locatam: sed aestimationem ejus victrici parti, ad similitudinem invasoris alienae possessionis, praebere compellantur* » atque hanc quidem juris disciplinam probavit sæpissime Sacrum Tribunal præsertim *in Foro sempronien. Manutentionis* 23 *Junii* 1769 §. 7. *coram Herreros*, *in Ferrarien. Expulsionis* 16 *Martii* 1792. §. 2. *coram Parracciano*, *in Romana Domus super evacuatione* 14 *Maii ipsius anni* §. 3. *coram cl. me. Guardoqui*, *in Anagnina Manutentionis super damnis* 4 *Julii* 1792

§ 2 *coram Eodem*, *in Ferrarien. Locationis quoad damna*, *et in teresse super liquidatione* 9. *Maii* 1796. §. 2. *coram cl. me. Card. de Boyane*, *et in Perusina Spolii* 15 *Februarii* 1806 § 9 *cor. R. P. D. meo Bussi.*

3 Et re quidem vera manifestissimum est, non amplius frui posse Dionisium *inquilinatus* privilegio, quo adhuc usque in illarum ædium detentione permansit. Semelac enim post editum primum Decretum a Curia Capitolina, quo damnatus ipse fuit ad Verospias ædes dimittendas, die 28 Junii anni 1819 solemni emissa declaratione, sese exhibuit » *di essere pronto a stipolare a favore del Sig. Barone Girolamo Gavotti*, *come Erede della detta Baronessa Virginia Verospi Gavotti*, *l' Istromento di locazione suddetta da durare per anni tre* » Semelac eodem actu amplissimam emisit renunciationem » *a tutti gli atti fatti nel Tribunale della Sagra Rota Romana* » et declaravit insuper » *che i medesimi Atti, Decreti*, *e Decisioni emanate in detta Causa*, *e qualunque altro atto su di essa Causa*, *debbano tutti reputarsi come non fatti*, *ed estinti in seguito della presente rinuncia* » Semelac in his Decretis, et Decisionibus jus istud *Inquilinatus* continebatur; certe consequitur, hoc jus ipsum abdicasse, neque amplius abdicato jure uti posse ad retinendas ædes, ut præter *Rodolphin. in Prax. part.* 2 *cap.* 13 *num.* 58 *Pacion. de locat. cap.* 20 *num.* 89 *Constantin. ad Stat. Urb. annot.* 24. *num.* 332, *et vol. decis.* 270 *num.* 15 *tom.* 2 *statuit noster Ordo in Rec. decis.* 692 *num.* 9 *part.* 4 *coram Priolo decis.* 167. *num.* 7. *coram Olivatio decis.* 240 *num.* 13, *et dec.* 273 *num.* 18. *in Romana Solutionis affictus* 16 *Januarii* 1805 § 7 *coram Rmo P. D. meo Serlupi Decano*, *et in Auximana*, *seu Anconitana super secundo Semisse* 6. *Junii* 1806. §. 2. *coram Emo Rusconi.*

Nec melius proferret Dionisius lo-
4 cationis conductionis titulum, cujus tabulas numquam stipulatas fuisse, inficiari non potest. Neque enim ex quo defuncta Baronessa Virginia *anno* 1805 ad judicium ipsum vocavit, ut locationis conductionis Apocham ad triennium conficeret, ideo Conductor earum ædium renunciandus est, ac cum voluntate Virginiæ est conjungendum longe posterius ipsius Dionisii factum, quo anno 1819, accepto habuit approbavitque A. C. Ridolfi Decretum super constitutione termini; sin minus super relaxatione *mandati de Exfractando*. Profecto, si *anno* 1805 aliisque insequentibus, dum Baronissa Virginia cogere Dionisium volebat ad Instrumenti locationis conductionis stipulationem, restitit ipse, renuitque ullum Instrumentum conficere, nullo nunc potest modo ipse Gavottum compellere ad locandum: postquam plurimi præterierunt anni, ac quam maxime mutatus est rerum status.

Compertissimi siquidem juris est o- 5
bligationibus omnibus tacitam inesse clausulam *rebus sic stantibus* adeo ut nisi eodem tempore eodemque actu locatoris, ac conductoris accedat pro stipulatione Instrumenti consensus frustra in posterum, postquam consumatus quoque videtur stipulationis, et consensus, effectus, alteruter eorum desiderat contractus exequutionem, altero renuente, ut perbelle docuit *Pacion. de locat. cap.* 16 *num.* 45 et Sacrum Nostrum Tribunal *in Colonien. Venditionis* 13 *Maii* 1754 §. 3. *coram Card. Elephantutio, in Ferrarien. Reintegrationis* 27 *Januarii* 1777 §. 7 *coram cl. me. Card. De Bayane*, *et in Romana Emptionis Venditionis domus* 4 *Julii* 1795 §. 5. *coram bo: me: Resta.* Fortius vero hæc omnia in subjecta specie locum sibi vindicabant, in qua manifestum est Dionisium licet non inierit locationis conductionis Instrumentum, dum anno 1819 proposuit » *di stipolare l' Istromento di locazione da durare per anni tre* » obtinuisse tamen ejusdem locationis effectum, semelac ad exitum jam properat *triennium* ab emissa declaratione. Perperam enim id petitur, quod jam intus haberi probatur. *Gratian. discept. Forens. cap.* 122 *num.* 27 *Rot. in Rec. decis.* 329 *num.* 9 *part.* 17 *coram Molines*, *decis.* 703

num. 17 *in Romana seu Civitatis Castellanae Pecuniaria*, 6 *Junii* 1746 §. *coram Caprara*, *et in Perusina Immissionis* 15 *Maii* 1753 § *Concurrit. coram Calcagnino.*

6 Hisce autem accedit, quod omnem removet ambiguitatem si qua esset, nempe jurata Hieronymi Gavotti declaratio die 5 Aprilis anni 1819 in actis emissa – *che intende di servirsi per proprio uso dell' appartamento di sua proprietà, ritenuto in affitto dal Sig. Dionigi senza locazione, attesa la necessità, che ha di detto appartamento per la propria abitazione, e per collocarvi ancora la sua famiglia, ed in vista altresì, che andando a spirargli il contratto di affitto della Casa dal medesimo attualmente abitata non avrebbe altra abitazione, di cui potesse valersi, per cui abbisogna necessariamente di detto appartamento* » Utrumque vero ed unguem probat Gavottus. Nam quod ædes, quas ex conducto retinet, incommodæ sint, et familiæ, quæ pluribus constet personis, usibus impares, refert integerrimæ fidei Architectus *Jacobi Palazzi* in extrajudiciali sue relatione in qua *octo* tantum cubicula enumerat in iis ædibus existentia, quæ inter » *tre sole sono le camere da letto, e le altre soggette tutte al passo, per andare in quelle, e tre di queste oscure* » præterea in iis ædibus plura deesse, quæ ad habitationem Nobilis Familiæ necessaria sunt, demonstrat, quæ omnia habentur in ædibus, ques Dionisius retinet. Sic pariter in præsens urgeri Gavottum ut easdem ædes dimittat, judicium probat a Duce Torlonia locatore institutum.

7 Aut igitur tamquam *conductorem*, aut tamquam *inquilinum* habere Dionisium velimus semper ad dimittendas ædes congendum esse patebit. Nam inter cæteras celeberrima est dispositio *leg. Æde Cod. locat., et conduct., et cap. Propter sterilitatem* §. *Verum de locato* ex qua, probata necessitate locatoris proprias ædes inhabitandi, licitum eidem est conductorem expellere etiam non finita locatione » *Æde* » siquidem » *quam te conductam habere dicis, si pensionem domino in solidum solvisti invitam te expelli non oportet, nisi propriis usibus dominus eam necessariam esse probaverit, aut corrigere damnum voluerit, aut tu mala in re locata versatus es* » *ait Text. in dict. leg. C. de Locat., et conduct.* Hanc vero doctrinam ab ipsis legibus haustam semper sequuti sunt Doctores, atque Interpretes, ac cæteros inter *Peres Comment. in cod. lib.* 4 *tit.* 65 *num.* 32 *Bruneman. in cod. lib.* 4 *tit.* 63 *leg.* 3 *num.* 1 *Pacion. de locat. et conduct. cap.* 56 *num.* 1, *et nostrum Sac. Auditorium decis.* 897 *num.* 1 *coram Ansaldo*, *et in Romana Evacuationis appartamenti* 3 *Julii* 1741 § 7 *coram Vice comite.* Stante autem hac necessitate, cessare etiam *Inquilinatus* privilegium *post. Fenzon. ad stat. urb. pag.* 75., docuit quoque *Rot. in cit. Romana Evacuationis appartamenti* 3 *Julii* 1741 § 3 *coram Vice comite, in confirmatoria* 19 *Aprilis* 1742 § 3 *coram Eodem, et in Romana Locationis* 28 *Aprilis* 1809 § 3 *coram Eminentissimo Bardaxi.* Quoties itaque ambigi nequit veram hanc esse Gavotti necessitatem proprias ædes inhabitandi, non simulatam, non fictam; quoties certum est superventam fuisse postquam jam a pluribus annis Verospias ædes Incolit Dionisius, et post judicium a Virginia institutum, manifestissimum fit, re quacumque ex parte spectata, in dubium revocari haud posse Gavotii jus Dionisium expellendi ab ædibus, quas nullo retinet jure, quæve ipsi Gavottio sunt omnino necessariæ.

Et ita etc. altera etc. tantum. etc.

ROMANA FRUCTUUM

DAMNORUM, ET INTERESSE

Lunae 6 *Maii* 1822.

ARGUMENTUM

Pecunia in taberna collata, nequit gignere fructus, nisi personae industria concurrat. Neque debitor, in mora est, nisi prius constitutum sit, quid quantumque tradere debeat.

SUMMARIUM

1. *Fructus, ac lucra perperam desiderantur, eejunctim a tabernæ Styliie, avviamento, et industria.*

   Pecuniae, ex creditie retractae, si quas horum exacta fuerunt, absque personae industria, frugifera nunquam dici possunt - ibidem. -

2. *Negociator cui fuit indictum sequestrum, quia subest judiciali deposito, nullum lucrum ex mercibus retrahere potest.*
3. *Tum tantum fructus gignere possunt Merces, cum sint conjunctae tabernae, Styliis, avviamento, et industriae mercatorie.*
4. *Semelac quis petiit, et obtinuit abrogari testamentum, nequit amplius argumentum ex illo deducere.*
5. *In Mora nemo esse potest, nisi prius constitutum sit, quid, quantumque tradere debent.*
6. *Inanis fit requisitorum castrensium interpellatio, nisi concurrat liquidum interpellantis creditum, atque interpellati debitoris mora.*
7. *Excluditur damnorum actio, nisi certis documentis evincatur damna, ex culpa illius, quem adversus haec actio proponitur, obvenisse.*
8. *Ubi quis jacturam sentit ex propria facto, frustra illius onus in insontem Socium reiicere conatur.*

DECISIO XCVII.

Resignatis die 20 Novembris anni 1802 per acta Notarii Fiammetta testamentariis tabulis, ac codicillo ab Johanne Carolo Tritonio paulo ante ejus obitum scriptis, patuit ipsum, cujus præcipua substantia erat in taberna, exteris præsertim mercibus instructa, sub stemmate = *il Melone* =, atque in domestica supellectili, pecuniis, argentoque facto legati nomine, filiæ Mariæ Theresiæ, nuptæ Josepho Maggi, reliquisse = *tutto il mobilio di casa comprendendoci ancora l' argenteria, e biancheria, come per tutto ciò, che si ritroverà nella cantina, e dispenza* =, uti etiam = *scudi tremila nel fondaco di merci, da conseguirsi in tante merci a stima di periti, o in denaro contante, come ad essa Maria Teresa più parerà, e piacerà* =: in omnibus vero suis bonis, actionibus, pecuniis, debitorumque nominibus = *niente affatto eccettuato, e segnatamente nel fondaco, e negozio di mercante, merci, stigli, ed ogn' altra cosa addetta al medesimo negozio* = universalem sibi heredem scripsisse uxorem Antoniam Cerruti = *dichiarandola di essi beni tutti libera, ed assoluta padrona* =, ita ut subjecta esset = *l'intiera eredità alla di lei disposizione, senza, che mai le si potessero contrastare, nè impedire le distrazioni degli effetti, e capitali della detta eredità* =, atque in ipsam translata esset = *ogni facoltà, ed autorità ad oggetto che voglia, e possa rappresentare la stessa persona* = ipsius testatoris.

De universa sua hereditate ita in Uxorem a Tritonio disponendi facultate collata, voluit ipse, quod = *cessando in qualunque tempo di vivere la sudetta Sig. Antonia Cerruti in tutto quello, che si troverà esser rimasto dell' Eredità* = succederent pro dimidia parte filii, tam masculi, quam fæminæ alterius ejus filiæ nuptæ Severino Petrarca, quæ jam obierat, pro altera vero medietate prædicta Theresia, ejusque filii vel mares, vel fæminæ, atque hisce attribuit = *in congiuntura della divisione del fondaco di mercanzie per antiparte gli stigli ivi esistenti, come pure l' intiero avviamento, sulle quali cose nulla possino pretendere li figli della defonta Marianna* =; jussit demum, quod, post mercium peractam divisionem = *la porzione spettante ai figli di detta Marianna per lo spazio di anni sette debba rimanere incorporata con l' altra porzione, o metà spettante alla Moglie del Sig. Giuseppe Maggi, e suoi figli con facoltà a questi di farne acquisto, e pagarla in denaro contante nel decorso dell' enunciato tempo per rate non minori di scudi cento l' una* =, repensis interim = *per l' entrante valore di quella metà i frutti compensativi alla ragione di scudi trè per ogni centinaro, ed anno* =.

Post itaque viri obitum Antonia Cerruti omnium ejus hereditariorum bonorum possessionem nacta fuit; atque ejus testamento, et codicillo innixa, tam per actus donationis inter vivos, dierum 19 Junii, et 4 Octobris anni 1816, quam per testamentum, in Theresiæ, interim defunctæ, filios, Johannem Mariam, Carolum, Mariam, et Agatham Maggios, id omne transtulit, quod ei Tritonius assignaverat. Labente dein mense Decembris anni 1816.

et ipsa diem vidit supremum. Tum fratribus Petrarca, ac Maggiis consentientibus, privata mercium descriptio peracta fuit, earumque fuit a peritis utrinque electis æstimatio expleta. Merces dictæ fuerunt in totum valoris 26496 70 pecuniæ extantes in arca inventæ fuerunt in quantitate scutorum 1279 51 debitorum vero nomina, ob eorum exigendorum præsertim difficultatem, descripta haud fuerunt quo vero ad statum passivum, adnotatum fuit debitum pro dote in maxima parte Theresiæ Maggiorum matri, haud soluta scutis nempe 2825 præterea legatum ipsi a parentibus relictum, ut jam superius fuit expositum, in scutis 3000, ac debita demum erga exteros negociatores in scutis 17716. 26 quæ simul sumpta hunc passivum statum constituebant in summa scutorum 23541. 26, e conspectu activi in scutis tantum 27766. 21, creditis in calculo haud habitis ex superius relata causa. Patet hinc haud multum sibi asserere potuisse fratres Petrarca pro dimidia parte mercium eis ab avo, aviaque tributa, ob tantam debitorum molem; cum præsertim nullum eis esset jus ad tabernæ stylia, et avviamentum, nec industriam ullam exercerant.

Mercatoriæ hujusce tabernæ administratio commissa deinceps fuit Johanni Mariæ Maggio, qui sedulam dare operam debuit ingentis æris alieni erga exteros Negociatores dimissioni, pretio ex mercium venditione retracto. Res primum pacifice processit; et Petrarca, inhærentes testamento avi, nedum mercium divisionem haud postularunt, sed immo scuta 160, sub die 16 Februari anni 1814 a Maggio receperunt = *a conto dei frutti della porzione, che ci potrà spettare del detto Negozio* =, cum ex prædicto testamento Maggio jus esset mercium dimidiam partem, ad eos spectantem *per septennium* a die obitus Antoniæ Cerruti retinendi, *quadrante* super eorum valore usura repensa, eamque etiam emendi pretio ratatim numerando, uti jam fuit narratum. Verum deinde, scilicet die 15 Aprilis 1817, mutato consilio, ob remotionem cujusdam a taberna ministri, sese mercium condominos, non earum dimidii valoris creditores asseruerunt; aviti testamenti nullitatem quoad substitutionem proposuerunt, divisionem mercium provocantes, juxta aviæ Antoniæ Cerruti dispositiones, et a Maggio bancariam exegerunt cautionem, quam ipse in scutis 4200 præstitit per argentariam mensam Scultheis. Actum postea fuit de explenda divisione coram Tribunali Collegiali A. C., a quo delegatus fuit die 14 Julii 1818 R. P. D. Cuneo = *ad effetto di formare lo stato ereditario del Patrimonio Tritonio, prelevare quindi la dote, il legato degli stigli, Mobilio, ed Avviamento, ed il legato di scudi trecento a favore degli Eredi di Teresa Maggi a forma della disposizione testamentaria di Antonia Cerruti, ed assegnare in proprietà la porzione a ciascuno competente* =: et quia Doctor Physicus Johannes del Monaco sequestrum Maggio indixerat, a die usque 18 Junii 1817 super mercium parte ad Fratres Petrarca spectante, utpote eorum creditor, ex quo Maggius prædictarum mercium depositarius Judiciali Decreto factus fuerat, instante dein eodem del Monaco pro illarum mercium consignatione, aliud die 17 Julii anni 1819 prodiit ab eodem Tribunali Collegiali Decretum, quo mandatum fuit Delegati Judicis rationem ab ipso esse expectandam, proptereaque Maggium interea nihil tradere debere.

Haud ante diem 16 Martii 1820 potuit R. P. D. Cuneo, ob plures a fratribus Petrarca quæstiones promotas, demandatam sibi proferre relationem, qua emissa, in comperto fuit deberi a Maggio prædictis Fratribus Petrarca scuta 2384. 39 ½ in dimidia nominum adhuc existentium; mercium medietatem valoris scutorum 3224. 75, et scuta 1648. 31 ½ ex dimidia parte nominum exactorum, et mercium venditarum; atque ita in totum scuta 7257. 46, partim in nominibus existentibus, ac mercibus, partim in pecunia numerata = *che sono l'importare della metà dell'asse Tritonio alli medesimi dovuto, dopo fatte tutte le prelevazioni, e deduzioni ordinate dalla precedente Sentenza*

dalle parti accettata =. Illico Maggius, adhibita reservatione suorum jurium, quæ læsa fuisse putabat a præfata relatione, ne moram nectere videretur, instilit, ut Petrarca reciperent omne id, quod in ea relatione fuerat constitutum; cautione postulata ob sequestrum a Del Monaco indictum, ac consonum instantiæ Decretum obtinuit die 26 Aprilis anni prædicti 1820. At die 30 Maii ejusdem anni mandatum de gravando Fratres Petrarca pro scutis *tribus* in singulos dies adversus Maggium, usque ad prædictæ portionis eis debitæ traditionem, exequutioni dederunt; cujus tamen mandati circumscriptionem apud Signaturæ Tribunal jure Maggius postulavit, *tum* quia nondum fuerat peracta mercium divisio, nec partes electæ, *tum* quia consignationi obstabat sequestrum Del Monaco.

Tandem vero, præeunte Decreto diei 7 Junii 1820, quo Doctoris Del Monaco juribus fuit etiam provisum, omnibusque remotis obicibus, die 14 Junii illius anni 1820 divisio absoluta fuit, et quod Petrarca debebatur fuit ipsis traditum, compensatis præsertim scutis 160, quæ ipsi perceperant, ut vidimus, pro fructibus pretii mercium, dum avi testamento inhærebant; atque ideo ex Decreto Auditoris SSmi deleta fuit bancaria fidejussio, quam Maggius præstare debuerat. Non tamen querelarum finis. Etenim Petrarca novum adversus Maggium apud A. C. Juridicos judicium instituerunt, tum super assequutione fructuum, et lucrorum ex portione mercium ad ipsos spectante, quam Maggius usque ad divisionem retinuerat, tum super emendatione damnorum ex retardata divisione, earumque mercium venditione minoris, quam fuerant æstimatæ. Sed Juridicus ille Conventus, Sententia lata die 1 Aprilis anni 1821, eorum instantiam rejecit. De hujus Sententiæ viribus in hodiernis Comitiis apud S. N. Ordinem quæsivi, proponens Dubium = *An sit locus solutioni fructuum, et lucrorum, ac emendationi damnorum, et interesse, et pro qua summa sit relaxandum mandatum in casu etc.* = cui Responsum Patres dederunt = *Negative in omnibus* =.

Quæ duo porro contra Jobannem 1
Mariam Maggium urgent Petrarca fratres, fructus nempe, ac lucra ex mercium, et pecuniarum parte eis debita pro tempore, quo illas Maggius retinuit, et damna, quæ sibi obventa dicunt, vel ex dilata mercium, creditorum, ac pecuniæ divisione, ac traditione, præsertim, quia exinde præpediti fuerint, quin eorum creditori Del Monaco satisfacerent, *vel* ex eo, quod prædictas merces vendere debuerint minoris, quam fuerant æstimatæ, merito Domini prorsus reiicienda esse censuerunt. Quo enim ad *primum*, mercium scilicet fructus, ac lucra, optime animadverterunt, Actores, non ad mercatoriæ tabernæ dimidiam partem, sed ad medietatem tantum, tum mercium in ea existentium, tum creditorum, et pecuniæ in arca jus habuisse, cum eorum avus Tritonio, et avia Cerruti tabernæ stylia, atque avviamentum uni Theresiæ Maggi, ejusque filiis reliquissent; præterea viderunt merces, absque personæ industria, infrugiferas esse, ac Maggium tantum suam in mercatoria taberna industriam adbibuisse; e quibus concludere pernecesse debuerunt fructus, ac lucra perperam desiderari, sejunctim a taberna styliis, avviamento, et industria. Quare sperni ea omnia debuerunt, quæ fratres Petrarca proponebant de condominio super mercibus, et de fructibus, uti dominii accessionibus, debitis a rei detentore; bæc enim rebus suapte natura frugiferis, tantum conveniunt, sed prorsus extranea sunt a themate, in quo de rebus infrugiferis agitur. Nec secus sentiendum fuit quoad credita communia a Maggio exacta, et quoad communem pecuniam in arca existentem. Pecunia namque, ex creditis etiam retracta, si quæ horum exacta fuerunt, absque personæ industria frugifera nunquam dici potuit, quia pecuniæ, uti pertinentes ad classem rerum fungibilium, fructus sui natura non pariunt, uti post *Text. in leg. eum fructus ff. de locato, et conducto*, *in leg. sed mihi* § 6 *ff. commodati, et Zanch. de Societ. p.* 1 *Cap.* 3 *num.* 156, statuit Rota *in Fulginaten. Pecuniaria* 9 *Februarii* 1759 § 8 *cor. Paracciano.*

2 Accedit, vix Antoniæ Cerruti obitu sequuto, mense nempe Januarii anni 1817, negocium repertum fuisse grandi ære alieno implexum, ad scuta usque 17716, debita exteris negociatoribus pro mercibus venditis, data fide de pretio, et in pecunia numerata inventa fuisse vix scuta 1723. 55, ex quo non poterat Maggius, vel pecuniam extantem, vel eam ex mercium venditione perceptam, in aliarum mercium emptionem insumere, sed consulendum ei erat prædicti æris alieni dimissioni, ne ex creditorum impetu suprema clades obveniret mercibus in negocio extantibus. Obicem etiam negociationi præbebat sequestrum Maggio a Doctore Physico del Monaco, creditore fratrum Petrarca, indictum, a die usque 18 Junii 1817, quo pecuniæ, et merces penes Maggium factæ fuerunt judiciale depositum, ita ut de eis disponere haud posset; hinc nullo jure ex iis lucra, et fructus repeti possunt, per *Leotard. de usuris quæst.* 8 *num.* 17, *Ansald. de commercio*, *et mercatura disc.* 10 *num.* 4, *et Rot. in Romana Pecuniaria super nullitate obligationis* 5 *Julii* 1772 *coram Origo*.

3 Inanis itaque est actio a Petrarca proposita pro condicendis fructibus, et lucris ex mercibus, et pecuniis prorsus inutilibus, deficiente eorum jure ad tabernam conductam, ad avviamentum, ad stylia, nullaque ipsorum industria intercedente, ac constituto etiam in Maggio defectu facultatis, et potentiæ eas in negociationem erogandi ob ingens alienum æs, quanto citius dissolvendum, et ob sequestrum a Del Monaco appositum. Nec rei, de qua agitur, conditioni aptari possunt, quæ Actores proferunt testimonia de lucris, quæ communiter percipiuntur e taberna mercibus instructa; quia tum tantum fructus gignere possunt merces, cum sint conjunctæ tabernæ, styliis, avviamento, et industriæ mercatoris, ad tradita *per Scacc. de Commerc.* § 1 *quæst.* 7 *part.* 2 *ampl.* 8 *num.* 225, *Zanch. de Societate part.* 1 *Cap.* 3 *num.* 107 *et num.* 124, *Rot. decis.* 46 *num.* 4. 12 *coram Tanar.*, *et in Romana Societatis* 7 *Junii* 1743 § 9 *coram Molino, in Confirmatoria* 25 *Junii* 1745 § 7 *coram Peralta*, *et in Fulginaten. Pecuniaria* 9 *Februarii* 1759 § 7 *coram Paracciano*: secus vero si ab hisce omnibus, uti in casu, sint disjunctæ.

Quos ex mercibus, harum natura, et conditione inspecta, fructus assequi nequeunt Petrarca, frustra ex aliqua conventione postularent, cum numquam hæc eos inter, ac Maggium extiterit. Poterant ipsi quidem eos repetere ex testamento avi Caroli Tritonio, qui jusserat, post Antoniæ uxoris mortem, merces inter ipsos ac Theresiam Maggi, ejusque filios bifariam esse dividendas, sed tamen dimidiam partem, ad ipsos Petrarca spectantem, per *Septennium* esse relinquendam penes Maggios tabernæ, Styliorum, et avviamenti dominos, repensa ab hisce super harum valure *quadranti* usura. Sed ipsi hoc testamentum, quoad hanc dispositionem, abrogari pustularunt, et obtinnerunt per Rem judicatam Tribunalis A. C. diei 14 Julii 1818. Sibi ipsis itaque imputent, si exinde eorum conditio immutata est, et deterior evasit. Nec proponant Maggium scuta 160., nomine fructuum mercium, ipsis solvisse. Id enim ei nil obest, quia solutio expleta fuit die 16 Februarii anni 1817., dum stabat Tritonii dispositio, nec lis incæpta fuerat pro illius abrogatione, quæ initium habuit die 15 Aprilis ejusdem anni. Posterius vero factum fratrum Petrarca, qui, dum portionem eis debitam in mercibus, creditis, ac pecuniis acceperunt, eam summam Maggio compensarunt, ineluctabile præbet argumentum ipsorum conscientiæ, quod, remota avi dispositione, nullos ex mercibus fructus condicere poterant. 4

Nec melius ipsi ad assertam Maggii moram in mercibus, et pecuniis, tradendis confugiunt, et Castrensium requisitorum interpellationem proponunt ut ex hisce mercium lucra, et fructibus sibi asserant. In mora enim illarum traditionis esse haud poterat Maggius, nisi prius constitisset, quid, quantumque tradere deberet *ad Text. in* 5

Leg. si quis ff. de usuris; *Barthol. in Leg. item si verberatum § final. ff. de rei vindicatione Roman. Cons.* 244 *n.* 5 *Bursatt. Cons.* 184 *num.* 60., *et Cons.* 453 *num.* 31., *Staiban. de interesse lib.* 1 *quaest.* 19 *num.* 15 16., *Escobar. de ratiocinio Cap.* 17 *num.* 33.; *Maurus de solut. quaest.* 63 *per tot.*; *Cancer. variar. resolut. lib.* 3 *cap.* 16 *num.* 70., *et seq.*; *Ciriac. controv.* 374 *num.* 23.; *Gobb. Cons.* 14 *num.* 78.; *Cagnol.* in *Leg. non potest videri num.* 7 *ff. de Reg. Jur.*, *Leotard. de Usuris quaest.* 84 *n.* 1 *seq.*; *coram Mantic. decis.* 78 *num.* 5 8; *decis.* 186 *num.* 3 *coram Seraphin.*, *decis.* 185 *num.* 21, 22, 23 *coram Bich.*; *Decis.* 110 *num.* 16., *et Dec.* 177 *num.* 3 4 *coram Cerro*; *Decis.* 98 *num.* 25 *coram Ubag.*; *Decis.* 293 *Tom.* 6 *nu.* 1 *in Nuperrim.*; *et in Centumcellen. Pecuniaria quoad damna, et interesse* 4 *Julii* 1792 § 2 *coram Resta, et in Confirmatoria* 26 *Aprilis* 1793 § 3 *coram Eodem, et in Romana Affictuum* 14 *Januarii* 1805 *coram Eodem.* Incerta vero semper fuit quantitas mercium, et pecuniæ fratribus Petrarca a Maggio tradenda, quousque prodiit super activo, et passivo statu patrimonii Tritonii relatio Judicis a Collegio Juridico A. C. Delegati R. P. D. Cuneo, et, ea emissa, traditio fieri haud potuit, antequam divisio expleta fuisset, juxta illius Tribunalis Sententiam, et partem ad ipsos spectantem Petrarea selegissent; quibus in rebus, si nimium forsan immoratum fuit, id tribui tantum potest quæstionibus a Petrarca promotis, et impedimentis ab ipsis interjectis. Vix in lucem prodiit relatio nulla interposita mora illius exequutioni incubuit Maggius.

6 Præterea, ante mercium, pecuniæve traditionem, removendum erat sequestrum, quod Medicus Del Monaco indixerat. Nullius itaque moræ argui potuit Maggius, qui omne, quod debebat Petrarca, tradidit statim ac omnis fuit incertitudo remota, et, dimisso Del Monaco, Fratrum Petrarca creditore, sequestri ab eo appositi impedimentum fuit sublatum. Mora igitur deficiente, quodlibet defuit jus prædictis fratribus mercium, ac pecuniæ lucra, fructusque condicendi, loco damnorum, et interesse, et inanis prorsus fuit requisitorum Castrensium per eos ad hunc effectum interpellatio, quæ efficax numquam est, nisi concurrat liquidum interpellantis creditum *in genere, et in specie* atque interpellati debitoris mora per *Theoric. Castrens. in Leg. non utique § final. ff. de eo, quod certo loco Fieri. Theoric. part.* 2 *pag.* 14.; *Rot. in Caesenaten. Pecuniaria* 5 *Julii* 1819 § 3 5. *coram R. P. D. meo Martinez.*, *et in Romana Pecuniaria super fructibus* 21 *Aprilis* 1820 § 13 *coram R. P.D. meo Bussio.* Quin vel minimum faciendum sit mandatum de gravando die 30 Maii 1820 a Petrarca adversus Maggium pro mercium traditione exequutioni commissum. Hujusce enim actus, nullo jure suffulti, circumscriptio in Tribunali Signaturæ a Maggio merito fuit petita, nec Petrarca sibi asserere poterant mercium traditionem absque prævia efformatione binarum portionem, absque electione portionis, quam sibi tradi vellent, absque demum remotione Sequestri a Monaco indicti. Hinc nonnisi quam dio 14 Junii ejusdem anni 1820 divisio et partium electio, ac die 3 subsequentis Julii traditio quoad merces, pecuniam, et credita existentia peragi, et omnino absolvi potuit.

Perspicuum ex hisce est omni prorsus præsidio destitui actionem a Petrarca institutam pro assequutione lucrorum, et fructuum pecuniæ, ac mercium in mercatoria taberna, ad Maggium pertinente, existentium. Nec melius ipsi damnorum urgent refectionem, ob remoratam divisionem *vel* quia creditorem Del Monaco dimittere serius potuerunt, *vel* quia merces vendere debuerunt minoris, quam fureunt æstimatæ. Primum quippe, odiosissimæ huic postulationi resistit juris sanctio, quæ damnorum actione probari vetat, nisi certis, ac ineluctabilibus documentis evincatur damna ex culpa, ac dolo illius, quem adversus hæc actio proponitur, obvenisse *per Rot. coram Falconer. de rebus creditis decis.* 13 *num.* 1 7

et sequ. ; *et in Faventina exequutionis transactionis super damnis* 3 *Julii* 1778 § 2 *coram Mannellio, et in Camerinen. Refectionis damnorum* 25 *Februarii* 1793 § 2 *coram Acciajoli.* Resistunt etiam ea omnia, quæ superius deducta fuere, ex quibus manifestissime demonstratur Maggium, ne dum doli, sed etiam ne levissimæ quidem culpæ argui posse, ob mercium, pecuniæ, creditorumve dilatam traditionem, cum dilatio obvenerit ex judicii naturali cursu, ex quæstionibus a Petrarca propositis, impedimentisque ab eis interjectis, et ex sequestro ab eorum Creditore Del Monaco indicto.

8 Ad damnorum vero propositorum speciale examen devenientes, compertum illico Patres habuerunt, *bina*, e quibus desumuntur, capita futilia prorsus esse. Quo enim ad retardatam solutionem crediti Doctoris Del Monaco, hæc tribui nequit dilatæ traditioni prædictarum mercium, creditorum, ac pecuniæ, sed adscribenda est oscitantiæ, et culpæ Fratrum Petrarca, qui, cum hæredes extitissent haud exigui patrimonii Canonici Francisci Petrarca, eorum patrui, qui debitum cum Del Monaco contraxerat, hæreditaria Canonici substantia hoc debitum dissolvere debebant, quin ad Tritoniam confugerent hæreditatem, et assequutionem expectarent portionis ipsis super hac debitæ. Quo autem ad merces minoris, quam fuerant æstimatæ, distractas, id certo baud evenit ex eo, quod ob temporis lapsum, antequam eæ ipsis traderentur, quidquam intrinseci, vel extrinseci valoris amiserint, sed pretium minus eo, quod illis in privato inventario tributum fuerat, ex eis perceperunt Petrarca, eam tantum ob causam, quia æstimatio expleta fuit a peritis perinde ac si in taberna mercatoria vendendæ essent emptoribus eas requirentibus; contra vero illas Petrarca extra tabernam mercatoriam vendiderunt, ubique emptores quæritantes, præsertim Hebræos, ex qua vendendi methodo gravis eis derivare debuit jactura, veluti quisque intelligit, et plures in Urbe conspicui Mercatores declarant. Hæc vero jactura cum ipsorum facto tantum tribuenda sit, frustra illius onus in insontem Maggium reiicere conantur *per Leg. quod quis ff. de regulis juris et Rota coram Coccino dec.* 736 *num.* 32. *dec.* 300 *num.* 8 *part.* 19 *in Rec. et dec.* 13 *num.* 16 *coram Falconerio de Rebus creditis.* Nil itaque babent Petrarca, quod a Maggio repetere valeant, damnorum etiam nomine, atque ideo actio ab eis proposita undique corruit.

Et ita etc. Utraque etc.

ROMANA LEGITIMAE

Veneris 6 *Decembris* 1822.

ARGUMENTUM

Mat er qaamvis ad secundas nuptias transierit non ob id jus admittit ad obtinendam legitimam super bonis filii praedefuncti. Idque eo magis, s filii expresse, vel tacite nuptias probaverint. Ad modam porro quo legitima constitui debet, inspic debet *Consti tutio Justiniani in Authenth. de non eligend. nuptiis.*

SUMMARIUM

1. *Parentibus, in solatium amissae prolis, facultatem leges tribuerunt, ex luctuosa filii hae reditate legitimam detrahere.*

   Parentibus, qui a filiis praeteriti sunt, licet ad secunda vota transierint, suppetit actio ad rescindendum testamentum querela inofficiosi - ibidem. -

   Haeres tenetur obsequi testatoris voluntati, nec in ejus arbitrio est, legata quae in testamento scripta sunt reiicere - ibidem. -

2. *Etsi plurimae paenas secundo nubentibus favore filiorum prioris coniugii constitutae fuerint, nulla tamen lege cavetur, quod Mater a legitima portione exclusa censeatur.*

   Justinianus - in Constitut. 11. cum igitur Auth. de non. eligend. nupt. - *matri binubae facultatem concessit succedendi in bonis filii praedefuncti, qualibet sublata differentia. inter adventitia, et profectitia - ibidem. -*

3. *Quamvis matri legitima super bonis profectitiis in usufructu tantum tribuatur, illud tamen procedit, ubi de successione filii intestata res est.*

4. *Ubi deficit ratio legis , cessat quoque oportet ejusdem legis dispositio.*

Iniquum esset privilegium invectum erga fratres venientes ab intestato, porrigere ad extraneum haeredem - ibidem. -

5. *Si deest injuria, cessat oportet ejus legis dispositio, quae illatam injuriam paena plectitur.*
6. *Locum non habent paenae adversus secundo nubentes sancitae, si filii expresse, vel tacite, injuriam remisserint.*

   Secundae nuptiae matris non sunt exprobandae, si pro commodo filiorum initae sunt, et ipsis utiles evaserunt - ibidem. -
7. *In tertia portionis parte ab intestato debitae legitima matri constituitur, si fratres, sororesque fuerint haeredes instituti.*

   Contra est dimetienda legitima ex triente totius haereditatis, si in extraneum delata fuerit successio - ibidem. -
8. *Fructus legitimae, veluti dominii accessiones, debentur statim post testatoris obitum.*

   Nec legitimae, nec fructuum restituendorum quantitas dignosci potest, nisi prius fuerit firmatus Status haereditarius - ibidem. -

DECISIO XCVIII.

Testamento, quo cum anno 1803 diem clausit supremnm Joseph Volpato, qui peritia, ac celebritate nominis, *tum* in Calcographica arte, *tum* in Opificio, quod nuncupat = *di terraglie, e majoliche* =, inter primos Urbis artifices, negotiatoresque, excelluit, nsumfructum omnium bonorum, rejecta prorsus Bulgari consuetudine, dilectissimæ Uxori Magdalenæ Riggi, si viduitatem tolerare, ac lugere vellet, communem reliquit cum sex liberis ex eodem conjugio susceptis, quos in pupillari ætate adhuc constitutos, sibique hæredes scriptos ex Asse, providæ ejus tutelæ, et curæ commendavit. Munus sibi commissum libenti, atque alacri animo, ut Viri votis responderet, Magdalena suscepit; sed vix quæ, quantæque in ardua, aleæque plena duplici arte, ac negotiatione, ad rem pupillarem sartam tectamque servandam, peragenda essent, cognovit, cum præterea sex filiorum educationi incumbere etiam deberet, sese statim tanto oneri obeundo imparem sensit. Quamobrem, necessitate cogente, Franciscum Finucci navum, et honestum virum, qui operam suam, qua Opificii Calcographici moderator optima fide, summaque diligentia longe viginti annorum cursu in negotia Josephi Volpato contulerat, fratre Carolo Ambrosio Riggi, cui ipse Vir suæ voluntatis exequutionem concrediderat, præclaroque Raphaele Morghen plaudentibns, socium thalami, et sollicitudinum sibi assumere statuit. Quod vero, ut sibi bene cederet, pænamque averteret a Viro indictam, quod scilicet tutelam, et usumfructum amitteret, si binubatum appetens, nova matrimonii fœdera iniisset, eo studia sua Magdalena vertit, ut a Supremo Principe veniam imploraret usumfructum, et exercitium muneris tutelæ retinendi, licet ad secunda vota transiret; magis magisque ita consultum fore caussata = *alla buona direzione economica, e felicità della famiglia, che in ultima analisi è stato il grande, ed unico oggetto della volontà del Testatore* =.

Venia hac facile ipsi indulta, quia Pontifex Maximus, causam pietatis, necessitatisque mulieris probans, ejus votis annuit, reque bene ita composita, Magdalena, nulla mora interjecta, novas cum Francisco Finucci nuptias conciliavit. Quamvis vero experientia doceat, quantum mæroris, et quantum exitii afferant filiis prioris thalami secundæ parentum nuptiæ, hoc tamen casu Magdalena, et Franciscus adeo uno animo in rebus pupillaribus procurandis fuere, tantisque patrimonium Volpato auxerunt divitiis, ut Magdalenæ consilium, Virum in partem curarum vocandi, non modo Carolus Riggi, et Eques Gherardus De Rossi, qui ab judice, unus post alium, electi fuerant, ut redditionem rationis quotannis reciperent, sed etiam filii ipsi ex priori conjugio semper laudaverint, probatumque habuerint. Hujus rei haud equivoca documenta dictis, obsequio, ac reverentia in matrem, et in vitricum Salvator Volpato, alter e filiis prioris thalami, nsquedum in humanis fuit, exhibut; sed grati animi sni benevolentiam magis perspicuis argumentis comprobavit ultimo, quod scripsit, suæ voluntatis elogio, quo fratri-

bus uterinis, Vitricoque, quem suum exequutorem Testamentarium elegerat, honoratis legatis, amantissimæ matri debitam gratiam ei ut referret, reliquit = *quella quota, che le assegnano le leggi, ed inoltre la somma di sc.* 500 =; lege uxori Mariæ Annæ Bianchiniæ, nuper vinculo matrimonii sibi sociatæ, quam hæredem sibi universalem instituit, injuncta, ut, quæ in testamento præceperat, ad unguem servaret.

Hujusmodi cum fuerit filii erga matrem providentia, nulla querelarum occasio superesse videbatur. At detrectante Bianchinia testamenti onera adimplere, Magdalena, quod ex juris dispositione, et ex filii voluntate ei præstandum erat, petere judicio debuit. Quoad legatum scut. 500, invito animo tandem Biancbinia fasces submisit; at quoad legitimam luctuosæ filii hæreditatis portionem, cum in spem elata fuisset, eam ex causa binubatus nullo pacto Magdalenæ deberi, huic opinioni adeo firmiter adhæsit, ut Triumviros A. C. de sententia rogare oportuerit. Sed judicium, ut breviori, expeditiorique via absolveretur, utrinque litigantibus assentientibus, Signaturæ Decreto Sacro Nostro Auditorio delegatum, mihique munus Patrum exquirendi suffragia commissum fuit. Dubium igitur bodie exhibui = *An, et in qua summa debeatur legitima super bonis hæreditariis Salvatoris Volpato, et a quo tempore, et in qua summa sit locus restitutioni fructuum, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* =; cui Domini, quibus perspecta fuit evidens actionis a Magdalena promotæ justitia, supplici, quem Bianchinia, ad moras nectendas pro comperendinatione obtulerat, libello prorsus despecto, probe responderunt = *Deberi legitimam in triente totius hæreditatis, restituendos esse fructus a die apertæ successionis, et mandatum esse relaxandum pro summa liquidanda, et ad mentem* = quæ mens, qualis fuerit, inferius explicabitur.

1 Neque aliud, salva legum reverentia, et voluntate testatoris profecto judicium edi potuisset, etiamsi a Bianchinia factum fuisset sui juris periculum. Undique enim aperta, et nitida est Magdalenæ actio ad legitimam ex bonis Salvatoris Volpato assequendam. Nil siquidem in foro certius est, nil antiquius, quam ut, quemadmodum jura filiis potestatem fecerunt consequendi legitimam ex bonis parentum, eodem adamussim modu parentibus in solatium amissæ prolis facultatem tribuerint ex luctuosa filii hæreditate legitimam detrahendi, si forte hi, turbato mortalitatis ordine prædecesserint *ad Text. in leg.* 15 *ff de inoff. testamen. Auth. noviss. Cod. eod. tit. Instit.* § 4 6 *ad Senat. Cons. Tertill.*, *Rota in Perusina fructuum* 31 *Januarii* 1777 § 12 *coram Ratta*, *Albanen. Legitimæ super resolutis* 12 *Januarii* 1781 § 2 *coram clem. mem. Flangini*, *Tudertina Legitimæ ex bonis Comitissæ Annæ* 14 *Januarii* 1778 § 2 *coram Origo, et in Forolivien. Legitimæ quoad dotem Liviæ* 25 *Junii* 1790 § 4 *coram Resta*. Quamobrem parentibus, qui a filiis præteriti sunt, licet ad secunda vota transierint, expedita suppetit actio, ut querela inofficiosi testamentum rescindant, ut docet *text. leg.* 14 *ff de inoff. testam. leg.* 7 *ff si tab. testam. null. ext.*, *Voet ad Pandect. lib.* 5 *Tit.* 2 *de inoff. Testam.* Quod juri cohæret Salvatoris testamento confirmatur. Apertis quippe verbis, et procul ab omni exceptione Salvator jussit, ut præter legatum scutorum 500, portionem etiam, quam ei Leges tribuunt, mater sibi præcipuam haberet = *Lascio alla mia genitrice quella quota, che le assegnano le leggi, ed inoltre la somma di scudi* 500 =. Cum itaque hæres teneatur obsequi testatoris voluntati, nec in ejus arbitrio sit onera, et legata, quæ in testamento scripta sunt reiicere *Text. in leg.* 33 *ff de legat.* 2. *Rota Decis.* 123 *num.* 2 *part.* 16 *Recent. et in Romana Pecuniaria, seu Concursus Francisci Ceroti* 5 *Julii* 1791 § 13 *coram Origo*, incivile prorsus est Bianchiniæ hæredi a Salvatore institutæ, Magdalenam a consequutione legitimæ quam ei ex Salvatoris hæreditate tradi debere tum naturæ voces, tum jura nostra, tum expressa filii voluntas præ-

scribunt, arcendam esse contendere.

2 Irrito vero conatu, ad hæc omnia evadenda, injuriam filiis prioris thalami ex causa binubatus illatam Bianchinia extolleret, ut inde inferret, Magdalenam ab jure consequendi ex bonis filii prædefuncti legitimam cecidisse. Sed nimis ipsa sibi assumit, ut Magdalenæ secundas nuptias exprobret. Exceptio enim hæc, ut pote jus filiorum respiciens, quibus tantum facultas est persequendi illatam injuriam, minime pertinet ad extraneum, qui tantum sollicitus esse debet, ut sui auctoris voluntatem ulla absque exceptione exequutioni committat, cujusque respectu quævis odii binubatus ratio prorsus exulet oportet, et secundas nuptias nulla pœna, aut vindicta dignas decet asserere. Hoc unum propositam exceptionem inanem esse omnino suaderet. Sed, ut exceptio magis, magisque elimінetur, accedit, quod ipsa, nec *in jure*, nec *in facto* consistit. Ac primo ad jus quod attinet: certum est, ob transitum ad secunda vota, minime jus Magdalenæ ademptum fuisse ad legitimam ex bonis defuncti filii consequendam. Nam, etsi plurimæ pœnæ secundo nubentibus favore filiorum prioris coniugii constitutæ fuerint, *leg. fœminæ, et leg. Hac edictali Cod. de secund. Nupt. lege Mater Cod. ad Senat. Consult. Tertull.*, nulla tamen lege cautum reperitur, ut a legitima portione mater, licet nova fœdera sanciverit, censeatur exclusa. Deterius vero Legum illarum sanctiones vexarentur, cum jamdudum omni robore caruerint, penitus enim eas extorres fecit nova Justiniani Constitutio § *cum igitur Auth. de non elig. nupt.* qua, antiquo restituto jure, matri binubæ facultatem concessit, et in usufructu, et in proprietate in bonis filii prædefuncti succedendi, qualibet sublata differentia sive adventitia, sive profectitia ea essent; sive ante obitum filii sive post ejus mortem mater secundas conciliasset nuptias, sive demum exsisterent filii prioris conjugii, sive nemo eorum superstes esset.

3 Quod si aliquando Legis *fœminæ* censura ab Justiniano quoad bona, quæ filio a patre obvenerunt in posteriori Constitutione § *hinc nos Auth. de Nupt.* restituta videtur, ita ut matri legitima super bonis profectitiis in usufructu tantum tribuatur, proprietate vero eorum filiis prioris thori reservata, illud tamen cum procedat, dum de successione filii intestata res est, haud vero cum filius testatus decessit, a præsenti themate, quo mater legitimam ex testamento filii expostulat, extraneum esset omnino. Apertissima enim hoc casu urgent Imperatoris verba eadem in Constitutione superius expressa, cum ad testatam filii successionem respexit, quæ præcipuam huic judicio ferendo facem præferre debent = *Si filius* = ita enim Imperator edixit = *legitime testatus fuerit, et relinquat matri substantiam, sive partem ejus aliquam, hanc illa accipiat, et habeat quod datum, aut dimissum est, et secundum proprietatem, et secundum usum. Sicuti enim licebat relinquere alicui extraneorum, ita, et matri relinquens sive institutionem, sive legatum, recte derelinquat et dominium, et usum, sive ex rebus, quæ extrinsecus obvenerunt, fuerit facultas, sive ex paternis, nil ex hoc fratribus contradicere valentibus* =. Cum igitur dispositionem filii erga matrem, prout cujuslibet extranei favoro, ne mater deterioris conditionis extraneo efficeretur, exequendam Justinianus mandavit; quemadmodum extraneis, tam in usufructu, quam in proprietate quidquid a defuncto sibi fuerit relictum, consequeretur, ita Magdalenæ, licet secundo nubenti, nil obstare potest, quominus pleno jure capiat legitimam, quam ei filius testamento reliquit, quin fratres huic dispositioni contradicere possint.

4 Et recte quidem hoc ab Justiniano constitutum fuit discrimen inter successionem matris binubæ in hæreditate filii ex testamento, vel ab intestato. Solus enim favor ab intestato venientium, quibus magis, quam matri binubæ Lex prospicere voluit, effecit, ut mater proprietate legitimæ spoliaretur. At, cum fratres nil acquirere possunt, quia defunctus, eo utens ar-

bitrio, quo cuique quamlibet legem de suis bonis dicere licet, hæreditatis compendium in alios transtulit, uti deficit ratio Legis, cesset quoque oportet ejusdem legis dispositio, ut ad rem optime distinguunt *Fabr. Auth. novissim.* 254 *Cod. de inoff. testam. Sanchez quæst.* 89 *num.* 41, *Mangil. de imput., et detract. quæst.* 7 *num.* 30 *Card. de Luca de legit. Disc.* 11 *num.* 8, *Rocca Disput. jur. select. Cap.* 55 *num.* 99 *Rota decis.* 503 *num.* 12 *part.* 5 *Recent. decis.* 33 *num.* 12 *coram Sperell. Decis.* 41 *num.* 1 *coram Caprara in Æsina Legitimæ super bonis Alexandræ Theodoræ* 20 *Februarii* 1736 § *Cæterum coram Peralta, Anconitana, seu Camerinen. Legitimæ* 8 *Februarii* 1772 § 6 *coram Muto, Tudertina Legitimæ ex bonisi Comitissæ Annæ* 14 *Januarii* 1788 § 4 *coram Origo, et in Forolivien. Legit mæ* 25 *Januarii* 1791 § 8 *coram Resta.* Et iniquissimum sane foret invectum erga fratres venientes ab intestato privilegium, Biancbiniæ, extraneæ hæredis institutæ favore, in odium ipsius matris extendere, ita ut proprietas legitimæ matri eriperetur; cum præsertim id in ipsorum fratrum damnum detorqueretur, quorum magis interest matrem, quam extraneam proprietate legitimæ frui. Nec illa præterea toleranda essent, quæ maxima secus orirentur absurda, si, despecto testamento legitima, veluti ex jure intestatæ successionis fratribus deferenda esset, ut nempe Salvator partim testatus, partim intestatus decederet, ejusque voluntas maxima cum injuria everteretur, quod tantum pro legitima portione fratrum favore Imperator *Nov.* 115 fieri permisit, si iis præteritis persona turpis a defuncto fratre instituta fuisset. Legitimam igitur ex testamento relictam, matrem, licet binubam, pleno jure assequi debere, sublato quolibet bonorum, seu adventitiorum, seu profectitiorum discrimine, ambigendum nonest.

5 Sed inutile erat de his longiori sermone disserere, cum omnis controversia quoad injuriam ex caussa binubatus filiis prioris thori illatam ex facto, et voluntate Salvatoris penitus dirimatur, qui non obscuris, nec ambiguis notis ostendit, sese libenti animo secundis matris nuptiis assentitum fuisse, easque probatas, ratasque habuisse. Si enim deest injuria, quæ nunquam fit volenti, ac consentienti, ad vulgatam juris regulam *leg. Volenti ff de reg. jur.*, cesset oportet ejus Legis dispositio, quæ illatam injuriam pœna, ac vindicta plectere voluit. Reque vera semper Salvator quoad vitæ usu ei frui licuit, dictis, obsequio, ac reverentia gratum animum suum erga matrem, et vitricum testatus fuit, quorum opera, ac diligentia factum fuerat, ut maxima lucra ex duplici opificio, ac negotiatione tum = *delle stampe* =, tum = *delle terraglie, e majoliche* = patrimonio Volpato quæsita fuerint. Nec imbecillitati ætatis ea erant tribuenda. Non enim imberbis, consiliique expers ipse erat; sed major natu, firmaque ætate, quid sibi juris ex transitu matris ad secunda vota consequeretur, ignorare haud poterat; ejusque consensus ad utilitatem libratus, aptior certe videri debet ad quamvis injuriæ præsumptionem penitus tollendam. Quæ, si tamen satis non essent, majora insuper accedunt, quæ omnem plane submovent ambiguitatem. Præsto enim est olographumSalvatoris testamentum anno 1813 exaratum, quo ipse matri, præter legitimam, legatum scut. 350, et omnium bonorum usumfructum reliquit = *pregandola, a gradire quest'atto del mio filiale amore, e rispetto verso di lei* = Aliud nec minus urget postremæ ejus voluntatis elogium, quod, licet matrem usufructu privaverit, quia testator, uxore ducta, novis erga eam obligationibus obstringebatur, undique tamen apertis erga matrem, vitricumque dilectionis significationibus redundat. Siquidem fratres uterinos legatis Salvator honoravit; Vitrico, cui etiam exequutionem sui testamenti mandavit, remunerationis gratia reliquit = *il suo orologio d'oro con catena simile* =. Matri vero, quam ingenti prosequebatur amore, præter eam quotam, quam ei Leges tribuunt, conspicuum legatum scut. 500 tradendum esse jussit.

6 Magno itaque animo opus esset Bianchiniæ, ut ex hisce non concederet injuriam binubatus satis, superque matri fuisse a filio remissam, et adversus manifestam sui auctoris voluntatem insurgere contenderet. Vulgati enim juris est, nullum posse sibi vindicare locum pænas adversus secundo nubentes sancitas, si filii, nedum expresse, sed etiam tacite, cum de re adeo odiosa agatur, ut = *erubescat Lex* = ut inquit Justinianus *in Nov.* 22 *Cap.* 24 = *castigatores filios genitoribus statuere* =, injuriam remiserint, ut docent *Paris. Cons.* 29 *numer.* 84, *Menoch. Cons.* 155 *num.* 15, *Gratian. Discept. for. Cap.* 140 *numer.* 13, *Antonell. de tempor. Leg. Cap.* 22 § 3 *num.* 80, *Gallerat. Cent.* 1 *Cap.* 98 *num.* 4, *Sanchez. Quæst.* 89 *num.* 50, *Fontanell. de pact. nupt. Claus.* 5 *Gloss.* 5 *part.* 11 *num.* 37, *Surd. decis.* 99 *num.* 12, *Rota decis.* 171 *numer.* 11 *Part.* 5 *Recent. decis.* 420 *num.* 26 *coram Ansaldo decis.* 9 *num.* 5 *coram Falconer. de Legitima.* Omnium vero maximum esse remissionis injuriæ argumentum, si filii scientes, legato matrem binubam, vitricum, fratresque uterinos honoraverint, tradunt *Angel. Cons.* 396 *num.* 20 *coram Merlino de Legitima lib.* 4 *Quæst. num.* 9 *Cyriac. Controv.* 367 *num.* 52 *Rota decis.* 116 *num.* 12 *part.* 5 *Recent.* Prætermitti nec posset animadversio, quæ summam controversiæ imponeret fastigium, quod Magdalena, necessitate cogente, atque ipsa filiorum utilitate suadente, secunda fœdera sancivit, quibus non solum plauserunt Carolus Riggius, et eximius Raphael Morghen, sed Sanctissimus ipse Princeps plenam approbationem suam adjecit. Quamobrem, cum optimo jure sancitum sit secundas nuptias matri non esse exprobrandas, quæ pro commodo filiorum initæ sunt, et ipsis utiles evaserunt, ut docent *Menoch. Cons.* 470 *num.* 17 *Paris. Cons.* 39 *numer.* 84 *lib.* 3 *Rota in Faventina Successionis* 11 *Martii* 1819 § 7 *coram Zinanni*, nemo non videt quanta temeritate ex hoc etiam Bianchinia, ut Magdalenæ consequutionem legitimæ deneget, secundas nuptias proferat, ex quibus maxima lucra filiis obvenerunt, ut sæpius animadversum fuit. Eas Sanctissimus Princeps adeo approbavit, ut pœnam a Viro Magdalenæ secundo nubenti indictam omnino ei remiserit. Quin immo, si Pontifex omni labe injuriæ secundas nuptias abstersit, ne Magdalena usufructu, et tutela caderet, eo magis tenendum est eamdem injuriam binubatus ei remitti voluisse, ne ea spoliaretur portione, quæ in bonis filii prædefuncti a Lege ipsa tribuitur, ut argumento ducto a majori ad minus ponderant *Surd. decis.* 134 *num.* 16, *Rota decis.* 307 *num.* 9 *Nuperr. Tom.* 8 *et in Perusina* 21 *Junii* 1818 § 7 *cor. R. P. D. meo Bussio.*

Comperto ex his, quod binubatus nullum Magdalenæ parare valeat impedimentum, quin pleno jure legitimam ipsa capere possit, altera superaret disquisitio, in qua quota ea assignanda esset. Neminem profecto latet, quod legitima Matris in triente consistere debeat. Quomodo vero hic triens dimetiendus sit, an in tertia parte totius hæreditatis, ut *Butringarius* contendebat, vel potius in triente portionis eidem ab intestato debitæ, ut erat *Bartholi* sententia, acerrima olim inter Doctores exarsit contentio. At, quæcumque fuerit, quæ tum Jurisconsultorum ingenia exercuit, disputatio, hodie sane quæstio non amplius agitur post receptam a Sacro Nostro Ordine distinctionem, ut scilicet in tertia portionis parte ab intestato debitæ legitima matri constituatur, si fratres, sororesque fuerint hæredes instituti, e contra vero in triente totius hæreditatis dimetienda sit, si in extraneum delata fuerit successio, uti uno ore docent *Gratian. Discept. for. Cap.* 178 *Num.* 8 *Mans. Consul.* 68 *Num.* 16 *Merlino de legit. tit.* 4 *Quæst.* 7 *num.* 11 *Valent. de ultima volunt. Vol.* 23 *num.* 7 *Part.* 2 *Rota Decis.* 8 *num.* 2 *de Legitima coram Falconer., in Æsina Legitimæ super bonis Alexandræ Theodoræ* 20 *Februarii* 1736 § *fin. coram Peralta, in Romana, seu Ariminen. Legitimæ* 15 *Martii* 1743 § 7 *coram Vi-* 7

cecomite, in Romana Supplementi Legitimae 14 *Januarii* 1757 § 16 *coram Stadion.*, *Anconitana, seu Camerinen. Legitimae* 16 *Junii* 1772 § *fin. coram Muto, Tudertina Legitimae ex bonis Comitissae Annae* 14 *Januarii* 1788 *coram Origo, Forolivien. Legitimae quoad dotem Liviae.* 21 *Januarii* 1791 § 2 *coram Resta, et in Civitatis Plebis Immissionis* 29 *Aprilis* 1807 § 4 *coram Eminentissimo Bardaxi.* Eoque vel magis, quia eadem distinctio congrua est *Art.* 123 Motus proprii diei 6 Julii 1816, quo expressim cautum reperitur = *La legittima si limiterà al terzo del terzo, se gli eredi scritti saranno i fratelli, o le sorelle del testatore, o i rispettivi figli delle medesime persone. Sarà il terzo di tutto l'asse, qualora siano istituite persone diverse* =. Cum itaque defuncti Salvatoris successionis compendium non fratres, sed extraneus perceperit, sartum, tectumque servandum est jus Magdalenæ detrahendi legitimam ex integro triente totius hæreditatis.

8 Neque demum in discrimen revocari posset, quin legitimæ fructus, quoniam in rebus frugiferis ipsa consistit, a die Salvatoris obitus Magdalenæ debeantur. Cum enim legitima sit portio hæreditatis, quæ illico, et ministerio legis post filii obitum in plenum dominium, et proprietatem matris legitimariæ transit, consequens est, ut illius fructus, veluti dominii accessiones veniant, ceu liquet ex *Text. leg.* 8 *ff de inoff. testam.*, *Merlin. de legit. lib.* 2 *Tit.* 1 *Quaest.* 2 *num.* 2 *Rota in Recent. decis.* 190 *numer.* 1 *Part.* 9 *in Romana, seu Avenonien. Legitimæ super fructibus* 15 *Martii* 1743 § 2 *coram Vicecomite, in Ferrarien. Legitimae* 30 *Junii* 1747 § 12 *coram Lana in Perusina Haereditatis super sexto dubio* 2 *Maii* 1785 § 5 *coram Lancellotto, in Civitatis Castellanae Legitimae super fructibus* 12 *Junii* 1797 § 2 *coram De Bayane, et in Perusina Haereditatis super sexto dubio, quoad Legitimam in specie* 11 *Junii* 1802 § 7 *coram Resta.* Ad mandatum postremo, quod respicit, cum usquedum fiat hæreditarii status firmatio, nec legitimæ, nec fructuum restituendorum quantitas dignosci possit, nonnisi pro summa liquidanda relaxari potuit. Præterea mihi, uti Caussæ Ponenti, mandaverunt Patres, ut priusquam ad liquidationem procederem, munus firmandi statum Perito viro committerem, ut patrimonii viribus in aperto deductis, quisque jus suum assequi posset. Eaque fuit mens, quam ipsi præ ipsorum justitia, et æquitate Responso ad Dubium dato adiiciendam esse censuerunt, scilicet = *et ad Ponentem pro deputatione Periti ad effectum firmandi statum* =.

Et ita etc. altera tantum etc.

ROMANA NULLITATIS

DELIBERATIONIS

Veneris 1 *Martii* 1822.

ARGUMENTUM

Venditio, quae ad hastam publicam expletur, nequit redarqui de laesione aenormissima, nisi Venditor praeter bessem laesus fuerit, et nisi minus triente justi rei venditae pretii, solutum fuerit ab Emptore.

SUMMARIUM

1. *Ubi Agitur de rescindenda venditione, ad hastam publicam patrata, apertissimae laesionis probationes afferendae sunt.*

   Venditio, auctorante Magistratu expleta, et in qua cuilibet offerendi pretium, facultas data est, deceptionis periculum removet - ibidem. -
2. *Postquam Municipales Sanctiones abrogatae fuerunt, laesio enormissima non admittitur, nisi venditor praeter bessem laesus fuerit, et minus triente justi rei venditae pretii, solutum ab emptore fuerit.*

   Res, quae sub hasta vilescunt, vilius emi possunt sine ullo laesionis vitio - ibidem. -
3. *Trientis lucrum, emptori ad hastam publicam ementi, conceditur.*
4. *Aenormissima a deliberatione abest laesio, cum constat quid minimum emptorem praeter rependendi deliberatorum bonorum pretii trientem, numerasse.*
5. *Bona fides injustitiae, ac laesionis suspicionem removet.*

DECISIO XCIX.

Tabulis, per acta Notarii Capitolini Fiammetta die 15 Julii anni 1818 solemniter conscriptis, Cambiale debitum in capite scutorum *centum*, ad biennium perstiturum sub *bessi* usura cum Seraphino Angelini contraxit Aloysius De Sanctis. Quædam vero, ad creditori cavendum, prædiola cum parva domo hypothecæ obnoxia debitor fecit, quæ in Terra Arsuli Tybertinæ Diœcesis, et ejus Territorio posita valorem, quoad prædiola, et exhibebant scutorum 190. 07 ⅗ e censualibus desumptum codicibus, uti probat fides Secretarii publici Census Instrumento inserta, et, quoad domum, scutorum 85. 70 juxta Fabri murarii æstimationem. Libera quidem ab omni vinculo ca debitor dixit, at hypothecæ nexui erga Marchionem Camillum de Maximis revera subiiciebantur. Biennii vero termino elapso, ac debitore cambialis pecuniæ restitutionem, una cum alterius anni usura negligente, opus Angelinio fuit cum judicio lacessere coram Advocato Gratiolio, Assessore R. P. D. Colapietro, alterius ex Judicibus Tribunalis Collegialis A. C., et ab eo sub die 14 Augusti 1820. petitioni consonum ipse obtinuit Decretum, cum relaxatione mandati adversus Aloysium in scutis 108, pro crediti capite, et usuris haud repensis, hujusque condemnatione ad omnes judiciales, et extrajudiciales expensas.

Exequutioni dein fuit hoc mandatum commissum super quibusdam e fundis prædictis, hypothecæ pro Angelinii credito subjectis, domuncula nempe cum adnexis, binisque prædiolis *Molino et Rappello* in censualibus tabulis æstimatis, quoad primum scutis 28. 85, et quoad alterum scutis 60, et cum ad subbastationem horum fundorum deventum fuisset, pluresve ad hastam accessissent oblatores, omnes superavit ipsemet creditor Angelinius, qui scuta obtulit 230, pro qua summa ei die 1 Maii 1821 prædicta domus, et bina prædiola adjudicata, ac deliberata fuere. Hæc vero pecunia, quoad scuta 100, ex Judicis Decreto tradita fuit Marchioni Maximo in solidationem superius recensiti ejus crediti adversus Desanctis, et reliqua scuta 130, Judicis pariter Decreto accedente, tributa fuerunt eidem Angelinio, nomine prædicti ejus crediti, et ipsi a De Sanctis reficiendarum expensarum. Post hæc De Sanctis, caussans deliberationem prædictam enormissimæ læsionis labe infectam fuisse, quia deliberatorum bonorum valorem ad scuta 1033 et ob. 50 adscendere asserebat, instit apud Collegiale Tribunal A. C., postulans illius nullitatem, ex capite enormissimæ læsionis, decerni: Angelinius vero, cui, non bonorum acquisitio, sed tantum sui crediti satisfactio cordi erat statim, hisce auditis, apud acta declaravit sese bona esse restiturum, dummodo illa scuta 230 una cum expensis subhastationis, et deliberationis ipsi a De Sanctis numerarentur.

Hic tamen, ea nullo in pretio habita declaratione, judicium prosequi curavit, atque die 12 Septembris anni 1821 Sententia prodiit ab juridico A. C. Conventu, qua declarata fuit = *nulla per titolo di enormissima lesione la delibera seguita a favore del sig. Angelini, dei fondi etc. di proprietà del sig. De Sanctis* = atque relaxatum fuit = *a favore di questo l'opportuno mandato di reintegrazione al possesso* = hac tamen sub lege, nempe = *restituita però dal de Sanctis all' Angelini la Somma sborsata nell'atto della delibera.* Provocavit De Sanctis ab hac Sententia quoad decretam restitutionem = *della somma dall'Angelini sborsata nell'Atto della delibera* =; ac, re ad S. N. Ordinem delata, cum Appellationis beneficium inter partes communicetur, facile fuit Angelinio, acriter quamvis obsistente De Sanctis, obtinere ut de Sententiæ illius viribus disputatio universaliter iniretur sub Dubio = *An constet de læsione enormissima in casu etc.* =, quod in hodiernis Comitiis a me propositum, Responso dimissum fuit = *Negative* =.

Ad humanæ siquidem societatis tranquillitatem, utilitatemque protuendam 1

contractus servare quam maxime oportet, nec conventa pacta rescindi queunt, nisi alterum e contrahentibus præter modum læsum fuisse constet *Pinell in leg.* 2. *Cod. de rescindend. venditione part.* 3 *Cap. ult. num.* 43. *Card. de Luca de emption et vendit. disc.* 24 *num.* 2. *et disc.* 44. *num.* 17 *Rota apud Constant. ad Stat. Urb. Dec.* 169 *num.* 4. *et in Romana, seu Sabinen. Lesioni.* 15 *Martii* 1805 §. 3. *coram Emo Bardaxi, et novissime Centumcellarum Læsionis* 10 *Januarii currentis anni* 1822 §. 2 *coram R. P. D. meo Tiberj.* Quod eo magis tuendum est in thamate, in quo agitur de rescindenda ex capite enormissimæ læsionis bonorum emptione ad hastam pnblicam, quia boc in tbemate, de qno res est apertissimæ læsionis, et injustitiæ probationes afferendæ sunt, ut nulla renunciari possit venditio, auctorante Magistratu rite palam, et solamniter expleta, quia data cuililbet offerendi, et augendi pretium facultas deceptionis, et fraudis periculum removet; et quia securior essa debet, qui rem, publica intercedento auctoritate emit, quam ille, qui aliquid privatim acquirit ad tradita per *Andreol. cont.* 390 *num.* 75 *Mangil. de subhast. quaest.* 38 *num.* 5. *Posth. eod. tract. inspect.* 49 *num.* 51. *et firmata per Rot.* passim, et præsertim in *Dec.* 48 *num.* 16 *coram Herrera, et in cit. Centumcellarum Laesionis* 10 *Januarii* 1822 §. 2 *coram R. P. D. meo Tiberj.*

2 Duo etiam, antequam ad Caussam intimius perscrutandam descenderent, constituenda Patribus visa sunt. *Primum* quod, cum agatur de venditione perfecta die 1 Maii 1821 posteaquam idcirco Municipales Sanctiones par notissimum Motum Proprium diei 6 Julii 1816 prorsus abrogatæ fuerunt, Læsionis enormissimæ modus ille dabat esse, quem Jus commune præfinit, non vero ille, qui erat ab Urbis Statuto constitntus; ex quo enormissimam læsionem in ea venditione intercessisse admitti numquam possit, nisi apertissimum sit venditorem præter *bessem* læsum fuisse, et minus *triente* justi rei venditæ pretii solutum ab emptore fuisse per *Zanch. de læsione part.* 1 *cap.* 3 *num.* 46 47, *et Rota in Romana, seu Sabinen. Laesionis* 15 *Martii* 1805 §. 3 *coram Emo Bardaxi.* Alterum, quod in venditione bonorum quæ publicæ hastæ a debitore supposita fuere, ut sese ab alieno ære redimeret, uti licitum fuisset creditori qui sibi ea bona adjudicasset *trientis* pretii lucrum assequi, ita vel tertio, vel creditori ipsi, uti tertio, acquirenti par compendium tribuendum esse; atque hinc receptissimum in jure esse res, quæ sub hasta vilescunt, vilius emi possa quam reapse valent sine ullo læsionis vitio, et banc vilitatem in tertia veri valoris parta commnniter æstimari, ut docet *Scaccia de Commercio et Cambiis* §. 1 *quæst.* 7 *part.* 2 *Ampliat.* 6 *num.* 8 *Post. de Subhast. insp.* 49 *num.* 1 *Zanch. de laesione part.* 2 *cap.* 6 *num.* 76. *et* firmat *Rot. in Recen. Dec.* 447 *num.* 3 *p.* 2. *Dec.* 48 *num.* 16 *coram Herrera, et in Tolentina Laesionis* 22 *Junii* 1807 §. 13 *coram Emo Cesarei De Leonibus.*

Hisce positis, ad rem proprius accedendo, deliberatorum bonorum verosimili valora inspecto, eoque cum pretio ab Angelinio soluto comparato, illico Patres agnoverunt quamcumque læsionem a prædicta deliberatione exulare. Prædiola siquidem *Molino e Rappello* in pubblico censu æstimata fuerunt scutis 88, et ob. 80, uti testatur secretarii illius Census fides inserta cambialibus tabulis inter De Sanctis, et Angelinium conscriptis die 15 Julii 1818, ac superius recensitis. Liberalis itaque dicendus est Angelinius, dum eis valorem tribuit scutorum 377. 20 Domnncula vero, cui Angelinins; fabri murarii relationi innixus, pretium dat scutorum 85, et ob. 70 cum sit in parvo Arsuli oppido, bujusque obscura regione, atque sit = *composta di un sol piano, nel quale due Stanze coperte da solaro, ed altra Stanza a tetto con due soffitte superiori, un piccolo orticino annesso, una Stalletta. ed una piccola dispensola*= scutis plusquam 200 æstimari haud posse nemo non intel- 3

ligit. Evehi igitur ad summum poterit prædiolorum, ac domunculæ pretium ad scuta 577 20. Dempto ex hoc *triente* ob lucrum, quod ut superius demonstratum fuit, conceditur emptori ad hastam publicam, scutis nempe 192. 40 scuta remanent 384. 80. At Angelinius scuta pro iis bonis solvit 230, ergo plusquam *semissem* pretii, quod De Sanctis e venditione ad hastam assequi potuisset, numeravit, ex quo, ne dum enormissimæ, sed enormis etiam læsionis quærela injuria ab eo proponitur, cum quæstio juxta Juris Communis sanctionem, ut pariter superius fuit demonstratum definienda sit.

4 Quod si momento temporis in calculo babere placeret extrajudiciales etiam peritias, mandante De Sanctis confectas, atque ab eo allatas, quibus bonorum prædictorum valor in scutis constituitur 1033. 50 quæ tamen peritiæ prorsus despiciendæ sunt, utpote extrajudiciales, et ad commodum De Sanctis exaratæ, atque nimis publici Census adnotationibus, quod prædiolorum valorem, et verosimilitudini, quoad valorēm domunculæ adversantes, et præterea a contrariis peritiis refutatæ, his, inquam, etiam peritiis inspectis, non ideo sane enormissima læsio in prædicta bonorum deliberatione depræhenderetur. Detracta quippe á Scutis 1033. 50 *tertia* eorum parte pro lucro emptori ad hastam addicendo, scutis nempe 344, 50 scuta remanent 689. Quare, cum, solverit Angelinius scuta 230 plus quam *trientem* solvendi, ad tramites etiam illarum peritiam, pretii numerasset, idcirco, hisce etiam peritiis in calculo babitis enormissima a deliberatione abesset læsio, quæ ex Jure Communi numquam verificatur, cum constat qnid minimum emptorem præter rependendi deliberatorum bonorum pretii *trientem* numerasse, immo cum non pateat quid minimum infra hunc *trientem* fuisse solutum *per Card. de Luc. de Usuris disc.* 20 *num.* 6 *et de Camb. disc.* 1. *num.* 22 *et de Emption. et vendit. Disc.* 54 *num.* 6 *Pacion. de Locat. et conduct. Cap.* 12 *Zanch. de Læsion. p.* 1 *Cap.* 3 *num.* 51, *et seq. Rot. in Spoletano Laesionis* 19 *Junii* 1773 §. *quin opponantur coram Peralta*, *et in Tolentina Laesionis* 22 *Junii* 1807 §. 13 *coram Eminentissimo Caesarei de Leonibus*. Hæc vero ad abundantiam tantum, quia extrajudicialibus prædictis peritiis a De Sanctis allatis nulla prorsus fides haberi potest.

Eliminant omnino ea quæ huc nsque dicta fuere enormissimæ Læsionis a De Sanctis propositam quærelam. Accedit præterea ad eam magis magisque excludendam momentosissimum Angelinii factum, nempe ejus declaratio apud acta de bonis acquisitis restituendis suo debitori De Sanctis, dummodo bic ei scuta 230 pro eorum acquisitione repensa, una cum deliberationis expensis numeraret. Hoc aiquidem factum, quod summa cum injuria Angelinio obtrudere vellet De Sanctis, Angelini optimam fidem in bonorum emptione demonstrat, dolumque excludit, qui ab enormissima læsione abesse nequit. Æquissima namque conditio De Sanctis ab Angelinio oblata, sponte prorsus, atque, judicio vix a prædicto De Sanctis coram A. C. Triumviris instituto pro venditionis rescissione, ingenuitatem ipsius Angelinii demonstrat, atque bonorum ab ipso emptorum neglectum, horumque commune, et vile etiam pretium ostendit, unaque simul injustitiæ ac læsionis suspicionem removet uti post *Zanch. de Laesione p.* 3 *Cap.* 1 *num.* 172, *et Rot. dec.* 230 *coram Millin. Dec.* 211 *post Posth. De Subhast. in dec.* 268. *num.* 10 11 *part.* 18 *Tom.* 1 *in Recen. et Dec.* 251 *num.* 18 *coram Tanar.* perbelle in simili themate animadvertit jam superius citata Decisio *in Centum cellarum laesionis* 10 *Januarii* 1822 §. 9 *coram R. P. D. meo Tiberj.* Patet itaque bonorum ad De Sanctis spectantium erga Angelinium ejus creditorem deliberationem, ne enormis quidem Læsionis vitii argui posse; Læsionis vero enormissimæ procul ullo dubio labe infectam haud esse. 5

Et ita etc. Utraque etc.

ROMANA NULLLITATIS

EXTINCTIONIS CENSUS

Veneris 7 *Junii* 1822.

ARGUMENTUM

Habes in superiori quae confirmatur – DECISIO XLIV.–

SUMMARIUM

1. *Juris praesumptio, nisi actus nullitas evidentissime evincatur, stat pro ejus validitate.*

   Diuturna sexaginta Annorum observantia, actus robur quam maxime adauget – ibidem. –
2. *Si Moniales assensum actui praebuerint* – Capitolarmente congregate – *atque Monasterii Moderatoribus probantibus, nihil hujus actus validitati obiici potest.*

   Pontificii Indulti auctoritas manet semper integra, nec cessat ex decursu paucorum annorum – ibidem. –
3. *Ubi res est non de actu voluntario, sed de actu omnino necessario, nullo Beneplaciti Apostolici interventu opus est.*

   In retroventitione Census, quamvis deficiat bimestralis disdicta, dummodo debitor bimestris fructus solvat, retroventitionis actus dicitur necessarius – ibidem. –
4. *Jus unius ad quidquam ab altero obtinendum hujus obligationem ad id illi praestandum secumfert.*
5. *Reductio fructuum censuum, quoad laicos, nulla indiget Pontificia sanctione.*
6. *Praesumi non potest, quod quis otiosam retinere velit collectam pecuniam, potius quam impositos Census extinguere, vel sibi consulere pro fructuum reductione.*
7. *Ubi constet, pecuniam in commercio adeo fuisse reduntantem, ut collocari haud possit, nisi* – ad un saggio mitissimo – *hisce in casibus, assensus pro reductione frustuum, est actus necessarius.*
8. *Quamvis ex Urbani Octavi Constitutione secularis cursus requiratur ad roborandas alienationes ab Ecclesiis initas, tamen ubi agitur de actu necessario, Beneplacitum praesumitur ex sola triginta annorum observantia.*
9. *Si Census retroventitio oblata fuerit per pecuniam proxime reprobandam, recte retroventitia recusari potest.*
10. *Cum pecunia redundat, bonorum omnium venalium rerum pretia evehuntur, ex emptarum concursu.*
11. *Non potest ad Investimenti exemplum inferri, quum de exigua pecuniae quantitate, foenori data homini nullus notae, agatur.*

DECISIO C.

Reductionem fructuum binorum Censuum, quorum unum in sorte scutorum 8300, alterum in sorte scutorum 3000 anno 1668. erga Ven. Monast. SSmæ Conceptionis Campi Martii imposuerat Prænobilis Cajetana Gens, conventam a *trienti* originaria ratione ad *quadrantem* mensuram inter Ducem Franciscum Cajetanum, et Moniales « *Capitolarmente congregate* » publicis tabulis anni 1758, ad vitandam ab hisce illorum Censuum retroventitionem, atque auctorante, immo præscribente Chirographo Pontificis Clementis XII, probavit Sententia Juridici A. C. Conventus diei 15 Decembris 1818; dum Moniales post *sexaginta* annorum constans silentium adversus eam reductionem insurrexerant, idemque in gradu appellationis sensit S. Nostrum Tribunal, a quo, post semel, iterumque suffragia ampliata, in Comitiis diei 15 Junii superioris anni 1821 proposito per me Dubio « *An constet de nullitate reductionis fructuum Censuum, ita ut sit locus solutioni eorum, ad formam Instrumenti impositionis Censuum, et pro qua summa sit relaxandum mandatum in casu etc.*, Universa suffragante Aula, responsum fuit « *Negative in omnibus* » uti, factis late expositis, mea narrant illius diei Decisio, cui hodie albus calculus fuit adjectus, cum me quoque suffragium ferente, perstitum fuerit « *In decisis* ». 1

Nec aliud esse poterat S. Ordinis judicium dum nil novi proferunt Moniales, ex quo in dubium revocari possit auctoritas publicarum tabularum, quibus Censuum fructuum ad mitiorem rationem reducti fuerunt ab ipsis Monialibus, non imprudenter, et ex arbitrio, sed ut ipsarum utilitati prospicerent, et etiam Pontificis Clementis XII voluntati obsequentes essent; semper enim juris præsumptio, nisi actus nullitas evidentissime evincatur, stat pro ejus justitia, ac validitate, uti pluribus allatis aucto-

ritatibus mea probat præcedens *Decisio sub* § 4. Quod eo magis tenendum est, quia ab anno 1758; quo fructuum reductio fuit conventa, ad annum 1817. Moniales, ne dum constanter, et ulla absque contradictione censuum fructus ad hujus reductionis mensuram, receperunt, sed immo judicialibus, et extrajudicialibus actibus hanc reductionem confirmarunt; juris namque præsumptioni accedit diuturna *sexaginta* annorum observantia, quæ actus robur quam maxime adauget, sicuti arguit prædicta *præter. Decisio* § 4. Stet igitur oportet fructuum reductio, ita ut in posterum ad *quadrantem* rationem solvendi sint. Atque id ex Monialium etiam confessione, cum ipsæ ultro admittant nulli esse locum supplemento quoad fructus ab anno 1758 ad diem motæ litis ad eam rationem solutos. Etenim nullitas reductionis efficax esset, tam quoad præteritum, quam quoad futurum tempus, et quoad illud exclusa, quoad hoc etiam excludatur necesse est.

2 Et sane ut Censuum fructus Monialibus in posterum ad *trientem* originariam rationem esse a Cajetanis solvendos constitui posset, opus uis fuisset evincere in reductionis fructuum actu vel *extrinsecus*, vel *intrinsecus* fuisse peccatum; id vero, nedum ipsæ haud præstiterunt, sed immo contrarium apertissime patuit. Quoad actus enim *extrinsecam* formam incontroversum est fructuum Censuum reductionem a Monialibus fuisse conventam ope publici Instrumenti, postquam ipsæ in id assensum præbuerant. «*Capitolarmente congregate*» atque Monasterii Moderatoribus probantibus; nil itaque actui tam rite expleto obiici potest. Inutiliter vero proponitur defectus Apostolici Beneplaciti. Hoc enim nec defuit, nec, si revera defuisset, ex ejus defectu actus corruere posset. Non defuit profecto, quia satis abunde ejus vices gessit Clementinum Chirographum; quo duci Michaeli Angelo Cajetano potestas facta fuit, novo alieno ære contracto, vetustum sub majori foenore, quo gravabatur, dimittendi, et lex imposita fuit quibuscumque creditoribus, quamvis = *privilegiati privilegiatissimi* = recipiendi = *li Capitali dei Censi imposti a loro favore* = seu = *farne la riduzione a quell' usura, che si trovasse da altri* = Ne dum igitur permissum, sed etiam injunctum fuerat Monialibus per illud Pontificium Chirographum receptioni sortium Censuum, sive illorum fructuum reductioni, ad mensuram quæ in commercio tum erat communis, assentiri, atque ideo ipsa Pontificia intercedente venia, fructuum reductionem convenerunt. Quin rem mutet Clementinum Chirographum signatum fuisse anno 1736. et ad fructuum reductionem inter Ducem Cajetanum et Moniales deventum fuisse anno 1758. etenim Pontificii Indulti auctoritas manebat semper integra, nec cessare poterat ex decursu præsertim paucorum annorum, uti pluribus suffulta auctoritatibus mea ponderat præt. Decisio § 5.

Nec aliud ferri unquam posset judicium, admissa etiam hypotesi, quod absque Apostolica venia prædictæ reductioni fructuum Moniales fuerint assentitæ, quam quidem hypothesim falsissimam esse jam superius fuit demonstratum; non enim id quidquam validitati actus detraxisse, quia non res est de Monialium actu *voluntario*, sed de actu omnino *necessario*, quo in themate nullo Beneplaciti Apostolici interventu opus erat, ut pluribus adductis mea demonstrat *præt. Decis.* §. 6. Atque id adeo verum est, ut etiam in retrovenditione Census, quam præcedat oportet disdicta per duos menses ante a Bulla Piana præscripta, hac quamvis deficiente, dummodo debitor bimestris illius fructus solvat, retrovenditionis actus dicatur *necessarius*, ita ut ii etiam, qui contrahere nequeunt absque solemnitatibus, censuum capita recipere possint sine earum interventu, uti innixa Doctorum traditis, et S. N. Ordinis definitionibus advertit præcedens *Decisio* §. 6. necessitas autem in qua Moniales versabantur, redigendi a *triente ad quadrantem* rationem censuum fructus manifestissime dignoscitur ex simplici inspectione Clementini Chirographi, cujus vis inconcussa manebat anno 1758. uti superius fuit constitutum. 3

4 Si namque anno 1736. S. Mem. Pontifex Clemen XII. Duci Cajetano facultatem impertivit = *di poter prendere a Censo, e Cambio limitato tutta quella somma, che occorrerà per l' estinzione de' Censi*, ac insimul jussit = *Che i Creditori siano tenuti a ricevere i Capitali dei detti Censi; quando non volessero loro medesimi farne la riduzione a quell' usura, che si trovasse da altri* = atque hanc obligationem extendit = *a tutti, e singoli creditori, e qualsivoglia privilegiati, privilegiatissimi* = nemo non intelligit ortum ex hoc Chirographo jus fuisse Cajetanis adigendi eorum creditores, quantumvis privilegiatos ad Censuum retrovenditionem, sive ad horum fructuum reductionem ad mensuram in commercio communiter obtinentem, et ortam simul fuisse Monialibus binorum Censuum creditricibus, Ecclesiæ, Piorumve Locorum Privilegiis non obstantibus, necessitatem recipiendi a Cajetanis illorum Censuum capita, sive illorum fructus ad prædictam reducendi mensuram. Jus quippe unius ad quidquam ab altero obtinendum bujus obligationem ad id illi præstandum secumfert; atque id in themate eo fortius teneatur oportet, quia Monialibus predicta obligatio erga Cajetanum Ducem retrovendendi census, vel eorum fructus reducendi expressim a Pontifice indicta fuerat, ut arguit *præcedens Decis.* §. 6.

5 Nullius vero ponderis est distinctio, quam inducere vellent Moniales inter retrovenditionem Censuum, et eorum fructuum reductionem, asserentes illam, non hanc fuisse ipsis a Clementino Chirographo præscriptam. Retrovenditio siquidem Censuum uti necessaria, non erat opus, ut a Pontifice præscriberetur, vel ejus Auctoritate firmaretur. Reductio vero fructuum Censuum quoad Laicos nulla indigebat Pontificia probatione Hinc, si Clemens voluit, quod Creditores Ducis Cajetani, non exceptis = *i privilegiati*, *privilegiatissimi* = qualia sunt Loca Pia aut censuum sortes reciperent, aut eorum fructus redigerent = *a quell' usura che si troverà da altri* = pernecesse concludendum est, ne Chirographi præscriptio quoad = *i privilegiati privilegiatissimi* = inanis foret, prædictum Pontificem voluisse iis verbis auctoritatem amplissimam tribuere Locis Piis reducendi fructus Censuum ulla absque superiori venia, si id utilius agnovissent, quam illorum retrovenditioni assentiri, quod debitore volente, recusare haud poterant, quodve ullo absque Beneplacito Ap stolico facere ipsis licebat.

Census vero redimere, nisi assequeretur eorum fructuum reductionem, quod Cajetanus Dux reapse vellet, sicuti poterat, ex quo Moniales, vel uni, vel alteri assentiri pernecesso deberent, dubitare non sinit conspicua pecuniæ vis scutorum *octuaginta quatuor millium*, quam ipse partim colligerat ex uxoris dote in scutis 40000., et partim ex Censu in sorte scutorum fere 44000 imposito erga Gentem Gabrielliam sub fructu scutorum 2 et 80 in singulos annos, et centena capitis, et ejus maxima cura in redimendis Censibus, quibus erga alios gravabatur, vel eorum fructuum reductione assequenda; cujus rei exempla præbet, quod ipse cum Mignanelliis, Soderiniis; Opere Pio Ornanio, Ven. Collegio Salviati, aliisque creditoribus egit, et ex quo concludendum est fieri nunquam potuisse, ut ipse ociosam retinere vellet collectam pecuniam, potius quam Census erga Moniales impositos extinguere vel sibi consulere per eorum fructuum reductionem ad mitiorem rationem, quam juxta eam pecuniam ipse collocare poterat. Perperam vero a Monialibus obiicitur, quod ex hisce argui tantum possit Censuum retrovenditionem actum fuisse eis necessarium, sed non item eorum fructuum reductionem ad mitiorem rationem, quæ ab earum arbitrio pendebat, et idcirco ipsas voluntarie non necessitate coactas, illi reductioni assentitas fuisse. 6

Etenim cum constet Censuum retrovenditionem Moniales effugere non potuisse, et constet pariter anno 1758 pecuniam in commercio adeo redundantem fuisse, ut collocari haud posset, nisi ad rationem, *quadrante* etiam longe minorem, ut patet ex pluribus 7

Instrumentis investimenti pecuniarum per Ducem Cajetanum adductis, et ex ejus facto e censu scilicet ab ipso imposito erga Gabriellios in conspicua somma scutorum 13954., cum annuo tantum fructu scutorum 2 et ob. 80, in quælibet centenaria capitis; hinc manifeste colligitur, quod, si Moniales Censuum sortes a Cajetano Duce recepissent, eas deinceps collocare debuissent sub fructu *quadranti* etiam longe minori, et præterea amisissent fere sæcularem anterioritatem jurium censualium, atque securitatem, quam præbebat investimentum cum Prænobili, ac prædiviti Cajetana Gente. Ad hæc itaque vitanda damna, et ad consulendum utilitati Monasterii necesse Monialibus erat vetustos cum Cajetanis census firmos servare, et absque inani circuitu novi investimenti, et quam maximi detrimenti periculo eorum fructus = *ridurre a quell'usure, che si trovasse da altri* = uti permiserat, immo præscripserat Clementinum Chirographum. In dubium igitur revocari haud potest, quod in hisce circumstantiis assensus reductioni fructuum Monialibus esset necessarius, magis etiam, quam Censuum retroventitio, et quod ad reductionis actum roborandum nulla opus fuit apostolica venia, ut præterita argumentatur Decisio Doctorum freta auctoritati *sub.* § 9.

8 Nec rem potest, vel minime mutare, quod in actu reductionis Censuum defuerit in Instrumento explicita reductionis causæ mentio, scilicet quod illi fructuum imminutioni Moniales assentiebantur, ad effectum vitandi restitutionem sortium Censuum, atque nec Instrumento scriptum fuisse quod ipsæ ad reductionis actum devenere = *di loro spontanea volontà* =. Non etenim opus erat in Instrumento causam explicare, ex qua reductio fructuum Monialibus necessaria, atque utilis erat, quia hæc erat notissima, nam certissimum erat Cajetanum Ducem potuisse, atque etiam voluisse Census redimere, sicuti superius fuit demonstratum, et manifestissimum erat detrimentum, quod Monialibus imminebat ex Censuum retroventitione, uti pariter superius probatum fuit. Quæ vero verba in Instrumento leguntur = *di loro spontanea volontà* = ad Tabellionum formularium pertinent, et in omni prorsus Instrumento apposita videntur, quamvis res sit de actibus necessariis retroventitionis Census, extinctionis Cambii, et similibus ad quos alter e contrahentibus officio etiam Judicis adigi potest, ut pateat, nec vim, nec metum contrahentes ad actum impulisse, sicuti animadversum fuit in præterita Decisione § 10. Posita itaque necessitate, et utilitate reductionis fructuum Censuum, et accedente illius observantia per annos *sexaginta*, in hypotesi etiam defectus Beneplaciti Apostolici, *extrinseca* actus forma nullitatis argui numquam posset, quamvis per Urbani VIII. Constitutionem sæcularis cursus requiratur ad roborandos contractus alienationum ab Ecclesiis ac Locis Piis initos, absque expressa apostolica venia. Hæc namque Urbani VIII. Constitutio locum sibi haud vendicat quoad prædictos contractus, qui Ecclesiis Locisve Piis necessarii, atque utiles fuerint; quo in casu omne removet objectum defectus expressi Beneplaciti Apostolici sola triginta annorum observantia, uti probatur per adducta in præcedenti Decisione § 11.

Hisce omnibus exempla adstipulantur, et facta plurium aliorum Locorum Piorum, quæ Cajetano Duci anno 1758 ad vitandam Censuum retroventitionem, censuum fructuum reductionem tribuerunt, ulla absque Apostolica intercedente venia, quæ inter præsertim Ven. Collegium Salviati, a quo auctorantibus tantum ejus Moderatoribus R. P. D. Olivatio, S. Nostri Ordinis Decano, et Emo Castellio, fructus Census, in capite scutorum 10000 ab annua originaria *trienti* ratione, ad scuta imminuti fuerunt 2 et ob. 90 in singula capitis centena, nec ullam unquam de hac imminutione querelam moverunt. Quod vero a Monialibus proponitur exemplum improbatæ reductionis fructuum Census impositi a Duce Gajetano erga Anconitanum Pium opus 9

Ornani abs re prorsus est; namque eam S. Noster Ordo improbavit reductionem non absolute ex defectu Beneplaciti Apostolici, sed quia Census redemptio a Cajetano oblata fuit anno 1798 in nummariis jam fere prorsus mense Junio diffamatis schedis, antequam bimestre disdictæ tempus a Piana Bulla præscriptum laberetur, et ideo ante hujus lapsum census retrovenditio legitime recusari poterat; ob imminens periculum abrogationis speciei monetæ oblatæ, quæ ante bimestris lapsum e commercio adimendam fore omnes prævidebant, uti reapse evenit; et quia etiam reductio fructuum conventa fuit a Chiappinio nulla ad id facultate prædito; quæ fundamenta sunt Decisionis in ea Causa editæ nempe *in Romana, seu Anconitana Nullitatis Reductionis fructuum Census* 26 *Junii* 1816 *coram Tassoni*. Quod si res bene perpendatur optime dignoscitur hoc exemplum adversus Moniales retorqueri, quia cum antea fructus a Pio opere reducti fuissent ad mitiorem mensuram, ad census retrovenditionem vitandam, hæc vetus reductio firma stetit, dum nova anno 1798 conventa fuit abrogata ex peculiaribus expositis rationibus. Non itaque Beneplaciti Apostolici defectus, sed intrinseca actus reductionis fructuum vitia eam evertere possunt, a quibus si actus immunis sit, corruere nequit ex eo tantum, quod illud Beneplacitum haud intervenit.

9 Actus autem reductionis fructuum Censuum, de quo res est, cum nil redarguendum habeat quoad ejus *extrinsecam* formam, accedente præterea illius utilitate, ac necessitate, uti superius demonstratum fuit, nil etiam ei *intrinsecus* utiliter objici potest. Spernendum iterum Patribus visum fuit, quod Moniales proponunt de majori utilitate, quam assequi ipsæ potuissent ex Censuum retrovenditione, vel quia pecuniam a Cajetano Duce ipsis redditam, si census retrovenditi fuissent impendere potuissent in æris alieni dimissionem aut in acquisitionem bonorum vel quia facile erat novos census inire sub fructibus majoribus ratione *quadranti*. Non etenim evincunt ipsæ Monasterium gravatum fuisse alieno ære sub usura *quadrantem* excedente, aut paratam habuisse opportunitatem acquirendi bona, e quibus majores fructus percipere posset; quod profecto in tanta pecuniæ copia impossibile prorsus fuisse videtur; nam cum pecunia redundat bonorum omniumque venalium rerum pretia evehuntur ex emptorum concursu, et vendendi deficiente necessitate. Hæc ipsis damnosa fuisset pecuniæ collocatio in emptione fundorum, qui, tum quanti pluris empti, deinceps, pecuniæ in commercio extante quantitate imminuta, longe minoris pretii evasissent.

Nullu etiam in calculo Patres ha- 10
buerunt exempla a Monialibus allata quorumdam investimentorum pecuniæ, ad *semissem* etiam rationem, de tempore conventæ prædictæ reductionis fructuum; rursus enim animadversum fuit, quod hæc spectant ad exiguas pecuniæ quantitates fænori datas hominibus nullius notæ qui largiori usura periculum illarum amissionis creditoribus forsan pensarunt; et quod alia innumera ei opponuntur exempla investimentorum illius æri ad usuram *quadranti* minorem. Præterea, cum a Monialibus collocanda fuisset si Census Cajetano Duci retrovendidissent, conspicua pecuniæ vis scutorum fere 12000 demonstrandum ab ipsis esset bujuscemodi etiam pecuniæ summas cum prædivitibus Familiis ex optimatum genere, qualis est Cajetana, sub fænore, communem excedente mensuram fuisse collocatas. Hisce itaque omnibus perpensis, haud æquum visum fuit Patribus quod exiguam fructuum reductionem, inter alienationes reapse haud recensendam, quæ utilis et necessaria Monialibus fuit, quamve per annos *sexaginta* religiose servarunt, nunc ipsæ irritare studeant, ob rerum conditionem mutatam; cum præsertim illius justitiam, et validitatem agnoscant, dum cuivis fructuum supplemento quoad anteactum tempus renunciant; quod conciliari nequit cum nullitate actus, quæ, si reapse probata esset, cum u-

sque ab initio inefficacem reddidisset, et in eo præteritæ Decisioni confirmationis robur additum fuit.

Et ita ab universa Aula, me etiam suffragante, definitum fuit utraque etc.

ROMANA PECUNIARIA

Veneris 22 *Martii* 1822.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur « DECISIO XVIII. »

SUMMARIUM

1. *Simplices conjecturae, et argumenta non admittuntur contra publicas Instrumenti tabulas.*
2. *Rationum dispunctionem non desiderat creditum illud, quod ab arithmetica tantum supputone pendet.*
3. *Si aliquid superest, etiam post generalem liquidationem, quod hinc inde expungi debeat, supputatio fieri debet, ne debitor vel creditor versetur in damno.*
4. *Documentum quod sit depositum apud tertium, et a quo semper et quandocumque potest reposci, idem est ac si penes partem ipsum existeret.*
5. *Invictissima est juris praesumptio, neminem velle jacture suum.*

   Judex non debet stare peritiae, quae erronea demonstratur - ibidem. -
6. *Qui aes alienum dimittit, jus et actiones creditorum acquirit, et hypothecas ab eis inscriptas.*
7. *Si idem debitor nonulla debita ab aliis debitis aperte distinxit, non licet comminiscere quod in unam causam est solutum, in alteram convertere.*
8. *Confessio ab ipso debitore emissa, superat genus omne probationum.*

   Ex exclusione unius partitae, haud recte deducitur in facto aliarum inclusio - ibidem. -
9. *Usurae. et faenoris suspicio tanto magis exulat, quum agatur de spectatissima persona.*

   Nullo in pretio est habenda notula, quae nec debitoris charactere munita sit, et qualibet auctoritate careat - ibidem. -
10. *Credi nunquam potest, quod pecunia indigeat, qui alteris ingentem pecuniam suppeditat.*

    Frustra de conjecturis disseritur, ubi de debito, ex ipsius debitoris confessione constat - ibidem. -
11. *Ea est Judicum auctoritas, ut Peritorum opus, si erroneum, et vitiosum comperiatur, justo jure supplere, moderarique valeat.*

    Si debitor ob crediti illiquiditatem justam habuit causam detractandi solutionem, haud potest dici in mora ad effectum rependendi fructus - ibidem. -

DECISIO CI.

Post Sententiam Juridicorum Collegialis Tribunalis Curiæ Capitolinæ *diei* 21 *Junii* 1819; quæ Costantino Salimejo constitutus fuit terminus dierum *quindecim* ad solvenda Rosae Bartholi scuta 280 pro binis semestribus decursis, et non repensis fructuum Cambii in capite scutorum 3500 ab eo cum ipsa initi per octennium sub bessi usura die 4 Septembris 1817, eoque termino elapso, et solutione non perfecta, damnatus fuit ad prædicti capitis etiam restitutionem, delata ad S. Nostrum Ordinem Caussæ cognitione, ob appellationem ipsi indultam, qui mordicus contendebat, ne dum fructus, sed Cambii etiam caput fuisse decurtandum, in Comitiis diei 26 Junii anni 1820 quæsivi a Patribus » *An sit locus praefixioni termini pro solutione fructuum, nec non restitutioni sortis Cambii, ita ut mandatum sit exequendum in casu etc.* » ab Eisque retuli Responsum » *Affirmative ad primam partem pro summa liquidanda, negative ad secundam* », prout latius constat ex mea Decisione, quam ad eam diem evulgavi. Instaurata tamen actione *ad diem* 26 *Martii* superioris anni, cum Eosdem Patres rogassem assueta Dubii formula » *An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu etc.* » prodiit a Sacro Ordine Rescriptum » *Dilata, et ad Dom. Ponentem pro Deputatione Ratiocinatoris ad effectum liquidandi cum omnibus facultatibus necessariis, et opportunis.* » Electo hinc in Peritum Ratiocinatorem *Josepho Baraglia*, editaque ab eo relatione super re controversa, cum idem Dubium Sacro Ordini hodie proposuerim, quamvis urgeret Salimejus, ut, alia indulta comperendinatione, referret iterum Peritus *super noviter dedu-*

ctis, adeo solida Patribus visa sunt fundamenta præcedentis definitionis, et extrajudicialium animadversionum super Periti relatione, ut, Salimeii postulatione rejecta » *In Decisis* » persistendum esse censuerint.

1 Iterum enim apparebat, de quantitate capitis, et fructuum Collybi haud posse dubitari, semelac ea constabat ab ipsa debitoris, non minus patula, et diserta, quam jurata confessione in publicis tabulis emissa, in quibus sese fassus fuerat Salimejus » *liquido, e legittimo Debitore* » Rosæ Bartoli » *nella somma di scudi* 3500, quæ impendisse declaravit » *in estinzione di tanti Debiti, che lo gravavano* »; ideoque » *ne fa a di Lei favore quietanza in forma* ». Quanto autem magis fidem, et observantiam merentur publicæ Instrumentorum tabulæ, tanto rigidiores requiruntur probationes, non simplices conjecturæ, et argumenta, ut contra propriam confessionem quis insurgat, eamque, vel falsam omnino, vel saltem erroneam evincant. *Palm. Allegat.* 357 *num.* 56 *Polit. Dissert.* 6 *de Transact. num.* 29 *tom.* 4 *Constant. Vot. Decis.* 132 *num.* 6, *et seq. Rot. coram Bicchio Decis.* 242 *num.* 12, *coram Malines decis.* 536 *num.* 6 *et dec.* 16 *num.* 9 *tit. de Dote coram Falconer*-Id vero certe non præstabat Salimejus, qui, ut demonstraret ante Instrumenti stipulationem nullas expunctas fuisse rationes, epistolium quoddam, a spectatissimo Carmelitarum Ordini Præposito Generali Rosæ Bartholi Administratore, et Fratre scriptum, afferebat, in quo debitorem monet, ut adeat *Hylarium Borghi* integerrimum nostræ Curiæ Causidicum, cum eoque agat de rationibus subducendis.

2 Sed quod attinet ad crediti probationem, quo Rosa pollebat adversus Salimejum, et ex quo quædam ab ea domunculæ fuerant coempta pretio argenteorum *millium*, et Cambium in aliis argenteis *termillibus quingentum* contractum fuerat, nulla opus erat dispunctione rationum, quæ jamdiu præcesserat. Quoad namque eas summas, quæ Rosa numeraverat Salimeii Creditoribus, extabant *Ordines* ab ipso Debitore subscripti, quibus accesserat peculiaris creditorum acceptilatio. Non admodum itaque erat insudandum, ut cognosceretur, quid, et quantum in hanc causam solverit Barthola, quod certe e simplici supputatione potebat attingere scuta 2107. Liquidum quippe existimatur in jure creditum illud, nec rationum dispunctionem desiderat, quod ab arithmetica tantum suputatione pendet, quemadmodum pluribus allatis, expendit prior mea *Decisio* §. 4. Reliquum ideo erat, ut cognosceretur Bartholæ creditum quoad alias summas, quas brevi manu Salimejo suppeditavit. Sed hoc opus exegerat idemmet debitoris Filius, et Procurator *Petrus Salimei*, dum *cautionibus* omnibus exploratis, quas, vel ipse, vel ejus Pater exaraverant, ut Bartholæ indemnitati consulerent, Aprili *mense anni* 1817 ad Bartholæ Fratrem scripserat — *Ecco l' ordine Latini. Il suo non ho potuto mandare questa sera, perchè desidero più di Lei le sue sicurezze. Ancora non mi è riuscito di rintracciare tutti i ricapiti, dai quali risulta l' erogazione del Denaro. Io non tralascio l'operazione, e può vivere tranquilla.*

Dispunctis hinc omnibus rationibus 3
ad Mensem Majum ejusdem anni, Patris sui nomine *Ordinem* signavit, quo hanc in causam = *essendosi sott' oggi liquidati i Conti colla Signora Rosa Bartoli* = sese debitorem declaravit in summa *scutorum* 2399, eaque impendisse dixit in familiæ alimenta, in nominibus dimittendis, in Sorore dotanda. Quisque itaque intelligit, quo spectet Reverendissimi Generalis Præpositi epistolium ad Salimejum missum. Nam, cum post eam diem dispunctarum rationum, aliquam, quæ reliqua erat, pecuniæ quantitatem ipsa Bartola retineret, ex qua cæteros dimitteret Salimeii creditores, quibus deinde satisfecit; ideo Bartholæ Frater Salimejum monuit, ut *Burghium* adiret, et cæteras cautiones acciperet, a quibus constabat, functum officio suo Bartholam fuisse. Accedebant his omnibus Vineæ, quam Bartbola a Salimejo con-

duxerat, expungendæ rationes, ideoque aliquid quoque supererat post eam diem, quod erat explorandum, ne vel debitor, vel creditrix ipsa versaretur in damno.

4 Neque enim obstat, quod in Collybi tabulis, ad *diem 4 Septembris ejusdem anni* 1817 exaratis, dictum fuerit restitutas debitori fuisse *cautiones*, cum tamen cæ omnes penes Burghium asservarentur. Recte siquidem id affirmarunt Contrahentes in Tabulis, quoties *cautiones* ipsæ penes tertium fuerant depositæ, a quo semper, et quocumque tempore reposci poterant, et explorari. Et re quidem vera nunquam prohibitum Salimejo fuisse eas cautiones invisere satis evincitur ex ipsius confessione, qui Argenteorum *termillium quingentum* sese debitorem ultro constituit, quod sane non fecisset, nisi inspectis, probatisque *cautionibus*. Adstipulabantur publicarum tabularum fidei monumenta invicta solutionum, quæ Bartholæ creditum comprobant in Argenteis *quatuor mille quingentis*. Extabant enim *Ordines* a Salimejo tracti, et a Barthola soluti una cum cessione jurium, ex quibus ipsa numeraverat usque *ad scuta* 2107. Extabat pariter alter Ordo a Salimejo, præeunte rationum expunctione, subscriptus; ab eoque nuncupatus = *di rimborso* =, qui eas summas complectebatur a Barthola brevi manu Salimejo solutas. Simul additis hisce summis totum conficitur Bartholæ creditum in scutis *quatuor mille quingentum*, quod partim ex venditione domuncularum in *scutis millibus*, et partim ex inito *obliquo cambio* in scutis *termille quingentum* a Salimejo extinctum fuit.

5 Aliter tamen visum fuit Perito Ratiocinatori, quia expunxit a capite Collybi Argentea *septigentum triginta* ex quatuor *ordinibus* a Barthola solutis conflata: *primo* nempe scut. 150 erga Jannutium, *altero* scut. 158 erga Torrecchiam, *tertio* scut. 80 erga Hæredes Scagnetti, quarto demum scut. 350 erga Josephum Latini, quos alio in ordine = *di rimborso* = compræhensos fuisse putavit. At errasse Peritum suadet primum juris præsumptio, ex qua certum est, neminem velle jactare suum ideoque neque id voluisse Salimejum, et falli in proprium damnum, qui imo, antequam sese debitorem renunciaret, rem omnem sedulo pensavit, et rationes expendit, prout ipsemet in illo epistolio fatebatur, quod *ad diem* 17 *Aprilis anni* 1817 ad Bartholæ Fratrem misit, et de quo facta est mentio superius. Verum non leves conjecturæ, sed invictæ admodum probationes Periti errorem demonstrant. Erat quidem habenda præ oculis prior Apocha, quam Constantinus Salimei cum Batrhola *die* 18 *Februarii* 1817. scripsit. Inter eos sane convenerat, ut Barthola tot *Ordinibus* a Salimejo tractis totidem Patrimonii Creditores dimitteret ad summam tamen usque Argenteorum *trium millium octingentum*, et cum cessione actionum, et jurium. Huic summæ addendum voluerunt quidquid vel antea brevi manu Barthola subministraverat in Familiæ Salimejæ usus, et in posterum quoque præbuisset. In ea deinde Apocha de ipsi Bartholæ satisfaciendo, post dimissos per eam intra constitutum trimestre tempus creditores, cogitatum fuit. In hanc rem placuit, ut dispunctis ex utraque parte rationibus pro summa *scutorum millium* in solutum Bartholæ cederentur domunculæ nonnullæ, et pro eo, quod erat reliquum Collybus iniretur ad *decennium* duraturus sub bessi usura. Quisque hinc videt duplicem esse, eamque omnino distinctam æris alieni causam, quarum *una* respiciebat Patrimonii creditores cum ordinibus a Salimeo tractis, et solvendis a Barthola dimittendos: *altera* vero spectabat ad pecuniam a Barthola numeratam, vel numerandam in levamen Salimeii domesticæ angustiæ, in alimenta, usumque ejus familiæ. Creditores ab ipsa Barthola erant dimittendi; pecunia autem ad familiæ alimoniam, ipsi Salimejo suppeditanda. Quantum rursus æris alieni extingueretur a Barthola ab Ordinibus constare debebat: quantum e contra tradebat brevi manu, ex rationum dispunctiane erat eruendum.

6 Complecti itaque non poterat Ordo = *di rimborso* = nisi pecuniam esm omnem, quam Bartbola Salimejo dederat in alimenta, ususqua familiæ, et nunquam eas summas in Creditorum dimissionem impensas. Atqui quatuor ii *Ordines*, qui summam scutorum *septingentum triginta* constituunt, quique ad nomina pro hac pecuniæ vi dimittenda fuerunt adhibiti, non spectant ad pecuniam aliam in alimenta solutam. Ergo contine ri non poterant in = *ordine di rimborso* =, qui a diverso, distinctoqua alimentorum titulo derivabat. Et reapse dementis hominis fuisset = *in ordine di rimborso* = compræhendi sinere summas in æris alieni extinctionem erogatas. Nam, si ex stipulatu Barthola, æs alienum dimittendo, jus, et actiones Creditorum acquirebat, et hypothecas ab eis inscriptas; hoc ipso, quod Barthola patiebatur, referri boc Creditum in *Ordine* = *di rimborso* = hypothecae jus amisisset, neque alia hypotheca potita fuisset, quam ea, quæ post bunc *Ordinem*, et post inscriptionem quæsita Creditrici fuisset.

7 Cæterum, si quatuor ii *Ordines* relati in posteriori *Ordine* » *di rimborso* » haberentur, non certe apud Creditricem iidem mansisset. Ut Cæteræ enim cautiones, ex quibus Ordo = *di rimborso* = constabat, debitori traditæ fuerunt, ita etiam quatuor isti *Ordines* vel lacerati fuissent, vel debitori saltem restituti. Attamen idem Petrus Salimei Constantini Filius *Ordinem* scutorum *tercentum quinquaginta* solutum *Josepho Latini* ad Bartholæ Fratrem misit; Atque *Ordo* hic est alter ex iis, quos Paritus perperam confundit cum ordine alio = *di rimborso* = Si idem ergo debitor sciens prudens ordines ab alio *Ordine* = *di rimborso* = aperte distinxit, nulla certe suberat ratio, ut, contra proprium debitoris factum, liceret commiscere *in* » *Ordine di rimborso* » *alios ordines* in diversam caussam, distinctumque titulum solutos. Accedebat etiam bis omnibus alind argumentum, quod nempe, si ii *Ordines* in summa scutorum 730. cum ordine altero = *di rimborso* = confunderetur, decresceret statim Colybi quantitas a scutis *termille quingentis ad scuta* 2770., dum imo Petrus ipse ad Bartholæ Fratrem scribens *die* 31 *Augusti anni* 1817 conceptis verbis fatebatur Rosae Creditum excedere scuta *quatuor millia*, adeout proponeret etiam in hujus extinctionem domuncularum venditionem pro scutis *mille*, et Cambii stipulationem in solis *scutis termille* » *Del di più, che supera la totalità del debito, si formerà un obbligazione privata, che ella anderà incassando in ciascun mese in ragione di scudi sei* =.

Conciliari ergo nequit res una cum altera, nisi destruatur ab ipso dabitore emissa confessio, quæ in quolibet judicio superat genus omne probationum. Et levis profecto videbatur conjectura Periti ex eo deprompta, quod Salimejus in Creditricis indemnitatem ad diem 10 Maii anni 1817 declaravit ab Ordine = di *rimborso* = secernanda esse Argentea *quinquaginta* Torrechiæ soluta; etenim ab exclusione hujusce summæ haud recte deducebatur in *facto* aliarum inclusio. Animadvertera siquidem oportebat, hanc summam a Bartbola non fuisse Torrechiæ numeratam, sed ipsimet Salimejo, ut alia ostenderat epistola a Petro Salimei emissa ad Bartholæ Fratrem, ideoque necesse fuit de eadem summa fieri mentionem in *Ordine* = *di rimborso* =, quia ex eo non eruebatur a Bartola solutam fuisse Torrechiæ, ut jus ipsa baberet eam a debitore repetendi. Exclusis itaque ab Ordine = *di rimborso* = quatuor prædictis *ordinibus* conflantibus scuta 730 manifestum dignoscitur Rosæ Creditum in sc. 2107 ex Creditoribus Salimei dimissis, et scut. 2399 ex pecuniis ipsi Salimejo subministratis, et ita adscendens in totum ad scuta 4506, ex quibus, detractis scuta 1000, in superius memoratum domuncularum pretium, constitutum fuit controversum injuria cambium scutor. 3500. immorandum est super duobus crediti Rosæ partitis altera *scut. duodecim*, *altera scut. triginta novem*, quas rejecit immerito Peritus, quia peculiares de iis Ordines non existant. Ete- 8

nim, cum de earum solutione constaret, quoad primum ex Testimonio honestissimi negociatoris *Antonii Galletti*, qui deponebat eam summam a se fuisse Salimejo solutam nomine Bartholæ, et quoad aliam ex Venditione domuncularum, quibus nonnulli Census inhærebant in acquirentis onus translati, quorum fructus ante venditionem factam a Salimejo exolvendos, ipsa Barthola pensitare coacta fuerat, non poterat certe eidem denegari reintegratio.

9 At totus error, in quem irrepsit Peritus, in eo stat quod, ipse innititur privatæ notulæ scutorum 1544, quam Bartholæ Frater propria manu conscripsit. Huic summæ in notula contentæ adjicit aliam *in scutis septingentum triginta* in quatuor *Ordinibus* compræhensam, quod idem Peritus antea contendit cum *Ordine* » *di rimborso* » conjunctos. Sic, ut perveniat ad sc. 2399 quot nimirum conficit Ordo » *di rimborso* » recenset alia scuta 125, quæ fingit in usurarum causam conventa. Sed quantum divinationem sapiebat assertio ista Periti, dum ne a debitore quidem hæc unquam usurariæ pravitatis exceptio proposita fuit, tantum in calumniam recidebat spectatissimæ Fæminæ, et religiosissimi Regularis, a quibus tanto magis usuræ, et faenoris suscipio exulabat *Rota decis.* 332 *num.* 18, *et* 19 *decis.* 35 *num.* 3, *et decis.* 366 § 9 *coram Dunozzet Jun. decis.* 259. *num.* 16 *part.* 19 *tom.* 2. *Rec. et decis.* 270 *num.* 6 *cor. Ratta.* Præterea vero nullo in pretio eam notulam babendam esse ex eo potissimum patebat, quod nec Creditricis, nec debitorum charactere munita sit, quod numquam de ea meminerint; quod qualibet auctoritate careat, quod fortasse ea confecerit Bartholæ Frater, ut melius memoria retineret, quid et quantum Salimejo solvebatur, quod demum continentur in ea summæ tantum solutæ usque ad annum 1816., cum e converso post illud tempus exploratum sit alias pecunias Bartbolam rependisse, ut arguit etiam prior *mea Decisio* § 5.

10 Neque ambigi potest de vera quantitate Ordinis = *di rimborso* = semelac ea constat ex solutione Litteræ collybisticæ in scutis 2060 a Barthola pro Salimejo peracta *Aloysio Gentili* ante conventionem *anni* 1817. Et ab aliis scutis 339 quæ in usum Salimejæ familiæ cesserunt. Nam a veritate prorsus aberrat, quod ponit Peritus, hujus litteræ collybisticæ non debitorem fuisse Salimejum, sed ipsum Bartholæ Fratrem, qui simulato Salimeii nomine usus fuit. Non aliunde hoc eruit Peritus, quam ab ipsa gratuita debitoris assertione, quæ alioquin resistebat verisimilitudini: credi enim nunquam potest, quod pecunia indigeret, qui eam ad scuta usque 4506 Salimejo suppeditaverat. Sed erat inutile de conjecturis disserere, dum ex ipsius Salimei confessione, quæ ab epistolis scatebat, exploratum est, eum reapso Collybisticæ litteræ debitorem fuisse. Die siquidem 31 Augusti 1817 Rmo P. Bartoli caussatus fuit, ut sibi indulgentem eum haberet in ejus crediti exactione, graves usuras, quas solvere debuit *per farlo rimborsare sulla seconda Cambiale di quella somma, di cui avea bisogno, conosco, che gliela dovevo ec.* Hæc vero *secunda* Cambialis litera erga Polidorium a Salimejo scripta fuerat ad reintegrandum P. Bartholum de alia ab ipso soluta Lavaggio. Atque hujus *secundæ* literæ extinctio perfecta fuit a Salimejo ope alterius scriptæ in scutis 2060 erga Aloysium Gentili; et hæc *tertia* die 9. Aprilis 1817. soluta fuit pecunia Bartoli, uti testatur Galletius Salimeii pro ea littera fidejussor, et diem Salimejus fassus fuit, dum Bartholo scripsit = *il denaro della Cambiale mi faccia il piacere di farlo depositare da Galletti, così non m'imbarazzo di contarlo, io mi caricherei di qualunque spesa si esige per far trasportar il danaro da Galletti* = Quæ sane haud scripsisset, si literæ Gentilio solvendæ Gallettii fidejussione accedente, debitor Bartholus, et non ipse Salimejus extitisset. Futillima vero visa est Periti conjectura ex eo deducta, quod si fuisset Salimejus hujusce litteræ debitor, longe majus fuisset Bartholæ cre-

ditum, quam partes declararunt. Augmentum enim proficiscebatur ab ea notula superius relata, et expensa, quam despiciendam Patres censuerunt.

11 Nullo hinc in calculo baberi debet relatio Periti, licet a S. Ordine præscripta. Absurdum namque esset juxta Peritorum judicium quæstionem dirimere, ubi cæteroquin eos errasse manibus ferme contrectatur. Peritos siquidem in consilium adhibere propter rerum implexum, non inutile esse, et quandoque fortasse necessarium facile intelligitur. At illorum sequi oportere opinionem nemo affirmabit, cum ea sit Judicum auctoritas, ut Peritorum opus si erroneum, et vitiosum comperiatur, justo jure supplere, moderarique pro arbitrio valeat, et prorsus quoque contemnere *Bart. in Leg. Arbitrio* 9 *num.* 4. *ff. qui satisdare cogatur*, *Ridolphin in Praxi part.* 1 *cap.* 8 *num.* 126 *Pacion. de locat. cap.* 34 § 5 *num.* 24 *Rot. decis.* 179 *num.* 16 *et segq. coram Molines, et alibi centies:* Quod in themate eo magis tenendum est, cum de judicialis Periti hariolationibus, et erroribus concinnæ extrajudiciales animadversiones Ratiocinatoris Josephi Caporri apertissimam demonstrationem exhibeant. Omni itaque jure suffultam merito dixerunt Domini Bartholæ defensionem ad constitutam in Instrumento quantitatem sortis Cambii, ejusque fructuum potuendam, quorum fructuum solutionem demandarunt *in summa liquidanda* quia compensandæ forsan sunt Vineæ per Bartholam a Salimejo conductæ pensiones, quas Salimejus solutas baud fuisse evincere valeat. Verum probare haud censuerunt institutam a Bartholo actionem pro assequenda restitutione capitis ob debitoris moram in solutione binorum fructuum semestrium. Cum enim ob sui debiti, fructuum nomine, illiquidatem, justam habuerit detrectandæ solutionis causam in mora reapse Salimejum constitutum fuisse dici haud potest, et tum solum ad capitis Cambii, ante præstitutam diem, restitutionem adigi poterit, juxta mandatum Tribunalis Capitolini, cum, facta debitorum ab ipso fructuum liquidatione, eos rependere negligat, uti præterita statut *Decisio* § *fin.*

Et ita, in reliquis ad præcedentem Decisionem relatione habita etc. Unica etc.

ROMANA PECUNIARIA

Veneris 17 *Maii* 1822.

ARGUMENTUM

Creditum certum ac liquidum, ope castrensium requisitorum interpellatione, potest reddi statim frugiferum. Ac semel requisitis interpellatis, non est amplius in Arbitrio Judicis, fructos coercere ad taxam legalem.

SUMMARIUM

1. *Fructuum ratio haberi debet a die, quo requisita Castrensia interpellata fuerunt.*
2. *Cum liquidum sit creditum, nulla ratio subest, quod ope castrensium requisitorum interpellatione, statim non efficiatur frugiferum.*
3. *Etsi resolvatur instrumentum, ob non impletas a debitore conditiones, non ob id concidit creditum.*
4. *Silentium in judicio, constans observantia, crediti existentiam luculentissime evincit.*
5. *Interpellatis semel Castrensibus Requisitis, nullus amplius est locus Judicis arbitrio, quoad legalem taxationem fructuum.*
6. *Haud arbitrium Judicis admittitur, qualenus, cujus intersit in facto, non in jure consistit.*
7. *Quantum mihi obest, quantumque lucrari potui, id appellatur, quod interest.*
8. *Augetur ratio fructuum, ubi communis adest in pecuniis collocandis usus.*
9. *Ubi expressum pactum adest reficiendae sunt expensae judiciales, et extrajudiciales.*
10. *Ubi excluditur compensatio quoad creditum, excludi quoque oporteat quoad expensas..*

DECISIO CII.

Domesticam fratrum Ossoli supellectilem an. 1813 Joseph Vitelli, qui illorum Creditor erat Cambialis nominis jam ab anno 1799 contracti, ejusque fructuum, ex plurimis Sententiis in Res judicatas transactis, quæ Gallis dominantibus prodierant, sub prætorio pignore posuerat. Hanc, ut ab imminenti

liberarent subhastatione fratres Ossolii, rem amice componendam curarunt. Scriptæ igitur in hanc Causam solemnes tabulæ fuerunt die 25 Maii anni ejusdem 1813 quibus ipsi sese Debitores Josephi Vitelli ex prædicti Cambii sorte, et fructibus, ac litium expensis in unum collectis in summa scutorum 860, et obul. 62 professi sunt. Eam autem rependere promiserunt summam, cessis Vitellio pensionibus cujusdam Domus, in scutis annuis 108 percipiendis, quæ cum ab alio Creditore eorum Sequestres, factæ fuissent, hinc cautum in iisdem tabulis, quod vinculum hoc a debitoribus mensis spatio esset removendum: quo ab eis non præstito, nullæ renunciandæ essent concessæ induciæ, atque irritum, *quoad dilationem*, esset illud Instrumentum, Verum, lapso mense, sequestrum sublatum non fuit. Quare iterum Tribunal Primæ Actionis adiit Vitellius, et induciarum resolutionem, ob non impletam resolutivam conditionem petiit, ac absentibus primum Ossoliis, dein ipsis obsistentibus, obtinuit. Sententiam deinde confirmavit Consilium Rotale *in Romana Resolutionis Contractus diei 9 Septembris* 1814 *coram, nunc Eximio Præsule R. P. D. Alberghinio, et deinceps S. N. Ordo in Confirmatoria diei* 16 *Januarii* 1815.

Ut vero Creditum, quod Ossoli, rationibus subductis, in eo Instrumento apertissime agnoverant in prædicta summa scutorum 860, et ob. 62 frugiferum redderet Vitellins, paratam habere docuit coram Judice Provisorio A. C. Egregio nunc Præsule R. P. D. Colapietro, occasionem pecuniam collocandi, allato proxenetarum testimonio, atque ita rite eis die 17 Junii 1814 *ad bessem* usuram notissima nunciavit Castrensia Requisita. Ad hoc creditum autem assequendum, Sententiarum, ut moris erat, exequutionem obtinuit, cunctisque liquidatis expensis, crediti ejusdem vis adscendit ad scuta 1315. 98½, pro quibus congrua mandata relaxata fuerunt, eaque exequutioni commissa super domo ad debitores spectante, quæ pro scutis 12500 præstantissimo in Urbe Advocato Vincentio Amici deliberata, et adjudicata fuit, et hoc pretium sub deposito fuit relictum. At, cum alii Creditores adessent, Vitellio potiores, hinc peculiaris concursus super illius pecuniæ distributione indictus fuit, et prioribus iis dimissis creditoribus, juxta Collegii A. C. Sententiam, vix superfuere pro Vitellio scut. 675. 86 ipsi a publico Depositario tradita die 12 Maii 1820.

Iterum itaque adiit ipse, in vim Decreti quod ab R. P. D. Auditore SSmi obtinuit, idem Tribunal A. C., ut crediti residuum consequeretur in scutis 640. 12 ½ ac prætcrea condiceret interusuria declarati in prædicto Instrumento anni 1813 crediti scutorum 860. 80 a die interpellationis requisitorum Castrensium, scuta conflantia 406. 41, atque expensas mandati in scutis 17 52 ½, in totum idcirco scuta 1064. 06. Modum petitioni apposuerunt Judices. Probato enim crediti residuo, et expensis Mandati usque ad summam in totum scutorum 657. 65 fructus condictos, a *bessi* ratione, juxta Castrensium Requisitorum interpellationem, ad *quincuncem* reducendos esse decreverunt, expensis hinc inde compensatis, ut patet ex eorum Sententia diei 19 Decembris anni 1820. Utrinque ab hac Sententia interposita fuit Appellatio. A Vitellio quoad eam partem, qua fructus cohibuit, expensasque remisit: ab Ossoliis autem ab integro lato judicio. Venit igitur ad S. Nostrum Ordinem Caussa, definienda sub a Me proposito Dubio = *An, et in qua summa constet de Creditis, quomodo sit locus refectioni expensarum, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.*, = et Ossoliis certamen refugientibus, hoc mane responsum fuit = *Pro informante* = nempe = *Affirmative, et Constare de Credito scutor.* 1064 06, *et esse locum refectioni expensarum etiam extrajudicialium, et esse relaxandum Mandatum.*

Quoad residuum Vitelli creditum in summa scutornm 657. 65 nulla quæstio. Liquidum enim erat integrum Creditum in scutis 1315. 98 per plures jam Res judicatas probatum. A quo, detracta summa scutorum 675. 86, ex 1

deliberatæ Advocato Amici domus pretii parte, Vitellio persoluta, hujus creditum, quoad sortem, redactum fuit ad scuta 640. 12 ½. Hisque addictis scutis 17. 52 ½ ad Mandatum exequendum per Vitellium impensis, patens est ejus creditum ex hisce nominibus in summa scutorum 657. 65, quod Tribunal Collegiale A. C. rite probavit. At probanda etiam erat ab eodem Tribunali *bessis* ratio quoad usuras scutosum 860. 62 a die qua Vitellius requisita Castrensia interpellavit, et perperam eam ad *quincuncem* mensuram redactam fuisse manifestissimum est.

2 Constabat siquidem e publicis tabulis diei 25 Maii 1813, quod = *i Signori Fratelli Ossoli hanno esposto, e narrato esser liquidi debitori del Sig. Giuseppe Vitelli della somma di scudi Romani* 847. 93 =, et quod nonnullis aliis additionalibus lis nominibus = *intiero debito de' medesimi ec., ascende, e resta fissato, e liquidato a scudi* 862. 62 =. Poterat quippe hanc pecuniæ vim statim ab Ossolis condicere Vitellius; poterat eo magis, dum, datis ab ipso debitoribus ad solvendum induciis, hæc concessa dilatio evanuit, ob non impletam ab ipsis conditionem illi dilationi appositam. Jura itaque suo usus ipse fuit, cum liquidum, quod illico repetere poterat, creditum frugiferum effecit, Castrensibus Requisitis rite interpellatis, nec ulla suberat ratio, cur usuræ, ad nunciatam *bessem* mensuram, ipsi denegari possent.

3 Futiliter vero, ut Vitelli jus ad fructus ex eo credito assequendos in discrimen adducant Ossolii, proponunt rescissum fuisse Instrumentum illud diei 25 Maii 1813, ex quo ejus Crediti probatio emergit, atque ideo princeps e Castrensibus requisitis defecisse, nempe crediti certam existentiam *in genere*, et *in specie*. Falsum etenim est, quod eo Instrumento Vitelli creditum fuit constitutum. Certum hoc jam erat, et proveniens a collybo anno 1799 contracto, bujusque fructibus, ad quorum dimissionem ex plerisque Sententiis fratres Ossolii jam fuerant damnati, atque ab expensis judicialiter jam liquidatis. Eam vero tantum ob causam Instrumentum anni 1813 scriptum fuit, ut dilationem, et inducias consequerentur Ossolii; non ut creditor ex eo Vitellius efficeretur, quod plane ex præcedenti Instrumento anni 1799, et ex plurimis Rebus judicatis jam ipse fuerat assequutus. Resoluta igitur dilationis conventione, ob non impletas a debitoribus Instrumento conditiones appositas, non ita quidem conciderunt omnia; nec, quæ narrata, ac confirmata fuerunt, abrogata exinde extiterunt, ita ut creditum, aliunde loculentissime promans, infirmaretur, ob posteriorem dilationis resolutam conventionem. Fuit quippe resolutus contractus anni 1813, seu quod idem est, nullæ evaserunt, propter spretas conditiones, induciæ Ossoliis concessæ sed patens quidem, atque aperta permansit æris alieni janua præexistentis declaratio, qua Vitellii creditum ipsi professi fuere = *ascende e resta fissato a scudi* 860. 62.

Potissima hisce accedit animadversio, 4 quod, resoluta dilationis conventione, Vitellius, ne novum judicium pro suo Credito assequendo institueret, exequutionem postulavit coram Judicibus A. C. priorum Sententiarum, quæ illud probaverant, atque, additis nonnullis aliis nominibus, ad summam usque scut. 1315, plura definitiva Decreta, ac Mandata obtinuit. At vero, si quid Ossoliis fuisset, ex quo creditum illud quoquomodo eliminare, vel saltem imminuere potuissent, profecto haud passi fuissent Decreta illa exequutioni committi, sed ab iis Judicatis provocassent. Nil tamen adversus ea egerunt, atque ideo ea omnia Rei judicatæ vires obtinuerunt, et, mandatis exequtioni commissis super Domo, Advocato Amici postea adjudicata, pro hujus pretii inter omnes Creditores diribitione peculiaris concursus indictus fuit. Præterea, cum ex eo pretio summam tantum scutorum 675 86. Vitellius assequi potuisset, iterum apud A. C. Tribunal promovit instantiam, ut crediti residuum una cum fructibus obtineret. Tunc vero etiam fratres Ossolii nullam quoad creditum exceptionem proposuere. Hujusce itaque

Silentii constans observantia crediti existentiam luculentissime evincit, omnemque de eo dubitationem eliminat, veluti monet *Gratian. Discept. Forens. cap.* 479 *num.* 70, *Rota decis.* 61 *n.* 10. *Decis.* 283 *num.* 9, *et* 10 *part.* 5, *et Decis.* 11 *num.* 9, *et seqq. part.* 7 *Recent. Et in Melevitana Pecuniaria* 14 *Martii* 1757 § *final. cor. Paraeciano.*

5 Crediti igitur Scut. 860 62 existentia, seorsim ab Instrumento diei 25 Maii Anni 1813 tam *in genere*, quam *in specie* demonstrata, consequitur rite Vitellium requisita Castrensia pro eo interpellasse. Nec potuit Juridicum A. C. Collegium *besses* fructus juxta eam interpellationem, *ad quincunces* tantum redigere, interpellatis enim, ut moris est, Castrensibus requisitis, nullus amplius est locus Judicis arbitrio, qui ad legalem taxam fructus coerceat. Hæc siquidem per Judices taxatio eo tantum in casu locum obtinet, cum creditor apertum facere non potest quanti ejus interfuerit creditum non fuisse persolutum, quantumque damni exinde ferre debuerit, ut tradunt *Bald. in Leg. unica Numero* 33, *ibique Cagnol. numer.* 44 *Cod. de Sentent., quae pro eo, Menoch. de Arbitr. cas.* 119 *numer.* 5 *Carleval. de Jur. disput.* 8 *sess.* 6 *numer.* 39 *Tom.* 5 *Gob. Consult.* 38 *numer.* 4, *Andreol. controvers.* 405 *numer.* 19 *Leotard. de Usuris quaest.* 74 *numer.* 3 *Ansaldo de Morat. discurs.* 67 *num.* 5.

6 Secus vero res habet, cum Castrensia requisita rite interpellata fuisse demonstretur. Et sane non erat ab Judicibus lucrum præfiniendum, quod e sua pecunia Vitellius consequi potuisset, sed ex Proxenetæ Testimonio fructus *octunces* ex ea ipsum percipere potuisse apparebat. Haud vero arbitrium Judicis admittitur = *quatenus*, *cujus intersit in facto*, non in jure consistit = ut monet *Paulus in Leg.* 24 *ff de reg. jur.* Proxenetarum autem Testimonio deferendum esse quoad paratam investimenti occasionem, ac usurarum modum constantissime tenuit Sacer N. Ordo, uti *ex Decis.* 714 *numer.* 2 *coram Seraph. decis.* 666 *numer.* 6 *coram Molines, in Romana Dotis, et Lucri* 26 *Aprilis* 1697 § *non subsistit cor. dell'Olmo.*

Quin obsit *besses* illas usuras legalem Taxam excedere; quia hæc attenditur in taxando fructu incerto, ac indeterminato. Sed, cum Creditoris indemnitati prospiciendum est, tantum ei tribuendo, quantum ex debitoris mora, et culpa amisit, nil detrahi potest ex certo, licitoque fænore, quo ipse pecuniam collocare poterat = *Quantum* enim *mihi abest*, *quamtumque lucrari potui*, id appellatur, *quod interest* = *per leg. fideicommiss. ff rem rat. hab.*, *et Leg. si Mulier* 21 *ff de act. rer. quot.*, *Leg. generaliter ff de reg. jur. leg.* 2 § *ult. ff de eo quod certo loco*. Quapropter, cum per Proxenetarum Testimonium, certum sit Vitellium ex sua pecunia *bessem* usuram lucrari potuisse, hæc ei erat procul dubio adjudicanda ad text. *in Leg.* 13 *ff rem rat. hab. Leg.* 3 *ff* § *final. de eo quod certo loco*; *leg. Unica Cod. de Sent. quae pro eo*, *Bolognin. in dicta Leg. Unica numer.* 25 *Platr. in princ. dict. Leg. V.* 40 *Roderic. de Ann. redit. lib.* 3 *quaest.* 4 *V.* 84; *Jacob. de Grass. lib.* 2 *Cap.* 105 *V.* 24, *et* 25, *Card. Tasch. tit.* 5 *conclus.* 309 *numer.* 4 *Mart. Medici decis.* 14 *num.* 9 *Leotard. de Usuris quaest.* 51 *num.* 37. 7

Hujuscemodi autem bessalium fructuum rationem excessivam esse frustra obiiceretur; nam Anno 1814; eo scilicet tempore, quo Castrensia requisita interpellata a Vitellio fuere, communis erat in pecuniis collocandis usus, ab earum raritatem, rationem illam fructuum, atque etiam longe majorem præfiniendi. Hinc injustum haud erat, quod Ossolii fructus Vitellio rependerent ad eam rationem, ad quam ipse nullo absque dubio pecuniam collocasset. Patens itaque est Vitellii adversus Ossolios creditum etiam quoad fructus, atque id ad scuta evehitur 406 41, calculo inito ad prædictam *bessem* rationem, et per annos *quinque* ac *decem* Menses a die interpellationis Requisitorum Castrensium; ex quo Scuta 1064 06 ei in tutum ab ipsis de- 8

beri manifestissimum est, eique pro hac summa mandatum est tribuendum.

9 Addendæ verum sunt, præter judiciales, extrajudiciales etiam expensæ. Harum siquidem reficiendàrum obligatio Ossoliis inest ex apertissima conventione. Ipsi namque Anno 1799 Cambiale nomen erga Vitellium contraxere, ex quo totum eorum debitum, quod hujusce Causæ subjectum constituit, originem reapse ducit, atque in Instrumento tunc scripto pactum fuit = *Che a carico, e peso del detto Ossoli restino, e restar debbano tutte, e singole spese, tanto Giudiziali, che Stragiudiziali, inclusivamente all'altre di Procuratore*, ed *Avvocato*, *che in qualunque modo occorressero al detto Vitelli per Causa del presente Contratto*, *e sue dipendenze* =. Cum itaque ex hoc Instrumento Vitelli creditum promanet, quamvis in ipsius ortu Scuta haud excedens 700 papiraceæ monetæ, ad scuta deinceps 437, et obul. 50 Argenteæ monetæ reducta, eventum postea fuerit ad longe majorem summam ex ejus fructibus non solutis, in dubium revocari nequit, quin expensæ omnes judiciales, et extrajudiciales, quas Vitellius ferre debuit pro hoc credito assequendo, sint = *per causa*, *e dipendenza* = illius originarii contractus anni 1799, atque ideo omnes sint, juxta pacta tunc conventa ab Ossoliis reficiendæ.

Perperam demum omnium expensarum inter Vitellium, et Ossolios compensatio decreta fuit superius memorata Sententia Tribunalis Collegialis A. C. Anni 1820, quia perperam ab eo fructus a Vitellio postulati ad *bessem* rationem juxta interpellationem Requisitorum Castrensium, ad *quincunciem* fuerunt redacti. Quare, compensationis causa deficiente, ut superius probatum fuit, compensatio nequit admitti, atque ideo pro iis etiam expensis judicialibus, et extrajudicialibus Mandatum Vitellio in summa liquidanda concedendum est.

Et ita etc. Unica tantum etc.

ROMANA PECUNIARIA

Veneris 25 *Junii* 1822.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO XLV. -

SUMMARIUM

1. *Ad crediti solutionem judicio agens, tum in genere, tum in specie crediti subsistentiam liquido probet necesse est.*
2. *Quum alicujus rei traditio, in causam alterius contractus, peracta minime appareat, tenendum est, fuisse factam in implementum susceptae obligationis.*

   Jurata responsia ad exhibitas positiones plenam adversus ponentem probationem constituit - ibidem. -
3. *Ex juris praesumptione, ab viginti annorum temporis lapsum, quodlibet creditum extinctum existimatur.*

   Motus proprii 6 Julii 1816 *dispositio, non adversantur Urbis Statuti censurae* in Cap. 158 *contentae, ubi res sit de contractu, ante praedictum Motum proprium, inito - ibidem. -*
4. *Distinguendum est inter eum, qui nunquam se debitorem fuisse dicit, et eum, qui interrogatus, utrum revera debitor sit, actu se debitorem esse negat.*
5. *Ex simplici S. Tribunalis Rescripto* « coadjuventur probationes » *intelligitur, quod ab Actore praecipue sint coadjuvandae probationes.*

   Testes falsa deponentes, ac ad judicii opportunitatem requisiti, sunt omnino repellendi - ibidem. -
6. *In Hebraeo Negociatore nunquam praesumitur magna oscitantia, ac praesertim ubi de obligatione brevi implenda, ac de sterili credito, res sit.*

   Optima debitoris qualitas, gravissimum solutionis factae praebet argumentum - ibidem. -
7. *Si quis creditor revera fuisset, praesumi non potest, quod suo debitori, cum quo alia habuit negocia, compensationem non obtrudisset.*

DECISIO CIII.

Creditum ab Israelita Isaac Baraphæl in fratres Angelum, ac Josephum Tabanellios propositum, atque ex chirographo eductum diei 23 Martii 1789, quo Tabanellii promiserant Baraphællio *dentro il termine di Lunedì prossimo*, *e non più tardi libre sei oro in verga* =

eoque nomine scutata *bismille* in antecessum sese accepisse fassi fuerant, A. C. Triumviri rejiciendum censuerunt edita in id Sententia diei 25 Julii 1820. Obstabat siquidem agenti, nedum Statutaria sequutæ solutionis præsumptio, ob lapsum *viginti* circiter annorum, per quod omnino latuit chirographum, sed insuper ab eodem servatum de hoc asserto suo credito silentium, occasione plurium negotiorum, quæ interea temporis cum Tabanelliis habuit, ac præcipue cum de anno 1811, commeatus Gallicarum stationum Anxuris, et S. Felicis ambo conduxerant, ex qua causa plures Baraphæl Angelo Tabanellio pecuniæ quantitates persolvit, nil de supradicto suo credito mussitans, ac tandem, cum hoc expleto negotio, sese Tabanellii debitorem professus fuit in scutatis 585, et obul. 76., ad quam repræsentandam quantitatem inducias etiam triginta dierum sibi stipulavit, et creditum in chirographo contentum, nonnisi de anno 1819., ad illius summæ solutionem remorandam, objecit, ceu latius narrat a me edita Decisio diei 15 Januarii elapsi anni 1821 in hac eadem causa.

Nihilo tamen secius a supradicta Tribunalis Collegialis A. C. Sententia ad Sac. Nostrum Ordinem provocavit Baraphæl, et nuper allegata Decisio refert propositam tunc a me fuisse Dubii formulam = *An constet de credito, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.*, ac frustra comperendinationem postulante Baraphæl, Patres illico respondisse = *Negative in omnibus* = Novæ Audientiæ beneficio ab actore impetrato die 6 Maii superioris anni proposita iterum fuit causa. At, quamvis chirographum illud, cui tantum actio Baraphæl innitebatur, tanti faciendum Patribus haud videretur, ut, nullo alio ab actore adducto intentionis suæ fundamento, pervetusti debiti nomine Tabanellii damnari possent, tamen ut tutius res iterum definiretur, rescriptum edidere = *Dilata. et coadjuventur probationes* = Iterata hodie causæ disceptatione, Sacrum Ordinem, ut moris est, rogare debui = *An sit standum, vel recedendum a Decisis*, = et, cum nil, quod præsumptam Tabanelliorum favore debiti solutionem convellere posset, actor proferret, *in Decisis* standum esse Patres responderunt.

1 Namque ad crediti solutionem judicio agens, atque ideo exequutivum mandatum postulans, tum in genere, tum in specie crediti subsistentiam liquido probet necesse est, ex late deductis in *dicta mea Decisione* § 3. Itaque, cum ad opus unum proferat Baraphæl Chirographum a Tabanelliis de anno 1798 obsignatum, et cum illud sive *ob* sequutum obligationis implementum, sive ob præsumptam ex temporis lapsu summæ in eo contentæ solutionem, tantum roboris ad probandum non habeat, ut asserti crediti actualem subsistentiam demonstret, nec de credito constare, neque mandatum ullum actori esse tribuendum optime PP. censuerunt. Plura enim concurrunt, quæ ejusdem crediti sequutam suadent extinctionem. Et primum patet quidem Tabanellios ex chirographo diei 23 Martii 1798 obligationem suscepisse tradendi = *dentro il termine di Lunedì prossimo, e non più tardi libre sei oro in verga di carati diecinove per saggio di bontà al prezzo stabilito di scudi* 2 80 *il denaro* = Verum patet etiam ex univoca testium, fide dignorum, ac de facto proprio deponentium, attestatione promissores aliquid quoque vicissim præstitisse, dum Hebræo = *venderono, e consegnarono una quantità d'oro ridotto in verghe.* = Qui testes addunt sese memoria retinuisse = *che l' ultimo contratto, e respettiva consegna fatta dai detti Tabanelli al Baraffael ebbe luogo nel Mese di Giugno detto Anno* 1798.

2 Quapropter, cum prolatum Chirographum aureas tradendi laminas obligationem continens, epocham diei 23 Martii 1798 præseferat, plane muneri hinc satisfecisse Tabanellios tenendum est, cum de Mense Junio ejusdem anni 1798 Baraphæl tradiderunt = *una gran quantità d'oro in verghe.* Quæ profecto auri traditio, cum in causam alterius contractus peracta minime appareat, cumque e contra initæ per Ta-

banellios in Chirographo obligationi apprime respondeat, idcirco hujus subsequutum implementum per se sat, superque evincere potuisset, quibuslibet etiam aliis sepositis demonstrationibus. Præterea viribus adhuc stat suis Resjudicata Tribunalis A. C., qua Judices illi ideo compensationem illius nominis cum debito Hebræi in causam commeatuum Stationum Militarium denegarunt, quia extinctum jam fuisse creditum Baraphæl ex Statutaria dispositione præsumpserunt. Accedit postremo jurata Angeli Tabanelli responsio oblatis a Baraphæl positionibus, qua constanti animo asseruit sese, ac fratrem suum nullo debito erga Baraphæl tunc detineri. Quæ quidem ad exhibitas positiones jurata responsio plenam adversus Ponentem probationem constituit, atque ab ea vera uritur ipsius confessio, quæ gerit vices probationis = *Constant. ad Stat. Urb. annot.* 8 *art.* 1 *num.* 378., *Michalor. de Posit. cap.* 25 *num.* 9., *Conciol. ad Stat. Eugub. lib.* 2 *rubr.* 6 *num.* 23., *Rota Decis.* 101. *num.* 15 *par.* 2 *divers., et in Ariminen. divisionis* 2 *Februarii* 1756 § 10 *cor. Caprara.*

3 Hujusmodi autem solutionis peractæ probationes validissimis clariores fiunt argumentis. Propositum enim creditum, utpote ex Chiroqrapho die 23 Martii 1798 signato promanans, quod primum in lucem a Baraphæl editum fuit de anno 1819., per annos ita plusquam *viginti* in tenebris latuit, quin unquam per adeo longum temporis intervallum assertus Creditor de eo vel verbum quidem protulerit. Dimissum itaque jamdiu a Tabanelliis fuisse dicendum est, et ob prædictorum fratrum negligentiam tantum, illud penes Hebræum remansisse chirographum, cum ex juris præsumptione, ob tanti temporis lapsum, creditum quodlibet extinctum existimetur juxta Urbis Statuti Censuram *in cap.* 158 *de praescript.*, et nisi ab asserto creditore evidentissimis demonstretur probationibus revera extinctum non fuisse, semper præsumptio viget, sequutam reapse fuisse debiti cujuslibet solutionem, veluti ex fuse adductis *in mea citata Decis.* § 4. Qua in re, neque Motus Proprii diei 6 Julii 1816 dispositio locum sibi vindicare ullum potest, qua Statutariæ omnes præscriptiones antiquatæ sunt; quia primum, cum ab anno 1798, quo chirographum signarunt fratres Tabanellii ad annum 1816., jam *decem*, *et octo* effluxerint anni, hi ad Statutariam solutionis præsumptionem inducendam sat, superque sunt, utpote, quæ *sexdecim* tantum annos requirit, adeo ut in duobus etiam annis tempus necessarium superabundet. Deinde neque huic themati aptari posset Motus Proprii dispositio; res enim est de contractu labente anno 1798 inito, de quo idcirco, nonnisi juxta illius ævi leges judicium ferendum est.

Et perperam Baraphæl, ut eam juris præsumptionem declinet, objicit primum, ea uti Tabanellius haud posse, quia positionibus exhibitis Angelus respondens, apertis verbis negavit sese illius debitorem esse, ex quo infert præsumptionis exceptione uti non posse, qui debitum radicitus negavit, perinde ac si ea inficiatione præscriptionis exceptioni ipse valedixerit. At distinguendum hic erat inter eum, qui debitum negans nunquam se debitorem fuisse dicit, cui sane Statuti præsumptionem ex præscriptione deductam minime opitulari posse indubium est, idque præcipue constituunt Doctorum a Baraphæl prolata testimonia, et eum qui interrogatus, utrum debitor revera sit, actu se debitorem esse negat, quem compertum est nunquam præscriptionis exceptioni valedicere. Sciscitanti ergo Baraphæl die 5 Januarii 1817., num Tabanellius tunc esset = *debitore del Ponente* = ex contractu inito = *in tempo della prima invasione Francese* = si Tabanellius respondit = *non credo* = non ex hoc se numquam debitorem fuisse affirmavit, sed tantum actu se debitorem esse negavit; quapropter, quin dici possit ea negatione præscriptionis objiciendæ beneficio renunciasse, tenendum e contra est hoc vel maxime Tabanellium uti voluisse. 4

Neque ex S. Tribunalis Rescripto = *coadjuventur probationes* = illud sequi- 5

tur, quod seqni contendit Baraphæl, scilicet Patres de ea præsumptiva admittenda præscriptione Statutaria dubitasse. Namque, cum e contra propositam præsumptæ solutionis exceptionem, ex præscriptione erutam, Sacer Ordo cognovisset, atque probasset, cumque aliunde Baraphæl creditum in prædicto Chirographo contentum nunquam Tabanellios repondisse haud evinceret, ab Actore præcipue *coadjuvandas esse probationes* optime rescripserunt, ut novis, ac firmis adductis rationibus, et argumentis clare, planeque demonstrare posset Statutariam præscriptionem Judicialiter, aut extrajudicialiter quoquo modo interruptam fuisse. Quæ, cum Barapbæl ipse nosset, testes nonnullos expiscavit, qui adamussim de interrupta præscriptione testimonium dicerent. Verum testibus, ab eo in hac postrema Causæ propositione inductis, nullam esse fidem præstandam Patres censuerunt. Narrant siquidem ii, sese annis præsertim 1809, et 1810 audivisse = *alcune dispute di pagamento trà il Baraffael, ed il Tabanella Socio nel subappalto del Casermaggio di Terracina; il Tabanella voleva denari; ed il Baraffael rispondeva esser suo Creditore, e voleva compensare, ed il Tabanella diceva è creditore, e non mostra i suoi recapiti* = At = *il subappalto del Casermaggio* = nonnisi anno 1811 Baraphællium inter, et Tabanellium initum fuisset constat. Nequierant igitur testes anni 1809, et 1810, socios de credito, et compensatione ineunda garrientes audire, cum nempe nondum inceperat contractus = *del subappalto* = qui hujusmodi conquæstionibus locum præbere potuisset. Falsa itaque deponentes testes, ac ad judicii opportunitatem requisitos, omnino repellendos esse passim definivit Sacer Ordo, ac præcipuæ in *Decis.* 71 *num.* 4 *Tom.* 1 *cor. Riminald.* Eoque magis nullo in pretio babendi sunt, quia haud deponunt sese Baraphæl audivisse de credito loquentem ex ea Apocha anni 1798 promanante, sed de credito in genere, quod longe aliud esse poterat ab eo, de quo quæritur.

Manet itaque firma, ac valida præsumptio, qua, post tanti temporis lapsum solutio debiti facta inducitur, et qua cum Tabanellius fulciatur præsumptione, opus est solius Actoris Baraphæl evidenter demonstrandi reum susceptæ in Chirographo obligationi satisfecisse nunquam, ut monet *mea Decisio* § 5. Desunt vero hujusmodi probationes, quin imo alia præsto sunt Argumenta, quæ Statuti præsumptioni multum roboris addunt. Promiserat Tabanellius, juxta conventionem in Chirographo initam, Barapbæl tradere = *sei verghe d' oro non più tardi di Lunedì prossimo* =. Hebræus autem, cujus intererat die dicta Tabanellium urgere, ut laminas illas traderet, sivit e contra viginti fere annos præterire, quin adeo expeditam obligationem debitor impleret. Cum vero tanta in Hæbreo negociatore oscitantia, maxime cum de conspicua summa scutorum *bismille* res esset, ex jure nullimode præsumi possit, id e contra dicendum scriptæ obligationi satisfecisse Tabanellium, ut recte quoad obligationem brevi implendam, ac sterile creditum, quo Hebræus polleat, animadvertit *mea Decis* § 5. Inverisimillimum namque, ac pene impossibile est eumdem Hebræum Negociatorem per tantum temporis obligationis implementum minime postulasse præcipue cum nullum ex ea pecunia penes Tabanellium permanente fructum sperare posset, dum e contra si, ut eidem jus fuisset, Tabanellium ad illam summam solvendam coegisset, eam facile frugiferam reddere potuisset. Cæterum sæpe ultro eidem sese obtulit occasio crediti, si quod habebat, solutionem ab asserto debitore assequendi, ac præsertim, cum cætera inter negotia, cum Tabanellio anno 1811 contractum iniit super Gallicarum Stationum commeatibus. Anxuris, et S. Felicis; quod satis ostendit quanta fide, et quantis polleret facultatibus Tabanellius. Nisi enim bonestum, ac satis pecuniosum virum novisset Barapbael, novos certe contractus cum eo inire recusasset. Quæ profecto optima Debitoris qualitas gravissimum solutionis 6

factæ praebet Argumentum, ut docet cit. *mea Decis.* § 5.

7 At Tabanellios debitores ad solutionem adigere se nequisse regerit Baraphael, quia testibus innixus, ait eorum alterum clausula Aurificina ab Urbe discessisse *senza, che alcuno sapesse dove si fosse portato* = quam bistoriam ad alterum etiam fratrem iidem testes extendunt. Verum Baraphael, ejusque testes, dum hæc narrant a vero aberrant. Non solum enim, dum Romae permanserunt Tabanelli ex Parochi, aliorumque testium fide novimus semper fuisse = *ambedue onesti, esatti, e puntuali nell' adempimento delle loro obbligazioni* = Verum insuper de Angelo præcipue scimus ab Urbe discessisse se = *come impiegato Camerale nell'* 1806., *et Anxurem* sese contulisse, ibique notum palam, ac publice fuisse, et etiam ob ejus probitatem obtinuisse munera » *di Ricevitore, e Cassiere di sali, e tabacchi, inoltre Cassiere Camerale delle buonificazioni Pontine*. Notum igitur domicilium, nota utriusque Fratris commoratio, quæ omnia sane Baraphael etiam optime noverat. Profecto si is creditor revera fuisset in vim Chirographi diei 23 Martii 1798, tunc certe tempus advenisset, quo ab assertis debitoribus compensationem, aut solutionem consequi potuisset, cum tot negocia cum iis habuit. De asserto itaque Baraphael credito nullimode constat, et ex debitoris negligentia bujus Chirographum penes illum remansisse dicendum est: hinc nullum inexistentis crediti nomine mandatum Actori tribui potuit, sicuti statuit Decisio, quæ confirmatur.

Et ita etc. Utraque etc.

ROMANA PECUNIARIA

Veneris 22 *Novembris* 1822.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur « DECISIO CII. »

SUMMARIUM

1. *Sententia, quae ad trutinam revocatur, in ea parte, quae justa dignoscitur, confirmari oportet*
2. *Ubi solemnes Tabulae prostrant, nequit dubitari de crediti veritate, et existentia.*
3. *Si debitum praeexistit Instrumenti confectioni, non ob id, quod corruit Instrumentum, evanuit creditum.*
4. *Liquidum cum sit creditum, frugiferum statim effici potest, per legitimam Castrensium requisitorum interpellationem.*

   Ubi Usurae liquidae facta sint, et in Caput redactae, fructus legitime pariunt per Interpellationem Castrensium, atque anathocismi censura exulat - ibidem. -
5. *Judicis Arbitrium in Usurarum taxatione locum obtinet, dum constat eas in genere deberi, et in specie non apparet ad quam mensuram sint reducendae.*
6. *Quantum mihi abest, quantumque lucrari potui, constituit id quod interest.*
7. *Ubi Usurae ex jure, et non ex contractu exigi possunt, legalem taxam, sive rationem quincuncem haud possunt excedere.*
8. *Usurarum modus ex more Regionis, ubi contractum est constituitur.*
9. *Ubi expressum pactum adest, reficiendae sunt expensae, tam judiciales, quam extrajudiciales.*

DECISIO CIV.

Solemnibus tabulis, die 25 Maii 1813 scriptis, Marchiones Antonius ac Philippus fratres de Ossoliis sese erga Josephum Vitellium teneri declararunt debito ad Scuta 860 et obul. 62 adscendente, quod manans e collybo cum prædicto Vitellio ab ipsorum fratrum parente, ab anno usque 1799 bujus Collybi fructibus, aliisque nominibus expensis præsertim, quibus debitorum mora caussam dederat, pluribus jam fuerat rebus judicatis Gallici Primarum Actionum Tribunalis, in Urbe sedentis, confirmatum, et ad vitandam subbastationem domesticæ ipsorum suppellectilis, pro eo credito a Vitellio sub prætorio pignore positæ, illius particulatim solvendi, per cessionem pensionum domus, prope Nummulariam S. Spiritus sitæ in annuis scutis 108 a facile creditore veniam impetrarunt, ea tamen sub lege, quia illæ pensiones ab aliis Creditoribus sequestres fuerant factæ, quod = *Li detti Fratelli Ossoli siano tenuti fra il tempo, e termine di un mese da oggi decorrendo togliere, e levare li detti sequestri, al-*

trimenti scorso il qual termine, ed esistendo tutti i sequestri, sia, e s'intenda per non accordata la detta dilazione al pagamento sudetto = Verum hujusce conditionis implemento ab Ossolis neglecto; induciarum resolutionem a prædicto Tribunali Primarum Actionum Vitellius obtinuit, ac Sententiam pro eo Istam probavit Consilium Rotale in *Romana Resolutioni. Contractus* 9 *Septembris* 1814, *ac S. N. Ordo in confirmatoria* 16 *Januarii* 1815 *cor. R. P. D. meo Serlupi nunc Rmo Decano.* Interim vero Creditor, nempe die 17 Junii 1814 integrum illud Creditum in Scutis 860 62 ad liquidum perductum, proxenetarum testimonio ad acta coram Judice provisorio A. C. allato ac Castrensibus requisitis rite Ossoliis nunciatis, frugiferum effecit, ad *bessem*, tum temporis receptissimam usuram.

Anno postea 1818 ad suum egit assequendum creditum, præcedentium rerum judicatarum exequutionem postulans, ac die 30 Decembris illius anni a Tribunali Collegiali A. C. Mandatum obtinuit in scutis 1315 98 ½ compræhendens illius debiti caput, usurasque decursas usque ad diem interpellationis superius relatæ requisitorum Castrensium, nempe 17 Junii 1814 ac expensas; quo mandato exequutioni commisso super prædicta Ossoliorum domo ad Nummulariam S. Spiritus, posita hæc sub basta fuit, atque deliberata erga Advocatum Vincentium Amici pretio Scutor 2500 quæ sub deposito fuere relicta. Sed, cum alii Creditores super eo pretio concurrerent, ideo ab Juridico A. C. Collegio graduatoria Sententia lata fuit die 22 Martii anni 1820; qua Vitellio quarta fuit sedes tributa quoad Scuta 1032. 35, sexta vero quoad prædictam usque summam scutor. 1315 98 ½. At nil aliud ipse, ab anterioribus Creditoribus victus, exigere potuit, quam scuta 675 86 ei die 12 Maii illius anni a publico depositario tradita; ex quo Ossoliorum Creditor remansit in scutis 640 12 ½.

Oportuit itaque, ut ipse facultatem a R. P. D. Auditore SSmi impetraret pro iterum adeundo A. C. Tribunali ad effectum assequendi omnimodam sui Crediti satisfactionem; eaque obtenta, coram illius Tribunali Triumviris postulavit adversus Ossolios, præter solutionem prædictæ summæ scut. 640 12½ atque scutorum 17 52 ½ pro expensis binorum Mandatorum de consignando, usuras etiam capitis scut. 860 62 quot die 25 Maii anni 1813, ei sese debere ad eam diem Ossolii per solemnes tabulas ut vidimus, declaraverant, usque a die 17 Junii 1814, qua ipse Castrensia requisita interpellavit, ad diem 12 Maii 1820. quo scuta 675 86 in sui crediti imminutionem recepit, atque ad *bessem* mensuram juxta prædictam interpellationem, usuras enim anteriores compræhenderat superius relatum Mandatum in Scutis 1315 98 ½. Hoc idcirco nomine alia petiit scuta 406 41 atque in totum scuta 1064 06, ac præterea institit pro refectione omnium expensarum etiam extrajudicialium.

Hanc Vitellii postulationem, Sententia edita die 19 Decembris 1820, vadimonium obeunte Philippo Ossolio, illudque deserente R. P. D. Trevisani, Antonii Oeconomo, probarunt ii Judices quoad Scuta 957 65 pro prædicti Crediti residuo, et Mandatorum expensis; sed quoad usuras, ad rationem *quincuncem*, secundum legalem taxam, eas redegerunt, unaque simul expensarum compensationem inter partes decreverunt. Ab universa hac Sententia provocavit Marchio Philippus: provocavit etiam Vitellius, sed ab ea tantum parte, quæ usurarum modum depressit, ac expensarum compensationem mandavit. Actum itaque fuit de Caussæ definitione apud S. N. Ordinem in Comitiis diei 17 Maii hujusce anni, et silentibus Ossoliis, proposito a me dubio = *An, et in qua summa constet de Creditis, et quomodo sit locus refectioni expensarum itaut sit relaxandum Mandatum in casu etc.* = Responsum datum fuit = *Affirmative et constare de credito Scutor.* 1064. 06 *et esse locum refectioni expensarum etiam extrajudicialium, et esse relaxandum Man-*

datum =, uti pandit Decisio ad eam diem per me edita. Hujusce resolutionis justitiam agnovit Marchio Philippus; nam mense Julio hujusce anni pro parte ad ipsum spectante debitum erga Vitellium fere in totum exsolvit, *quingentis* repensis scutis. At R. P. D. Trevisani, Marchionis Antonii Oeconomus novæ Audientiæ beneficium a prædicta Decisione assequi curavit. Nil vero Antonio hoc obtinuisse profuit. Hodie namque rogati a me Patres = *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.* = in Partium certamine perstiterunt = *In Decisis* =.

1 Perspicuum siquidem Patres habuerunt Vitelli creditum quoad scuta 640 12 ½, quæ residua sunt capitis scutor. 1315 98 ½ Decreto Juridici Conventus A. C. diei 30 Decembris anni 1818 constituti, et quoad scuta 17. 52 ½ pro expensis Mandatorum de consignando, quas Vitellius ferre debuit, ut in partialem solutionem prædictæ summæ scutor. 1315 98, e pretio domus Advocato Amicio deliberatæ, scuta assequi posset 675: 86, quæ die 12 Maii 1820 publicus depositarius ei tradidit. Judices quippe A. C. superius relato Decreto debitam exeunte anno 1818. Vitellio dixerunt eam scutor. 1315: 98 ½ vim, quia illam constare viderunt pluribus partitis, rebus judicatis probatis; hoc itaque Vitellii creditum de eo tempore existens in dubium revocari nequit; atque id, receptis postea per Vitellium scutis 675: 86 reliquum mansisse in scutis 640: 12: ½ illico dignoscitur. Hisce addendae sunt expensae prædictorum Mandatorum in scutis 17: 52: ½, quae in controversiam haud adducuntur. Patens est ergo creditum Vitellii ex hisce duobus nominibus in scutis 657: 65, et rite illud Tribunal Collegiale in hac quantitate probavit Sententia, quæ ad trutinam revocatur, quæve in hac parte justissima dignoscitur.

2 At merito Patres hanc Sententiam semel iterumve reprobandam censuerunt in altera ejus parte, qua usuras capitis scutor. 860: 62 quot Ossolii die 25 Maii 1813. Vitellio sese debere, omnibus dispunctis rationibus, per solemnes tabulas declararunt, ad *quincuncem* mensuram Vitellio solvendas esse constituit, quamvis hic rite die 17 Junii 1814. Castriensia requisita Ossoliis nunciasset ad rationem *bessem*, et jure ad hanc rationem illius summæ fructus postulasset, ab ea die interpellationis prædictorum Requisitorum ad diem 12 Maii 1820, qua a publico Depositario scuta habuit 675: 86 in sui crediti imminutionem, nempe per annos *quinque* et menses fere *undecim* per quod temporis spatium *octunces* illi fructus vim conficiebant scutor. 406: 41 *Tria* enim sunt quæ hanc Vitellii postulationem Juri omnino consónam demonstrant. *Primum* quod certissimum est illud scutor. 860: 62. Vitellii creditum: *alterum*, quod hoc creditum fructibus gignendis par erat: tertium quod fructuum modus, nec Judicis arbitrio, nec juxta taxam legalem constitui potest, dum lex id non imperat, et dum constat quid creditoris interfuerit pecunia sibi debita caruisse. Et sane quoad *primum*, nempe illius crediti veritatem, et existentiam, de hac dubitare non sinunt solemnes tabulæ diei 25. Maii 1813., e quibus patet quod » *I Signori Fratelli Ossoli hanno esposto, e narrato essere liquidi debitori del Signr Giuseppe Vitelli della somma di scudi romani* 847: 93 », et quod, additis quibusdam aliis partitis *l' intero debito dei medesimi ascende, e resta fissato, e liquidato in sc.* 860: 62.

Quin rem mutet illud Instrumentum 3 diei 25 Maii 1813 rescissum fuisse per remjudicatam, ipso urgente Vitellio, ex quo dicendum sit prædictum creditum evanuisse. Non etenim eo in Instrumento actum fuit de aliquo creando Vitellii in Ossolios credito; sed illius tabulæ nil aliud præseferunt, quam dispunctionem rationum Ossolios inter et Vitellium, eorumque declarationem quod ex præexistentibus caussis ipsi Vitellio debebant prædictam summam scutor. 860: 62. Quamvis itaque illud corruerit Instrumentum, non ideo corruit ea debiti declaratio; non ideo evanuerunt illius præexistentes caussæ. Et quidem Vitellii illud creditum

suam præcipue originem ducebat ex Instrumento collybi anno 1799 ab Josepho prædictorum Marchionum parente, ac tutore erga eum contracti; ex hujus fructibus ad quos rependendos ipsi fuerant pluribus rebus judicatis damnati; atque ab expensis judicialiter jam liquidatis. Præterea eam tantum ob caussam scriptum fuit posterius anni 1813 Instrumentum, ut Ossolii inducias assequerentur a Vitellio, atque facultatem dimittendi illud præexistens debitum, eo Instrumento confirmatum, particulatim per cessionem annuarum pensionum scutor. 108 domus ad Nummulariam S. Spiritus, resolutiva adjecta conditione, ut induciæ evanescerent, si intra mensis spatium remota haud fuissent sequestra ab aliis creditoribus super iis pensionibus apposita. Hac igitur resolutiva conditione per Ossolios haud impleta, induciarum resolutionem Vitellius petiit, et Instrumentum quoad has inducias inefficax declarari curavit; sed omnia in eo, præter has inducias, contenta, et solemnis per Ossolios ipsorum debiti confirmatio in suo robore manserunt. Accedit hisce omnibus quod Ossolii Vitellii creditum in tot judiciis ab eo actis, ad illud assequendum, numquam oppugnarunt, resoluta quamvis ea anni 1813. conventione; ex quo crediti veritas, et existentia inculentissime evincitur, omnisque de ea dubietas prorsus eliminatur, uti pluribus adductis auctoritatibus, præcedens ponderat *Decisio* § 6 *et* 7.

4 Aperta igitur est prædicti sc. 860: 62 veritas, ac existentia. Nec minus perspicuum *alterum* resolutionis S. Ordinis fundamentum, quod nempe creditum illud fructibus gignendis par erat. Liquidum enim cum esset, et illico repeti a Vitellio posset, licebat profecto ei frugiferum illud efficere per interpellationem Castriensium requisitorum, vel alia quavis legitima ratione Extranea vero a themate est censura *legis* 28 *Codicis de Usuris*, quæ usurarum usuras exigi vetat, quamve obiicit Antonius Ossolius, quia creditum illud constitisse declaratum fuit in tabulis anni 1813, ne dum ex capite collybi, sed etiam ex hujusce usuris non solutas, ex expensis judicialiter liquidatis, et aliis nominibus, quæ omnia, capite excepto, infrugifera erant. Hæc enim omnia nomina, cum ad liquidum perducta fuissent, atque ideo in sortem redacta, fructus parere poterant, atque *anathocismi* censura, quæ obtinet dum ab initio contractus usuræ usurarum conventæ dignoscuntur, exulat omnino, cum eæ, uti in themate, decursæ et non solutæ, liquidæ factæ sint, et in caput redactæ; hoc enim in casu eorum fructus, uti ex nova radice producti, licite, ac valide obtineri possunt, sicuti docent *Leotard. de usuris quaest.* 5 *num.* 14 *et seqq. Mastrill. decis.* 144. *num.* 8. *Christin. decis.* 49 *numer.* 10. *Crivell. decis. Roland.* 103 *num.* 10 *De Franch. decis.* 254 *num.* 15 *et firmat Rot. decis.* 583. *num.* 5. *coram Ansald. decis.* 367 *num.* 3 *part.* 3. *Recen. et in Assisien. Legati super fructibus* 3 *Julii* 1747 §. 2 *coram Canilliac. in Interamnen. Pecuniaria* 5 *Julii* 1762. §. 8. *coram Riminald.*, *et in confirmatoria* 21 *Martii* 1764 § 16 *coram Eodem.*

5 Hæc et ipsi A. C. Juridici agnoverunt, qui ideo prædicti crediti fructus Vitellio tribuerunt a die interpellationis requisitorum Castrensium, sed in eo peccarunt, quod illorum mensuram ex arbitrio, et juxta legalem taxam constituerunt ad rationem *quincuncem*, rejecta ratione *bessis*, ad quam Castrensia requisita fuerunt a Vitellio rite Ossoliis nunciata. Hæc etenim *bessis* ratio ab ipsis probanda erat, dum nulla Lex secus imperabat, ac Vitellius legitime evicerat quid ejus interfuerat pecuniam ei ab Ossoliis debitam haud fuisse solutam, dum hanc petiit, uti petere poterat, quod *tertio loco* Patres animadverterunt. Judicis quippe arbitrium in usurarum taxatione locum obtinet, dum constet eas in *genere* deberi, at in *specie* non apparet ad quam mensuram illas percipere potuisset Creditor, si pecuniam a debitore recepisset. Quoties vero id Creditor demonstret, nil ei e lucro, quod

ab ea pecunia assequi poterat, detrahi debet, et Judicis exulat arbitrium, quod numquam *admittitur*, *quatenus cujus intersit in facto non in jure consistit*, quæ verba sunt *Pauli in leg.* 24 *ff de regulis juris*, sicuti pluribus innixa Doctorum traditis, et Tribunalium Sententiis præcedens firmat *Decisio* § 8 9.

6 Cum itaque Vitellius, Proxenetarum allato testimonio, docuerit sese illam pecuniam ad *bessem* usuram collocare potuisse, et hujusmodi testimoniis quoad paratam investiendæ pecuniæ occasionem deferendum omnino sit, ut statuit *Rota in Romana Fructuum Dotis* 12 *Decembris* 1806 § 8 *coram Reverendissimo P. D. meo Serlupi nunc S. R. Decano*, ac probant Auctoritates in præcedenti *Decisione* § 9 allatæ, ex debitorum facto ei abfuisse dicendum est hanc *bessem* usuram; et cum = *quantum mihi abest*, *quantumque lucrari potui* = adamussim constituat = *id quod interest* = per *leg. fideicommiss. ff rem rat. hab. et leg. similiter* 21 *ff de act. ter. quot. leg. generaliter ff de regul. juris, et leg.* 2 § *ult. ff de eo quod certo loc.*, plane consequitur quod ei ab Ossoliis hæc *bessis* usura in damni passi sarcitionem præstanda sit, sicuti statuit præterita *Decis.* § 10 auctoritatibus ibi relatis suffulta. Numquam enim reficitur creditor de eo omni, quod patitur jacturæ, nisi illi præstetur quidquid damni emergentis, vel lucri cessantis caussa deterius effecit illius patrimonium ad *Text. in leg.* 3 *ff de damn. infect. ac per Rota passim, et præsertim in Romana damnorum, et interesse* 5 *Julii* 1784 § 6 *coram Lancellotto, et in Anagnina prætensae manutentionis super damnis* 27 *Junii* 1791 § 2 *coram Despuig. et in Romano Cambii quoad fructus* 22 *Junii* 1818 § 4 *coram R. P. D. meo Tiberi*; qua in Decisione Sac. Tribunal, nullo in pretio habita legali taxa, probavit in Collybo, cujus restitutionis dies venerat, usurarum duplicationem, ad tramites interpellationis requisitorum Castrensium, supra earum modum in illius collybi contractu constitutum.

Perperam vero Antonius Ossolius 7
nonnullas obiicit S. N. Ordinis Decisiones, quibus constitutum fuit fructus a Creditore exigi haud potuisse præter *quincuncem* mensuram, quamvis ipse ad ampliorem rationem Castrensia requisita debitori nunciaverit. Id enim factum fuit in casibus, in quibus aliqua Lex usurarum modum præscribebat, atque hæ ex lege non ex pacto erant debitæ. Et sane objectæ Decisiones in *Romana fructuum dotis* 12 *Novembris* 1806 *coram Reverendissimo P. D. meo Serlupi nunc Decano S. R.*, in *Confirmatoria* 11 *Januarii* 1808 *coram Guardoqui in Romana Dotis, et lucri super fructibus* 12 *Januarii* 1807 *coram R. P. D. meo Isoard*, aliæque quæ referri possent præsertim in *Romana Dotis, et fructuum* 27 *Junii* 1817 *coram R. P. D. meo Bussi*, agunt de fructibus dotis, quos Mulier ope interpellationis Requisitorum Castrensium exigere contendebat ad rationem *quincunce* graviorem, atque in hisce casibus, cum extaret Innocentiana Constitutio, quæ certum quoad eos fructus præscribit modum, *trientem* nempe in Urbe, *quincuncem* extra Urbem, mediam tenere placuit viam, illorumque fructuum taxationem legi accomodare. Posthabita etiam fuit Requisitorum Castrensium interpellatio quoad usurarum modum in alio themate, eo nempe quo de fructibus agebatur juxta Gallorum leges conventis, quasve notissima Pontificia Lex diei 27 Junii 1814 post publicas res feliciter restitutus, haud amplius deberi constituit, nisi creditum per legitimam interpellationem Requisitorum illorum frugiferum efficeretur. Sed decidendi ratio in eo stetit, quod Lex permisit Creditoribus usurarum perceptionem, antea illicitam, per eam interpellationem licitam reddere; ex jure itaque et Lege, non ex contractu usuræ exigi potuerunt, et ideo legalem taxam, sive rationem *quincuncem* haud potuerunt excedere, uti statuit præsertim S. N. Ordinis Decisio in *Romana Pecuniaria super fructibus* 7 *Decembris* 1821 *coram R. P. D. meo*

Bussi. Aliis vero in casibus amplior *quincunci* usurarum mensura fuit semper admissa juxta requisitorum Castrensium interpellationem, ne illud absurdi oriretur, quod debitor moras necteret in debiti solutione, et interea nummos fænore, utiliori modo, poneret, et ita, pendente judicio, summa cum creditoris jactura locupletaretur.

8 Accedit etiam, ut *bessis* illa usura Vitellio addicatur, potissima animadversio, quod ea ratio non gravis, sed mitis potius dicenda sit, habito respectu ad tempus, quo ipse Castrensia interpellavit requisita, diem nempe 17 Junii 1814, cum, vix occupatoribus expulsis, rarissima adhuc erat pecunia, et innumeræ opportunitates eam collocandi ad longe majus fænus. Cum vero = *usurarum modum ex more Regionis, ubi contractum est constituatur* = sicuti ait Papinianus in *leg.* 1 *ff de usuris* ideo graviores etiam usuræ, *dextantes* scilicet, amplioresque probatæ sæpissime a Sacro Nostro Auditorio fuere, uti testantur Decisiones in *Romana*, *seu Florentina Fructuum Censuum* 2 *Junii* 1815 § 7 *coram Reverendissimo P. D. meo Serlupi Decano*; *in Romana Pecuniaria* 7 *Februarii* 1817 § *fin. coram Eodem*; *in Imolen. Pecuniaria* 21 *Junii coram bo. me. Zinanni*; *in Romana Pecuniaria* 1 *Februarii* 1819 *coram R. P. D. meo Martinez* § 8, *in Confirmatoria ejusdem anni* § 6 *coram Eodem*; *in Cæsenaten. Pecuniaria* 6 *Julii* 1820 § *coram Eodem*; *et in Romana seu Tyburtina Cambii* 9 *Maii* 1821 § 14 *et seq. coram Me.* Omnia itaque concurrunt ad evincendam justitiam actionis Vitellii pro assequendo super ejus sæpius memorato credito scut. 860 62 *bessem* usuram a die 17 Junii 1817 ad diem 12 Maii 1820; itaque ideo repetendo ab Ossoliis, hoc nomine scuta 406 41, quæ juncta scutis 657 65, ei ut superius demonstratum fuit, debitis, integrum ejus creditum conficiunt in scutis 1064 06, quot ei S. N. Tribunal addixit, et pro quibus ejus favore mandatum esse relaxandum constituit. Rem vero nil mutat solutio scutorum 500 a Philippo Ossolio altero e debitoribus, qui a lite recessit, expleta mense Julio hujusce anni in prædicti crediti caussam. Non enim videndum est quid nunc Vitellio eo nomine debeatur; sed quid ei erat debitum, cum exeunte anno 1820 pro ea summa judicium instituit coram Tribunali Collegiali A. C., et quid ei erat ab hoc Tribunali addicendum. Si crediti partem novissime exigere potuit, reliquum tantum ei erit solvendum.

9 Cum constet ex huc usque deductis A. C. Triumviros injuria rejecisse Vitellii actionem quoad *besses* usuras, hasce ad *quincuncem* rationem cohibentes, consequitur exinde injuria etiam ipsos decrevisse inter Vitellium, et Ossolios expensarum compensationem; hæ namque omnes ab Ossoliis ferendæ sunt, cum omni prorsus jure destituti Vitellii postulationi usquequaque probandæ restiterint. In expensarum vero refectione per Ossolios debita, extrajudiciales etiam comprehendendæ sunt, quia Vitellii creditum, omnesque actiones ab eo adversus Ossolios institutæ originem ducunt ex contractu Collybi anni 1799 quo conventum fuit cum Ossoliorum Patre, ac Auctore = *che a carico del detto Ossoli restino, e restar debbano tutte, e singole spese tanto giudiziali, che stragiudiziali, inclusivamente alle altre di Procuratore, e di Avvocato, che in qualunque modo occorressero al detto Vitelli per causa del presente contratto, e sue dipendenze* = Huic pacto nil detrahere potuit Instrumentum 25 Maii 1813 quo, dispunctis rationibus, et fructubus non solutis illius crediti computatis, declarata tantum fuit quantitas, eo nomine, tum Vitellio debita, et induciæ Ossoliis concessæ cum superius relata resolutiva conditione. Quamobrem, si Ossolii promissa haud impleverunt, et tot Vitellius judicio instituere debuit ad suum creditum, hujusque fructus assequendos, palam est omnes expensas, quas ferre debuit, fuisse = *per causa, e dipendensa* = illius originarii contractus anni 1799 atque ideo omnes, ullo absque discri-

mine inter *judiciales, et extrajudiciales*, ei esse, juxta eam conventionem reficiendas, sicuti præcedens statuit § 12 et 13 Decisio, quæ confirmatur.

Et ita etc. Utraque etc.

ROMANA PRAELATIONIS

Veneris 8 *Martii* 1822.

ARGUMENTUM

Qui pollet jure pacti redimendi, habet praelationem adversus quoscumque emptores ut vero hoc jus recte exerceat, debet declarationem praelationis emittere intra Mensem, a quo sibi emptio venditio denunciata fuit.

SUMMARIUM

1. *Si Pontifex impertitus fuit Administratori facultatem vendendi, invito domino, non ex eo consequitur, posse Administratorem, inscio domino, pactum redimendi distrahere.*
2. *Pontificia Auctoritas ad unum venditionis casum cohibita, nefas esset illam porrigere ad omnes alias alienationes.*
3. *In generali mandato, quo Procuratori committitur* - potere fare tutto altro, che potrebbe fare lo stesso Costituente - *suapte vi continetur, quidquid in expresso mandato desideraretur.*
4. *Si quid minus valide a Procuratore factum fuerit, subsequens ratihabitio mandantis, ad actum ipsum antea gestum retrotrahitur.*
5. *Retroactio, cum referatur per modum verum et non fictum ad voluntatem antecedentem, jus etiam quaesitum alteri aufert.*
   Ex eo solum praesumitur mandatum, ex quo res a mandatario deducuntur, quarum notitiam non ab alio habere poterat, nisi a Mandante - ibidem. -
6. *Qui rem emit subjectam pacto redimendi, denunciare debet contractum illi, qui praelatione gaudet.*
   Ac qui pactum redimendi exercere vult, debet post acceptam denunciationem, declarare intra mensem suam voluntatem - ibidem. -
7. *Dies termini, in Stipulationibus non computatur in termino.*
8. *Quaelibet satis levissima causa sat est ad caducitatis paenam tollendam.*
9. *Praelationem petens, cum succedat in locum emptoris, a conditionibus in primo contractu stipulatis, recedere nequit.*
10. *Recte oblationi petitioni adjicitur conditio, quod pretium solvendum cedere debent in nominum extinctionem, si consentanea est haec conditio Pontificio Chirographo.*
11. *Oblatio aemulativa, ne excessiva, sperni omnino debet.*
12. *Compensatio solutionis locum obtinet, cum creditum, et debitum aeque liquidum, et certum inter easdem personas concurrat.*
13. *Omnis quaestio circa oblationis declarationem excluditur, ubi offerens professus fuerit praelationem obtinere velle quovis in casu* - coi patti e condizioni opposte nell'offerta medesima. - *ibidem. -*

DECISIO CV.

Dum nupsit Viro Principi, Joanni Carolo ab Auria Evoli, unica filia Philippi Agapyti Grillo e Ducibus Mondragonis modo vita functi, dotem a Patre accepit Ducatorum Regni *sexaginta millium* intra sexennium solvendam; ac ad creditoris securitatem, Pater ipse bona omnia tam Romæ, quam Neapolis hypothecæ subjecit. Sed interim, declinata opulentissimi Patrimonii fortuna, et electo ex Rescripto Sacratissimi Principis in Administratorem Patrimonii Ducis Agapyti Reverendissimo Præsule Carolo Alessi, de dimittendo ære alieno consilium initum est. Hanc in rem fundis nonnullis, qui extant in Territorio Anguillariæ, venum expositis, cum nemo pretium obtulisset, ipse Dux Joannes Carolus pluribus sub conditionibus emptioni venditioni prædiorum consensit, quæ jam *scutis* 29821. 85 Peritus Geometer æstimaverat. At impar erat hæc summa urgentioribus nominibus extinguendis; ideoque alia argentea *quinque millia quingenta octuaginta*, convento Collybo, ultra pretium præstitutum Dux emptor exhibuit. Sic pactum probavit, ut fundos intra annum redimendi venditori jus esset, quamvis ex hoc nulla valoris bonorum assueta imminutio facta fuisset, illudque permisit in extraneos libere transferri a Mondragonio posse, et tantum in hoc casu sartum, tectumque sibi reliquit jus prælationis inter cæteros obtinendæ.

Ita, emptione venditione composita, consensus deficiebat Ducis Agapyti: ne-

que enim eo usque progrediebantur Administratoris facultates, ut posset absque domini censensu prædia distrahere. Detrectabat tamen, licet in utilissimo negocio, Dux Agapytus petitam approbationem; cum, minitantibus interea creditoribus pene exhausti Patrimonii ruinam, opus fuit Supremum Principem adire, qui, post quæsitum, atque auditum Primi Collateralis Capitolinæ Curiæ Votum, etiam non consentiente, ac invito domino, contractum auctoravit. In vim itaque Pontificii Chirographi publicæ stipulatæ fuere tabulæ die 23 Decembris anni 1818; pretiique jam antea conventi pars una cessit in dimissionem creditorum, pars altera apud Argentarium deposita; pro reliqua demum parte nomen in annuis scutis *bis mille quingentis* Dux Joannes Carolus extinguendum assumpsit. Inter cætera pacta, et illud cautum, ut intra annum Dux Agapytus jure redimendi uti posset, eique liceret hoc in alios transferre, ea sub lege = *che debba notificarlo al compratore Signor Duca D'Evoli, concedendosi al detto il termine di un mese per deliberare, se gli convenga l'accettazione della prelazione.*

Tam in exitu ferme erat annus a die initi contractus, cum extemplo Procuratori Ducis Evolii, Romæ constituto, sub die 15 Decembris anni 1819 ab Apparitore nunciatum fuit, Ducem Torlonia oblationem exhibuisse ad emptionem prædicti juris redimendi, quæ præter pretium ab Evolio solutum, alia scuta *quindecim millia* continebat. Nunciata hinc etiam fuit tam Procuratori Ducis Evolii Romæ die 16 Decembris prædicti, quam ipsi Evolio Neapolis, die 21 ejusdem mensis, ejus oblationis ab Administratore facta approbatio, cui ipse duas adjecerat conditiones, dummodo scilicet, *vel* Dux Evolius prælatione reservata uti nollet, *vel* ipse Dux Agapytus jus illud redimendi in alios non translulisset. Tunc idem Procurator Ducis Evolii die 14 Januarii 1820 Romæ declarationem in actis emisit de prælatione obtinenda, aliquibus quidem juribus reservatis, sed hisce, conceptis verbis, adjectis = *senza che una tale riserva possa alterare la prelazione dovuta, e dichiarata come sopra, la quale dovrà avere effetto, in qualunque siasi caso, senz'eccezione veruna* =, idemque egit sub eadem die 14 Januarii Neapolis Evolius qui, etiam distincto, ac separato libello ea omnia, quæ Romæ gesserat Procurator, rata iterum die 17 ejusdem mensis habuit, et approbavit. Sed turbas moverunt tam Torlonius, quam Administrator, ideoque a Duce Evolio actione pro stipulatione Instrumenti emptionis pacti redimendi instituta, res ei primum male cessit; nam Sententia Juridici Collegii A. C. Instrumenti stipulationem Torlonio permisit. Delata hinc ad S. N. Ordinem controversia, cum die 6 Julii superioris anni Patribus proposuerim Dubium = *An, et quomodo, et cujus favore sit locus stipulationi Instrumenti in casu etc.* =, licet tunc scissa fuerint eorum suffragia, accitis hodie tamen ad judicandum *Quinto, et Sexto*, Responsum habui = *Affirmative in omnibus favore Ducis Joannis Caroli* =.

Et optimo quidem jure: Cum enim 1
tam in Pontificio Chirographo, quod emptionem venditionem præcessit, quam in posteriori Instrumento uni Duci Mondragonio jus redimendi fuerit servatum, eique permissum, ut hoc in alios etiam transferret, data tamen Evolio prælatione paribus conditionibus, nulla subest ratio, cur inaudito, ac ignaro Mondragonio, licitum fuisse dicatur Torlonio, perinde ac si de fundis ageretur præconis voci subjectis, emptionem offerre, ac licitum identidem administratori fuisse oblationem probare, quin potior in eadem emptione Evolius habeatur. Nam neque ea facultate potiebatur Administrator, neque capite diminutus dicendus erat Agapytus, ut liberum esset absque ejus assensu de ejusdem bonis disponere. Hæc ipsa ratio Administratorem antea impulerat ad Pontificis Sanctionem implorandam in bonorum venditione, quia non assentiebatur Agapytus. Sed, emptione venditione semel expleta, cessavit statim Administratoris arbitrium, neque ex eo quod impertitus fuerat Pontifex venden-

di facultatem, invito domino, recte inferretur, potuisse etiam Administratorem redimendi pactum distrahere haud consentiente, immo prorsus insciente Mondragonio. Alienum enim id esset non solum a mente Pontificis, sed etiam a voluntate contrahentium, qui Duci Agapyto reliquerant jus intra annum redimendi, quod sane fuisset inutile, si eo jure uti non potuisset.

2 Ex duabus causis auctoraverat Pontifex, invito domino, venditionem, *tum* quia id certe postulabant exhaustæ Patrimonii vires; *tum* quia bona ipsa non ad extraneos perveniebant, sed ad ipsum Generum venditoris. Evanuerat autem utraque causa, semelac ex numerata ab Evolio pecunia urgentiora nomina fuerant dimissa, atque unica Agapyti filia, ejusque Gener domesticis prædiis expoliabantur: Si ergo uti poterat Agapytus jure redimendi; si nunquam declaravit se eo uti nolle, neque illud distraxit, neque Torlonii oblationem ratam habuit; non aliter sane potuisset Administrator pronis auribus excipere Torlonii oblationem, quam si nova accessisset Pontificis auctoritas, quæ Mondragonium, ut antea fecerat ad hanc venditionem coegisset. Auctoritate vero Pontificia deficiente, ab æquitate, et justitia devium esset alienam rem absque domini consensu distrahere, illumque a propria possessione exturbare ad *Text. in Leg.* 1 *Cod. de reb. alien. non alienon. Leg. Nemo* 6 *Cod. eod. tit.*, *Leg. Si duobus* 3 § *sed quia Cod. Commun. de Legat.*, *Leg.* 11 *ff. de Reg. Juris, Rot. in Rec. decis.* 417 *num.* 17 *part.* 12, *et decis.* 345 *num.* 2 *cor. Crescentio* =.

3 Sed, etiam si admitteretur, quod legitima fuerit oblatio Torlonii, et legitima Administratoris approbatio inutilis tamen ea oblatio evasisset, quoties Evolius ipse facultatibus usus, quas ei reservaverant tam Chirographum Pontificium, quam contractus inde sequuti tabulæ, in quibus convenerat = *analogamente a quonto è stato prescritto nel Chirografo, che quante volte il Signor Duca di Mondragone volesse alienare questa facoltà di redimere a qualunque altra persona, debba notificarlo al compratore Signor Duca d'Evoli, ed interpellarlo, se voglia esser preferito, concedendosi il termine di un mese per deliberare, se gli convenga l'accettazione della prelozione*, = per Procuratorem suum, et negociorum curatorem, Romæ constitutum, emiserat declarationem de obtinenda prælatione *die* 14 *Januarii* 1820, antequam ideo mensis laberetur ab ea Torlonii oblatione nunciata die 15 Decembris 1819, ex quo ipsius Evolii jus ad prælationem obtinendam sartum tectumque mansit. Neque enim dicendum, illegitimam fuisse hanc Procuratoris declarationem, quia hic speciali careret Procuræ Mandato, cum satis ei essent facultates ab Evolio concessæ in generali mandato, in quo, præter alia Procuratori commisit = *di poter fare tutt'altro, che potrebbe fare lo stesso costituente* =, conceptissimas illas clausulas adjiciens = *ut alter ego* = et = *in ogni altro miglior modo* =, quæ vi suapte sua liberrimam tribuunt Procuratori, ac Mandatario quidquid agendi potestatem, licet in mandato expresso non contineatur *ad Text. in leg. Creditor* § *Titius ff. mandati L. Procurator Cod. de Procuratoribus Rot. in Rec. decis.* 428 *n.* 17 *part.* 5 *decis.* 36 *num.* 37 *part.* 10 *coram Ratto decis.* 246 *num.* 4, *et in Hortono Combii* 27 *Junii* 1789. § 7 *coram Strasoldo.*

Et ambigendum profecto non esse de facultate Procuratoris declarationem emittendi, ipse probavit facto suo Torlonius, qui tam oblationem, quam subsequutam deinde Administratoris approbationem per publicum Apparitorem Evolii Procuratori nunciavit. Tanto minus igitur quæri potest in præsens, haud legitimam ex Procuræ defectu fuisse declarationem, quæ, cum favorem præcipue Ducis Evolii respiceret, ne quid interea temporis ejus jura detrimenti caperent, erat a Procuratore emittenda, et, quamvis potuisset Evolius ab ea impune recedere, firma tamen semper ejus favore adversus Torlonium manebat, si ab ea ipse haud recessisset. Nam in mandato etiam simplici ea semper continentur, quæ utilia mandanti sunt *ad Text. in Leg. Diligentiæ* 4

§ *fin.*, *et Leg. si quis pro eo in fin. ff. Mandati, Rot. in Rec. decis.* 92 *n.* 14, *et* 15 *part.* 10, *et apud Corradin. de prælatione decis.* 10 *n.* 11, *et* 12. Certius autem, quia Evolius ipse Neapolis ratam habuit declarationem a Procuratore suo Romæ emissam, novoque actu eam confirmavit. Hoc siquidem jure vivimus, ut si quid minus valide a Procuratore factum fuerit, subsequens ratihabitio mandantis, non modo legitimum reddat quidquid antea gesserit Procurator, atque vim habeat mandati specialis, sed etiam ad actum ipsum antea gestum retrotrahatur ad *Text. in leg. Licet rerum* 56 *ff. de judic. leg. si filius fam.* 7 *Cod. ad S. C. Macedon. Rot. decis.* 119 *num.* 22 *cor. Crescentio, decis.* 434 *num.* 10 *coram Riminaldo, in Fanen. Legitimarum* 11 *Maii* 1792 § 2 *coram Soderino in Civitatis Castelli Nullitatis Renunciationis* 10 *Maii* 1793 § 14 *coram Illmo Acciajoli*, et in similibus terminis prælationis a Procuratore petitæ, et a Mandante ratihabitæ *Menoch. cons.* 756 *num.* 14 *Bandell. de Jure Prothomis. in Rubr. num.* 70 *Gratian. discept. for. cap.* 957 *n.* 18. 19. *Constantin. ad Stat. Urb. annot.* 24 *n.* 64, *Corradin. de Jure Prælationis quæst.* 8 *num.* 25. 26.

5 Neque rem mutat, non admitti retrohactionem, ubi sit interea jus alteri quæsitum. Nullum namque jus quæsitum Torlonio fuisse ex eo patebat, quod licitum nec ipsi, nec Administratori esse poterat hac in re procedere absque domini consensu. Accedebat ulterius hic proprie non agi de retrohactione per quamdam fictionem juris, sed de vera declaratione actus fortasse dubii *de præterito*, quæ semper fieri potest, cum referatur per modum verum, et non fictum ad voluntatem antecedentem, quæque semper retrotrahitur, quocumque tempore fiat ac tertio præjudicat, ut latius expendit, *Surd. decis.* 29 *num.* 1, *et seq. Constantin. vot. decis.* 93 *num.* 4, *Rot. decis.* 279 *n.* 10 11, *et seq. coram Buratto*. Perperam etiam objicitur, minus legitimam fuisse declarationem ab ipsomet Duce Evolio emissam Neapolis, quia nunciata fuit per apparitorem, qui non habebat speciale mandatum. Norunt enim omnes, ex generalibus juris nostri principiis ex eo solum præsumi mandatum, ex quo res a Mandatario deducuntur, quarum notitiam non ab alio habere poterat, nisi a Mandante *Rot. apud Card. de Luca in Mantissa tom.* 5 *lib.* 5 *decis.* 11 *num.* 10 *coram Royas decis.* 106 *n.* 8, *et decis.* 109 *num.* 4 *coram Priolo*. At quantum esset omnino novum in Apparitore requirere speciale mandatum, qui publicam cæteroquin obtinet fidem, tantum Torlonius ipse pandidit, eo certe illum non indigere, dum oblationem suam per Apparitorem nunciavit, licet nullo munitum peculiari maudato.

Inutiliter vero, veluti irritas, ac nullas Torlonius insimulabat utrasque declarationes, tam eam a Procuratore Evolii Romæ emissam, quam alteram ab Evolio ipso Neapoli nunciatam, cum revera ipse peccaverit Torlonius, dum suam oblationem non Mondragonio, qui unus erat dominus, et arbiter juris redimendi, sed ejus administratori, cui nulla super eo jure facultas erat, renunciavit. Cæterum, rebus bene perpensis, facile apparet, nihil non recte factum tum a Procuratore, tum ab Evolio, nihil non intra legitimos dies. Ex tabulis siquidem diei 23 Decembris 1818 terminus mensis fuerat Evolio constitutus ad declarandum, an vellet in emptione venditione pacti redimendi præferri. Die 14 Decembris 1819 oblationem suam Torlonius emisit, dieque insequenti eam nunciavit Administratori Ducis Agapyti, ac Procuratori Ducis Evolii. Die itidem 21 ejusdem Mensis nunciata fuit Neapolis ab Administratoris Procuratore eadem oblatio Duci Evolio. Aut igitur a die factæ nunciationis Romæ, aut a die nunciationis factæ Neapolis numerare velis menstruum spatium, semper certum est, declarationem intra terminum emissam fuisse. Nam si placeat reputare officio suo functum Torlonium, dum oblationem Procuratori Romæ constituto nunciavit, quod non est facile admittendum, debebimus etiam declarationem illius, tamquam legitimam accipere, 6

cuius personam legitimam ad nunciationem recipiendam Torlonius agnovit. Contra vero, si reputabimus non satis fuisse oblationem significare Procuratori tantum Evolii, Romæ constituto, et tunc certe erit necessarium terminum Mensis dimetiri a die nunciationis factæ Neapolis ipsimet Evolio. Utroque in casu sumus in termino.

7 Primum porro animadvertere oportet factæ denunciationis non compræbendi in menstruo termino ad declarandum præstituto, qui incæpit a die insequenti, cum dies termini; ut inquiunt Forenses in stipulationibus non computetur in termino *ad Text. in leg. Eam qui Kalendis* 4. *ff. de verb. obligat, leg. Ubi lex ff. de R. J. Gratian. discept. forens. cap.* 161. *num.* 17. *Antonell. de temp. legal. lib.* 4. *cap.* 24. *num.* 4. *Rot. decis.* 319. *num.* 7. *cor. Priolo, decis.* 399. *num.* 6. *coram Ansaldo; decis.* 403. *num.* 3. *coram Olivatio, et in Urbanien Census* 27. *Martii* 1805. §. 4. *coram R. P. D. meo Bussio* = Si itaque *die* 15 *Decembris.* 1819. expleta fuit per Apparitorem oblationis Torlonii denunciatio procuratori Ducis Evolii, per consequens terminus Mensis incidebat in *diem* 15. *Januarii* 1820. Atqui die 14. *Januarii* 1820. Evolii Procurator Romæ constitutus declarationem in actis interposuit = *che il menzionato Signor Duca vuol essere preferito* = eademque die hæc ipsa declaratio denunciata fuit Neapolis Procuratori Ducis Agapyti. Ergo intra legitimum tempus, intra terminum constitutum prodiit declaratio prælationis obtinendæ.

8 Neque secus censendum, si mensis epocham accipias a die denunciatæ oblationis, Neapolis, Duci Evolio. Cum enim hæc nunciatio contigerit ad diem 21. *Decembris* 1819. terminus hinc mensis perveniebat ad diem *usque* 21. *insequentis Januarii.* Atqui *die* 14. *ejusdem mensis* Evolius declaravit, se in emptione venditione juris redimendi velle præferri, ac die 17. ejusdem mensis declarationem approbavit a Procuratore suo Romæ emissam. Ergo etiam in hoc casu intra legitima tempora declaratio prælationis interposita fuit. Quod si per falsissimam hypothesim admitteretur moram per aliquot dies Evolium fecisse in exhibenda declaratione, non ideo tamen ab jure ipsum cecidisse obtinendæ prælationis existimandum esset. Etenim, cum Torlonii oblatio accepto habita fuisset sub *duplici* conditione, *quod* nempe. Evolius nollet jure prælationis uti, et quod Mondragonius jus redimendi in alios jam non transtulisset, haud cogi poterat Evolius ad declarandum an vellet præferri, antequam sciret, utrum Mondragonius jus illud antea vendidisset, vel oblationi Torlonii assensisset. Anni vero peremptorius terminus juxta tabulas diei 23. Decembris anni 1818. exercendo redimendi pacto fuerat constitutus; eo itaque præterito, hoc pactum evanuisse putare merito poterat Evolius, ita ut de prælationis acceptatione non amplius agi posset. Certum vero est quod, ad pænam caducitatis tollendam, quælibet satis sit levissima causa et futilis, ac injusta credulitas. *Saminiat. controv.* 20. *num.* 10 *Cyriac. controv.* 289. *num.*6. *Card. de Luca de Fideicom. disc.* 88. *num.* 1. *Rot. in Romana Liberationis a molestiis* 26. *Martii* 1781. §. 7. *coram Sentmanat, in Ferrarien. Emphytheusis* 11. *Maii* 1788. §. 11. *coram Strasoldo, et in Anconitana Exequutionis Contractus* 9. *Decembris* 1805. §. *fin. coram bon. memor. Tassoni.*

Futilis etiam est exceptio de inequalitate pactorum, quibus prælatione sese uti velle declaravit Evolius, ab iis, quæ Torlonius in oblatione sua proposuit. 9
Licet enim vera sit regula, ex qua receptum est, ut prælationem petens, cum succedat in locum emptoris, a conditionibus in primo contractu stipulatus recedere nequeat ut firmant *Corradin. de prælat. quæst.* 1. *n.* 1. *Tiraquell. de Retractu convent.* §. 4. *gloss.* 6. *num.* 24. *Gratian discept. forens. cap.* 7. *num.* 3. *et sequ. Rot. decis.* 369. *numer.* 8. *part.* 18. *et decis.* 4 *num.* 3. *part.* 19. *Recent.* eam tamen vel servavit Evolius, vel servare non tenebatur. Non est prætereundum de oblatione hic agi ab eo facta, qui nullum titulum ad offerendum habebat. Agitur itidem de

oblatione ab Administratore approbata, dum non solum non assentitus fuerat Agapytus, cui erat jus redimendi reservatum; sed ne fuerat quidem de ea certior factus. Præterea, uti opus fuit Chirographo Pontificio ad bonorum venditionem auctorandam, ita hoc opus fuisset ad sarciendam venditionem pacti redimendi, atque ex eo Chirografo, non ab oblatione Torlonii dijudicanda est quæstio. Etsi autem cum oblatione Torlonii comparare lubeat Evolii declarationem nulla Oppido invenitur inequalitas. Primum enim, si præferri voluit Evolius *per la somma di scudi* 44821. 85. *et = cogli stessi patti, e condizioni opposte nell' offerta del Torlonia* = si salva tantum fecit jura, quæ sibi competere possent, salutaribus tamen verbis additis = *senza, che una tale riserva possa in verun modo alterare la prelazione voluta, e dichiarata come sopra, la quale dovrà avere effetto in qualunque siasi caso, senz' eccezione veruna* = hoc sane ferebat horum verborum proprietas atque vis, ut reservationem tantum delere, non ipsam declarationem respuere quavis in hypothesi licitum esset.

10 Cæterum nihil ea reservatio continebat, quod non congrueret Pontificio Chirographo, non tabulis Instrumenti conveniret. Obtulerat quidem Torlonius liberam pretii solutionem. At, si Evolius conditionem adjecerat deponendi pretium pro ære alieno ineundo, id apprime consentaneum videtur Chirographi legi, quæ jusserat, ut pretium solvendum in nominum cederet extinctionem. Sic consentaneum præterea tabulis agnoscitur, ex quibus pars non minima pretii apud Nummularium erat deponenda, ut dimitterentur ex ea creditores. Si pariter deponi pretium volebat Evolius, quia non deletæ fuerant hypothecæ, ceu pepigerant in Instrumento contrahentes, id quoque convenit Chirographi legi, ex qua injuncta fuerat ista hypothecarum deletio. Res itaque eo venerat, ut, si etiam vellet, non posset certe Torlonius pretium libere solvere, et ita Pontificis mentem eludere. Sed neque est credendum jactare suum voluisse Torlonium, ac sese exponere periculo, ut creditores, Agapyti in fundos irruerent hypothecæ subjectos, et spem, et possessionem suam deciperent.

Ineptissime demum differentia con- 11
stituebatur inter oblatio nem Torlonii, declarationem Evolii in ea parte, qua conditionem adjecerat extinctionis explendæ Cambii scut. 5080. cum ipso jam antea contracti enm e converso Torlonius, præter pretium argenteorum *nummorum* 44821. 85. obtulisset etiam *scuta* 5580. in illius Collybi solutionem. Quisque enim intelligit, *æmulativam, ac excessivam* esse hanc Torlonii oblationem, si paulisper attendatur tam ad Chirographum, quam ad Instrumentum, ex quibus non alia de causa illa *scuta quinquemillia quingenta octuaginta* Evolius numeravit, nisi quia quantitas *scut.* 29821. 85. quæ honorum pretium ab Evolio solutum efficiunt, non satis erant ad urgentiora nomina dimittenda, quæ *scuta* 35401. 05. attingebant. Verum si *scuta* 44821. 85. non æquabant modo, sed excedebant longe æs alienum lucndum, alia quantitas *scutorum quinquemillium, et* ultra, æmulationem præseferehat, omnino reijciendam *Rot. decis.* 75. *num.* 8. *part.* 9. *decis.* 33. *num.* 5. *part.* 10. *Rec. et decis.* 34. *num.* 13. *cor. Ansaldo.*

Attamen in hoc etiam Torlonii obla- 12
tionem æquavit Evolius, dum paratum, promptumque se exhibuit ad Collybum illum compensandum cum aliis creditis, quæ erga Mondragoninm habet, et titulo potissimum dotis in reliquis scutis *sexdecimmillibus,* Uxori suæ constitutæ. Hæc autem compensatio procul dubio est admittenda; et solutionis loco habenda cum creditum, et debitum æquæ liquidum, et certum inter easdem personas concurrat, ad *Text. in leg. Amplius, et leg.* 4. *Cod.* de *Compensat. Rot. in Romana Census Vitalitii* 8. *Januarii* 1759. §. 14. *coram Ratta, et in Anconitana quoad summam scut.* 23722. *super Rejudicata* 4. *Julii* 1806 §. 11. *coram bon. mem Piccolomini.* Et licet *Corradinus de prælatione* affirmet, non esse admittendam in prælatione compensationem, contrarium tamen tenet *Constantin. ad Stat. Urbis tit. de omn. gen.*

Retractus annot. 24. *art.* 6. *num.* 363. *et Sac Noster Ordo coram Molines decis.* 463. *numer.* 28. 29. *in Nepesina Juris redimendi* 21. *Junii* 1802. §. 3. *coram clar. mem. de Bayane, et in Nepesina Excomputationis* 16. *Maii* 1806, §. 5. *cor. Emo Cæsarei.* Cæterum inutile censuerunt Patres, ulterius inquirere an declaratio Evolii responderet oblationi Torlonii de quo tamen dubitari nequit. Omnis enim quæstio prorsus excluditur ex eo, quod aperte Evolius ipse professus fuerit prælationem obtinere quovis in casu se velle = *coi patti, e condizioni apposte nell' offerta medesima* = ac insuper addidit, quod reservatio quæcumque = *non possa in verun modo alterare la prelazione voluta, e dichiarata, la quale dovrà avere effetto in qualunque caso senz' eccezione veruna.* = Hæc enim omnia cum æqualitatem ostendant inter oblationem Torlonii, et declarationem Evolii, tum fortius evincunt ipsius Evolii jus ad prælationem obtinendam, quam rite, et opportuno tempore postulavit.

Et ita in strenuo litigantium conflictu dirempta est controversia quinti, et sexti suffragiis accedentibus.

ROMANA SEU COMEN PECUNIARIA

Veneris 15 *Martii* 1822.

ARGUMENTUM

Si non probatur datum fuisse mandatum ad negociandum, vel reapse pecuniam fuisse in negociationem erogatam, frustra quis sub obtentu Societatis, obtrectat certissimi crediti restitutionem.

SUMMARIUM

1. *In dubium revocari nequit creditum, si debitor, dispunctis rationibus, aperte se se summam aliquam debere fatetur.*
2. *Ubi Mandatum datum sit pecuniam erogandi in negociationem, erogatio fieri debet, consentiente subventore, ac negociationis commodo.*
3. *In re mandata, non pecuniae solum, cujus est certissimum mandati judicium, verum etiam existimationis periculum est.*
4. *Exemplo perniciosum est, ut ei scripturae credatur, qua unusquisque sibi adnotatione propria debitorem constituit.*
5. *Praesumi non potest, quod solertissimus Negociator, cum ageretur de ingenti damno ex societate proveniente, omitteret damnum ipsum altero socio denunciare.*
6. *Testes, in quibus inverisimilia deprachenduntur, et qui exceptionibus personalibus sunt obnoxii, nihil probant.*
7. *Mandatarius, vel negotiorum gestor, in lata culpa est, si pecuniam impendit in negociationem, cujus exitialis eventus a quolibet praevideri poterat.*
8. *Improvidae negociationis damnum, in imprudentes mandatarios est reiiciendum.*
9. *Si neque probatur mandatum, neque pecuniae erogatio in negociationes, frustraneum est, rationum dispunctiones imperare.*

DECISIO CVI.

Quædam cum negocia intercessissent, ad totum annum 1818., inter Carolum Mancini in Helvetia natum, et Romæ degentem, ac Antonium, et Josephum Fratres Costa Januenses, in Urbe pariter commorantes, post obitum prædicti Caroli, cui intestato decedenti dies 11. Maii anni 1820. suprema fuit, inter ejus scripturas quædam fuit syngrapha reperta ab ipsis fratribus Costa exarata, ac signata, sub die 31. Decembris 1818. hanc ipsorum continens apertissimam declarationem = *Ristretti i Conti trà noi sottoscritti, ed il Signor Carlo Mancini di tutti gl'interessi passati fra noi riguardanti impronti di denaro, traffico, Commercio, e tutt' altro sino al presente giorno, siamo risultati debitori del medesimo Signor Carlo Mancini nella somma di scudi seimila cinquecento novantadue, e baj.* 36. 6592. 36. *moneta effettiva di argento, quali ci sono stati rilasciati dal sudetto per ritenerli senza alcuna responsabilità di frutti, ed interessi, a puro oggetto, che possiamo impiegarli nell' occasione di qualche interesse commerciale, che si crederà più conveniente* =.

Hæredes ab intestato Caroli fuerunt ejus Fratres, Antonius, et Petrus Mancini, qui, relatæ declarationis certiores facti, ab Helvetiæ, ubi lares ha-

bent, in mandatis dederunt eorum concivi Petro Paulo Barghiglioni, negociationem in Urbe exercenti, ut prædictam summam scut. 6592. 36. in ea declaratione contentam ab bujus debitoribus Fratribus Costa exigere curaret; quibus, solutionem detrectantibus, vadimonium hic Manciniorum procurator indicere debuit die 21. Augusti 1820. coram Juridicorum A. C. Collegio. Negarunt primum debitores Manciniis hæreditariam Caroli qualitatem; negarunt etiam Barghiglionii mandatum. His verum explosis, pecuniam Caroli sese in Olei, ac exterarum mercium negociationem erogasse asseruerunt, et hanc negociationem male cessisse caussantes, scuta vix 1233. 36. in numerata pecunia, et scuta 3200. in mercibus, quas tamen haud excedere valorem 2612. 29. ½ dein compertum fuit, penes ipsos ex ea scutorum 6592. 36. summa superesse dixerunt; quod ut probarent, informem protulerunt calculum; quoad olei negociationem, et notulam quamdam quoad exteras merces, nullo ad hasce chartulas fulciendas allato documento. Primum A. C. Triumviri scuta illa 1233. et ob. 36. deponenda esse in S. Æde Pietatis ad creditum Manciniæ hæreditatis, et merces extantes Manciniis hæredibus, intra quinque dierum terminum, tradendas esse = *per modo di provisione salve l' eccezioni, e senza pregiudizio dei diritti delle Parti, previa la stima da farsi da un perito*, o *periti* = decreverunt; ac deinde mercium æstimatione in scutis 2612. 29. ½ a Peritis expleta, Manciniorum creditum adversus Fratres Costa in scutis 2746. 70. ½ agnoscere visi sunt; sed postea interlocutorio Decreto R. P. D. Cuneo deputarunt ad effectum rem omnem penitus investigandi, opera etiam alicujus negociatoris adhibita, et de ea referendi. Tunc Mancinii ab hoc Decreto appellationem e Signaturae Tribunali obtinuerunt; atque ideo, controversia ad S. Nostrum Ordinem delata, Patres hoc mane interrogavi = *An constet de credito, et in qua summa, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* = et responsum mihi datum fuit = *Affirmative in summa scutorum* 2746. 70. ½, *et mandatum esse relaxandum* =.

1 In dubium siquidem revocari nequit Fratres Costa debitores extitisse Caroli Mancini in scutis 6592. 36., eos enim confitentes habemus = *ristretti li conti fino al presente giorno* 31. *Decembre* 1818., *noi sottoscritti siamo restati debitori del Signor Carlo Mancini della somma di scudi* 6592. 36. *moneta effettiva d' argento* = Quamobrem, cum ipsi reddiderint Caroli hæredibus scuta 1233. 36. in pecunia numerata, et scuta 2612, 29. ½ in mercibus, atque ideo in totum scuta 3845. 65. ½, ducto calculo, illico perspicitur ipsos debitores adhuc extare prædictorum hæredum in scutis 2746. 70. ½, ad quam summam rependendam, ope mandati exequutivi cogendi sunt per Rotam passim, et præsertim *dec.* 54. *num.* 7. *coram Cerro*; *decis.* 224. *num.* 2. *coram Priolo*; *dec.* 1154. *num.* 2. *coram Molines*, *et in Romana Pecuniaria* 2. *Maii* 1760. §. 3. *coram Frangipane.* Quod vero ad hujus summæ restitutionem effugiendam proponunt debitores, eam ipsis, nempe, pecuniæ vim in scutis 6592. 36. a Carolo fuisse relictam = *a puro oggetto d' impiegarli all' occasione di qualche interesse commerciale, che si crederà più conveniente* =, ex quo de exequutione, et implemento hujusce mandati Caroli ad negociandum, non vero de pecuniæ restitutione cum ipsis agendum sit, nullum ipsis praesidium praestare posse merito Patres censuerunt.

2 Primum sane verba illa in Fratrum Costa declaratione adjecta, quoad Caroli pecuniam penes ipsos existentem, talia non sunt, ut ex iis inducendum sit mandatum ipsis a Carolo datum erogandi, praesertim *integram*, eam conspicuam pecuniae vim in negociationem, periculo tantum ipsius Caroli; eoque minus facultatem ipsis fuisse tributam de ea in negocia disponendi, inscio prorsus, ac irrequisito Carolo; si namque insumenda erat = *in qualche interesse commerciale, che si crede-*

rà più conveniente = de natura, et periculo negociationis suscipiendae erat inter Carolum, et fratres Costa consulendum, ac deliberandum, antequam proposita susciperetur negociatio. Fieri vero non poterat ut susceptae negociationis totum commodum, ac periculum spectare deberet ad Carolum, qui pecuniam in eam immisisset, non vero ad fratres etiam Costa, quorum industria ea fuisset dirigenda, atque absolvenda. Hinc ad summum ex iis verbis concludendum esset quod pecuniae in negociationes erogatio fieri deberet, consentiente etiam Carolo, et negociationis commodo, et periculo, ipsum inter, et fratres Costa diviso. Quare inutiliter ipsi, debitam adhuc, pecuniam restituendam haud esse contendunt, sub specie damni obventi in negociatione, de quo nullam Carolum habuisse scientiam probant, atque inutiliori studio totum assertum hoc damnum in Carolum, ejusve haeredes reiicere conantur.

3 Nec melior profecto ipsorum evaderet conditio, etiamsi concederetur pecuniam ipsos a Mancinio in negociationibus ad eorum arbitrium, sed ad Mancinii tantum commodum, ac periculum impendendam. In hac enim etiam hypothesi, vel uti mandatarii, vel uti gratuiti alieni negocii gestores, evincere deberent sese Mancinii negocium summa cum fide, cura, ac diligentia absolvisse, et cujuscumque, vel levissimae culpae expertes esse, quo per exactissimam rei gestae redditionem rationis haud probato, semper ad pecuniae ipsis creditae restitutionem essent adigendi, etenim = *in re mandata, non pecuniae solum, cujus est certissimum mandati judicium, verum etiam existimationis periculum est: nam suae quidem rei quisque moderator, ac arbiter, non omnia negocia, sed pleraque ex proprio animo facit; aliena vero negocia ex acto officio geruntur; nec quidquam in eorum administratione neglectum, aut declinatum culpa vacuum est* = ait Imperator in *L.* 21. *cod. mandati vel contra*; quam Juris cautionem exornant *Donell. de Jure Civil. lib.* 13. *cap.* 11. *num.* 18. *Heinec Instit. Lib.* 3. *Tit. de mandat.* §. 951. *Voet in Pandect. lib.* 17. *Tit.* 1. *num.* 9. *Vinn. Partition. cap.* 28., *et Instit. lib.* 3. *tit.* 27. §. *mandatum num.* 2. *Cujac. in leg.* 23. *ff. Deposit. vel contr. Edict. Moden. T.* 5. *columm.* 1137. *litt. D. Harprect. in Cod. tit. Mandat. vel contra* §. *is*, *qu.* 8. *num.* 24., *et seq. Connan. Comment. Jur. Civ. lib.* 7. *Cap.* 14. *num.* 7. Quibus adhaeret S. N. Ordo *in Anconitana damnorum quoad scut.* 2000. 10. *Maii* 1793. §. 3. 9. *coram Resta*; *in Romana Reintegrationis* 27. *Februarii* 1801. §. 6. *et* 20. *coram Eod. in Confirmatoria* 1. *Junii ejusdem anni* §. 8., *et seq. cor. Eod.*, *et in Romana*, *seu Parisien. Pecuniaria super* 5. *dub.* 26. *Febr.* 1806. §. 5. *coram R. P. D. Meo Bussio.* At, nedum diligenter, et fideliter Mancinii negocium sese gessisset haud probant Fratres Costa, sed etiam ne aliquod quidem pro eo revera ab ipsis negocium fuisse susceptum demonstrant.

Hoc siquidem, nempe negociationem aliquam Fratres Costa pro Mancinio suscepisse, ut probatum dici posset, oporteret id ab eis evinci per ineluctabiles probationes, *scripturas*, nimirum, ac *codices legales*, quibus deficientibus, restituendæ pecuniæ obligationem declinare nequeunt omnino. Ad *Text. in leg.* 110. *ff. de condit.*, *et demanstrat. Escobar. de Ratiocin. cap.* 10. *num.* 7. *Paris. con.* 87. *num.* 18. 19. *de contract. Minor. Gloss.* 25. §. 13. *numer.* 572. *Felic. de Societat. cap.* 38. *num.* 42. *Casareg. de Commerc. disc.* 78. *n.* 86. *Scac. de Mercat. part.* 2. *cap.* 70. *Ansald. de Commertio, et Mercatura disc.* 82. *Zanch. de Societat. part.* 2. *cap.* 10. *num.* 75., *et seq.*, *et in part.* 2. *cap.* 9. *n.* 111. *Rot. dec.* 224. *num.* 12. *coram Bich. dec.* 59. *num.* 14., *et seq. coram Arguell. in Tyburtina Societatis*, *et Reddit. Rationis* 8. *Maii* 1750. §. 20. *coram Caprara in Romana Pecuniaria* 12. *Junii* 1778. §. 10. *coram Sentmenat.*, *et in Ferrarien. Pecuniaria* 14. *Martii* 1783. §. 3., *et seqq. coram Riminald.* Asserunt quidem prædicti Fratres Costa sese summam scutorum 6497. 20. a die 1. Januarii 1819. ad totum 4

Mensem Martii ejusdem anni, de Mancinii ipsis credita pecunia, insumpsisse in emptionem Leythorum = *Boccali* = 9564., olei pretio emptorum ob. 70., vel 69., vel 68. in singulos, eosque vendidisse a die 13. Septembris ad totum mensem Novembris ejusdem anni 1819., obulis primum 62., et de die in diem minori pretio, usque ad obulos 42. in singulos, et ideo insignem in hac negociatione extitisse jacturam Asserunt etiam quasdam exteras merces = *generi coloniali* = apud ipsos existentes, quas æstimarunt *circiter* scutis 3200., quæve dein repertæ a peritis fuere valoris scutorum 2612., et ob. 29. ad Mancinium spectasse, et in earum negociatione pro ipso suscepta damnum adfuisse in scutis 587. 70. ½ quibus additis damno obvento in negociatione olei, in scutis 2159, jacturam Mancinio adscribendam esse scut. 2746. 70. ½ Verum, cum ad hæc probanda computum exhibuerint *quoad oleum*, et notulam *quoad merces*, quas chartulas nullo suffultas documento ipsi tantum exararunt, nullam hisce chartulis fidem habendam esse merito Patres putarunt; nam = *exemplo perniciosum est, ut ei scripturæ credatur, qua unusquisque sibi adnotatione propria debitorem constituit*; *unde neque Fiscum*, *neque alium quemlibet ex suis adnotationibus debiti probationem præbere oportet* = sic Imperator *in leg.* 7. *de Probation.*, *et* plaudit *Rota in Romana Pecuniaria* 8. *Maii* 1816. §. 4. *coram Piccolomini.*

5 Eoque magis visum Patribus est privatis hisce scripturis, a Fratribus Costa tantum confectis, et signatis credendum haud esse, quia inverisimile prorsus est pecuniam, quam ipsi declararunt die 31. Decembris 1818. = *da impiegarsi nell' occasione di qualche interesse commerciale*, *che si crederà più conveniente* = insumi cæpisso in olei negociationem insequenti die *prima* Januarii 1819., cum de hujusce parata negociandi occasione ne verbum exciderit in prædicta diei 31. Decembris 1818. declaratione, immo in ea dictum fuerit, quod attendi deberet occasio = *di qualche interesse commerciale che si crederà più conveniente* » de cujus » *interesse commerciale* = qualitate, ac natura, an scilicet esset » *conveniente* » consulendum, et deliberandum inter ipsos, et Mancinium erat, antequam in illud pecunia Mancinii impenderetur. Nec minus inverosimile compertum fuit, quod superius relatæ Fratrum Costa informes chartulæ exhibitæ ab ipsis fuerint, post mortem Mancinii, super asserta infelici negociatione olei, et mercium ante exitum anni 1819. absoluta, et quod ipsi, cum ageretur de damno scutorum 2746. 70. ½ Mancinio tribuendo cauti non fuerint, per tot menses elapsos, ante ejus obitum, ipse namque e vita excessit die 11. Maii 1820., ut ab ipso aliquam hac de re declarationem exigerent; quod nemo credere potest in solertissimis negociatoribus, qui quotidie, uti ipsimet fatentur, in Mancinii Societate versabantur. Futillimum vero est quod Fratres Costa proponunt, scilicet eorum assertionibus, et scriptis fidem denegari haud posse, cum ipsorum optima fides depræhendatur ex eo, quod de integra olei negociatione super olei lecythis 19839. damnum Mancini tantum adscripserint quoad lecythos 9564. Ad hanc namque lecythorum quantitatem pernecesse suas assertiones cohibere debuerunt prædicti Costa, ni insani viderentur, quia vix ad hanc olei quantitatem comparandam Mancinii pecuniam satis fuisse in aperto erat.

6 Quin aliquod spernendis prædictis Fratrum Costa scripturis ponderis dare valeant quorumdam, quos ipsi afferunt, testium dicta. Testimonium ipsi primum exhibuere binorum bajulorum Viola, et Gargani, qui pendente lite sub die 17. Martii 1821., extrajudicialiter deposuerunt quod Fratres Costa = *dal mese di Gennaro* 1819. *a tutto il* 31. *Marzo detto anno comprarono olio ascendente nella totalità a boccali* 19839. At hoc testimonium, in quo inverisimilis depræhenditur distincta testium post biennium olei quantitatis memoria, sepositis etiam exceptionibus, quibus bi

testes, ob eorum conditionem, obnoxii sunt, nil prorsus probat, quia ex eo non dignoscitur, an Costa illud oleum, sive illius fere dimidiam partem pro Mancinio, seu potius pro se ipsis emerint. Cherubinius vero, et conjuges Forlani, quorum testationibus prædicti Fratres Costa suadere conantur Mancinio notam fuisse olei negociationem, et damnum sibi ex ea obventum, nullam merentur fidem, quia Cherubinius singularis est, et Conjuges Forlani Manciniis hæredibus infensi sunt, ob prætensum Caroli legatum ipsis denegatum; atque præterea contradicentes sunt eorum præcedenti dicto. Accedit etiam eos conflictari a testibus fide dignissimis, per Mancinios adductis, nempe Sacerdote Innocentio Prosperi, Philippo Mongis, et Benedicto Greco, Ripæ Magnæ notissimo Mercatore, qui omnes affirmant » *che il Signor Mancini nell' anno* 1819. *non aveva fatto coi Signori Costa negozio alcuno, per non essere tempo opportuno* =; atque insuper Benedictus Greco testatur, post Mancinii obitum, Josephum, alterum e fratribus Costa, suum, fratrisque debitum erga Mancinii hæreditatem, pro integra summa 6592., et ob. 36. fassum fuisse, dum ipsum Benedictum rogavit, ut suam fratrisque declarationem quoad eam summam celaret = *poicchè quella somma di scudi* 9592. 36. *da lui dovuta al Mancini poteva servire per una partita di riserva, e di ajuto alla di lui Vedova, se mai si fosse trovata in bisogno, e non fosse stata ajutata dagli eredi del detto Mancini* =. Hisce itaque omnibus perspectis, merito Patres, testes etiam a Fratribus Costa productos, ad probandas assertas pro Mancinio susceptas negociationes, posthabuerunt, inhærentes *Text. in l.* 16. *ff. de Testibus Farinacc. de opposit. contra dicta Test. quæstion.* 65. *n.* 2.; *et seq.*, *et quæst.* 63. *n.* 2., *et seqq.*, *et Rot. in Avenonien. Bonnalitatis Furnii* 11. *Junii* 1784. §. 7. *coram Flangini*, *et in Anconitana Cautionis* 4. *Julii* 1806. §. 8. *cor. R. P. D. Meo Isoard.*

7 Deficiente itaque probatione mandati Mancini in Fratribus Costa ad ejus pecuniam negociandam, atque deficiente etiam probatione negociationum pro ipso a prædictis Fratribus susceptarum, horum obligatio ad creditæ a Mancinio ipsis pecuniæ restitutionem manifestissima comperitur; et supervacaneum prorsus est de assertarum negociationum utilitate inquirere. Verum, ad hoc etiam Patres descendentes, statim agnoverunt inutiliter, quamvis in falsissima hypothesi, ad pecuniæ prædictæ, restitutionem vitandam, proponere Fratres Costa negociationes non *diligenter*, uti oportuisset, sed *socorditer*, ac *exitialiter* peractas. Porro ex ipsorum declaratione pecunia impendenda fuisset » *in qualche interesse commerciale*; *che si crederà più conveniente* = At emere oleum quanti pluris tempore caritatis, illudque vendere quanti minoris post caritatem cessatam, non est sane impendere pecuniam » *in interesse commerciale, che si crederà più conveniente* =. Fratrum vero Costa munus fuisset, ne dum a certo, et præsenti periculo cavere, sed futurum etiam, et possibile prævidere; quisque autem coniicere poterat oleum; gravissimo pretio in ejus maxima penuria emptum, vendi numquam posse, nisi cum maxima jactura. In lata culpa igitur fuissent prædicti fratres, dum, vel uti mandatarii, vel uti Mancinii gestores, ejus pecuniam impendissent in negociationem olei, cujus exitialis eventus a quolibet prævideri poterat per *Text. in l. si Procurator ff. ad legem Aquiliam Donell. de Jure Civili l.* 13. *cap.* 11. *n.* 18. *Cyriac. Controv.* 166. *n.* 22. *Menoch. cons.* 246. *n.* 2. *Rot. in rec. p.* 5. *dec.* 246. *n.* 1.; *in Romana Reintegrationis* 27. *Febr.* 1801. §. 9. *cor. Resta*; *in Confirmatoria* 1. *Junii* 1801. §. 10. *cor. Eod.*, *et in Anconitana Pecuniaria* 12. *Martii* 1804. §. 13., *et* 14. *coram Eod.*

Quæ lata in emptione olei culpa, quam maxime etiam in illius venditione aucta fuit; nullum enim opus erat illud vendere exiguo pretio, quo tempore redundans erat, dum ullo absque periculo in aliud tempus favorabile e- 8

jus venditio differri poterat. Improvidæ itaque negociationis damnum in imprudentes assertos mandatarios, numquam vero in innocuum Mancinium reiiciendum, qualibet in hypothesi esset ad *Text. in l.* 60. *ff. de Procurator. Urceol. de Transact. cap.* 12. *num.* 1. *Rota coram Buratt. decis.* 54 *num.* 4 *in Fulginaten.*, *seu Spoletana Dotis* 9 *Maii* 1755. §. 9. *coram Caprara*, *in Confirmator.* 15 *Martii* 1756 §. 9 *coram Eodem, et in Romana Pecuniaria* 10 *Decembris* 1801 §. 4 5, *et* §. 8 9 *coram Emo Rusconi*, *et in Tyburtina Nullitatis, et Simulationis Contractus* 16 *Junii* 1817 §. 6 *coram R. P. D. meo Bussio.* Hæc quoad assertam olei negociationem. Quoad negociationem mercium exterarum, sive =*Generi coloniali* =, præter quam quod, ne vestigium probationis apparet, ex quo saltem cogitari posset eas merces ad Mancinium spectasse *improvide et negligenter* peracta, hæc etiam asserta negociatio semper renuncianda esset, quia cum eae merces, a Fratribus Costa aestimatae scutis 3200, repertæ fuerint a Peritis valoris scutorum 2612: 29: $\frac{1}{2}$, nisi eas excessivo pretio prædicti Fratres emissent. Cum præterea nullum afferri possit exemplum tam insignis jacturæ *quintae* fere partis earum valoris in mercibus colonialibus anno 1820, quo nulli vicissitudini hoc negociationis genus fuit obnoxium.

9. Patens igitur est Manciniorum haeredum creditum adversus Fratres Costa in residua summa scutorum 2746: 70: $\frac{1}{2}$ *tum* quia non probatur mandatum a Mancinio his datum ad ejus pecuniam in negociationes erogandam; *tum* qua non probantur negociationes a Costa pro Mancinio susceptas; *tum* quia demum, quavis in hypothesi evidens esset Fratrum Costa negligentia in hisce peragendis, ex quo ipsis non liceret in Mancinium, vel ejus haeredes damnum, quod asserunt ex propositis negociationibus obventum, reiicere. Revocandum est itaque, uti prorsus inutile, atque absonum interlocutorium Tribunalis Collegialis A. C. Decretum, quo rei evidentissimæ haud necessaria perscrutatio, et de ea relatio R. P. D. Cuneo fuit demandata; et illico debitores ad eam summam creditoribus numerandam judiciali mandato cogendi sunt. Quin rem vel minimum mutare valeat exterarum mercium per Mancinios receptio. Has ipsi namque receperunt, id mandante A. C. Tribunali « *per modo di provisione, salve le eccezioni, e senza pregiudizio dei diritti delle parti* », et receperunt cum expressa declaratione « *di non mai ammettere nè anche in genere i pretesi negoziati, quali anzi si riservano d' impugnare in ogni miglior modo di ragione* ».

Et ita etc. Utraque etc.

ROMANA seu HISPANA

PECUNIARIA

Mercurii 26 *Junii* 1822

ARGUMENTUM

In iis legibus, quae ad personae statum referuntur, si aliqua antinomia reperiatur, attendi semper debet lex illa, quae viget in loco ubi persona habet domicilium. Et si agatur de Minore, vel muliere, quamvis contraxerint sine solemnitatibus, non est contractus nullus, si rem sibi utilem gesserunt.

SUMMARIUM

1. *Denegando est restitutio in integrum adversus Rem-judicatam, quae justa cognoscitur.*
 Publica instrumenta, omnes respuunt altioris indaginis exceptiones – ibidem. –
2. *In accollatione integra servatur obligatio debitoris principalis, ac nova acquiritur actio creditori in accollatarium, tamquam in debendi correum.*
3. *Nulla major dari potest probatio, quam proprii oris confessio, praesertim judicialis.*
4. *Constitutio viget in Hispaniis, qua jubetur.* – Che non finisce la minorità fino agli anni venticinque compiti.
5. *Aetatis controversia non est dirimenda ad tramites legum ubi fuit exaratus contractus, sed ubi eitam agit Minor.*
6. *Leges, quae in diem prodeunt, aliae in personam constituuntur aliae in res, aliae actibus formam praescribunt.*

In iis legibus, quas in res diriguntur, actusque moderantur, si differentia adest, respicitur ad loca ubi res sunt, et actus perficiuntur - ibidem. -

In legibus, quae ad personam spectant, si aliqua antinomia reperiatur, attenduntur leges loci, quae habent personam subjectam - ibidem. -

7. *Si quis in propria patria minor, contraxerit in loco, ubi esset major, attendi debent leges, et statuta personae.*

Personarum multiplicitas, quae admittitur tantum ratione munerum, et officiorum, excluditur in iis quas pendent ab animo, vel intellectu - ibidem. -

8. *Non est irritum, quidquid gesserit Curator, inscia et absente pupillo pubertati proximo, si pater Curatori, quoad filiorum interesse, quamlibet remiserit solemnitatum necessitatem.*

9. *Ubi specialis lex facultatem Curatoribus donat, res pupillares pro lubitu administrandi, neque minorum consensus, neque cautio, et satisdatio requiruntur.*

10. *Ex subrogatione, jura cuncta subroganti congruentia, transeunt in subrogatum.*

In actibus necessariis, et talis reputatur subhastatio, nulla requiritur solemnitas - ibid. -

11. *Ubi contractus mulieri ac minori utilis detegitur, nequit impugnari ex defectu solemnitatum.*

Qui decreto Judicis facit, dolo facere non videtur - ibidem. -

DECSIO CVI.

Passivum Censum argenteorum nummorum *decem millium* erga Familiam de Spinulis Hispanam anno 1789 contraxit Carolus Grimanus Venetiarum Patricius, conventisque fructibus in trienti mensura, peramplas ædes, quæ in Urbe extant ad Quirinalis radices, in fundum censitum constituit. Labentibus deinde annis, Censuale nomen hæreditario titulo ex Spinulis pervenit in Marchionem Michaelem Osorio, pariter Hispanum, qui uxorem duxerat nobilem Matronam Marchionissam Mariam della Mercede, Ducissam d' Alcanices, ex primis ortam Hispaniæ Familiis, ab eaque fertile conjugium expertus, septem filios habuerat. Ii vero omnes in pupillari adhuc ætate versabantur, dum morti proximus Marchio Osorius, eorum Pater, extremum de rebus suis dixit arbitrium, ac singulos æquis partibus hæredes nominavit. Quoniam autem uxoris suæ divitias bene callebat, et satis cautam, prudentemque eam noverat in rebus agendis; ita nihil aliud ipsi reliquit, nisi filiorum tutelam, et curam, disertissima ei facta potestate exigendi « *giudizialmente da qualsisia persona somme di denaro, o altre cose per qualunque causa, e ragione, tanto al presente, che in avvenire, con facoltà di eleggere, e sostituire Procuratori, di quietare, e cancellare debiti* ».

Tutelæ, ac curationis munere ab illustri Matrona suscepto, omne studium adhibuit, ut jam collapsi Patrimonii vires angeret. Notione itaque Census accepta, cujus fructuum solutionem a multis annis Grimanii neglexerant, Procuratori in id constituto dedit in mandatis, ut ab eis judicio condiceret, una cum accessionibus, capitis quoque restitutionem. Et revera quoad fructus jam exequutivum obtinuerat mandatum in scutatis *quatuor mille tercentum*, et jam ædium subhastatio imminebat, cum placuit, interpositis officiis exortas controversias amica transactione dirimere, cujus hæc summa fuit. Publicum in hanc rem anno 1819 sub die 6 Novembris celebratur instrumentum, duos insimul actus compræhendens, quorum primus, redacto capite Census, quod erat in *decem millibus, ad novem millia* scutata, extinctionem respicit sortis, et fructuum, ac pedissequam debiti liberationem erga Grimanios. In altero autem de emptione venditione agitur ædium Censui subjectarum pretio convento scutorum *novem millium* in Angelum Bonellium inita, qui loco pretii Grimaniis debiti, accepto habuit nominis delegationem, quo Grimanii pro extincti Census capite erga Tutricis Procuratorem in pari summa tenebantur. Bonellius ideo scutata *triamillia* numeravit inter stipulandum Procuratori Tutricis, et Curatricis, ac reliqua *sex millia* intra sexennium sese solaturum eidem Tutrici promisit » *ed in ogni anno la rata parte di scudi mille* » conventis interim usuris » *al quattro per cento da cessare a scaletta in ogni pagamento di scudi mille* ».

Rebus ita compositis, jam prior labitur, ad mensem Novembris anni 1820 rata portio solutionis capitis, et fructuum in scutis *mille biscentum quadraginta*, cum de ea Bonellius urbane rogatus adeo cunctari cæpit, ut opus fuerit judici sistere coram Triumviris A. C., quod factum fuit mense Januario anni 1821. Dum lis agebatur Bonellium inter, et Ducissæ Procuratorem, ipse Bonellius, ut solvendi modum inveniret, ædes, a Grimaniis emptas, in Vincentium Calzaronium, per solemnes tabulas die 1 Februarii 1821 scriptas, distraxit tenui admodum pretio argenteorum nummorum *septem millium*, *ac sexcentum*, quorum *millia* ac *sexcenta* libere soluta Bonellio fuerunt, retentis tantum a Calzaronio scutis *biscentum quadraginta* Ducissæ Procuratori in fructuum causam rependendis. Quoad reliqua vero scutata *sexmillia* conventum fuit, ut Calzaronius obligationibus succederet ex Instrumento delegationis a Bonellio contractis, ex quibus scuta *mille* quolibet anno Ducissæ persolveret, usque ad integram scutorum *sexmillium* satisfactionem, depactis interea fructibus in eadem mensura, et modo, quo fuerant in delegationis Instrumento conventi. In judicium hinc venit Calzaronius die 6. ejusdem mensis Februarii, et sese paratum exhibens ex pactis, quæ cum Bonellio convenerat, petitae a Tutricis Procuratore solutioni, admitti ad causam postulavit,

Sed parum propositi sui tenax, pluribus deinde usus est exceptionibus, ut sponte exhibitam numerationem declinaret. In hoc rerum anfractu primum Judices A. C., ne quid litigantium jura detrimenti caperent, merito mandarunt, nt petita a Ducissae Procuratore, et a Calzaronio oblata pecuuia, penes nummularium Dominici Lavaggi deponeretur. Lata deinde Sententia definiverunt, depositam apud Argentarium pecuniam tradendam esse Ducissae d'Alcanices, vel Procuratori ad exigendum ab ea constituto, mandatum praetera relaxantes » *per i frutti decorsi, e da decorrere fino al giorno dell' effettivo pagamento nella somma da liquidarsi* » Appellatione ab hac Sententia interposita ab uno Calzaronio, cum nonnisi in devolutivo periculo cam obtinere potuerit a Suprema Signatura cum clausula » *Sine praejudicio* » ita oportuit, ut ab eo persolveretur integra summa scutorum *mille biscentum quadraginta*, quot priori libello continebantur. Sciscitati vero hac die, postquam ad S. N. Ordinem res definienda venit, a Me Patres, assueta dubii formula » *An constet de rejudicata, seu potius de causis restitutionis in integrum in casu etc.* » Responsum statim dedere » *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam* ».

Deneganda quippe est in integrum restitutio, ac confirmationis robur Resjudicata meretur, quæ justa, et valida cognoscitur *ad Text. in Cap. Ex literis de rejud. leg.* 1. *Cod. eod. lit.*, *leg. Resjudicata ff. de Reg. Jur.*, *Rota coram Crispo decis.* 602 *num.* 1, *coram Falconer. de Tut. decis.* 10. *num.* 1, *et decis.* 1 *num.* 1 *coram Rovarella.* Validitas porro, praeterquam in discrimen non revocabatur, satis constabat ex actis, nullusque de ea manebat ambigendi locus, quoties Signatura Justitiæ eam probavit, solemnique Rescripto » *Sine praejudicio* » Sententiam Juridici A. C. Collegii exequutioni commisit, *Rota coram De Veri decis.* 47. *num.* 1. Nec minus evidens erat Reijudicatae justitia. Semelac enim capitis, et fructuum Censualium nomen, qnod Grimanios premebat ex inito delagationis Instrumento unus Bonellius in se suscepit, qui, ob factam ædium retrovenditionem, nomen ipsum in Calzaronium transtulit, jam nulla adest causa, cur Calzaronio liccat a data fide desciscere, et pactorum observantiam eludere, ex quibus voluit = *succedere nelle condizioni medesime già stabilite nell' Istromento stipolato* = inter Grimanios, Ducissæ Procuratorem, et Bonellium, *pagando scudi mille per ciascun anno con il frutto compensativo al quattro per cento, ed anno* = Tanta siquidem est publicorum Instrumentorum vis, et auctoritas, ut, cum plenam in judicio 1

probationem constituant, tum paratam requirant exaquutionem, omnesque respuant altrioris indaginis exceptiones. *Rot. decis.* 265 *num.* 1 *coram. Herzan, et decis.* 261 *num.* 1 *cor. Eodem.*

2 Perperam vero Calzaronius excipiahat, sese non esse cogendum ad solutionem explendam, quousque consensus, et approbatio non accedat filii primonati Ducissæ d' Alcanices, quem ad majorem ætatem pervenisse autumahat; Etiamsi namque concedi vellet minorem ætatem superasse primonatum, adeo ut Tutricis auctoritate non egeat, et libere valeat de re sua disponere; non ex boc tamen sequebatur, uti posse bac excpetiona Calzaronium. Ipse enim nullam partem habuit in eo transactionis Instrumento, quod inter Ducissæ Procuratorem, et Grimanios actum fuit, et in quo delegatio nominis continetur, quam Grimanii in Bonellium fecerunt, ipso consentiante Ducissæ Procuratore, ut in delegationibus omnino requiritur, *ad Text. in leg. delegare* 11 *ff. de novat., et delegat.* Si itaque Bonelli debitum ea subsequuta accollatione in se suscepit Calzaronius, non certe hic contractus, inter unos Bonellium, et Calzaronium gestus, afficere potest præcedentem concordiam, et juribus præjudicium inferre, quae consequutus ex ea est Ducissæ Procurator. Non illud sane in accolatione usuvenit, quod accidit in delegatione, in qua ab omni obligatione exemptus remanet debitor principalis, totumque debitum in delegatum, sive delegatarium derivat. In accollatione imo integra servatur obligatio debitoris principalis, ac nova acquiritur actio creditori in accollatarium, tamquam in debendi correum, ut ab alterutro repetat Proprii crediti satisfactionem *Posth. de subhast. inspect.* 37 *num.* 33 35. *Salgad. in Labyr. Credit. part.* 2. *cap.* 6. *num.* 104. *Rot. post. Cenc. de Cens. decis.* 283 *num.* 2, *et decis.* 598 *n.* 30. 31 *cor. Ansaldo.*

3 Quare si Calzaronius Bonellii personam repræhesentat, et si nec Bonellius, nec Grimanii, a quibus causam babet ipse Bonellius, ullam movent de hoc primogeniti consensu querelam, proprio velut alveo profluit, neque Calzaronium posse hanc exceptionem in Ducissam proponere, quia ab ea inita conciliatione extorris omnino depræhenditur. Etsi igitur per bypothesim fingeretur, male solvere Calzaronium, dum Decissæ solvit absque primogeniti consensu, præsto semper ei est actio adversus Bonellium, ut reintegrationem assequatur illius summae, quam bis numerare coactus fuerit. In præsens varo nequit iis exceptionibus uti, quibus non utitur ipse Bonellius verus ex delegatione debitor, cujus quodammodo mandatarius videtur in hoc negocio Calzaronius, dum illius nomen in se suscepit. Et tanto minus potest Calzaronius deficientem primonati cunsensum caussari, quo certius est cum propriæ confessioni, et facto refragari, qui sponte in judicium venit a Ducissa instructum adversus Bonellium, et in vim susceptæ nominis accollationis obtulit summæ a Ducissa petitæ solutionem. Nulla quippe major dari potest probatio, quam proprii oris confessio, præsertim judicialis, a qua recedi amplius nequit, quia » *nimis indignum esse judicamus, quod sua quisque voce dilucide protestatus est, id in eumdem casum infirmare testimonioque proprio resistere* = ut his verbis inquit *Justinus Imp. in leg.* 23. *eod. de non num. pec.*

At vero, his etiam posthabitis, non indiget primonati consensu explenda a Calzaronio solutio, quia adhuc in minori ætate ipse versatur, et vigesimum tertium annum in præsens agit, dum non controvertitur in facto, in lucem enm venisse mense Februario anni 1799. Et licet ex recenti Motus proprii censura art. 129 minor ætas cesset semel ac unusquisque vigesimum primum ætatis annum impleverit, viget tamen in Hispaniis, ubi ortum duxit, moraturque primonatus, Constitutio edita ab Alphonso Regem, quem ex summa, qua pollebat, sapientia nuncupabat = *il savio* =, ubi jubetur = *che non finisca la minorità fino agli anni venticinque compiti* = Facile hinc dignosce- 4

batur, non adhuc minorem ætatem e-xecessisse primonatum, et merito in curationis exercitio durare ejus matrem, cujus opem adhuc requirebant fervidum adolescentis ingenium, et improvida plerumque juvenum. consilia. Ipse revera Calzaronius non impugnabat Regiam Constitutionem; in hoc tamen erat e-jusdem propositum, ut contenderet, non juxta Hyspanicas, sed juxta Pontificias imo Leges dijudicandam rem esse, ob eam potissimum causam, quia non in Hyspaniis, sed Romae fuerit contractus celebratus. Verum non iis Legibus, quæ vigent loco contractus, sed Hyspanicis potius ubi vitam agit primogenitus, dirimendam esse controversiam Patribus visum fuit.

5 Optime enim animadvertebant, triplicis esse generis Leges, quæ in diem prodeunt, quarum aliæ in personas constituuntur, aliæ in res, aliæ actibus formam prescribunt. Quemadmodum autem in iis Legibus, quæ in res diriguntur, actusque moderantur, si quæ inter eas adsit differentia juxta locorum consuetudines, et Legislatorum voluntatem, respiciendnm est ad Leges illius Civitatis, ubi et res sunt, et actus perficiuntur; ita in iis Legibus, quæ ad personam spectant, si aliqua antinomia reperiatur, eæ semper attendendæ sunt Leges in illa Civitate vigentes, quæ personam habet subjectam. Cum Leges namque, quæ personæ qualitatem, et characterem constituunt, comitari personam soleant, ubicumque otiam Locornm versetur, et contrahat, ita si quis in eo loco, ubi est subiectus, major non fiat, nisi vigesimum quintum ætatis annum expleverit, non potest propter contractum aliquem declarari major in alia Civitate, ubi minor ætas ante illud tempus desinat. Extera siquidem Civitas in eam personam non obtinet potestatem, nisi ratione actuum, et rerum, cum in cæteris semper patriæ suæ subsit imperio. Hanc regulam profecto, quam uno ore tradiderunt Juris Publici Scriptores, et præcipue *Hertius in Opere de Jurisprudentia universali tom. 1. part. 1. sect. 4. de collisione Legum a §. 4. ad 10., transferunt Doctores* et Sacer Noster Ordo ad cum casum, in quo pugnent inter se Statuta loci contractus, et domicilii quoad validitatem contractuum a minoribus initorum.

Licet enim receptum in jure sit, ut 6 spectari debeant, et observari solemnitates cjus loci, ubi contractus initi fuerint, si solemnitates ipsæ, formam actuum respiciant, juxta theoricam Baldi *in leg. cunctos populos cod. de summa Trinit. et fid. Catholic.*, quam sequuntur *Menoch. cons.* 819. *Cyriac. contr.* 252. *num.* 26., *Rot. decis.* 238. *par.* 6. *Rec.*, in eo tamen casu, quo quis, in propria patria minor, et incapax contrahendi, contraheret in loco, ubi esset major, et habilis ad contrahendum, attendi debent Leges, et statuta personæ, quamvis contrahentis extra territorium, ac in eo loco, ubi erat tantum forensis, et non subditus *Card. de Luc. de alienat. disc.* 29. *num.* 3. *ad* 11. *Rot. dec.* 162. *n.* 6. *post. Zacchiam de obligat. Cameral: decis.* 294. *num.* 3. *et sequen. par.* 6. *et decis.* 125. *num.* 54. *et sequen. part.* 12. *Rec.* Quandoquidem, cum persona. ejusque status sit individuus, ideo non potest pro locorum diversitate esse diversus, et absurdum alioquin videretur, ut in uno loco habeatur pro majori, ac perfecti judicii, habilisqne ad contrahendum, in altero autem pro minori, et imperfecti judicii. Datur in jure personarum multiplicitas, deque ea docte disputarunt *Grotius de jure belli, ac pacis. lib.* 1. *cap.* 357. *Puffendorf. de Jur. Nat. et Gent. lib.* 1. *cap.* 1. §. 14. et eruditam idem *Hertius tom.* 1. *par.* 3. scripsit dissertatione *de uno homine plures sustinente personas*. At hæc ipsa personarum multiplicitas, quæ in persona tantum materiali consideratur ratione munerum, et officiorum, quibus plerumque distinetur, numquam in iis admittitur que ab animo pendent, vel intellectu, tamquam individuo juxta Glossam *in cap. si quis juste §. Porro elect. in* 6.

Non erat ergo ambigendum in mi- 7 nori ætate adhuc versari primonatum,

propterea que ejusdem consensum, et approbationem ad exigendum non desiderari. Urgebat attamen Calzaronius, quod præsentia saltem, et interventus pupilli requirebatur ad solutionis legitimitatem, si ejusdem approbatio, et consensus non oportebat. Cum enim tutores iis dentur, qui, infantia durante, nihil per se agere valent, et quandoque nec etiam fari, ac e contra curatores iis concedantur qui fari possunt, et consentire *ad Text. in leg. sciendum* 20. *ff. de ritu Nuptiarum, et leg. in copulandis* 8. *cod. de Nuptiis*, *ideo concludebat* pupillos infantia majores, et pubertati proximos in eo puberibus æquari, quod tutorum, curatorumve gestioni interesse per se debeant; adeo ut irritum, infectumque habeatur quidquid egerint Tutores, et Curatores, inscio, et absente pupillo pubertati proximo. *Card. de Luc. de alienat. disc.* 35. *num.* 16. *et* 17. *Constantin. ad Stat. Urbis annot. XXV. art.* 1. *num* 75. *Rot. decis.* 191. *num.* 8. *cor. Carillo*, *decis.* 179. *num.* 11. *part.* 10. *et decis.* 105. *num.* 3. *part.* 16. *rec.* Sed quantum hæc omnia explorata in jure sunt, tantum a themate videntur extranea, quoties ex paterna voluntate Marchionis Osorio remissa censetur quoad filiorum interesse quælibet solemnitatum necessitas, et ampla Tutrici, ac Curatrici facta potestas exigendi » *da qualsivoglia persona somme di denaro*, o *altre cose per qualunque causa*, *e ragione tanto al presente*, *che in avvenire*, *con facoltà di eleggere*, *e sostituire Procuratori*, *di quietare*, *e cancellare i debiti* = absque ullo filiorum consensu, vel interventu.

8 Paterno judicio, quod venerari filii omnino debent, Sententia præterea accedit lata Matriti, qua declaratum fuit Ducissam d' Alcanices, nedum, qua Tutricem, sed qua Curatricem quoque suorum filiorum, pro lubitu omnia disponere posse, quin vel consensum, vel eorum præsentiam, ac interventum exquirat. In hisce rerum circumstantiis jura etiam nostra sinunt, ut Tutores, et Curatores libere moderentur pupillorum res, et negocia absque eorum approbatione, et consensu, eosque eximant ab omni cautione, et satisdatione, pupillum ratas habiturum res a Tutore gestas, quia vices domini gerunt *ad Text. in leg. Tutores* 13. *cod. de administr. Tut. Bruneman. in cod. lib.* 5. *tit.* 37. *ad leg.* 13. *Monton. de jure tutelar. cap.* 32. *reg.* 9. *num.* 30. Cæterum non de novo hic agitur ineundo contractu, sed de exigendo eo credito præexistenti, cujus satisfactionis onus a Grimaniis in Bonellium pervenit, et a Bonellio in Calzaronium. Jam vero, si irrita declaranda esset solutio a Calzaronio facta absque consensu, et interventu primonati, illud certe sequeretur, ut irrita quoque judicanda sit Concordia a Ducissa cum Grimaniis inita; perperam Censitus fundus distractus; perperam expleta delegatio; perperam retroventitæ ædes: quæ omnia nemo ex contrahentibus in discrimen adducit.

Tanto autem minus ulla solemnitato, et primonati consensu, vel præsentia indigebat expleta per Calzaronium solutio, quo certius erat actum illum necessarium quodammodo fuisse. 9
Oportet namque ad memoriam revocare, moram nectentibus, in fructuum solutione Grimaniis, Procuratorem hanc in rem a Ducissa constitutum judicio egisse adversus Grimanios ipsos pro condicenda restitutione capitis, et fructuum census, et jam quoad fructus obtinuisse mandatum, cujus exequutio super illis ipsis ædibus imminebat, quæ fuerant in censitum fundum constitutæ. At si placuit Grimaniis ædium subhastationi ac deliberationi parcere, et concordiam proponere, quam ultro accepto habuit Ducissæ Procurator, si loco subhastationis, et deliberationis venditæ Bonellio ædes fuerunt, eique facta nominis extinguendi delegatio: jam fit patens transactionem subrogatam fuisse subhastationi, et jura ea omnia, quæ ex subhastatione Ducissæ competebant, experiri eam posse vi transactionis, cum ex subrogatione, jura cuncta subroganti congruentia transeant in subrogatum *ad text. in leg. Qui jus ff. de Reg. Jur. Rot. cor. Dunozzet. Jun.*

decis. 651. *num.* 20. *cor. Molines decis.* 537. *num.* 8. *et decis.* 348. *num.* 22. *cor. Olivatio.* Atqui in actibus necessariis, qualis punctim subhastatio fuisset, nulla requiritur solemnitas. *Tiraquell. de leg. Connub. glos.* 8. *num.* 1817., *Rot. cor. Cerro decis.* 600. *num.* 3. 4., *et dec.* 202. *n.* 4. *cor. Lancet.* Ergo nec ipsæ solemnitates, et minorum interventus, ac præsentia oportebat in transactionibus, et in actibus aliis, qui transactionem, ejusque implementum sequuntur.

10 Actus necessitati addendum denique est emolumentum, et utilitas maxima, quam non unus primonatus, sed omnes Marchionis Osorio filii perceperunt ex inita transactione. Creditum enim capitis, et fructuum census, quod ipsi filii Marchionis Osorio experiebantur, cum iis debitoribus erat, qui a multis annis fructuum solutionem omiserant, et quorum obæratum patrimonium sub Aeconomi jacebat administratione. Agebatur rursus de eo nomine, cujus caput indole sua repeti a creditore non potest, qui de fructibus stato tempore percipiendis contentus unice esse debet. Quamobrem, si per transactionem habuerunt pupilli fructuum jam decursorum solutionem, et identidem obtinuerunt capitis restitutionem, modice, si rei indoles spectetur, nempe a scutis *decem millibus ad novem millia* redacti nemo non videt compendium, quod ex ea transactione in pupillos rediit, in quorum facultate fuit, insperatam capitis pecuniam sub majori fænore collocare. Notum autem est, quod ubi contractus mulieri ac minori utilis detegitur, nequit amplius impugnari ex defectu solemnitatum, quarum omissio illius exequutioni, et implemento non obstat, veluti firmarunt *Ascul. ad stat. Urbis tom.* 2. *annot.* 44. *num.* 680. *Constantin. ad stat. Ur. annot.* 44. *art.* 5. *num.* 516., et pluries judicavit Sacrum Nostrum Tribunal in Rec. *decis.* 173. *num.* 42. *part.* 11. *decis.* 446. *num.* 14. *par.* 13. *dec.* 337. *num.* 19. *par.* 19. *cor. Ubago dec.* 39. *num.* 15. *cor. Emerix Jun. dec.* 529. *num.* 3. *et cor. de Veri dec.* 135. *n.* 17.

Multo minus igitur impugnari poterit exequutio Transactionis, quæ tantam attulit utilitatem pupillorum patrimonio. Quamquam inanis prorsus erat Calzaronii querela de solutione facta Procuratori Ducissæ absque primonati consensu, vel præsentia, quoties ipse ad hanc peragendam solutionem coactus fuit ex Decreto Judicis. Qui namque Decreto Judicis facit, dolo facere non videtur, ac quemadmodum nulla redargui potest fraudis suspicione, juxta monitum *Glossæ in leg. Prætor ait.* §. *Permittitur Verb. Imputandam ff. de minoribus*, ita pariter immunia evadit a quolibet periculo reiterandæ solutionis. *Ciriac. controv.* 540. *num.* 73., *et sequ. Maur. de solut. cap.* 5. *num.* 45. *Rot. in Rec. decis.* 227. *num.* 21. *par.* 16. *et decis.* 383. *n.* 18. *cor. Ansaldo.* 11

Et ita partibus strenue dimicantibus definitum est.

ROMANA SEU NUCERINA

SEQUESTRI

AC

REDDITIONIS RATIONUM

Veneris 22 *Martii* 1822.

ARGUMENTUM

Patet ex Summario

SUMMARIUM

1. Servari semper debet inhibitio, donec debitor sese non obstringat ad illas omnes conditiones, quae in sententia jussae fuerunt.

2. Administrator rationem reddere debet, priusquam ab Admnistratione recedat.

3. Administrator antequam rationem reddat, si de re sociali ad libitum si disponere placet, bona propria in securitatem alterius socii, hypothecae subiicere debet.

4. As sociale, nequit socius in securitatem suo creditori concedere nisi prius administrationis suae rationes reddat.

5. Nequit impeti rationum redditio ab illo, qui non fuit haeres administratoris.

DECISIO CVIII.

Opus jam a R. C. A. incaeptum, ad novas Salinas in Agro Cornetano construendas, Nicolaus Sabbatucci postea anno 1807 perficiendum assumpsit. At, cum ipse unus tantum oneris ferre non posse cognosceret, socium sibi adscivit anno 1809 Josephum Rossi Vaccari. Verum non multo post bellicæ supervenere occupationes, aliæque publicæ calamitates, quæ incæpti operis perfectionem distinuerunt. Neque, restituto Sanctissimi Principis Imperio, melior evasit Sociorum conditio, cum multum ad ipsum opus absolvendum deficeret, ac magis etiam deessent Sociis, ad illius impensas ferendas, vires. Itaque de retrocessione cum R. C. A. ineunda actum est; ac tandem sic conciliata sunt omnia, ut eadem R. C. A. acceptam retrocessionem habuerit per tabulas die 25 Maii anni 1819 conscriptas inter ipsam Rev. Cam., atque Vaccarium, et Antonium, Nicolai Sabbatucci interim defuncti filium, et hæredem beneficiatum, summa Sociis *nonaginta* scutorum *millium* tributa, eisque numeratæ pecuniæ vice cessis = *Il Canone dell' Enfiteusi della Tenuta di Camposcala, e l'altro Canone per l'Enfiteusi della Castellania di Cellere* = quorum binorum canonum caput ad eam pecuniæ vim adscendere compertum fuit. Horum autem administratio uni Josepho Rossio Vaccario concredita iisdem in tabulis ab Antonio fuit = *fino allo stralcio de'Conti Sociali*.

Hæc vero cum rescivisset Joachim Sabbatucci, alter Nicolai filius, qui paternæ hæreditati valedixerat, atque ejus Conjux Mathildes Frisciotti, ille Nicolai hæreditatis creditor, donationis nomine, creditrix hæc itidem causa dotis, inscripta pro hisce creditis hypotheca, Administratorem Vaccarium inhiberi obtinuerunt, quominus prædictos Canones in eorum præjudicium distraheret. Tum Vaccarius apud A. C. Juridicos institit pro inhibitioni illius remotione. Judices vero optimo consilio decreverunt, Sententia lata die 31 Julii 1819., quod ea inhibitio submoveri posset hac sub conditione = *fatta però dal Signor Vaccari l' obligazione sotto valida ipoteca, di reintegrare i Conjugi Sabatucci, come di ragione, qualora dopo il rendiconto dello stesso Vaccari venga deciso, che il diritto dei suddetti Conjugi fosse poziore ai Crediti che lo stesso Vaccari sarà per pagare per conto della Società*. Noluit tamen hanc Sententiam acceptam habere Vaccarius. Quare, per appellationem ab eo interpositam, cum res ad Nostrum S. Tribunal definienda venerit. Dubium hodie proposui = *An, et quomodo sit servanda inhibitio in casu etc.* atque responsum accepi = *Affirmative juxta modum, nempe ad formam Sententiae A. C.*

1 Servandam quippe inhibitionem superius recensitam optime constituit S. Ordo, nisi Vaccarius, sese obstringat, ad formam Sententiæ A. C. = *sotto valida ipoteca di reintegrare i Conjugi Sabatucci, come di ragione, qualora dopo il rendiconto dello stesso Vaccari venga deciso che il diritto de'suddetti Conjugi fosse poziore ai Crediti, che lo stesso Vaccari sarà per pagare per conto della stessa Società* =. Etenim de Conjugum Sabatucci, ac Frisciotti creditis constat ex Rotali Rejudicata, qua ii Creditores hæreditatis Nicolai Sabatucci, tum dotis, tum fructuum, tum donationis nominibus fuere renunciati, atque ideo justitia exigit id omne, quod ad eam hæreditatem spectare comperiatur, cedere debere in satisfactionem prædictorum Conjugum, ne a potioribus Creditoribus ejusdem hæreditatis ipsi vincantur. Cum itaque superius enunciati Canones pro dimidia parte ad eam pertineant hæreditatem, eos administratori Vaccario vetitum jure fuit distrahere in dimissionem etiam socialium Crediterum, si ipse = *sotto valida ipoteca* = obligationem haud emittat redintegrandi prædictos Conjuges, si post redditam ejus administrationis rationem, in aperto sit = *che il diritto dei Conjugi sia poziore ai Crediti, che lo stesso Vaccari sarà per pagare per conto della stessa Società*.

2 Rationum vero redditione per Vaccarium exponenda opus omnino est,

ut dignoscatur quid de sociali substantia ad Nicolai hæreditatem spectante extet; atque ad rationes prædictas exhibendas Vaccarium, et *pactum*, et *Jus* obligat. Conventum siquidem in superius recensito Instrumento anni 1819 fuit, quod Canones, in Socios a Rev. Cam. translati = *si dovranno esiggere, ed amministrare sino allo stralcio dei Conti sociali dal solo Signor Giuseppe Vaccari deputato amministratore della Società* =. Legis vero sanctio est compertissima, quod Administrator rationem reddere debeat, priusquam ab Administratione recedat per *Tex. in Leg.* 1 § *Officio de Tut. et rationum distribut. Rota in Aquilana dotium, et administrationis multiplici* 10 *Maii* 1751 § 2 *coram Matthejo, et in Recineten. Redditionis Rationis* 26 *Martii* 1819 § 5 *coram R. P. D. Meo Spada.*

3 Cum itaque suæ administrationis rationem reddere debeat Vaccarius, si, antequam eam exponat, de sociali re ad libitum ei disponere placet, bona sua in securitatem Joachim, ac Mathildis, hereditatis Nicolai creditorum, hypothecæ subiiciat, aut, si hoc ei non arridet, a quacumque socialis substantiæ alienatione se abstineat, eamque sibi vetitam esse sinat, donec, rationibus expositis, demonstret, nihil in Nicolai Sabatuccii hæreditatem pervenire posse e cessis prædictis Canonibus, quia integer horum As in Societatis potiores creditores dimittendos cedere debet; id enim si non evincat, prædictorum Conjugum jura super iis Canonibus firma semper manebunt, quin possit, vel illos, vel eorum pretium, aut ipso, aut quilibet alius, uti Societatis Creditor, sibi asserere, sicuti ad rem firmavit S. Nostrum Tribunal *in Romana seu Veliterna Cauthelæ Angeli* 1 *Decembris* 1805 § 4 *coram R. P. D. meo Bussio, et in Romana Pecuniaria quoad pecunias immissas in Arcam* 10 *Junii ejusdem Anni* § 5 *coram Eodem.*

4 Quod vero ipse asserit de jam dimissis ære proprio socialibus Creditoribus nullo prorsus in pretio habendum est. Etsi enim id ei concederetur, non exinde tamen melior ipsius fieret conditio. Simul enim planum faceret oporteret, nihil ob soluta, aut solvenda credita superesse, ut cæteri etiam creditores dimitti possint, nihilque proinde pro Nicolai Sabatucci hæreditate reliquum esse, cum integer socialis As ab alieno ære absorbeatur: quod numquam utiliter ab ipso proponi poterit, nisi prius administrationis suæ rationem reddat ad firmata per *Rot. in Romana Pecuniaria quoad solutiones* 10 *Junii* 1805 §. 2 *coram R. P. D. meo Bussio, et in Romana Accomanditae quoad solutionem creditorum* 8 *Junii* 1818 § 2 *et* 3 *coram Reverendissimo P. D. meo Decano.* Patet igitur ex hisce optime omnium indemnitati consultum fuisse modo a Triumviris A. C. constituto, et a Patribus probato.

Futiliter autem prorsus adversus hæc 5 obiicit Vaccarius socialem substantiam, cessosque Canones nil comunis habere cum bonis, ac hæreditate Nicolai Sabatucci pro superius recensita donatione erga Joachim, et dote Mathildis obstrictis. Etenim cum Societas contracta fuerit inter Vaccarium, et Nicolaum, et cum in hujus Societatis causam cessi a Rev. Cam. canones fuerint, plane consequitur horum medietatem hæreditati Nicolai esse adscribendam, et ideo quidquid ex iis supersit, dimissis creditoribus potioribus prædictis conjugibus, horum creditis, uti cætera Nicolai bona pro dimidia parte obnoxium esse. Inaniter etiam ipse proponit ad rationum exhibitionem sese adigi haud posse, nisi a die obitus Nicolai, quia per præcedens tempus administrationi præcipue incubuerunt Nicolaus, ejusque filius Antonius, qui de proprio, ac paterno facto tenentur. Hoc enim objectum ad Joachim pertinere haud potest, cum ipse patris hæreditati prorsus valedixerit, ut adversus eam sua credita proponere, et ab ea assequi posset. Urgeat itaque Vaccarius Antonium, qui Nicolai hæres est, ad redditiunem rationis, sed numquam poterit, ob rationes ab Antonio nondum expositas,

sese ab iis exponendis eximere in co; quod ad ipsum particulariter spectat, præsertim quod canones, quorum exactio, atque administratio ei fuit concredita = *fino allo stralcio dei Conti sociali, come deputato Amministratore della Società in mancanza del fù Niccola Sabatucci.*

Et ita etc. Utraque etc.

ROMANA SEU TYBURTINA

PECUNIARIA

Veneris 1 Martii 1822.

ARGUMENTUM

Habes in superiori quae confirmatur - DECISIO LVI. -

SUMMARIUM

1. Ea est indoles conditionis resolutivae, ut conditione non impleta, actus ex defectu consensus perimatur, ac si nunquam intercessisset.

2. Conditioni resolutivae fit locus, si debitor solutionem, statuta die, detractat, ac mandatum sivit adversus se expediri.

3. Incivile est, ut quis adversus suum factum insurgat, illudque reprobet, quod antea agnovit.

4. Ubi adest conditio resolutiva, non contraventoris voluntas, sed simplex contraventionis factum inspici debet.

5. Qui bonam fidem manifeste fregit, frustra morae purgationem implorat.

6. Qui morae purgandae beneficio expresse renunciavit, adhibita juramenti religione, nefas postea ei est illud implorare.

Ubi in contractibus dies certa praestituta est, nulla opus est interpellatione, quia dies interpellat pro homine - ibidem. -

7. Cum Implementi praeceptum sequitur commodi adeptionem, praeceptum ipsum non per modum conditionis, sed per modum paenae adjectum censetur.

8. Quaevis, quoad naturam conditionalis pacti exulat dubietas si clausula adhibita fuit - con patto espresso, e non mai per pena.

Pactum illud, quod nullam continet rei amissionem, vel pretii solutionem ultra debitum, longe distat a pacto paenali - ibid. -

9. Nullus amplius extat purgationi morae locus, nisi creditor juri suo, quod a sententia sibi quaesierat, expresse valedixit.

Per acceptam solutionem, creditor ab jure suo recedit, tunc tantum, cum de devolutione agitur, quia gravissima est paena. - ibidem. -

DECISIO CIX.

Comes Septimius Bischi, et Aloysius Soveri, cum ad emendos Agros in Territorio Tyburtino jacentes, venales factos a Gallis occupatoribus, qui iis Spoliaverant Venerabile Monasterium Divi Gregorii, necessaria pecunia carerent, die 9. Martii 1812. = uti narrat *mea præter Decisio* die 23. Martii elapsi anni in vulgus edita, scuta 4485. 98. ½ a Comite Antonio Brignole Sale Januensi, per ejus procuratorem Gramiccia, sub fænore acceperunt spondentes sese hano pecuniam ei intra octennium restituturos, *quincuncibus* usuris interim repensis, de semestri in semestrem repræsentandis; hac tamen accepta Lege, ut, si ipsi in solutione fructuum per binos semestres moram facerent, creditoris esset in arbitrio statim integrum sortis caput ante præstitutam restitutioni diem condicere. Datam debitores fidem haud servarunt, ita ut creditor judicio adversus eas agere semper debuerit, quin tamen præ sua benignitate resolutivo pacto uteretur. Sexto vero, post initum contractum, labente anno, et jam oportuno tempore sui crediti usuris, post Pontificium restitutum Imperium, Juxta Edictalem notissimam legem a Brignolio suffultis legitima, et judiciali auctoritate probata, denunciatione requisitorum Castrensium, cum restituendæ pecuniæ præstituta dies adventaret Bischius, liberato, cum Brignolii assensu, ab omni cambiali obligatione Sceverio, totum in se cambialis debiti onus die 17. Julii anni 1818. suscepit; atque sese imparem noscens ad solutionem integri capitis convento tempore explendam, longiores inducias, facilioremque solvendi modum a Creditore imploravit, qui, ejus precibus annuens, summa bumanitate, oblata sunt *quingenta* in singulos annos mense Decembris solvenda usque ab debiti extinctionem accipere non recusavit.

Sed anteriori experientia edoctus, nam Bischius fere usque ab initio in solutione fructuum nectere moras cæperat, ita ut pluries sibi opus fuerit Judicis auctoritate, ut eum ad fidem implendam cogeret, ut superius fuit expositum, haud alias hanc dilationem ipsi Brignolius indulsit, nisi, confirmatis iis omnibus, quæ ad sui cautelam conventa fuerant in primo Instrumento, lex altera accederet, ut si debitor in binis ratis capitis solvendis morosus evaderet ab impetrata dilatione statim laberetur = *non per pena, ma per condizione* = et sibi solidum illud caput statim reddere teneretur. Praeterea, ut ejus indemnitati magis consultum foret, nullaque unquam oriri posset ambiguitas, quæ ejus actionem ad integrum caput etiam ante diem reposcendum remoraretur, Bischius purgationis moræ beneficio, religione juramenti adhibita, valedixit et pactum resolutivum adjectum fuit = *giacchè senza una tal condizione il Sig. Gramiccia nel nome sudetto non sarebbe mai condisceso ad accordare la detta dilazione* = quæ præcipua habent pacta solemnes tabulæ prædicta die 16. Junii anni 1818. exaratæ.

Rebus ita compositis, putavit Brignolius in fide debitoris tutum sese conquiescere posse. Sed spes eum fefellit, suæque liberalitatis se debuit vehementer pænitere, cum ea, quae Bischius promiserat, sollicitus deinde pari modo non fuerit facto servare. Nam, cum clapso anno 1818. solutio venerit primæ ratæ capitis, et primi semestris fructuum, eam debitor non explevit, ita ut, cum amica studia nil profecissent, necesse fuerit Creditori coram Assessore A. C. pro ea decursa, et non soluta capitis rata, sine præjudicio fructuum judicio adversus eum agere, ut ad contractus exequutionem juxta pacta conventa ipsum obstringeret. Sed nil ei profuit consonum votis retulisse die 23. Junii anni 1819. Decretum, et Mandatum obtinuisse, quia Bischius quidquam persolvere obstinate renuit. Deinceps die 30. Junii 1819. alius fructuum Semestris terminus cessit, et, cum debitor ne obulum quidem repræsentaverit, novo judicio instructo, alterum Judex A. C. Decretum protulit, mandatumque exequutivum relaxavit. Annus postea 1819. elapsus est; sed tum etiam secunda rata capitis, et alterius fructuum semestris soluta haud fuit.

Hinc itaque creditor tanta debitoris morositate fatigatus, rupta demum patientia, cum noverit ex defectu implementi conditionum ob binas ratas, *tum* capitis, *tum* fructuum, non solutas, integrum Cambiale creditum reposcere sibi licere, coram Triumvirali Juridico A. C. Conventu institit pro assequutione scutor. 3984., et obul. 97. ½ nemine reliqui sortis, et fructuum crediti = *senza pregiudizio di altra rata di sorte, e frutti di già giudizialmente richiesti* =, et consonam votis Sententiam obtinuit die 19. Februarii anni 1820. Tum Bischius aliquid, tam pro fructibus, quam pro sorte debiti solvit, quod Brignolii Procurator Gramiccia recepit mense Martii ejusdem anni = *a forma in tutto, e per tutto del Giudicato del Tribunale Collegiale dell'A. C. emanato li 19. Febraro anno corrente al quale non s'intenda fatta alcuna innovazione* = Deinceps vero, cum causæ cognitio per Rescriptum, quod Bischius a Signaturæ Tribunali obtinuit = *de Appellatione non retardata solutione ratarum decurrendarum* = ad S. nostrum Ordinem fuerit delata, in Comitiis die 23. Martii superioris anni Patres per me interrogati = *An sit locus restitutioni Cambii, et solutioni fructuum adhuc debitorum in casu etc.* = Responsum reddidere = *Affirmative* in *omnibus* = Adversus hanc Decisionem indulta Bischio obloquendi venia, ac re iterum discussa 6. Julii ejusdem anni, anceps hæsit judicium; Quare *Quinto, et Sexto* ad suffragium ferendum adscitis, hodie tertio Causam definiendam proposui sub Dubii de more formula = *An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu etc.* =, ac, Bischio Vadimonium deserente, Responsum pro Brignolio *Informante* prodiit = *In Decisis* =.

Quod sane responsum, præcedentem 1
confirmans Decisionem, justitiæ prorsus consonum est. Nullum enim subeunt ambiguitatem utriusque superius relati

Instrumenti verba. Siquidem in primis tabulis anno 1812. exaratis literali pacto Bischius atque Severius, cum Brignolio Creditore convenerunt = *Che maturate due rate consecutive di frutti, e non pagate resti in libertà di detto Signor Conte Brignole di domandare l'intero Capitale* =; et rursus in altero Instrumento anni 1818. confecto dum Bischius integrum in se Cambiale debitum suscepit, in quo nil quoad illud pactum novatum extitit, ita inter contrahentes conventum fuit = *che mancando al pagamento di due rate consecutive sia in libertà del detto Signor Conte Brignole, di domandare il pagamento dell'intiera residual sorte* = Cum igitur ambigi in facto nequeat, quod debitor per binas ratas sortis, et per binos semestres fructuum morosus evaderit, et fidem haud servaverit, nulla vel minima superesse potest dubitatio, quin stipulatio fuerit commissa, et debitor a concessis induciis ceciderit, ita ut cum fructibus decursis integrum caput ulla absque mora reddere teneatur. Non enim licet pro alterius contrahentis arbitrio pactorum religionem ipfrigere, eamque obligationem reiicere, quam quisque suscepit, uti advertit *præter. Decis.* §. 5. Eo vero præsertim, quia Bischius ita quam fidem obstrinxit, ut ejus implementum expressam conditionem faceret, pactumque resolutivum indultæ dilationi induceret = *giacchè senza una tal condizione il Signor Gramiccia nel nome sudetto non sarebbe mai condisceso ad accordare una tal dilazione* = Itaque, cum Bischius appositam dilationi legem haud impleverit, illud in jure per necessarium consequens descendit, quod dilatioea sub lege concessa irrita evaserit. Ea est enim indoles, et natura conditionis resolutivæ, ut ex defectu consensus actum perimat, ac si nunquam intercessisset, et omnimodam ejus resolutionem inducat in casu, quo conditio non impleatur, ut pluribus firmata auctoritatibus animadvertit præcedens Decisio §. 5. Suo igitur usus est jure Comes Brignole, dum morosum debitorem, erga quem tanta liberalitate egerat, ob inadimplementum pactorum ursit pro integra capitis restitutione assequenda, ac summa justitia primum Triumvirale Collegium A. C., deinde S. Nostrum Tribunal ejus adhæsit instantiæ.

Hæc, quæ certissima erant in jure, 2
funditus evertere præ viribus Bischius conabatur, mordicus contendens, sese nec a binarum ratarum Capitis, nec a binorum fructuum semestrium solutione cessasse; idque insinuare studebat ex ipsa creditoris instantia coram A. C. emissa, qua cum hic postulasset = *la restituzione della sorte residuale in Scudi* 3984. 98. *e il pagamento di Scudi* 112. ½ *frutti decorsi a tutto Decembre* 1819 = usus est probare satis jam factum fuisse solutioni primæ capitis ratæ, ex qua imminuta sors extiterit, et fructibus ante ultimum semestrem decursis. Sed inania simul, atque falsa. Sat enim est animadvertere constantem Bischii repugnantiam solutioni, tum ratarum capitis, tum fructuum, ut statim corruat omnis hujus exceptionis moles. Incidit enim die 30. Decembris anni 1818. primæ capitis ratæ, et primi semestris fructuum solutio; sed debitor, licet amice monitus, et postea judicio lacessitus, solutionem detrectavit, et perinde ac si obstrictus ad eam pecuniam Brignolio præstandam non esset, ita pertinaciter obstitit, ut potiusquam suæ obligationi satisfaceret, mandatum si verit adversus ipsam expediri. Elapsus est deinde mense Junio ejusdem anni alter fructuum semestris, et pro ea condicenda pecunia altero mandato exequutivo opus fuit. Effluxo demum anno 1819. soluta haud fuit secunda capitis rata, nec fructus alterius semestris. Quæ igitur cum ita se habeant, nemini dubium esse poterit, quin Bischius per binas capitis ratas, et per binos fructuum semestres a solutione cessaverit, ita ut jure meritoque in vim utriusque Instrumenti condemnatus fuerit ad præstandum a Brignolio una cum decursis, et non solutis crediti fructibus, integrum etiam, solidumque caput.

Verum, ut magis exulet quælibet 3
dubietas, accedit, quod Bischius cor. Trib. Colleg. A. C. nil adversus suam

moram obmussitare ausus fuit, uti ab illius Tribunalis Sententia apertissime evincitur = *Considerando, che dal Reo Convenuto non si è contradetta in verun modo la morosità nel pagamento di due rate scadute* = Urget insuper, quod ipse eam Sententiam, qua condemnatus fuit ad integram capitis restitutionem, accepto habere visus est, dum ad illius tramites in ejusque sequelam aliquid persolvens passus fuit, quod Brignolius illud reciperet = *in saldo di due semestri frutti maturati a tutto Decembre* 1819., *ed in diminuzione del Cambio in tutto, e per tutto a norma del Giudicato a cui non s' intenda fatta alcuna innovazione* = Quare, cum ex his numquam de sua incursa mora ipsum debitorem dubitasse pateat, nimis ei est incivile, et ab jure devium, ut adversus suum factum nunc insurgat, illudque reprobet, quod antea agnoverat, nec inficiari potuerat. Neutiquam vero Creditoris Instantiæ verbis resistit, quod Bischius moram solutioni binarum ratarum capitis, et duorum fructuum semestrium fecerit. Nam, cum Brignolius coram Tribunali Collegiali A. C. Scuta 8984. 98 ½ pro residuo capitis, et unum fructuum semestrem postulasset = *Senza pregiudizio di altra rata della sorte, e de frutti di già giudizialmente richiesti* = pro quibus nimirum consequendis mandatum exequutivum jam fuerat relaxatum, et cum a Triumviris A. C. judicium latum fuerit creditoris petioni congruum = *salvi a favore dell' Attore, tanto altra rata di sorte già scaduta, e respettivi frutti* = longe abest, ut res ipsa per se loquitur, quod Creditor ultro admiserit sibi tantum unam ratam capitis, et unum fructum semestrem deberi.

4 Hisce Bischius perstrictus, cum probe noverit nullum sibi patere aditum, post moram in solutionibus factam, ad declinandam integri capitis restitutionem, eo confugiebat ut contenderet quod etiam si ipse datam fidem non exsolverit, non prius tamen caducitas ab indulta dilatione suum sortiri deberet effectum, quam de ejus dolo, et protervia constaret, et monitus ipse, et interpellatus esset, ita ut nulla spes maneret, quod ipse ad officium rediret. Verum utrumque studio prorsus inani. Nullius porro roboris erat exceptio, quam primo loco is proferebat, sese nempe, cum nullo dolo, a culpa a solutione cessaverit, dilationis beneficio non esse privandum. Non enim ob culpam, et dolum Bischii, dilatio ei ad debitum dissolvendum inducta evanuit, sed ex ejus simplici, et materiali facto, non expletæ statis temporibus solutionis, *tum* ratarum capitis, tum fructuum. Nam, cum Brignolius non aliter eis induciis suum præbuisset consensum, nisi conditione resolutiva accedente, ut ob moram in binis solutionum terminis factam dilationis concessio irrita fieret, non contraventoris voluntas, sed simplex contraventionis factum inspici debet.

In jure igitur hæc exceptio corruit; 5 sed etiam *in facto* concidit. Futilia quidem nimis erat Bischii socordiæ excusatio, quod anno 1819. ingrata agricolis terra, et steriles agri impares reddiderunt fructus, ut obligationi, quam ipse susceperat, implendæ satis essent; jactata enim ea sterilitas nullo procul dubio impedimento esse haud poterat, quominus conventæ capitis, et usurarum ratæ præstari stato tempore debuissent, quas nunquam sibi exsolvi Brignolius pactus fuit cum fructibus, qui e prædiis percipiendi erant. Deterior vero altera excusationis ratio ex eo deducta, quod Bischius latifundium *Vallepietra* vendere citius nequiverat, cum quo debitum dimitteret. Aperti enim commenti eum arguunt, quæ postea sequuta sunt. Nam postquam Bischius illud prædium alienavit, licet ex eo scut. 7000. retraxerit, non solum nec binas integras sortis ratas, jam decursas, repræsentare sollicitus fuit, sed nec in posterum quidquam unquam persolvit, et si non aliter Signaturæ Tribunal Appellationem ei indulserit, nisi lege adjecta = *non retardata solutione ratarum decurrendarum* = Magno itaque animo post hæc Bischio opus est, ut suam bonam fidem extollat, quam manifeste fregit,

cum præsertim ipsum juvare ea non posset ».

6 Eadem etiam futilitate altera laborat exceptio, qua Bischius contendebat sese nullam moram contraxisse, quia antea erat interpellandus. Sed inania fundebat verba de interpellationis necessitate. Neutiquam enim interpellatio omissa dici poterat in themate, cum debitor toties fuerit judicio lacessitus pro fructibus, et pro capitis ratis, quorum solutionis dies venerat, ut animadvertit *præter. Decis*, §. 9. Exploratissimi enim juris est, quod debitor, post litis contestationem incidit in moram ut *Rot. docet in Decis. Tusculana Pecuniaria* 27. *Junii* 1802. §. 5. *cor. cl. me. Guardoqui.* Verum, et si ea interpellatio necessaria fuisset, attamen plura objectum funditus everterent. Primo enim, cum Bischius moræ purgandæ beneficio, quod æquitatis, et humanitatis est, expresse, adhibita etiam juramenti religione nuncium miserit, ne fas postea ei erat illud implorare, ut monstrat *prœt. decis.* §. 6. Accecit deinde, quod dies certa in contractu præstituta erat ad solutionem explendam, quibus in terminis nulla opus esse interpellatione nemo prorsus ignorat, ex juris vulgatissima regula, quæ jubet diem pro homine interpellare, ut quamplurimis firmata auctoritatibus statuit *præter. Decis.* §. 7. Omnem demum tollit difficultatem, quod Brignolius inducias debitori non aliter indulserit, nisi verbis resolutivam conditionem expresse ferentibus, si ipse binarnm ratarum solutionem negligeret. Nam cum pactum resolutivum tollat contrahentium consensum in casu, quo conditio impleta non fuerit, ex neglecta promissi fide, statim contractum revocat, ac si nunquam intercessisset, et quodvis excludit moram purgandi beneficium, ut superius jam fuit animadversum, et notat *præcedens Decis.* §. 8. Tum igitur obexpressam juratam renunciationem, *tum* ex temporis præfinitione, *tum* demum ex adjecta resolutiva conditione, nullam interpellatio erat necessaria, ut Bischius constitutus censeretur in mora, et adigi posset ad solidi capitis restitutionem.

Vim autem conditionis resolutivæ Bischius agnoscens, ad removendos illius effectus, totus in eo erat, ut rem esse de pacto pænali, haud vero conditionali ostenderet, atque idcirco famigerata sese tuebatur Aretini theorica *in leg.* 134. *ff. de verb. obligat.* Qua edocemur quod, cum implementi præceptum sequitur commodi adeptionem, præceptum ipsum non per modum conditionis, sed per modum pænæ adjectum fuisse censetur. At nil ei prodesse valet objecta Aretini theorica, cum constet ex contrahentium voluntate de pacto conditionali, haud vero de pænali in themate agi. Scite enim Marscianus docet *in leg.* 2. *ff. de his, quæ pœn. caus. relinq.* = *Pænam a conditione voluntas Testatoris separat, et an pæna vel conditio sit, ex voluntate defuncti apparet* » Hoc vero posito, pactum, quo cautum fuit, quod, si insoluti effluxissent bini ratarum capitis, et fructuum termini, Bischius statim adstrictus esset ad restituendum Brignolio una cum usuris decursis etiam solidum caput, expressam conditionem præseferre ex voluntate contrahentium, manifestissimum est. Sat est integrum perlustrare Instrumentum, ut quævis quoad naturam conditionalis pacti exulet dubietas. Siquidem ea obligatio adjecta fuit = *d' accordo* = *con patto espresso*, *e reciprocamente convenuto* = *e ciò per patto espresso*, *e non mai per pena* = *giacchè senza una tal condizione etc.* » Nisi igitur aperta vis fiat evidentissimæ verborum significationi, quibus pæna omnimode excluditur; nisi voluntas contrahentium, quæ magis perspicua desiderari non posset, pessumdetur omnino, fateri necessario oportet, apertam conditionem non vero pænam illud pactum exhibere. 7

Quod ex aperta verborum significatione descendit, eorum ordini etiam congruit. Quare etsi Aretini theoricæ stricte esset inhærendum, ut dignosceretur, an ea obligatio per modum pænæ, vel conditionis apposita contractui fuerit; nil tamen Bischius proficeret, quippe quia conditio concessionem dilationis præcessit. Et sane a 8

conditione ceptum est in Instrumento anni 1818., siquidem novari contractum non placuit, nisi » *con le condi-*
1 *zioni peraltro, che si dirà in appresso* = quarum una fuit, quod longiores induciæ solutioni concederentur. Cum igitur conditio superaddita in secundis tabulis fuerit, priusquam dilationis beneficium in debitorem collatum esset, non modo contra expressam voluntatem contrahentium, sed etiam contra apertam Instrumenti literam Bischius agit, dum illud pactum fuisse conditionale tanto studio inficiatur. Præterea magis exulat omnis difficultas, si perpendatur illud pactum nullam continere amissionem rei, vel pretii solutionem ultra debitum, sed solum ad majorem creditoris cauthelam respicere; quibus in terminis pactum, quod debitor cogi possit, etiam ante diem; ad solvendum, longe distare a pænæ substantia, immo esse conforme dispositioni juris tenuit *Rot. in decis.* 218. *num.* 15. *part.* 5. *decis.* 112. *num.* 10. *part.* 10. *recent.* Qua de re, si undique dignoscitur pactum, de quo agitur, adjectum fuisse ad conditionem faciendam, sileat oportet longa, quæ afferri consuevit a Bischio auctoritatum series ad demonstrandum sese dilationis beneficio privari non posse, quin prius de suo dolo. et fraude in contraveniendo constiterit, atque judicialis interpellatio præcesserit. Omnes enim illæ Auctoritates larga manu congestæ, locum obtinentes in casu pænalis pacti, prorsus aberrant a præsenti themate, in quo contractus apertissimam conditionem resolutivam exhibet, sine qua creditor nunquam eam dilationem concessisset ut animadvertit mea *præter decis.* §. 8.

9 At, si ob conditionis inadimplementum ab indultis induciis Bischius lapsum fuisse probandum foret, mora tamen purgata extitit, caducitasque remissa fuit, quia, post latum a Triumviris A. C. Judicium, Brignolius, præter binos fructuum semestres, aliquam pecuniæ vim pro ratis capitis decursis a Bischio recepit. Ultimum hoc erat præsidium, ad quod Bischius confugiebat, ut integram sortis restitutionem declinaret. Sed non minus erat cæteris futile, et inane. Primum enim absurdum erat moram purgatam extitisse ex alicujus summæ solutione, quæ antea numeranda erat, et quæ præsertim satis non erat ad integras binas jam decursas capitis ratas dimittendas. Deinde, licet conditionis implementum sequutum fuisset, tamen nullus amplius extitisset purgationi moræ locus, nisi creditor juri suo, quod non solum ex litis contestatione, sed etiam a Sententia sibi quæsierat, expresse valedixisset. At minime in themate censeri potest suo juri nuncium misisse Brignolium, qui ita sartam, tectamque servari sibi voluit integri capitis condicendi facultatem, ut acceptilationem pro recepta summa non alias emiserit, nisi » *in forma in tutto, e per tutto del Giudicato dell' A. C. a cui non s' intende fatta alcuna innovazione* = Proximum igitur calumniæ erat, quod a Bischio proponebatur, ex facto acceptæ debiti partis sibi remissam a creditore habendam esse caducitatem, ut statuit *præter. decis.* §. *final.* Quotquot autem auctoritates ab eo afferebantur ut suaderet per acceptam solutionem censendum esse, quod creditor ab jure suo recesserit, extraneæ prorsus erant a themate. Tum enim hæc regula, quæ tamen controversia haud vacat, teste *Decis* 749. 29. *coram Emerix Jun.* ab ipso Bischio allata, obtinet, cum de devolutione agitur, quæ gravissima est pæna, maximoque legis odio obnoxia est, et cum dominus directus aut silens, aut generica tantum jurium suorum usus reservatione, integri debiti solutionem accepit: Minime igitur casum, de quo quæstio est, respicit, in quo jus repetendi integrum caput, non a pænali, sed a conditionali pacto pendet omnino. et in quo præsertim creditor juri suo, jam quæsito, per acceptam exiguam sui crediti partem, nullum inferri præjudicium posse expresse declaravit.

Et ita *Quinto*, *et Sexto* ad suffragium ferendum accedentibus resolutum 10
fuit Altera tantum etc.

SABINEN IMMISSIONIS

Lunae 3 *Junii* 1822.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur « DECISIO LVIII. »

SUMMARIUM

1. *Quoties testator haeredibus institutis substituit* - i figli de' detti suoi eredi - *idem ferme est, ac si substituisset* - i figli dei detti conjugi. -

   Verba - detti - predetti - *easdem personas in testamento nominatas, cum iisdem qualitatibus designat - ibidem.* -
2. *Beneficium repraesentationis. tam in successionibus ab intestato, quam in fideicommissis locum obtinet.*

   Ne fideicommissum deficiat, aut ad extraneos perveniat, filiorum nomine vocati censentur etiam nepotes - ibidem. -
3. *Inflectere potius licet verba testamenti, quam postremam testantis voluntatem eludere.*
4. *Ad declinandum absurdum, quod haereditas ad filias secundi conjugii deferatur praesumi potius debet de nepotibus etiam testatorem cogitasse.*
5. *Suspicari non licet, testatorem in fideicommisso ordinando ab juris dispositione voluisse aberrare.*

   Si substitutionis effectus incertum respicit, ac futurum eventum, filiorum nomen porrigitur etiam ad nepotes - ibidem. -
6. *Aequalitas successionis semper est admittenda, ubi par ratio, et dilectio concurrit.*
7. *Simplex vocatio per verba* - *si sine filiis* - *simplicem vulgarem substitutionem importat.*
8. *Relatio quam habuit testator ad filios* - di detti suoi eredi - *excludit filios, qui ex altero matrimonio oriri possent.*
9. *Repudiatio haereditatis ad unum finem emissam, ad alterum longe diversum protrahi nequit.*

   Filii qui vocantur jure proprio ad fideicommissum, nequeunt praejudicari ex renunciatione a matre emissa - ibidem. -
10. *Maxime confert ad dignoscendam testatoris voluntatem interpretativa observantia.*
11. *Haereditas non adita non transmittitur.*

    Cessat jus accrescendi, si cohaeredum institutioni addita sit a testatore substitutio - ibidem. -

DECISIO CX.

Repulerat Prætor Montis Leonis actionem, quam adversus Antonium, ac Ignatium germanos Fratres Saburri *ex leg. fin. Cod. de Edict. Div. Adr. tollen.* instruxerant Ignatius, Dominicus, et Antonius Saburri illorum Patrueles, ex eodem avo paterno Theophilo, ac ipsi rei conventi, sed ex diverso illius conjugio provenientes, ut binas ex tribus partibus fideicommissariæ hæreditatis obtinerent, quam Alexius Gengaroni Sabinus in extremo elogio nepti reliquit Mariæ Clementiæ Sansonetti, ejusque viro prædicto Theophilo Saburri, ac = *ai figli di detti suoi Eredi* =, fideicommissi nomine. Licet autem actoribus ad Juridicum A. C. Collegium provocantibus, priori infirmata Sententia, tributa fuerit immissio ad dimidium Fideicommissi tantum; gradum tamen fecit controversia ad Sacrum Nostrum Tribunal, ubi proposito per me Dubio = *An sit danda immissio in casu etc.* = Post semel distracta suffragia, adscitoque ad rei cognitionem *quintum, et sextum*, responderunt Patres *Negativo* Rescripto, veluti fusius apparet ex superiori mea Decisione, in vulgus edita ad diem 11 Maii anni 1821., quæ rei speciem, Causæque vices exponit. Nec meliorem sortem experti in hodiernis Comitiis Actores fuerunt post cis tributam a Sacro Ordine adversus eam Decisionem obloquendi facultatem; nam re iterum expensa in *Decisis* Patres perstiterunt.

Denuo siquidem patebat Actores a 1
judicio repellendos esse notissimo juris adagio = *Substitutio de te non loquitur* = Semelac enim Alexius, Fideicommissi auctor, hæredes sibi nuncupavit Mariam Clementinam, ac Theophilum conjuges, ac contextim jussit, ut integra servaretur hæreditas = *per i figli di detti suoi Eredi* = dubitari profecto non poterat, quin de iis unice filiis intellexerit, qui ab eodem erant nascituri Mariæ Clementiæ, et Theophili Matrimonio. Quoties profecto primis hæredibus institutis substituit Alexius = *i figli de' detti suoi Eredi* = idem

ferme est, ac si substituisset = *i figli dei detti Conjugi* = cum compertissimi alioquin juris sit ea verba « *detti* » *predetti* easdem personas in Testamento nominatas cum iisdem qualitatibus, circumstantiis, et rerum adjunctis designaro. Cum ergo extranei ab Alexii Fideicommisso censendi sint ii omnes, qui ortum a connubio Mariæ Clementiæ, ac Theophili non duxerint; tum illud retinendum, in uno *Paulo*, qui ab ipsis Maria Clementia, ac Theophilo vitam suscepit, ac Fratribus superstes fuit, sive in ejus filiis, qui sunt rei conventi jus substitutionis coaluisse, cæterosque a successione prohiberi, quos enixa est uxor altera Theophili Catharina Loreti, a qua Actores descendunt, ut arguit prima mea *Decisio* § 3.

2 Verum, posita etiam vocatione ad Fideicommissum Alexii, eaque cohibita solum ad filios Mariæ Clementiæ, ac Theophili, urgebant, qui a partibus Actorum erant, defecisse Fideicommissum, statim ac Theophili, et Clementiæ fili, Leo, Ignatius, et Paulus mortem obierunt, antequam Theophilus ipse moreretur, in quo propterea adeo libera evasit Fideicommissi substantia, ut eam ad omnes filios suos ex quocumque ejus conjugio ortos, vel eos, qui hos repræsentant, æque transmiserit. Sed quamquam Theophilo prædecessorint Paulus, ejusque Fratres, reliquit nihilominus idem Paulus duos filios Antonium, et Ignatium Juniores, quos ad fideicommissum vocatos fuisse ex beneficio *repraesentationis*, indubium est, cum illud tam in successionibus ab intestato, quam in Fideicommissis obtineat *ex Gloss. in leg. Cum ita §. In fideicomm. ff. de legat.* 2 *Peregrin. de fideicom. Art.* 21 *num.* 6 *Mart. de success. legal. par.* 1 *quæst.* 23 *Art.* 1 *num.* 9 *Mantic. de conjectur. lib.* 8 *tit.* 9 *num.* 3 *Rot. decis.* 355 *num.* 2 *cor. Priolo, decis.* 89 *num.* 67 *cor. Ansaldo, et decis.* 246 *num.* 2 *cor. Riminaldo* =. Ne enim in irritum cedant Testatoris vota, et fideicommissum deficiat, aut ad extraneos perveniat, merito cavetur, ut filiorum nomine vocati, justa verborum interpretatione, nepotes quoque, ex Quiritum Jure censeantur; veluti ex legum censura firmat superior mea *Decisio* § 4., cui addenda est S. Ordinis auctoritas *cor. Ansaldo decis.* 1771 *num.* 21 *cor. Olivatio decis.* 478 *num,* 8., *et cor. Riminaldo decis.* 324 *num.* 3.

Per omnium quidem ora volitat regula, quod aliter filii, aliter nepotes appellantur, ut inquit *Imp. in § si quis filiabus* 5 *Instit. lib.* 1 *tit.* 14 *qui Testam. Tutor. dapros.*, et antea dixerat *Ulpianus in leg. quod si nepotes* 6 *ff. de testam. tutel.*, cui plausit suis in casibus *Rot. cor. Ferro decis.* 516 *num.* 4 *et in Ferrarien. Immissionis* 27 *Junii* 1746 § 4 *cor. Molino*. At quoniam verborum cortici prævalere disponentis mens debet, et potius inflectere licet verba Testamenti, quam postremam Testantis voluntatem eludere, velnti observat superior mea *Decisio d.* § 4. ita sapientissime constitutum est, ut ab ea regula sæpe recedatur, si de expressa voluntate Testatoris constet, nepotes etiam ad successionem una cum filiis vocandi. *Leg. Julianus* 201 *ff. de Verb. signfi. Rot. cor. Olivatio decis.* 478 *num.* 12. *et cor. Riminaldo decis.* 324 *num.* 3. Innumeræ autem propemodum sunt conjecturæ, et præsumptiones, ex quibus Alexiùm sub nomine filiorum de nepotibus quoque sensisse demonstratur. Qua in re non illud parvi faciendum est, quod contra Testatoris votum, in filiis tantum vocatis caducum fieret fideicommissum, et nulla jam amplius fideicommissi species extaret, nisi nepotes filiorum nomine continentur. 3

Utique Testato Mariæ Clementiam, quæ ac Theophilum appellavit « *dilettissimi ed amatissimi nepoti* = eosque re verboque conjungens iidem oneribus, ac conditionibus affecit. Non ideo tamen inferendum Alexium voluisse, ut Maria Clementia defuncta, si Theophilus secundam duceret Uxorem, filii alterius etiam thalami admitterentur ad successionem una cum filiis primi thalami. Præsumi enim neqnit quod Alexius, qui non alia de causa Theophi- 4

lum ad successionem vocaverat, nisi qui Matrimonio cnm nepte Maria Clementia conjungebatur, voluerit in hoc casu, naturali chiaritate posthabita, æque diligere filios secundi conjugii Theophili, ac filios prioris ejus conjugii, et ite aliquam Fideicommissi partem Mariæ Clementiæ filiis adimere, ut ea in *extraneos* conferret, qualis est proles cum secunda Uxore a Theophilo suscepta *leg. cit. Avus ff. de condit., et demonstrat.* Quod si ex voluntate Testatoris, ac explicita demonstratione filiorum, qui nati a Maria Clementia, et Theophilo fuissent, salebrosa occurreret quæstio, an celato Theophilo; et Maria Clementia ad secunda vota convoante, filii a Maria Clementia in secundis nuptiis geniti vocari absque ullo discrimine ad fideicommissi compendium deberent, una cnm cæteris ab ipsa Maria Clementia in priori conjugio procreatis: multo magis extorres repntandi sunt a successione Theophili filii ex secnndo Matrimonio Orti, qui nullo consanguinitatis vinculo cum Testatore junguntur. Ad hoc igitur declinandum absurdum, quod hæreditas ad extraneos deferatur, ex conjectura pietatis præsumitur de nepotibus etiam Testatorem cogitasse, dum filios nominavit, ut adductis pluribus auctoritatibus animadvertit altera *Decisio* § 5.

5 Nec levius illud videbatur argumentum ex ordine ductum intestatæ successionis, ex quo materialis sperni debeat verborum significatio, et sub filiorum nomine vocati nepotes intelligantur. Si enim Alexius, qui Fideicommissum ordinavit, intestatus decessisset, nulla oriri quæstio poterat, quin jus snccessionis in avunculi majores hæreditate pertineret ad filios Mariæ Clementiæ non autem filios Theophili cum secunda Uxore susceptos, qui una cum matre extranei omnino fuissent. *Novel.* 158 §. *si igitur et* §. *Item vetustus Instit. de haered, quae ab intest. defer.* Cum igitur suspicari non liceat Alexium in Fideicommisso ordinando ab juris dispositione voluisse aberrare, ideo retinendum jugiter est, cum filiis Mariae Clementiae neptis eumdem Alexinm vocasse Nepotes, qui cæteroquin in ejus bona ab intestato venissent, quemadmodum monet *præter. decis.* § 6. Crescit autem argumenti vis, si consideretur, quod, licet Alexius supremum diem viderit, antequam vocati ad fideicommissum Mariæ Clementiæ filii nascerentur adhuc tamen eos quamvis ignotos, incertos, et nascituros substituit primis hæredibus institutis. Ex eo itaque quod snbstitutionis effectus incertum respicit, ac futurum eventum, filiorum nomen ita interpretari oportet, ut ad nepotes etiam progrediatur prout ex receptissimo jure statuit prior mea *Decis. d.* § 6.

Atque huic interpretationi, et intelligentiæ ampliorem viam sternit animadversio compendii, quod in filios, nepotes ex substitutione derivat, quin obicis sit gravati hæredis incomodum, tum quia fideicommissa vocatorum favorem unice secumferunt, tum quia vocabulum filiorum ampliando, nullum novum opus imponitur hæredi gravato, ut monuit eadem *Decis.* § 7. Non minus vero ex alienationum prohibitione, ac conservatione bonorum ab Alexio imperata, quam ab ipsa demum identitate rationis dicendum est de filiis, et nepotibus eum æque cogitasse. Qnantum enim recte congruit verborum interpretationi, ut sub nomine filiorum compræhensi nepotes conseantur, ne in irritum alioquin cedat Testatoris votum bona conservandi, tantum eadem interpretatio capienda est ex eodem amoris, et benevolentiæ argumento, quo Alexium prosequutum fuisse Mariæ Clementiæ filios, et nepotes præsumi debet. Exploratum siquidem in jure est æqualitatem Successionis semper esse admittendam, ubi par ratio, et dilectio concurrit, ac locum itidem esse ampliativæ verborum intelligentiæ, ubi apparet eamdem rationem vigere in nepotibus, quæ viget in filiis, cum similis in utrisque sit sanguinis, et prædilectionis causa, quæ tanti est, ut ambigi nequeat, quin filiorum appellatione veniant nepotes, veluti disscrit prima *Decis. d.* § 7. 6

His ita constitutis non refragabantur 7

auctoritates, et Sacri Nostri Ordinis oracula, quæ maximopere efferebant Actorum defensores, in *Civitatis Castellanæ Immissionis* 27. *Martii* 1774 *coram Herzan*, *in Confirmatoria* 24 *Januarii* 1777 *coram Eodem*, *in Faventina Immissionis* 26. *Junii* 1780. *coram Origo*, et in aliis plurimis, quæ afferri possent. Si adductæ quippe Decisiones paulispar expendantur patet illico de casibus eas loqui penitus a nostro diversis, ac de Testamentis, in quibus omnis non solum deest conjectura voluntatis, quæ nepotibus faveat, sed nulla etiam adest ratio cur filiorum nomen ad nepotes sit protrahendum sive ex mente disponentis, sive ex littera dispositionis. De casibus, et Testamentis imo agitur, in quibus manifeste liquet, non *directe*, *et immediate* filios fuisse vocatos, sed sub conditione positos per verba = *si sine filiis* = seu per simplicem, ut inquiunt, *vulgarem* substitutionem. Ipse cæterum recensitæ Decisiones admiserunt, quod si Testator = *prospicere censuit universo ejus generi, et proinde perpetuum condidit Fideicommissum*, *aut desiderium explicavit servandæ agnationis, aut denique perpetuam indixit alienationis prohibitionem hoc casu*, *quia servanda est Testatoris voluntas instam opus est adhibere interpretationem*, *et proinde filiorum nomine comprehensi dici debent nepotes* = prout sunt verba prædictæ Decisionis *in Civitatis Castellanæ Immissionis* 27 *Martii* 1774 § 9 *coram Herzan*=.

8 Absonum hinc esset obiicere rem agi de fideicommisso transversali, et in cognatione transversali quoad Alexium reperiri Mariæ Clementiæ Nepotes erga Testatorem. Nam si ex præsumptionibus hucusque perpensis de vera ambigi nequit Alexii voluntate filios, et simul nepotes ad fidelcommissi emolumentum vocandi, qui omnes erant ei charissimi despecta prorsus qualitate fideicommissi ascendentalis, vel trasversalis, nomen filiorum ad nepotes ampliandum esse, recte docent *Doctores in priori mea Decis. relati* §. 8. Nemo ideo non videt, vocabulum illud = *figli* = non ea de causa Testatorem adhibuisse, ut successionem coerceret ad filios, tantum primi gradus, sed ad excludendos filios, qui ex altero matrimonio oriri possent. Ea quippe relatio, quam habuit Alexius ad filios = *di detti suoi Eredi* = Mariae Clementiae scilicet, et Theopholi designat, omnino personæ ex quibus ortum ducere debebant filii, et descendentes ad successionem invitati, ut argumentatur superior ipsa *Decisio d.* § 8.

Hisce itaque positis, nil obesse valet reorum conventorum matrem Theophili hæreditatem repudiasse. Principio siquidem hæc repudiatio non ad fideicommissariam Theophili hæreditatem spectavit, sed ad liberam, quæ multis nominibus implicabatur. Neque alia de causa pupillorum mater nuncium misit hæreditati Theophili, nisi quia ab actionibus creditorum servare propria bona cupiebat. Etsi igitur valida dici posset ea repudiatio, ita tamen ad commodum filiorum renunciantis ea respexit, ut ad unum finem emissa, ad alterum longe diversum, et certe noxium effectum potrahi minime potuisset, ut arguit prima *Decisio* § 9. Sed addendum præterea, quod si etiam ad bona fideicommissaria producere renunciationem placeret, ea quidem irrita prorsus, et nulla reputanda sit, utpote quæ a matre filiorum nomine fuit emissa absque ulla solemnitate ad tradita in præcedenti *Decis. loc. cit.* Quæcumque autem fuerit objecta renunciatio, nullum ea præjudicium intulit filiis, qui jure proprio, et non hæreditario vocati ad fideicommissimum Alexii dignoscuntur. *Rot. decis.* 73 *numer.* 2 *coram De Veri*, *in Melevitana Primogeniturae* 28 *Aprilis* 1775 §. 7. *coram Origo*, *et in Confirmatoria* 6 *Decembris* 1776 § *ult. coram Eerzan.* 9

Accedebat his omnibus fida rerum interpres observantia. Nactus namque Theophilus fideicommissi posssesionem, tantam bonorum partem absumpsit, ut Paulus ejus filius dum adhuc in humanis versabatur, reliquæ partis fideicommissariæ substantiæ, ne amplius distraheretur a Patre, administrationem 10

ebtinuerit. Defuncto dein Paulo adeo longe abfuerunt, tamen Theopbilus, quam ejus filii secundi tbalami, ab invidenda ipsius Pauli filiis Antonio, atque Ignatio fideicommissi possessione, eorumque turbando dominio, ut non solum Pauli testamentum probaverint, et per *triginta* annorum spatium juge silentium observaverint, sed nullum unquam jus ad Alexii fideicommissum experti fuerint. Si itaque tum Theophilus, ex secundo Theophili conjugio natus, quod gravius est, ita eorum facto Alexii voluntatem interpretati sunt ut fideicommittentem nepotes etiam vocasse luculenter ostenderint; perperam modo factum ipsum ab iis in discrimen adducitur, qui illud imo religiose custodire deberent. Maxime quippe confert ad dignoscendam Testatoris voluntatem interpretativa observantia, cui causam primi præbuerunt bæredes, qui veri Testamenti existimantur interpretes, cnm optime Testatoris voluntatem, tamquam ejus morti, vel præsentes, vel magis proximi, scire præsumantur, ut optimo jure probat antedicta *Decisis.* § 10.

11 Nihil post bæc refert, quod obiiciebant Actores de jure Theophili ad consuccessionem in partem fideicommissi ad Ignatium specantem, qui ortum a Theophilo, et Mariæ Clementia duxit, et moriens intestatus superstitem post se reliquit ipsum Theophilum patrem, ac germanum fratrem Paulum. Si enim, vivente adhuc patre, nihil potuit Ignatios acquirere ex fideicommissi substantia, recte consequitur, nihil, quod ad ea pertineret substantiam, in ejus patrimonio reperiri potuisse, super quo pater jus successionis explicaret, quia hereditas non adita non trasmittitur *L.* 1 § *In novissim. Cod. de caduc. tollen.* Jus autem accrescendi, quod pariter Actores inducere volebsnt inter Theophilum, et Mariam Clementiam, extraneum prorsus erat ab Alexii fideicommisso, in quo Theopbilo, et Mariæ Clementiæ substituti fuerant filii, et nepotes, onere restitutionis adjecto. Atqui nihil magis in jure compertom, quam quod cesset jus accrescendi, si cohæredum institutioni addita sit a Testatore snbstitutio *ad Text. in Leg.* 2 § *si duo ff. de bon. poss. secund. tab. Auth. Hoc. amplius de Fideicom. L. ult. ibiq. Gloss. ff.* de *vulg' et pupill. substit. Gratian. discept. foren. cap.* 330. *num.* 8. *Rot. in Recen. decis.* 78. *num.* 6 *part.* 11 *Decis.* 283 *num.* 12 *part.* 13, *et decis.* 460 *num.* 2 *coram Ansaldo.* Ad aliud demum judicium Patres censuerunt exceptionem pertinere, quam addebant Actores super detractione Trebellianicæ ex persona Theophili primi bæredis gravati. Verum frustra proponebatur detractio Trebellianicæ, quoties Theopbilus tantum fideicommissariæ substantiæ distraxit, ut non solum prætensam cam absumpserit Trebellianicam ex patratis alienationibus, verum etiam ad fideicommissi reintegrationem ejus hæredes tenerentur.

Et ita, in reliquis ad priorem decisionem, quæ confirmatur relatione habita *quinto et sexto* suffragantibus jus redditum est. Utraque etc.

SETINA FABRICAE

Lunae 28 *Januarii* 1822

ARGUMENTUM

Variae Interdictorum species exornantur, ac casus praefiniuntur, in quibus locum habet servitus negativa. Demonstratur deinde, quod in muro divisorio seu communi, cuilibet licet altius extollere, et signa enumerantur, ex quibus muri communio dignoscitur.

SUMMARIUM

1. *Interdictum nunciationis novi operis, locum habet, quoties agitur de opere jam perfecto, vel perfectioni proximo.*
   Ubi agitur de opere praeterito, et absoluto, experiri debent interdicto, quod vi, aut clam. vel uti possidetis – ibidem. –
2. *Interdictum quod vi, tacentibus, et probantibus prodesse non potest.*
3. *Interdictum uti possidetis, datur adversus innovationes, quae alterius praedio praejudicialem servitutem inferunt, deterioremque possessionem reddunt.*

Servitus negativa, non inducitur, nisi concurrat prohibitio ex parte fundi dominantis, et acquiescentia, quanta ad praescribendum est necessaria, ex parte fundi servientis - ibid. -

4. *Murus communis esse dignoscitur, si in eo existant foramina, in quae antiquitus tigna, immissa fuerint.*

Cuique licitum est altius tollere, super muro divisorio, aut communi - ibidem. -

5. *Quoties pars inferior parietis communis est, paries etiam superior communis evadit, adeout jus tantum sit aedificanti elevationis sumptus in aequam partem dividere.*

6. *Aequitas non patitur, ut novum aedificium bona fide, palam, et publice constructum cum ingenti aedificantis jactura subvertatur.*

7. *Si ex parietis adaessione damnum quis non sentit, a justitia deviam esset demolitionem jubere.*

8. *Posita idonea distantia, conqueri nequit vicinus de fumo, qui ex fundo inferiori naturaliter ascendit, etsi interdum in ejusdem vicini cubicula ingrediatur.*

9. *Ubi fenestra in summitate muri communis posita, non occlusa remanet, sed parum abumbrata, dici non potest quod hoc sit damnum intollerabile.*

10. *Si non constat de ulla servitute altius non tollendi, favendum est naturali libertati, qua quisque pollet, aedes ad quamcumque altitudinem elevandi.*

11. *Obligatio in actis emissa de demoliendo, si causa caderet, aequiparatur satisdationi, et cautioni.*

12. *Interposita appellatione a provisoria Sententia, Tribunal appellationis potest cognoscere de iis omnibus de quibus non cognovit Judex a quo,*

DECISIO CXI.

Domum possidet in Oppido *Bassiani* Joannes Baptista Antonicola, cui quatuor adhærebant Ædiculæ pene fatiscentes, et dirutæ, ideoque ab Oppidanis dictæ = *Casaleni* = quarum proprietas ad diversos pertinebat dominos. Una spectabat ad Excellentissimam Gentem Cajetanam, altera ad Fratres Bernabei, tertia ad Capitulum S. Nicolai ejusdem Oppidi, postrema ad Fratres Vaglienti. Quæ, tam ad Cajetanam Familiam, quam ad Bernabejos pertinebant, tenui pretio soluto, in dominium, et possessionem Antonicolæ transieruant, qui eas in elegantiorem formam ampliavit. Cæteras, emptionis Venditionis titulo, acquisivit Franciscus Pietrosanti, cui eadem cura fuit fatiscentium ædicularum instaurationi operam dandi. Ad impediendam tamen reparationem, quam Petrosanctus inierat, et ad exitum pene perduxerat, expedito Monitorio libello die 25 Maii anni 1819, Joannes Baptista Antonicola novum ei opus nunciavit coram Tribunali Primæ Actionis, quod Frusinonis jus dicit.

Quærebatur enim Antonicola, *tum* de altius elevatis parietibus, qui ejus domui adhærebant; *tum* de infumibulo, quod tamen non erat adhuc extructum; *tum* de effosionibus per Cuuiculos; *tum* denique de luce suo borreo, vel sublata, vel soltem diminuta. Licet hæc futiliter ipse proponeret, visum tamen fuit Frusinonis Aulæ judicialem Accessum decernere, eamque in rem alterum ex Judicibus delegavit, cui tribuit etiam facultatem eligendi Peritum Architectum inhibendo interim provisionaliter prosequutionem extructionis edificii = *i lavori* =, nempe = *da esso* = Petrosanctio = *incominciati* =. Absoluto accessu, in quo plures utrinque testes examini subjecti fuerunt, editsque Periti relatione, patuit tandem falsitas, et injustitia querelarum omnium, quas Antonicola proposuerat, ut dirutarum Ædium instaurationem distinaret. Sed cum ipse moras necteret, ne definitiva Sententia totam quæstionem Tribunal illud dirimeret, atque e converso periculum immineret, ne ædificium imbribus obrueretur, emissa declaratione de *demoliendo*, si Causa caderet. Petrosanctus urgere cæpit ab iisdem Judicibus ædificium tecto obtegendi *provisionem*.

Justissimam exceperunt instantiam Judices, a quibus *interlocutoria* Sententia diei 11 Augusti 1819 præcedenti revocata inhibitione diei 8 Junii ejusdem anni Petrosancto permissum fuit opus absolvere ad *formam* tamen emissæ declarationis, vetitsque insuper excavatione per Cuniculos. Attamen interposita ab Antonicola provocatione ad Supremum Signaturæ Ju-

stitiæ Tribunal, ubi disputatum quoque fuit de prætensis attentatis, quæ Petrosanctum perpatrasse post interpositam ab *interlocutoria* Sententia appellationem, idem contendebat Antonicola, cum tota controversia delata fuerit ad Sacrum Ordinem cum *facultate purgandi*, proposui hoc mane Patribus super merito principe Dubium = *An sit Servanda inhibitio, et sit locus Demolitioni in Casu etc.* = a quibus responsum retuli = *Negative in omnibus* =.

1 Inutiliter enim Antonicola præsidium notissimi Interdicti de novi operis nunciatione implorabat quoties agebatur de opere jam perfecto, vel perfectioni proximo, et e contra hæc actio datur a Legibus ad impedienda opera futura. Et reapse, posthabitis quorumcumque Testium dictis, quos Antonicola induxit, cum sint singulares, non univoci, et inverosimilia deponant, tam ex judiciali *accessu*, et judiciali pariter Peritia, cui est omnino credendum, donec non evincantur ejus errores, quam ex nunciationis libello ab Antonicola transmisso constat, opus ab eodem nunciatum, vel perfectum, vel perfectioni proximum fuisse. Ajebat namque = *che il citato dovrà desistere dal proseguire la fabbrica appoggiata a quella del Signor Istante coll' aver sorpassati, i limiti, che doveva, ed ususpata la di lui proprietà, come pure sentir decretare la riduzione in pristinum di tutto il muro, che ha indebitamente elevato* = At vero si destrui nequit, nisi id, quod jam fuerat constructum, sique elevati parietes assertum constitutum modum excesserant, jam ab ipsa Actoris confessione patebat, non futurum opus, sed præteritum, et absolutum, nunciasse. Si spectat ergo *Interdictum* illud ad opera futura, nullum aliud diffugium Antonicolæ remaneret, quam ad longe alia juris remedia transeundi ad cætera scilicet Interdicta, *quod vi aut clam, veluti possidetis* ad expressum *Text. in leg.* 1 § 2 *ff de nov. op. nunciat. Heinec. ad Pandectas* § 93 *et seq. Donnell. in Comment. Jur. Civ. lib.* 15 *Cap.* 46 *num.* 3 *Tom.* 4 *pag.* 479 *Edit. Lucen.*, *Rota in Romana Demolitionis* 13 *Junii* 1755 § 2 *coram Figueroa.*

Sed in hoc quoque defecisset actio 2
Antonicolæ, cum nulla unquam *de vi* mentio ab eo facta fuerit; eoque minus queri possit Ædificium a Petrosancto clanculum fuisse constructum. Non solum namque, eo vidente, ac patiente, sed verosimiliter etiam approbante ab initio jacta fuerunt fundamenta, elevati deinde parietes, ac demum perventum est ad trabium tecti texturam. Et si vero nullum Petrosanctus retulerit ab eo consensum, sufficit tamen ejusdem patientia, ac silentium; adeout improbabile, ac penitus inverosimile videatur Antonicolam, qui tunc temporis in *Bassiani* Oppidulo morabatur, notitiam de ædificatione non habuisse. In hoc utique themate longe abesse videtur æquitas hujus Interdicti, quod inventum tantum fuit ad cohibendam eorum malitiam, qui metu futuræ controversiæ, ita occulte ædificant, ut notitia non perveniat ad eos, qui constructionis opus prohibere possent. Hoc autem Antonicolæ Silentium cum Petrosanctum in bona fide constituat, tum impedimento est, ne eidem Antonicolæ suppetias ferat præfatum Interdictum, quod tacentibus, et silentibus prodesse non potest, ceu præ cæteris monuit Sacrum Nostrum Tribunal in dicta *Romana demolitionis* 13 *Junii* 1755 § 5 *cor. Figueroa.*

Deterius fuisset objicere *Interdictum* 3
aliud = *Uti possidetis* =. Quod invectum est adversus innovationes, quæ alterius prædio continuam, ac præjudicialem servitutem inferunt, deterioremque reddunt illius possessionem ad *Text. in Leg. si vicinus meus* 3 *ff uti possidetis.* Quisquis igitur hujusce *Interdicti* præsidio novam constructionem prohibere cupit, non suam tantum possessionem probare tenetur, sed eam insuper ex novo opere fuisse turbatam, ut monet citata *Sacri Nostri Ordinis Decisio* in *Romana Demolitionis* 13 *Junii* 1755 § 6 *coram Figueroa.* Possessionem frustra proponeret Antonicola,

cum nullum titulum ostendat, ædificationem prohibendi, ac deficiente titulo expresso injjciendi Servitutem summopere onerosam, subsidio esse nequeat præsumptus, et erumpens ab observantia: In Servitutibus enim *negativis* cujusmodi ea esset, hoc jura vivimus, nullo temporis lapsu, quamtumvis longissime, eas induci, nisi insimul concurrat prohibitio ex parte fundi dominantis, et tanta deinde acquiescentia, quanta ad præscribendum est omnino necessaria, ad *Text. in Leg.* 5 § *Si in meo ff de aq. quotid., et æstiv. Gloss. in Leg.* 10 *Verb. Formam ff de Servit. prœd. Urban. Card. de Luc. de Servitut. disc.* 25 *num.* 2 *Pech. de Acquaeduct. lib.* 21 *Cap.* 1 *quaest.* 4 *et Sacer Ordo in Rec. decis.* 14 *part.* 4 *Tom.* 2 *coram Olivatio dec.* 91 *num.* 8 *in Senogallien. Fenestrarum* 5 *Julii* 1751 § 4 *coram Molines, et in Romana Fabricae* 28 *Martii* 1791 § 9 10 *coram Strasoldo*.

4 Si deest itaque possessio, concipi hic nequit possessionis turbatio. Sed ullo absque jure querebatur præterea Antonicola de opere a Petrosancto extructo, ob murorum elevationem, eorumque adhæsionem suæ domui, et injuria proponebat ejus borreo lucem ex illorum erectione, vel sublatam, vel saltem diminutam fuisse. Ex duplici Causa de elevatis parietibus ipse querelas movebat; *quia* parietes altius erecti innitebantur alteri muro Boream versus, qui Antonicolæ domum dividit ab altera Capituli S. Nicolai, in cujus jura successit ipse Petrosanctus, et lapides extantos sive = *i Testimonj dell'antico Tetto* = longe excedebant, quod sine Domini consesu fieri non posse obmussitabat; *tum quia* ex alio latere novi ædificii parietes versus Occidentem cum muro conjugebantur, qui Fratrum Bernabei ædem, pro parte ab Antonicola quæsitam, dividit ab æde Petrosancti, cujus muri integrum dominium Antonicola sibi asserebat. Sed hæc omnia illico corruunt. Quoad enim *primam* querelæ partem, hanc dirimunt judicialis accessus actus, ex quo constat, quod murus ille Boream versus, qui Antonicolæ domum dividit ab alia Capituli S. Nicolai, a Petrosancto empta, est utraque *communis*. Et reapse communem esse dignoscitur, cum in eo existant furamina, in quæ antiquitus tigna, forte ad tectum sustinendum, immissa fuerunt a Capitulo, quod hodie repræhesentat ipse Patrosanctus. Hoc itaque satis, superque ostendit, murum prædictum perpetuo fuisse *divisorium* atque *communem* ad ea quæ tradunt *Caepoll. de servitut. Urb. praed. Cap.* 40 *num.* 15 *et Constant. ad Statut. Urb. Annot.* 23 *art.* 2 *num.* 93.

Quin obsit Petrosanctum, Capituli 5
Ædem instaurando, fines excessisse veteris cænaculis = *dell'antico soffitto* = Nam non ex eo, quod paucis ab hinc annis murum communem versus Septentrionem propriis Sumptibus altius erexerit Antonicola, recto ipse deducebat, integram hujus elevationis proprietatem ad se tantum spectare, neque licero Petro Sancto, ad ædificium sustinendum, trabes, ac tigna immittere in superiorem partem altius ab Antonicola elevatam. Quisquis profecto super muro *divisorio, et communi* propriis sumptibus ædificat, licet nihil in id conferat alter muri Condominus, non ideo integrum sibi addicere potest muri dominium in parte altius elata, sed juxta vetus axioma, quod *solo inaedificatur solo caedit*. Quoties enim pars inferior parietis communis est, et divisoria, paries etiam alius superior, etsi altius sublatus, si non *actu in potentia* saltem communis evadit, adeo ut jus tantum sit ædificanti elevationis sumptus in æquam partem dividere, si alter muri condominus nova elevatione uti velit *Pech. de Servit. Tom.* 2 *cap.* 8 *quaest.* 4 *num.* 6 *Cnnstantin. ad Statut. Urb. Tom.* 2 *annotat.* 23 *art.* 2 *num.* 127 *Rota decis.* 459 *num.* 67 *coram Durano, et in Perusina Fabricae* 22 *Novembris* 1754 § 20 *cor. Molines*.

Semelac vero ambigi non poterat, 6
parietem esse communem, semelac constabat, ipsum Antonicolam in pariete communi ædificasse, et ædes altius ex-

tulisse, merito censuerunt domini, contra naturalem æquitatem esse, si cum licuerit Antonicolæ in pariete communi ædes instaurare, idem licere non debeat Petrosancto, qui, ne ad imparia judicetur, justo jure poterat proprias ædes ad parietem communem altius extollere, ceu docuit *Bartholus in Leg. fistulam ff. de Servitut. Urb. prædior. Buratt. Cons.* 18 *num.* 16 *lib.* 1 *Thesaur. decis.* 42 *num.* 13, et statuit *Rota cor. Herrera decis.* 144 *num.* 2 *in Romana Fabricæ* 28 *Martii* 1791 *cor. Strasoldo, et in Senogallien. Fabricae super reservatis* 9 *Maii ejusdem anni* § 2 *coram Eodem.* Quod si hæc omnia locum habent, dum agitur de opere nondum incepto, multo fortius tenenda sunt, dum res non est amplius integra, et de opere agitur jam fere absoluto. Hoc itaque in casu, licet paries, cum quo novum conjungitur ædificium, pleno dominio spectet ad eum, qui ædificii postulat demolitionem; nihil tamen ab ædificante ipse potest repetere, præter pretium adhæsionis ædificii, justo Peritorum judicio statuendum. Cum enim sera inhibitio, et demolitionis postulatio ab æmulatione potius, et animi levitate, quam ulla legitima ratione procedere videatur, ita juris nostri disciplina non patitur, ut novum ædificium bona fide palam, et publice constructum cum ingenti ædificantis jactura subvertatur ad *Textum in Leg. Ædes* = ibique Glossa *ff. Commun. divid. Costant. de part. rat. quæst.* 50 *num.* 1 *et sequen. Paullat. dissert.* 22. *Art.* 1 *num.* 73 *et Rota in Perusina Fabricæ* 22 *Novembris* 1754 §. 20 *coram Molino*, *et in Romana demolitionis* 13 *Iunii* 1755 § 9 *cor. Figueroa.*

7 Eadem inanitate laborat *altera* querelæ pars ab Antonicola proposita, nempe baud potuisse Petrosanctum alium ædificii parietem conjungere cum muro versus occasum, quem pro parte tantum ipse emerat a Fratribus Bernabei. Animadvertendum siquidem erat, ad Antonicolam pertinere unicam tantum Bernabejæ domus contignationem, quemadmodum publicis probatur Instrumentorum tabulis, et ab ipsis testibus per Antonicolam inductis, Animadvertendum rursus, eamdem contignationem vilissimo pretio Antonicolam acquivisse a Fratribus Bernabei, ea potissimum de causa quia muris constabat pariter divisoriis cum ædibus Capituli S. Nicolai, et Fratrum Vaglienti, in quorum jura ex venditione facta successit Petrosanctus, ut ex Peritia, emptionis venditionis instrumento adjecta, luculenter evincitur. Si ergo ad unicam tantum contiguationem ædificii à Bernabeis empti jus habet Antonicola; si domini primæ, et ultimæ contignationis nullas movent quærelas, nec Antonicola probat ex parietis adæsione damnum sentire, a justitia, et æquitate devium esset, ad demoliendum Petrosanctum cogere.

Exulat etiam quæcumque damni quærela ex infumibuli constructione deprompta. Nam, præterquamquod ex judiciali *accessu* nullum apparuit adhuc extructum infumibulum, accedit etiam, liberum esse possessori inferioris ædis Caminum altius, quantum velit producere, etiamsi damnum inferat superioribus ædibus, dummodo absit æmulationis suspicio, nocendique animus; ceu respondit Jurisconsultus *in leg.* 44 *ff. de injuriis.* Æmulationem vero elidit necessitas, quam Petrosanctus habet, infumibulum construendi in ædibus, quas inhabitat. Nec constat præterea in *facto* caminum forte in posterum a Petrosancto construendum inferre posse ædibus Antonicolæ præjudicium, semelac judicialis Peritus Architector in *accessu* adhibitus, declaravit, ob distantiam quinquaginta ferme dodrantium = *palmi* =, quæ ab Antonicolæ ædibus ad murum, ubi construere vellet Petrosanctus infumibulum, intercedit, nullum detrimentum ex ejus constructione derivare ædibus Antonicolæ. Posita autem idonea distantia, conqueri nequit vicinus de fumo, qui ex fundo inferiori naturaliter ascendit, etsi interdum in ejusdem vicini cubicula ingrediatur, ut docuit *Pech. de Servit. Tom.* 2 *cap.* 8. *quæst.* 31 *num.* 55. 8

Corruit pariter alia damni querela 9

ab Antonicola deducti ab effosionibus ope cuniculorum, ex qua receptaculis oleariis in propria æde existentibus detrimentum inferri asscrebat. Etenim cuique licet in proprio fundo, vel urbano, vel rustico quidlibet facere, dummodo vicinis damnum non inferat. Atqui, tam ex judiciali *accessu*, quam ex judiciali Peritia patebat, nullum ex effosione periculum, aut damnum in Ædes Antonicolæ derivare. Ergo licito potest Petrosanctus effosiones perficere. Præterea consuluit Antonicolæ securitati *provisoria* Primæ Actionis Judicum Sententia, qua permissum Petrosancto fuit, Ædium instaurationem absolvere = *colla limitazione però al medesimo: di non dilatare l'escavazione sotterranee, oltre lo stato, in cui attualmente si trovano, e di non far mai uso delle mine per regolarizzare l'escavazioni sudette* = Excluso itaque quocumque damni periculo, quod Ædibus Antonicolæ immineat, frustra ipse demum proponit imminutum fuisse lumen fenestræ ejus horrei sob novi ædificii Lacunari existentis. Extat enim hæc parvula fenestra in summitate muri communis Boream versus, quæ ex recenti parietum erectione non penitus occlusa remanet, sed aliquantulum obumbrata.

10 Juris quippe censura resistit Antonicolæ, qui perperam egit, dum in muro communi fenestram aperuit; atque compertissimum est ex fenestræ aperitione in muro communi alterius Condomini conditionem non fieri deteriorem, cui fas est parietes altius extollere, et cum muro communi conjungere, etiamsi fenestræ lumen impediat ad *Text. in Leg. Quidam Hiberus ff. de Servit. Urb. Praed. Handed. Cons.* 80 *num.* 4 *Felic. de Societat. Cap.* 28 *num.* 24. *Caepoll. de Servit. Urb. Prædior. Cap.* 62 *num.* 3. *Costantin. ad Stat. Urb. annot.* 23 *art.* 2 *num.* 184 *et Rota in Romana Fabricæ* 28 *Martii* 1791 § 9 *coram Strasoldo, et in Senogallien. Fabricae* 9 *Maii ejusdem anni* § 7 *cor. Eodem*. Præterea extranea visa est hæc Antonicolæ querela de luminis diminutione, semelac horreum ipsum lumen haurit ex alia fenestra, et fenestram, cujus lumen imminutum clamat Antonicola, antiquitus non extasse, sed parvulum foramen, ad tigna immittenda factum, tribus ab hinc annis in fenestram fuisse conversum deponebant Testes in judiciali *accessu* examini ab Judice subjecti, quibus ideo plenissima fides adhibenda est. *Mascard. de probat. conclus.* 395 *n.* 6. *Rot. decis.* 1325 *num.* 7 *cor. Molines, cor. Ansaldo decis.* 142 *num.* 25 *et in Sabinen. seu Civitatis Castellanae Inundationis* 27 *Januarii* 1698 § *Causa cor. de la Tremoille*, et alibi millies. Si non constat hinc de ulla servitute altius non tollendi, ne Antonicolæ luminibus officiatur, favendum certe est naturali libertati, qua quisque pollet, tamquam rei suæ moderator, et arbiter, Ædes ad quamcumque altitudinem elevandi, quin vicino damnum in ea re inferre existimetur, in qua jure suo utitur, uti est *Textus in leg. luminum* 24 §. *Item videamus ff. de damno infecto, quem sequitur Rot. cor. de Veri decis.* 195. *n.* 1 *et seq.*

At enim supervacaneum fere videtur ulterius inquirere, an ullum ab hac ædificatione damnum sentiat Antonicola, postquam ab ipsis Testibus formali examini subjectis probatum est, eumdem Antonicolam, Petrosancto exhibuisse parietum adhæsionem, sive « *l'appoggio* » ad propriam ædem, absque ulla pretii solutione, si voluisset ædiculas illas fatiscentes, et dirutas ampliare. Non tam igitur propudiosum, quam indecens est, veluti injustam traducere *provisoriam* Sententiam Tribunalis Frusinonis, ex qua potestas Petrosancto facta fuit in ædificatione pergendi, et tecto ædes obtegendi, ne imbribus obruerentur, sarta tecta tamen servata ejus obligatione in pristinum restituendi, si Causa caderet. Præter *Papinianum in Leg.* 21 *ff. de nov. operis nunciatione*, plaudit etiam temperamento *Imp. in Leg. Unic. Cod. eod. tit.*, ubi, si intra trimestre non potest de bono jure cognosci, et aliqua oriatur ambiguitas, jussit « *licentiam habere eum, qui ædificationem deproperat*, 11

opus, de quo agitur efficere, prius fidejussore ab eo dato Urbicariæ Prefecturæ, vel Provinciali, ut si non recte ædificaverit omne opus, quod post denunciationem fecerit, suis sumptibus destruat » Securitati ergo Antonicolæ satis provisum fuit per obligationem a Petrosancto in actis emissam *de demoliendo*, si causa caderet, quæ *satisdationi, et cautioni* æquiparatur.

12 Perperam denique opponit Antonicola non posse S. Nostrum Tribunal *super merito principali* judicium ferre, ex co quod Judices Frusinonis *interlocutoriam* Sententiam tantum protulerint et Judex *ad quem* cognoscere non possit de iis, de quibus non cognovit Judex, *a quo* juxta notam regulam, de qua *Textus in Leg. Eos. Cod. de appellat.* Nam si de toto quæstionis subjecto judicare poterant Judices Frusioonis, ita potestas ejusdem cogoitionis transivit in Judices Appellationis ope clausulæ *quam, et quas* in Commissione contentæ, qui ideo non de *incidenti* tantum, sed de tota controversia judicium ferre valeat. *Ridolphin in Praxi part.* 5 *Cap.* 13 *num.* 245 *Rota in Rec. decis.* 618 *num.* 1 *part.* 2 *decis.* 365 *num.* 17. 18 *part.* 9 *Tom.* 2 *decis.* 339 *num.* 2. 3. *part.* 19 *Tom.* 5. *coram Coccin. decis.* 47 *num.* 10 *coram Molines decis.* 101 *num.* 1., *et decis.* 334 *num.* 11., *et sequ. coram Rezzonic.* Quare interposita appellatione a Frusinonis Tribunalis *provisoria* Sententia, quæ certis sub conditionibus *provisoriam* ædificationem permiserat Sacro Ordini. Jurisdictio est de Causæ meritis inquirere; eoque magis, quia propositæ dubii formulæ hæc meritorum Caussæ cognitio convenit, et congruit datum in Causa responsum.

Et ita etc. Utraque etc.

SETINA FABRICAE

Veneris 21 *Junii* 1822.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CXI. -

SUMMARIUM

1. Si Judices primi gradus possunt cognoscere de toto quaestionis subjecto, cognitionis ejusdem potestas conlescit apud Judices appellatinnis, per interpositam appellationem.

2. Interdictum de novi nperis nunciatione, invectum est ad impedienda tantum opera futura.

Spernendi sunt omnino testes singulares, non univoci, et inverosimiliu deponentes - ibidem. -

3. Interdictum quod vi aut clam, invectum est ad cohibendam illorum malitiam, qui ita occulte in proprio soln aedificant, ut notitia non perveniat ad eos, quorum interest.

4. Interdictum - Uti possidetis *- vetat tantum opera, quae alterius praedio continuam, ac maxime noxiam servitutem inferunt.*

Servitus negntiva, nunquam censetur inducta, nisi insimul de prohibitione constet, et de acquiescentia - ibidem. -

5. Foramina, quae fuerunt antiquitus immissa, ostendunt murum perpetuo divisorium, ac comunem fuisse.

6. Super muro divisorio licet condomino altius extollere, ac alteri condomino, sumptibus elevationis in aequam partem divisis, jus tantum est elenatione uti.

7. Sera inhibitio, ab aemulatione potius, quam ab ulla vera ratione videtur exorta.

8. Non est soln aequandum aedificium, si contignatio nedium non adhaeret in omnia parietibus nunciantis.

9. Haud vetitum est possessori inferioris aedificii caminum altius quantum velit producere, etiamsi damnum superioribus aedibus obveniat.

10. Ex fenestrae aperitione in muro communi alterius domini conditio non fit deterior, etiamsi illius fenestrae lumen impediat.

11. Si intra trimestre tempus definiri quaestio non possit, si ambiqua res sit, licentia aedificandi conceditur, exhibito Fidejussore, in costructionem pergendi.

DECISIO CXII.

Controversiam de novi operis nunciatione, quam coram Judicibus Primarum Actionum Frusinonis Johannes Baptista Antonicola proposuit adversus Franciscum Piotrosanti, qui semidirutam ædem in elegantem formam ampliaverat, ex Rescripto Signaturæ Justitiæ delata fuit ad Sac. Ordinem

Nostrum *cum facultate purgandi*, ob Appellationem ab Antonicola interpositam *ab interlocutoria* Sententia, qua facultatem Petrosanto dedit Tribunal Frusinonis in ædificatione pergendi certis sub legibus, ne interim, pendente lite Ædificium imbribus obrueretur. Hinc in Comitiis diei 28. Januarij proxime elapsi, disputatu Dubio = *An sit servenda inhibitio, et sit locus demolitioni in casu etc.* = Responsum prodiit = *Negative in Omnibus* = sicuti patet ex Decisione ad eam diem per me edita, qua rerum gestarum series exponitur Instaurato certamine, per *Novæ Audientiæ* veniam ab Antonicola obtentam, albus hodie calculus prædictæ Decisioni accessit. Licet enim Antonicola judicii comperendinationem postularet, quia contendebat afferendum esse typum ligneum totius Ædificii, Phrusinate Tribunali jubente, confectum, ut exinde cognosceretur, an ex elevatis a Petrosancto parietibus damnum in ipsius Antonicolæ ædes derivaret; interrogati tamen de more Patres = *An sit standum vel recedendum a decisis in casu etc.* = denegatis ab Antonicola sub eo pretextu petitus, induciis, *in Decisis* standum esse responderunt.

1 Inopportunum sane fuisset, iterum in discrimen adducere Sacri Ordinis jurisdictionem, ex eo quod Juridicum Frusinonis Collegium *interlocutoriam* tantum protulit Sententiam, neque liceat Judici, *ad quem* fines excedere editæ Sententiæ ab Judice, *a quo* juxta notissimam regulam, de qua meminit. *Text. in leg. Eos Cod. de Appellat.* Urgebat quidem satis apta responsio, quod, quemadmodum potuissent Judices Phrusinonis de toto cognoscere quæstionis subjecto, ita cognitionis ejusdem potestas coaluit in Sac. Ordine Nostro in vim clausularum *quam, et quas*, aliorumque similium, quæ in exhibita Commissione continentur. Non dubium hinc esse potest, quin non solum *de incidenti*, sed *de tota* controversia judicium ferre valeat, ceu pluribus adductis, sedulo expendit mea superior *Decisio* §. 15. Eoque magis haud vetitum est Appellationis Judicibus de intrinsecis controversiæ meritis inquirere, quia propositæ primum Dubii formulæ, in qua quæritur utrum sit servanda inhibitio et sit locus demolitioni egregie convenit cognitio de principali quæstione.

Posito itaque quod rite potest N. Sacer Ordo jurisdictionem exercere super toto negocio, nihil rectius Ipse definitivit, quam quod nulla actio competat Antonicolæ ad implarandum præsidium celebris *Interdicti* de novi operis nunciatione, quod invectum tantum est ad impedienda opera futura; cum e converso opus ab Antonicola nunciatum, vel perfectum sit vel perfectioni certe proximum. Non solum enim ab ipso nunciationis libello; quem Antonicola proposuit, sed ab Judicialibus quoque Peritis, et judiciali pariter *accessu* constabat, ad exitum fere fuisse perductam ædium constructionem, quam Petrosanctus incæpit. Et merito contemnendos putarunt Patres hac in re Testes omnes ab Antonicola inductos, qui, præterquam erant singulares, non univoci, et inverosimilia deponebant, nullam sibi vindicare fidem poterant post judicialium Peritorum relationem, et judicialem *accessum*, quibus est omnino credendum, donec vel Peritos errasse vel minus legitimum judicialem *Accessum* fuisse demonstretur *Rot. in Recent. decis.* 168. *numer.* 12. *part.* 9. *coram Molines*; *decis.* 741. *num.* 13. *et decis* 125. *num*. 9. *cor. Olivatio.* Quod si opitulari Antonicolæ nequit *Interdictum* de operis novi nunciatione, multo minus ei prodessent *Interdicta* alia notissima, *quod vi, aut clam*, vel uti *possidetis*, ut advertit prima Causæ *Decisio* §. 4. Nunquam enim questus fuit Antonicola de vi, nec unquam probavit clanculum, et occulte Petrosanctum ædificasse. 2

Inverosimile siquidem videtur notitiam de ædificatione non habuisse Antonicolam, qui in eodem morabatur Bassiani Oppidulo, ubi, et ipse degebat Petrosanctus, et constructum extabat ædificium, Antonicolæ domui conterminum. Non solum hinc, eo vidente, ac patiente, sed forte etiam approban- 3

te, jacta ab initio fuere fundamenta, elevati deinde parietes, et tecto demum opertæ ædes. Nec refert nullum ab Antonicola consensum retulisse Petrosanctum; cum satis sit costuns Antonicolæ patientia, atque altum semper, diuque servatum silentium, usque dum extemplo hanc de novi operis nunciatione quæstionem excitavit. Longe itaque abesse videtur æquitas hujusce Interdicti, *quod vi, aut clam* quod unusquisque novit invectum ad cohibendam eorum malitiam, qui ita occulte in proprio solo ædificant, ut notitia non perveniat ad eos, quorum interest, opus non fuisse constructum. Silentium autem, et patientia Antonicolæ, non solum in bona fide constituit Petrosanctum, sed obstat etiam in præsens, quominus Antonicola ex eodem agat Interdicto, quod tacenti, ac silenti non prodest, uti animadvertit superior mea *Decis.* § 5.

4 Nec utiliter confugeret Antonicola ad Interdictum aliud = *uti possidetis* = quod opera vetat, quæ alterius prædia continuam ac maxime noxiam servitutem inferunt, deterioremque reddunt ejus possessionem *ad Text. in Leg.* 1 *et* 3. *ff uti possidetis*. Ut rite namque hujusce Interdicti præsidio utatur Antonicola, non solum possessionem suam ostendere tenetur, sed cum imo fuisse ex novo opere turbatam. Perperam sane proponeret ipse possessionem, dum nullum expressum titulum profert ædificationem vetandi, cum, eo deficiente, neutiquam præsumptus titulus officiat, et erumpens ab observantia. Servitutes quippe *negativæ*, cujusmodi ea esset, nullo temporis lapsu, licet longissimo, censentur inductæ, nisi insimul de prohibitione constet ex parte fundi dominantis, et de tanta dein acquiescentia ex parte ejus, qui prohibetur, quanta ad constituendam præscriptionem omnino requiritur, ceu pluribus allatis auctoritatibus fuse probat antedicta *Decis.* § 6. At si præsto non est Antonicolæ possessio, deficit etiam possessionis turbatio, quæ alioquin absurde profertur, possessione non probata, cum non entis nullæ sint qualitates *ad Text. in Leg. Ejus, qui in Provincia vers. Quoniam ff Si certum petat Leg. Decem ff de verb. obligat.* 5

Sed nullo erant præterea in pretio habendæ Antonicolæ exceptiones, dum duplici ex causa de altius elevatis parictibus quæstionem movebat; *tum quia* innitebantur alteri muro Boream versus, qui ipsius Antonicolæ domum dividet ab alia Capituli S. Nicolai ejusdem Oppidi, in cujus jura successerat ipse Petrosanctus, et extantes lapides sive = *i Testimonj dell' antico Tetto* = longe excedebant, quod fieri sine domini consensu non posse authumabat; *tum* etiam *quia* ex alio latere novi Ædificii parietes versus Occidentem cum muro conjungebantur qui ædem Fratrum Bernabei, ex parte emptam ab Antonicola, dividit ab alia æde Petrosanctii, cujus muri integrum dominium Antonicola sibi asserebat. Sed omnem de adhæsione parietum quæstionem sustulerunt acta judicialis *accessus*, ex quo patebat murum, qui Boream respicit, domumque dividit Antonicolæ ab alia Capituli S. Nicolai, nunc Petrosanctio quæsita, esse utrinque *communem*. Extantia enim in eo foramina, in quæ tigna forte ad tectum substinendum antiquitus fuerunt immissa, satis ostendunt murum ipsum perpetuo divisorium, ac *comunem fuisse*, ut advertit etiam prior Causæ *Decis.* § 7.

Nemini autem fecit injuriam Petro- 6
sanctius, dum usus est jure suo, et ædem a Capitulo coemptam instaurando fines excessit veteris Coenaculi = *Dell'antico Soffitto* = Non enim ex eo quod Antonicola murum ad Septentrionem proprio sumptu construxit, ideo post integrum sibi afferre constructionis hujusce dominium, ex quo vetitum fuerit Petrosanctio in murum ab Antonicola erectum tigna, ac trabes immittere. Hoc siquidem proprium est muri *divisorii*, *et communis*, ut licet quisquam ex Dominis super eo propris sumptibus ædificet, nilque conferat in id alter muri condominus non possit tamen ædificans dominium quærere muri divisorii, sed juxta vetus juris adagium, *quod solo inædificatur solo cedit*, adeo ut jus tantum ei sit sumptus elevationis in æquam

partem dividere, dummodo alter muri possessor nova uti velit elevatione, quemadmodum statuit prior *ipsa Decis.* § 8, coeterum contra naturalem æquitatem fuisset, si dum super muro communi ædificare licuit Antonicolæ, et ædes altius extollere idem Petrosanctio non liceret, qui, ne ad imparia judicetur in pariete communi proprias ædes in ampliorem formam redigere non prohibetur, ut ita arguendo prosequitur *cit. Decis.* § 9.

7 Et recte animadvertebant Patres, quod si hæc juris disciplina locum sibi vindicat, ubi etiam agitur de opere nondum incoepto, eo magis vires suas exerit, ubi res non est amplius integra, et de opere agitur jam fere absoluto. Atqui adeo Leges favent hisce in casibus ædificanti, ut si paries, cui novum adhæret ædificium pleno jure spectet ad eum, qui demolitionem postulat, nil aliud ipse ab ædificante condicere valeat præter pretium adhæsionis, et sustentationis ædifici justo Peritorum arbitrio æstimandum, integro tamen sarctoque relicto opere, quod fuit injuste nunciatum. Neque id sine justa legitimaque causa factum apparet; Nam, cum sera inhibitio, et demolitionis postulatio ab eo excitata, qui semper tacuit, et vicini opus silentio suo probavit, ab æmulatione potius animique levitate, quam ab ulla vera ratione videatur exorta, ita nec jus, nec æquitas patitur, ut ædes bona fide, palam, et publice constructæ, ad augendum loci splendorem summo cum ædificantis detrimento destruantur *ad Text. in Leg. ædes ibique Glossa*, ac Doctores quos refert mea *Decis.* §. 9.

8 Ineptius objiciebat Antonicola, non potuisse Petrosanctium alterum ædificii parietem cum muro conjungere versus Occasum quem, ex parte tantum, emptionis venditionis titulo, a fratribus Bernabei sibi comparaverat. Nonsatis hæc profecto congruebat exceptio, et immo maximopere pugnabat cum publicis Instrumentorum Tabulis, et inductis etiam ab ipso Antonicola Testibus, ex quibus patebat unicum tantum Bernabejæ domus contignationem eum coemisse; et rursus compertissimum erat camdem contignationem vilissimo pretio acquisivisse quia adamussim constabat muris divisoriis, et communibus cum aliis ædibus, quorum Petrosanctus nactus fuerat Dominium ex totidem emptionis venditionis contractibus ab eo cum singulis possessoribus antea celebratis. At vero quoties media, atque unica tantum contignatio ædium a Bernabeis emptarum ad Antonicolam pertinet, atque primæ, et ultimæ contignationis Domini nullas excitant turbas de parietum adhæsione, a qua coeteroquin non probat Antonicola damnum sentire, nulla subest ratio cur adigendus sit Petrosanctius ad id solo æquandum, quod tanto sumptu excitavit.

Eliminata itaque adhæsionis exceptione extranea videbatur a themate querela infumibuli, ex cujus construtione nobiles ædificii sui diætas infici contendebat Antonicola. Obstant enim hic quoque acta judicialis *accessus* ex quo patet, nullum adhuc constructum fuisse infumibulum. Obstat rursus dispositio juris, ex qua haud vetitum est possessori inferioris ædificii caminum altius quantum velit, producere etiamsi damnum superioribus ædibus obveniat, dummodo adsit æmulationis suspicio, nocendique animus, ut scriptum est in *Leg. si inferiorum* 44 *ff. de injuriis*. Removit porro quodcumque æmulationis indicium vera necessitas, quam habet Petrosanctius infumibulum in propria æde construendi. Urget itidem judicialis Periti relatio, qui declaravit ob distantiam *quinquaginta* circiter dodrantium, quæ ab Antonicolæ ædibus intercedit ad murum ubi forte ædificavit infumibulum Petrosanctius, nullum damnum ex ejusdem constructione derivare in ædes Antonicolæ. Quando autem idonea est distantia inutilis est, si quæ a vicino excitatur, querela de fumo, qui ex æde inferiori in Superiorem suapte natura ascendit etiamsi interdum in ejusdem vicini cubicula ingrediatur, ut ex censura citatæ *Leg. si inferiorum* 44 *ff. de injuriis firmat prima Decis.* §. 11. 9

10 Nec opponendum ex elevatis parietibus, vel sublatam, vel imminutam fenestræ lucem, quæ in horreo extat ejusdem ædificii ad Antonicalam spectantis. Nam, præter quam quod ex recenti parietum erectione non penitus obstructa, sed paululum tantum obumbrata remanet horrei Fenestra, quod alinnde cæteroquin lumen hanrit, ut retulerunt Periti judiciales; illud etiam accedit animadvresione dignissimum, antiquitus non extasse hanc Fenestram cujus lumen diminutum clamat Antonicola, sed parvulum foramen ad tigna immittenda factum paucis ab hinc annis in Fenestram fuisse conversum, ceu testes deponebant foımali examini subjecti, quibus erat plena fides adhibenda ex firmatis in *mea decis.* §. 13. Si igitur paucis ab hinc annis constructa non reperiebatur in horreo Fenestra, perperam egit Antonicola, dum eam aperuit in muro communi, et divisorio; Scitum quippe est ex Fenestræ aperitione in muro communi alterius condomini conditionem non fieri deteriorem, cui fas imo est parietes ad sidera extollere, et cum muro communi conjungere, licet illius Fenestræ lumen impediat, ut monet citata *Decis. dict.* §. 13 Coeterum inutiliter de damno queritur Antonicolæ qui sciens prudens, absque ulla pretii solutione ad læsionem exhibuit Petrosanctio muro communi, dummodo vellet fatiscentes ædes in meliorem formam redigere, ut ipsi deponebant Testes examini subjecti.

11 Erat denique ad modum incivile Decreto succensere Judicum Frusinonis *provisionis* causa lato, qui, ne ædificium bona fide, non sine magno sumptu a Petrosanctio excitatum, et sine vicini, vel incommodo, vel querela ad exitum quasi perductum, imbre ingruente corrueret, veniam ipsi dederunt perficiendi tectum emissa tamen obligatione cuncta in pristinum reducendi si causa postmodum, cecidisset, adjectaque insuper lege = *di non dilatare l'escavazioni sotterranee, oltre lo stato, in cui attualmente si trovano e di non far mai uso delle mine* =. Congruit Judicum providentia *Papiniani* responso in *Leg.* 25 *ff. de op. nov. nunciat.* congruitque *Imperatoris* Rescripto *in Lege unica Cod. eodem tit.*, ubi si intra trimestre tempus definiri quæstio non possit, si ambigua res sit, licentia ædificandi conceditur, exhibito Fidejussore, in constructione pergendi. Securitati ergo Antonicolæ satis erat consultum per emissam a Petrosanctio obligationem de demoliendo, si causa caderet. Quare, si non constat de ulla servitute altius non tollendi, ac ne Anticolæ luminibus officiatur, favendum certe est naturali libertati, qua quisque gaudet proprias ædes extollendi, nec vicino damnum inferre is existimatur, qui utitur jure suo, ut advertit Decisio *superior* §. 13.

Et ita, comperendinationem frustra postulante Antonicola jus redditum est.

SETINA FABRICAE

SUPER ATTENTATIS

Lunae 28 *Januarii* 1822.

ARGUMENTUM

Absque antecedenti inhibitione, et subsequenti spretu non datur attentatum; quod saepe pendet ab intrinsecis controversiae meritis.

SUMMARIUM

1. *Potius quam a formis extrinsecis, attentatorum actio saepe pendet ab intrinsecis causae meritis.*

   Quamvis nonnulla acta ex aliquo vitio delenda essent, tamen ex bono juris praesidio fulcita, executioni committi debent – ibid. –

2. *Juxta veterem praxim, non ab omnibus sententiis sub banca judicis appellatio competebat, sed multis in casibus impetranda erat a pleno Signaturae Justitiae Tribunali.*

   Appellatio, ad hoc ut inhibitionem pariat, nunciari debet vel parti, vel procuratori constituto – ibidem. –

DECSIO CXIII.

Postquam auctoritas accessit *provisoriæ* Sententiæ Tribunalis Primæ Instan-

tiæ Frusinonis, quæ integra relicta emissa a Petro Sancto obligatione *de demoliendo*, si ejus jurs in definienda quæstione non prævaluissent, ipsi permisit = *Proseguire i lavori nei Casalem*, de quibus mea agit contemporanea Decisio, perrexit ipse aliquantum in ædium constructione, quibusdam tantum expletis operibus omnino necessariis. Licet vero ab hac provisoria Sententia, quæ nec definitiva erat, nec definitivæ vim habebat nulla competeret appellatio, provocavit tamen Antonicola ad Supremum Signaturæ Justitiæ Tribunal, quo coram, Speciali expedita citatione, de prætensis attentatis quoque querelam proposuit. Quoniam autem tota controversia ad Sacrum Ordinem ablegata fuit *cum facultate purgandi* factus est Locus concordationi alterius Dubii hac formula concepti = *An et quomodo sit locus purgationi Attentatorum in casu etc.* = cui responsum dedere Patres = *Negative in omnibus.*

1 Ardua, et plena odii est attentatorum actio, quæ benignitate juris facile reiicitur. Quoties autem commissa Sacro Ordini fuit a Signaturæ Justitiæ Tribunali tota controversia cum *facultate purgandi*, non a forma neglecta, vel non servata, sed ab intrinsecis Causæ meritis pendet attentatorum judicium. Optima enim est S. Ordinis consuetudo querelas istas *circumscriptionis, et attentatorum* a Signatura comissas cum facultate purgandi, et circumscribendi ad tramites boni juris definire. Ideo ea sæpissime S. Noster Ordo manere jussit, quæ, quamvis ex eorum aliquo vitio delenda fortasse essent, adhuc tamen ex boni juris præsidio iterum exequtioni committi possent, ut centena prostant exempla præsertim *in Romana Fabricæ super attentatis* 26 *Januarii* 1756 § 6 *coram Stadion, in Senogallien. Circumscriptionis* 11 *Decembris* 1801 § 2 *coram Reverendissimo P. Dom. Decano Serlupi, in Sutrina Attentatorum* 17 *Maii* 1815 § 2 *coram Eminentissimo Rusconi, in Romana, seu Urbevetana Literæ Cambialis super Circumscriptione* 23 *Junii* 1815 § 2 *cor. bon. mem. Tassoni, in Melevitana Cappellaniæ super Circumscriptione* 17 *Januarii* 1817 § 2 *coram R. P. D. Odescalchi, et in Verulana Circumscriptionis super VII. Dubio* 16 *Februarii* 1818 § 5 *coram R. P. D. Meo Spada*. Cum igitur ex contemporanea Decisione constet, nullum jus babere Antonicolam inbibendi Ædium constructionem, ita nullum jus habet attentatorum, purgationem petendi, ut hodie id destruat Petro Sanctus, quod cras denuo construendum erit.

Attamen, prætermisso etiam boni juris præsidio quæ duo ad purgationem attentatorum assequendam requiruntur, *præcedens* scilicet *inhibitio, et Subsequens Spretus* inhibitionis, ea omnino in actione ab Antonicola proposita desiderantur. Quamvis enim ab *interlocutoria* Sententia forsan appellatio competere potuisset Antonicolæ, quia tamen non competebat, ut Forenses ajunt *Sub bancha*, impetranda ideo erat a pleno Signaturæ Justitiæ Tribunali, nec satis fuit in Actis fuisse interpositam. Cum autem hæc appellatio neque Petro Sancto, neque constituto ab eo Procuratori denunciata fuerit, quemadmodum novæ volunt Praxeos regulæ *in Art.* 955 judiciarii Codicis, Sperni impune poterat a Petro Sancto. Nec juvare potuit Antonicolam Specialis citationis transmissio, quæ nullo in prætio habenda erat *tum quia* peccavit *in forma*, cum juxta *Art.* 1008 ejusdem Codicis implorandа hoc in casu a Judice fuisset = *ad urgenza* = *tum etiam quia* inanis erat, non interposita, aut illegittime interposita appellatione, sicuti ulterius statuit *Art.* 983 præfati Codicis. 2

Et ita etc. Utraque etc.

SETINA FABRICAE

SUPER ATTENTATIS

Veneris 21 *Junii* 1822.

ARGUMENTUM

Habes in superiori quae confirmatur - DECISIO CXIII. -

SUMMARIUM

1. Duo sunt attentatorum extrema, praecedens inhibitio, et subsequens inhibitionis contemptus.

2. Nulla competit provocatio ab interlocutoriis decretis, quae nec definitiva sunt, nec ullam definitivi vim habent.

Qui vult post opus novum nuntiatum impune aedificare afferre debet satisdationem nuntiatori - ibidem. -

inefficax est appellatio, quae neque parti, neque procuratori constituto denunciata fuit - ibidem. -

3. Pro attentatorum exclusione quaelibet benignior sumi debet interpretatio.

Ad inanes effugiendos circuitus, plerumque attentatorum judicium pendet ab intrinsecis controversiae meritis - ibidem. -

DECISIO CXIV.

Absolvendum censuit Sacer Ordo in Comitiis diei 28 Januarii nuper elapsi Franciscum Pietrosanti a petita per Joannem Baptistam Antonicola Attentorum purgatione, quæ Petrosanctum patrasse contendebat post interpositam Appellationem a *provisoria*, ut inquiunt, Sententia Tribunalis Primæ Actionis Phrusinonis, dum ipse, nonnullis expletis prorsus necessariis operibus, in ædium constructione aliquantulum perrexit. Disputato siquidem dubio = *An et quomodo sit locus purgationi attentatorum in casu etc.* =, responsum a Patribus fuit = *Negative in omnibus* = ceu latius ostendit edita sub ea die Decisio coram me. Sed nihil profuit Antonicolæ obtentum novi experimenti beneficium. Cum enim hodierna die assuetam exhibuissem dubii formulam = *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.* =, frustra comperendinationem petente Antonicola, sub prætextu exhibitionis typi lignei, de quo altera loquitur hujusce diei Decisio, Patres merito perstiterunt = in *Decisis* =.

1 Quæ duo namque sunt attentatorum purgationis extrema, *præcedens* scilicet *inhibitio*, et *subsequens* inhibitionis *contemptus*, ea quidem in hoc judicio penitus desiderantur. Et deficit primum inhibitio. Non licebat enim Antonicolae ab *interlocutorio* Decreto provocare, neque, si licuisset, rite interposita dici potest appellatio. Quoad veterem praxim nihil magis exploratum, quam quod nulla competat provocatio ab *interlocutoriis* Decretis, quæ nec definitiva sunt, nec ullam definitivi vim habent, ut firmant *Ridolphin. in Prax; part.* 1 *Capit.* 13 *numer.* 278 *Scacc de appellat. quæst.* 17 *limit.* 47 *numer.* 73 *Costantin. ad Statut. Urb. adnotat.* 60 *artic.* 2. *numer.* 595. Neque minus id compertum est, si recentem inspicias judiciarii Codicis censuram in ejus *articul.* 1005, ex quo non aliter licet ab interlocutoriis Decretis provocare, quam si ea afficiant meritum actionis in genere, vel præjudicium aliquod alteri ex litigantibus inferant. At nullum certe detrimentum afferebat Antonicolae providentia lati Decreti, quod = *Senza ledere i diritti ad ambe le parti competenti* = integram servavit emissam a Petrosanctio obligationem de demoliendo, si in judicio de novi operis nunciatione succubuisset, legemque ipsi dedit = *di non dilatare l'escavazioni sotterranee oltre lo stato* = in quo tunc temporis reperiebantur.

Consona sane est hæc eadem De- 2
creti providentia sanctioni apertissimæ *Leg. stipulatio* 21 § 2 *ff. de operis novi nunciat.* ubi cavetur, quod = *si quis vult post opus novum nuntiatum impune ædificare offerre debet satisdationem nuntiatori; quod si fecerit, utrique consultum est, tam ei, qui nuntiavit, quoniam cautum habet de opere restituendo, quam ei, cui nuntiatum est, quia molitio ejus non impeditur* = Etsi vero aliqua facultas Antonicolæ fuisset ab eo Decreto provocandi, sprevit tamen ipse instituta forensia, in eoque peccavit, quod interpositam appellationem neque Petrosanctio, neque constituto Procuratori denunciaverit, ut jubet Codex ipse Judiciarius *articul.* 955. Neque prodest Antonicolæ, provocatione interposita, quæsitam ab Auditore Signaturæ *Specialem*, quam Pragmatici dicunt *citationem* Petrosanctio significasse. Sola namque *citatio Specialis*, omissa provocatione, vel ea non rite interjecta = *non ritarderà l'esecuzione del Giudicato, ma si considererà come non*

spedita = ut cavit alterius præfati Codicis sanctio *articul.* 983. Eoque fortius prædicta *citatio Specialis*, non obstabat, quominus impune posset ædificationem prosequi Petrosactius, quod erat eadem imploranda ab Judice = *ad urgenza* = quemadmodum hisce in casibus fieri jussit Judiciarii ejusdem Codicis *articul.* 1008, et jam advertit præcedens *decisio* § 3

3 Si itaque non constat *de inhibitione*, concipi nequit inhibitionis contemptus multoque minus concipi possunt attentata, quorum purgationi nunquam fit locus, ubi vel inhibitio deficiat, vel contemptus inhibitionis, *Lancellott. de Attentat. lit. pendent. part.* 2 *capit.* 4 *limit.* 1. *numer.* 10. *Posth. de Manutenen. observat.* 1 *numer.* 37 *Gratian. disceptat. Forens, cap.* 914 *numer.* 30 *Rot. in Recent. decis.* 75 *numer.* 1 *par.* 14. *coram Herzan decis.* 86. *numer.* 1. *et decis.* 127 *numer.* 22 *coram Eodem.* Certius, quia attentatorum materia odiosissima est, ac pro eorum exclusione quælibet benignior sumi debet interprætatio, ac injusta plerumque credulitas excusat. *Gloss. in Capit. Non solum de Appellation., Lancellott. de Attentatis in præfat. numer.* 121 *Rot. coram Benincasa decis.* 179. *numer.* 3., *coram Ansaldo decis.* 590, *numer.* 4., *decis.* 425 *numer.* 4 *coram Riminaldo.* Cæterum, semelac attentatorum querela commissa Sacro Nostro Ordini fuit a Supremo Signaturæ Justitiæ Tribunali una cum tota controversia *cum facultate purgandi*, ex receptissima, ac laudabili Patrum consuetudine, quae ad inanes effugiendos circuitus invaluit, non amplius a forma neglecta, vel non servata, sed ab intrinsecis controversiæ meritis pendet attentatorum judicium, ceu, pluribus allatis Rerum judicatarum exemplis statuit praecedens Decisio § 2. Cum igitur in quæstione, quæ ad nunciationem novi operis spectat, victor evaserit Petrosanctus, justum quoque est, ut in hac incivili attentatorum contentione victoriam assequatur.

Et ita inutiliter dilationem petente, Antonicola decisum est.

TYBURTINA DAMNORUM

QUOAD FUNDOS RUSTICOS

Veneris 1 Februarii 1822.

ARGUMENTUM

Habes in superiori quae confirmatur « DECISIO XXX. »

SUMMARIUM

1. *Conductor reficere debet locatori damna ad tramites peritiae.*
2. *Maxima est auctoritas quae debetur peritioribus, si partes illorum sententiam firmam habituras convenerint* - inappellabilmente - rimossa qualunque eccezione.
3. *Dum Conductor in peritioris electionem ad damna liquidanda consensit, eo ipso damna in genere admittit.*
4. *Ubi ex univoca Peritorum assertione constat conductorem defecisse in cultura exercenda, damna, quae ex hac omissione proveniunt, reficienda sunt.*
5. *Frustra adfertur extrajudicialis peritia, ubi peritia judicialis adest.*
6. *Ad statuendum, quae et quot fuerint conductoris obligationes, inspici praecipue debent locationis tabulae.*

DECISIO CXV.

Dum prædia, quæ in Oppido Vici Varronis, locationis conductionis nomine, ad *novennium* retinuerat Philippus Coccanarius, Locatori Comiti Virginio Cencio Bolognetto restituit, vel invitus fateri debuit, tum ex neglecta agrorum culturæ, tum ex minime impletis conventionibus, damna permulta eisdem obvenisse; proindeque, ut quæ, quantaque hæc essent liquido innotesceret, ultro cum Locatore convenit de binis Peritis eligendis, bisque forte discrepantibus, de Peritiore etiam deputando satis perspicua hac addita pactione quoad peritioris judicium = *Qualunque sia la risultanza de'primi Periti nel caso che siano tra loro concordi, e del periziore nel caso di discrepanza, debba quella attendersi inappellabilmente, come di fatti le parti si obbligano di attendere, ed osservare in modo che la somma, che verrà giudicata nelle rispettive perizie in*

correspettività dei danni, e mancanze, che verranno liquidate debba essere sodisfatta, e rimossa qualunque eccezione; volendo che il presente foglio in caso di rinuenza sia valutato nelle forme di un giudizio esecutivo, come se fosse debito confessato = In diversas, ut plerumque usuvenit, sententias electi utrinque Periti abierunt, et cum Peritior Decempedator, in quem Partes compromiserant *Angelus Qualeattus* commissum sibi munus implere haud posset, suffectus fuit *Aloysius Mazzarinius*, non inferioris notæ Agronomus, qui damnorum æstimationem evexit ad vim usque scutorum 984 et ob. 11.

Huic tamen judicio minime acquievit Coccanarius; urgente siquidem Bolognatto apud A. C. Triumviros prædictæ summæ solutionem, Mazzarinii in locum Qualeatti subrogationem sese ratam habuisse inficiari cæpit, atque hinc Tribunal illud testium, quos Bolognettus ad eam ratihabitionem probandam induxerat, examen decernendum censuit. Appellationem ab hac Sententia obtinuit Coccanarius cum Clausula = *si quid exequendum* =; quapropter ad Nostrum S. Ordinem Causæ cognitio delata fuit sub formula dubii = *An, et pro qua summa sit relaxandum mandatum in casu etc.* = Rem comperendinare tunc studuit Coccanarius, Dubii etiam reformationem postulans; nil attamen proferre valuit, quod Patres detinere posset ab emittendo Responso informantis Bolognatti votis Consono = *Affirmative in scutis* 984, *et ob.* 11 = ceu pandit a me edita Decisio diei 23 Junii 1820. Iterato postmodum periculo in Comitiis diei 19 Januarii superioris Anni, acriter contendebat Coccanarius maximum sibi illatum fuisse præjudicium in relatione Peritioris Mazzarinii, quod ut conficeret extrajudiciales afferebat Francisci Ricci in Mazzariniam peritiam animadversiones, tantaque fuit Patrum in perquirenda veritate diligentia, ac religio, ut rescribere haud dubitaverint = *Dilata, et ad D. Ponentem pro deputatione Periti Agrarii, et ad mentem* = quæ fuit, ut deputandus Peritus = *referat super peritia Mazzarinii, et animadversionibus Riccii* = Selectus fuit Joseph Giaquintus, qui locis denuo perlustratis, atque utraque relatione ad severiorem trutinam revocata, adeo æqum deprænhendit Mazzarinii judicium, ut damna, quæ hic minoris æstimaverat, scutatis scilicet 984, et ob. 11: summam scutatorum 1205, et ob. 25. attingere posse accuratissima demonstratione ostenderit. Interrogati itaque hodie Patres = *An sit standum vel recedendum a decisis* = illico responderunt = *In decisis*.

Ea siquidem erat Coccanarii conditio ut damnorum, quorum existentiam in genere inficiatus est numquam, sarcitionem ad tramites relationis Aloysii Mazzarinii effugere haud posse omnino. Quod sane sponte sua profluit, primum ex numeris omnibus absoluta conventione inter ipsum, et Comitem Bolognettum Locatorem inita, qua ambo ita voluerunt Mazzarinii Peritioris judicio acquiescere quoad damnorum liquidationem, ut quævis tandem futura esset illius sententia continuo foret exequutioni committenda = *in modo che la somma, che verrà giudicata ecc. in correspettività de' danni ecc. debba essere sodisfatta, rimossa qualunque eccezione; volendo che il presente foglio, in caso di renuenza, sia valutato nelle forme di un Giudizio esecutivo come se fosse un debito confessato* = Porro, cum id evenerit, quod contrahentes præviderant, ut in diversas scilicet priores Periti abierint Sententias, hinc locus fuit Peritioris eo modo deputati judicio, qui licet alius fuerit ab eo, in quem tunc Partes consenserant, nullum attamen hodie superest dubium quoad rite confectam ipsius in locum alterius subrogationem, quique damna prædiis illata æstimavit scutatis 984 et ob. 11. Patet igitur hanc pecuniæ vim persolvere debere Coccanarium = *come se fosse un debito confessato* =. 1

Fortius dein qui lucolentissimæ conventioni Peritiorum judicia exequutionem expectare magna quippe est, adstipulatur etiam vulgata juris dispositio, qua scitum est atque a jure commendata ipsorum auctoritas, ut probat 2

Text. in L. Item si unus § final. ibique Gloss. in verb. Auctoritate ff de recept. Arbitr. Rota in Cæsenaten. Dotis super datione in solutum 17 *Maii* 1745 § 4. *in fine coram Bussio, et in Imolen. Liberationis a molestiis* 10 *Jonuarii* 1757 § 5 *coram Elephantutio*; præsertim vero ubi, prout in themate, Partes illorum sententiam firmam, ratamque sese habituras fore convenerint = *inappellabilmente = rimosso quolunque eccezione = come se fosse un debito confessato = Ad Text. in L. Diem proferre § Stari autem ff de recept. Arbitr.* posteaque *Cujac. Opera omnia Tom.* 8 *Columm.* 191 *Constantin. Vot. Decis.* 456 *num.* 5, *et Rota Decis.* 477 *n.* 2 *part.* 9 *Tom.* 2. *Recent., et Decis* 107 *n.* 8 *coram Olivatio, et in Romana, seu Tusculana Melioromentorum* 12 *Maii* 1755 *coram Amodeo.* Indulgentia tamen ac religione S. Ordinis, novus accitus fuit judicialis Peritus Joseph Giaqnintus, ut Mazzarinii peritiam, et animadversiones Francisci Ricci, quibus inhærebat Coccanarius scrutaretur. At ille, non modo excessum plane nullum in Peritioris relatione invenit, sed e contra defectum in damnorum æstimatione, quam idcirco evehendam censuit ad vim usque Scutatorum 1205. et 25. Nil itaque, do quo queratur, habet conductor, si ad tramites Mazzariniæ relationis damnorum sarcitionem præstet in quantitate Scutatorum 984. et ob. 11.

3 Et merito quidem. Damna enim in genere non modo agnovit ipse Coccanarius, dum in Peritorum electionem ad ea liquidanda consensit; sed insuper tum priores Periti, tum Peritior Mazzarini, qui omnes fuere concordes = *nelle ragionevoli massime per determinore le indennità che convengono all' Eccmo Proprietorio a carico dell' Affittuario* = In specie autem constat ipsum conductorem, et si de tempore initi locatitii contractus minus diligenter excultæ plantæ fere omnes reperirentur, promisisse = *nel primo anno dell' affitto far potore, stabbiare, e pulire ad uso e stile d' arte tutti gli Alberi di Olivi esistenti, tanto nei terreni rinchiusi, quanto nei quarti aperti, e così mantenerli con nuovamente pulirli, e stobbiarli a suoi debiti tempi, e od uso d' arte, come sopra* = ita ut in exitu contractus eas in eadem quidem quantitate, sed in optimo culturæ statu restituoret. Quod si olearum aliquæ forte decidissent, aut periissent, totidem illico = *vive, e vegete* = substituero Coccanarius tenebatur. Postremo ex iisdem locationis conductionis tabulis constat ipsum promisisse *quatuorcentum*, novennii spatio serere oleas = *e consegnare le predetta piante in fine dell' affitto vive, e vigerose nello stesso numero di quottrocento* = eam vero serendarum olearum qualitatem esse debere, quæ inferioris notæ plantas prorsus excluderet, ac præcipue = *quelle di S. Vito, e gli Olivastri.* =

Atqui ex univoca Peritorum assertione constat tum in qualitate, ac in quantitate olearum servanda, ac restituenda, tum in cultura exercenda, Coccanarium quam maxime defecisse. 4
Referunt namque ii, diligenter perlustratis prædiis, collato plantarum numero extantium do tempore contractus cum eo, qui repertus fuit, cum ipsi fundos visebant, perpensis tandem obligationibus per conductorem susceptis, sese adinvenisse = *negli Oliveti generalmente uno mancanza di coltivazione segnotomente di Zoppatura, Stobbiatura, e Vangaturo, ossia apertura di molte piante bisognose di essere svecchiote nel tronco, e nelle rodici, e mancanza ancora in qualche quantità della potatura de' romi* = item deprehendisse narrant = *Commissione della coltivasione, ed allievo delle rinascenze di Olive, tonto di quelle esistenti nel tempo della consegna, che di quelle provenienti dalle pionte perite posteriormente* = tandem quoad numerum Olearum sive quæ jam extabant, cum contractus initus fuit, sive quas serere ex peculiari pactiono intra novenni spatium conductor promiserat, exponunt = *Fatta poi lo enumerazione degli Olivi in essere di diversa grossezza e qualità si sono trovati in tutto nel numero di* 2464, *e mancanti dai* 2745, *consegnati nel numero di* 281. *Enumerati pure li piontoni posti nel decorso dell' Affitto si sono trovati in tutto di* 223.

- dum *quatuorcentum* plantare conductor tenebatur: nec satis; quia parvus ille numerus = *in gran parte della specie proibita, cioè di piantoni presi negli Oliveti.*

5 Præterea sepes incensa fuerat, repagula nonnulla abrupta, Arborum cæterarum cultio neglecta, quippe quæ derelictæ fuerant non *zappate, non stabbiate*; adeout mirum videri nequeat tot, tantaque damna ex concordi Peritorum hominum judicio æstimata esse scutatis *nonigentum octuaginta quatuor*, ad quot numeranda Coccanarius damnatus est. Frustra autem is abutebatur extrajudiciali Peritia Francisci Ricci, ut quodammodo ostenderet Mazzarinium complura damna in calculo habuisse, aut excessive liquidasse, quæ aut a Coccanario nullimode erant sarcienda, aut saltem minoris a Perito æstimanda; sat enim superque hæc pro factorum veritate, ac juxta Artis Agraegiæ regulas explodit accuratissima Judicialis Peritia Josephi Giaquinti, qui non modo damna reapse extare, atque uni Coccanario imputanda esse invincibiliter ostendit; verum etiam nimie fortasse æquitatis, atque indulgentiæ erga conductorem Mazzarinium incusavit = *tanto per la ridotta enumerazione di alcune mancanze, quanto pei limitati prezzi degli oggetti liquidati* = quapropter licet Mazzarinius damna æstimavisset in solis scutatis *nonigentis optuaginta quatuor* ipse haud aliter muneri suo satisfecisse censuit, quam eorum æstimationem augendo ad scutata usque *mille biscentum quinque et ob.* 25.

6 Post hæc frustra proponebat Coccanarius, de tempore initæ locationis conductionis oleas, pene omnes, in pessimo cultionis statu extitisse, atque post longum temporis intervallum difficile admodum Peritis fuisse, utrum eas voluerit, aut incultas jacere permiserit conductor, tuto judicare. Quoad primum enim rem satis declarant contractus tabulæ, in quibus adamussim quia neglectum eousque olearum cultum fuerat, luculento pacto cautum fuit = *che nel primo anno* = conductoris oneri esset = *far potare, e pulire ad uso, e stile d' arte tutti gli Alberi di Olivi esistenti, tanto nei terreni rinchiusi quanto nei quarti aperti, e così mantenerli con nuovamente pulirli, e stabbiarli a suoi debiti tempi, e ad uso di arte come sopra* = Quæ sane verba nil aliud innuut, quam strictam obligationem ultro suscepisse Coccanarium plantarum omnium culturam in totum restituendi, easque in exitu locationis conductionis in optimo culturæ statu reddendi. Quoad secundum dein nullo in pretio Patres habuere Francisci Ricci extrajudicialis Periti Sententiam, quæ erat, dignosci hodie non posse, utrum oleæ recte, an male fuerint excultæ, quandoquidem sat, superque earum status jampridem investigatus fuerat, ac bene innotuerat tum Peritiori Mazzarinio, tum etiam judiciali Perito Josepho Giaquinti, ex quorum judicio ad damna sarcienda in scutatis saltem 984. et ob. 11 jure meritoque Coccanarius damnatus est.

Et ita in partium conflictu decisum fuit.

VELITERNA MANUTENTIONIS

Veneris 5 *Julii* 1822.

ARGUMENTUM

Patet ex Sommario

SUMMARIUM

1. *In Judicio manutentionis, seposita boni juris investigatione, nudum attendendum est possessionis factum.*
2. *Qualiscumque possessor, hoc ipso quod possessor est, plus juris habet, quam ille, qui non possidet.*
3. *Possessio in contradicto judicio probata, tantum ponderis habet, ut statum semper faciat, donec adversus res-judicatas restitutio in integrum non sit obtenta.*
4. *Per Univocos testes recte probari potest possessio.*
5. *Eo magis accomodanda est fides testibus, si obiierunt, quin unquam suas depositiones retractaverint.*

6. *Exceptio a transactione desumpta, extranea prorsus est in judicio manutentionis.*
7. *Pactum in istrumento acquisitionis adstipulatum, successor religiose servet oportet.*

DECISIO CXVI.

Venale cum fecisset anno 1804 Sacra Congregatio Æconomica Latifundium, vulgo = *della Fajola* =, ad Velitrensem Communitatem spectans, quo super Veliterni Cives, et Agricolæ jus habebant pascendi, æstivo præsertim tempore, ulla absque solutione *fida*, vetustissima possessione, et plurimis rebus judicatis vallatum, Ædictis, die 28 Julii ejusdem anni, propositis, apertissime declaravit, quod = *non ostante l'alienazione della suddetta Tenuta della Fajola rimarranno sempre illesi, sì a favore del Popolo di Velletri, che di ciascun cittadino in particolare, tanto il diritto di legnare, di fascinare, di far scopigli, di pascere, quanto qualunque altro, che su la tenuta stessa potesse trovarsi in Vigore, ed in specie a favore degli agricoltori di detta Città, che o per legge, o per consuetudine vigente godono su di essa Tenuta qualsisia diritto di pascolo o altro privilegio* =. Vicit in licitatorum certamine Franciscus Bianchini, qui fratrum Valentini et Romani de Romanis negocium hac in re agebat, atque ideo ipsi, sive prædictis fratribus, fuit illud latifundium adjudicatum.

Primum Veliternorum civium, et agricolarum jura super eo latifundio religioso ab emptoribus observata fuere. At extemplo, mense Augusti anni 1818, belluæ omnes quorumdam ex Agricolis ibi depascentes a saltuariis prædictorum fratrum depulsæ fuere, ac nonnullæ etiam custodiæ mancipatæ. Hinc ulla absque mora Agricolarum Universitas, comitiis coactis, unanimi suffragio die 25 ejusdem Mensis Augusti decrevit = *che siccome un tale atto perturbativo del possesso, in cui sono stati, e sono nel pascolo suddetto, non solo con i buovi, ma anche con le bestie armentizie, se non venisse vendicato, potrebbe inferire danno a tutti l'agricoltori presenti, e futuri, così debbasi a nome dell' Università far causa contro i Signori Romani, e proseguirla avanti qualsivoglia Tribunale, finchè sia definitivamente decisa* =.

Statim itaque institutum fuit apud Gubernatoris vices Gerentem, et Conservatores Velitrarum adversus Romanios judicium, atque petitum = *in forza del sommarissimo possessorio, in cui sono li Agricoltori di pascere l'erba di estate nella Tenuta della Fajola con le proprie bestie Armentizie, e Cavalle da trita, sia dichiarato, che essi sono stati e sono nel possesso di pascere la detta erba d' Estate, e perciò debbano continuare nel riferito possesso* =. Tum Romanii, possessionem denegare haud valentes, ad *petitorium* confugere, et possidendi jus Agricolis impugnarunt; atque, petita actorum, quæ locum habuerant coram Vicegubernatore, et Conservatoribus Velitrarum apud Eminentissimum Cardinalem Decanum, illius Civitatis Principem, circumscriptione, remissionem tantum Caussæ obtinuerunt ad Sacrum Nostrum Ordinem, cum clausula *tamquam in prima*, ea mihi Caussa commissa *uti Praelato*. Quæstio primum fuit super concordatione Dubii, quod Romanii ad *petitorium* etiam protendere studebant, quodve Patres ad simplex *possessorium* cohibuerunt, prolata illius formula per me subscripta = *An et cui sit danda manutentio in casu etc.* =; quam cum hodie proposuerim, frustra Romaniis petentibus comperendinatum, iterumque instantibus pro conjunctione possessorii cum petitorio, responsum prodiit pro *Informante*, nempe = *Affirmative, et manutentionem dandam esse Universitati.*

1 In summarissimo siquidem manutentionis judicio, seposita boni juris investigatione, nudum attendendum est possessionis factum ad firmata per *Rota in Sabinen.* 4 *Julii* 1781 § 3 *coram Origo*; *in Signina Juris pascendi super manutentione* 29 *Aprilis* 1803 § 2 *coram Resta*; *in Confirmatoria* 24 *Februarii* 1804 § 2 *coram Eodem*; *in Sabinen. Manutentionis* 22 *Martii* 1805

§ 3 *coram Reverendissimo P. D. meo Decano Serlupi*; *et in Nepesina manutentionis* 19 *Junii* 1807 § 3 *coram R. P. D. meo Bussio*: atque illud in hujusmodi judiciis exploratissimum est, quod, reo postulante, manutentionis causa prius ex facto definiatur, ne interim possessori, prætexta mali juris, de quo non constat, possessionis commodum, quod habet, intercipiatur per *Text. in leg.* 13 *Cod. de rei vindicat. et Rota in cit. Sabinen. Manutentionis* 22 *Martii* 1805 § 6 *cor. Rmo P. D. meo Decano Serlupi.*

2 At factum possessionis Velitrensium Agricolarum quoad Belluarum pastum æstivo tempore in latifundio = *la Fajola* =, cum hæ depulsæ, ac nonnullæ etiam custodiæ mancipatæ fuerunt, adeo certum est, ut ne ipsi quidem Romanii fratres id in discrimen adduxerint, cum judicialiter declaraverint apud Veliternum Tribunal = *che la pertinacia dei bovattieri di Velletri ha potuto unicamente produrre l'istanza sul preteso esercizio di pascere l'erba di estate nella Tenuta della Fajola, e che per quella pertinacia medesima furono unicamente tollerati nel dritto di pascere l'erbe di estate ecc.* = Idemque alter e prædictis fratribus, nunc superstes, nempe Romanus, novissime apud Sacrum Nostrum Ordinem professus est, dum de ab eo petita Dubii reformatione agebatur. Quin obstet, una simul ipsos obtestatos fuisse, Agricolas minus legitime possedisse; id enim ad petitorium spectat, et extraneum est a formula dubii a Sacro Nostro Ordine probati, et qualiscumque possessio Agricolis pro manutentione in hoc judicio assequenda sat est = *Justa enim an injusta possessio sit, in hoc Interdicto nil refert: qualiscumque possessor, hoc ipso quod possessor est, plus juris habet, quam ille, qui non possidet* = uti sunt verba = *Text. in leg.* 2 *ff uti possidetis*, quem sequuta est *Rota in Terracinen. seu Privernen. Manutentionis* 25 *Junii* 1751 § 14 *coram Amadeo*, *in Eugubina Spolii* 14 *Januarii* 1805 § 7 *coram R. P. D. meo Isoard, et praeter caeteras, in Signina Spolii* 23 *Junii* 1805 § 6 *coram Emo Barbaxi de Axara.*

Eo vero magis Universitati artis Agrariæ manutentio tribuenda est in possessiona pascendi, ulla absque fidæ solutione, æstivas herbas latifundii = *la Fajola* =, quia hæc possessio, non recens, non usurpata, ac violenta est, sed vetustissima. Probant id acta judicialia ab anno usque 1723 qoibus illius latifundii conductor a Prioribus Veliternæ Communitatis rejectus fuit, dum instabat pro assequenda solutione fidæ a Veliternis Agricolis; decretum namque fuit = *nullum jus et actionem competere affictuario Fagiolae etc. SUPER pascuo aestivo per totam diem* 28 *Septembris et propterea absolverunt citatos a petita solutione fidae seu pascui aestivi* =; cui Decreto robur alia addiderunt; illud nempe Judicis Appellationis, et aliud eorumdem Priorum anno 1724 atque res judicata gerentis vicem Gubernatoris Velitrarum, qua anno 1725 pariter constitutum fuit, prædicto conductori = *nullum jus, nullamque actionem competere pro praetensa aestiva fida* =. Nec audiendus est Romanius, dum obicit, eas resjudicatas prodiisse adversus tertium, nempe Fagiolæ conductòrem, et ideo nullum attulisse præjudicium Communitati, in cujus jura ipse successit. Ipsa enim Communitas latifundii domina, sive ejus Priores illa protulerunt Decreta, nec licet Romanio, illius successori, adversus hæc insurgere. Immo possessio in contradicto judicio ita probata, tantum ponderis babet, ut omnes vincat exceptiones, donec Romanius ab iis rebus judicatis contra ejus auctricem latis restitutionem in integrum assequutus fuerit; uti optime advertit S. N. Tribunal in *Reatina Jurispascendi* 21 *Aprilis* 1815 § 8 *coram Rmo P. D. meo Decano Serlupi.* 3

Hæc autem possessio illis rebus judicatis confirmata, inposterum etiam usque ad præsens, incolumis permansit, uti plurimi, e Patritio etiam genere, deponunt univoci testes, e quorum dictis eruitur, quod Agricolæ etc. = *possono con bovi aratori e con altri* 4

bestiami grossi pascere in tempo di estate in tutte l'erbe del campo aperto di Velletri, di cui la Comunità ne vende l'erbe d'inverno, e nella Macchia della Tenuta della Fajola; senza alcun pagamento di fida = et qnod = *i pascoli dei bestiami nel Territorio di Velletri tanto nei Terreni Arativi, quanto nelle Tenute del Lariane, Comune, e Fagiuola sono di due sorti, d'inverno, e d'estate. Il pascolo di estate di dette Selce, e Tenute Comunitative è libero, e franco deg'i Agricoltori, e Cittadini, non pagandosi neppure il* **PASCOLO** *della spiga* =.

5 Hisce vero testibus annis 1779 et 1782 ita deponentibus, fides denegari nequit ex eo etiam, quod obiierunt, quin unquam suas depositiones retractaverint. Accedunt quoad subsequens tempus plures alii testes a Notario examinati anno 1818, qui omnes affirmant = *che non solo nelle coste della Tenuta della Fajola, ma anche in tutta la Tenuta Aratoria di detta Fajola, in tempo di estate, hanno pasciuto l' erbe le bestie dei Cittadini di Velletri, nè mai si è inteso, che li Affittuarj pro tempore di detta Tenuta abbiano arrestate le bestie per avervi pasciuto, essendo la detta Tenuta Aratoria considerata come tutti li altri quarti della Città il gius pascendi l' erbe d'estate senza pagare cosa alcuna* =; ac præsertim eorum alter deponit = *essere stato nella sudetta Tenuta della Fajola in quella parte denominata Tenuta Aratoria, a far la conta del bestiame Armentizio, e numerai quelle che ivi erano a pascere di pertinenza dei Signori Antonio Corsetti, e Tommaso Caccese.*

6 Quorum e conspectu, unde prædicta Velitrensium Agricolarum vetustissima, ac non interrupta possessio demonstratur, **INUTILITER** prorsus objecta fuit transactio anni 1666, qua Agricolæ pro scutis annuis *tercentis* nuntium miserunt juri pascendi; atque etiam fuit propositum Instrumentum Emphytheusis anno 1780 initæ cum Comite Antonellio, auctorante Rescripto Sanctissimi Principis, qui Veliternorum Civium, Agricolarum que juri pascendi derogavit, quoad eam latifundii = *della Fagiola* = partem, quam dicunt le Comunanze, seu = *Coste della Fajola* = pro rubris *centum*, sarto tecto, quoad reliqua *triginta sex* rubra in ea parte latifundii compræhensa, prædicto jure. Primum enim hæc a præsenti judicio summarissimo manutentionis extranea sunt, et ad *petitorium* pertinent, atque ad hoc sunt amandanda. Dein vero nullius sunt pon deris, quia transactio anni 1666 ad hyemale tantum pascuum spectat, et ad herbas in prorsus diversa Veliterni Territorii parte nascentes, uti firmant Sacri Nostri Ordinis Decisiones in *Veliterna Fidae* 19 *Januarii* 1780 *coram Litta et* 6 *Maii* 1782 *et* 16 *Junii* 1783 *coram Desalen*, hac de re pro Agricolis editæ.

Quo vero ad Emphyteusim cum Antonellio initam, in exemplum adversus Agricolas trahi nequit, quod Princeps quoad incultam latifundii = *Fajolae* = partem permisit, ad commune bonum, nempe ut ea pars coleretur; cum præsertim Ipse pro gratuito pascuo *triginta sex* rubra Agricolis servaverit in ea latifundii regione, quæ rubris in totum constat *centum triginta sex*. Possessione itaque Agricolarum posita pastum immittendi belluas æstivo tempore in latifundium = *la Fajola* = eam religiose servet oportet Romanius, cum in Instrumento acquisitionis sese obstrinxerit ad servandum = *sempre illesi nella Tenuta della Fagiola, sì a favore del Popolo di Velletri, che di ciascun Cittadino in particolare, tanto il diritto di legnare, di pascere quanto qualunque altro, che su la tenuta stessa potesse trovarsi in vigore, ed in specie a favore degli Agricoltori di detta Città, che o per legge o per consuetudine vigente godono su di essa tenuta qualsisia dritto di pascolo.* 7

Et ita, rejecta Romanii comperendinatus petitione, definitum fuit etc.

VERULANA PRIMOGENITURAE

SUPER CIRCUMSCRIPTIONE

Lunae 3 *Junii* 1822.

ARGUMENTUM

Donec contrarium non probetur, primogenitura manet semper in suo validitatis Statu, neque capta possessio circumscribi debet - Ac ea est natura primogeniturae, ut si is, cui onus erat eligendi neglexit electionem, primogenitura proximiori tantum, non autem pluribus deferatur.

SUMMARIUM

1. *Donec non probetur contrarium, urget semper praesumptio, quod Primogenitura valorem attingat argenteorum quindecim millium.*
   Ubi primogenitura in implisito validitatis statu manet, denegonda est possessionis circumscriptio - ibidem. -
2. *Citationis, jurisdictionis, vel mandati defectus concurrere debet ad inducendam circumscriptionem.*
   Actio capiendae possessionis instrui debet coram Tribunali, ubi extant bona, in quorum possessionem petitur immitti - ibidem. -
3. *Ubi sat est* - una dimanda stragiudiziale - *suapte natura citationis necessitas excluditur.*
4. *Nequit haeres gravatus novum vinculum bonis inducere, et spem vocatorum decipere.*
5. *In legatis, et Fideicommissis, si haeres gravatus omiserit electionem, successio omnibus competit, omnesque legatum petunt.*
   Primogeniturarum ea est indoles, ut si is, cui onus erat eligendi, neglexit electionem, primogenitura ipsi uni tantum, sique primogenito proximiori, non autem pluribus deferatur - ibidem. -
6. *Non sunt in exemplum afferendae Decisiones, si propositam haud dirimunt quaestionem.*
7. *Ubi non deficit ordinarium auxilium, frustra quis confugit ad extraordinarium remedium.*
8. *Non ex eo, quod animalium pretium in calculo haberi non possit ad valorem primogeniturae constituendum, consequitur animalia ad Primogenituram non pertinere.*
9. *Qui rei pretium fuit jam assecutus, frustra illud iterum expostulat.*

DECISIO CXVII.

Postremo, quod numquam redit, arbitrio Joannes Baptista Mobilj, ex Campano Monte, cui nomen *S. Joannis*, inter suos longe ditissimus, hæredem sibi nuncupavit Carolum primonatum, eique substituit = *i di lui figli legittimi e naturali in infinito*, *con ordine di perpetua Primogenitura* =, exclusis per modum regulæ fæminis. Præter Carolum, cum quatuor filios masculos haberet Testator, ac fæminas duas, ita his quoque consuluit; et fæminis alimenta, dotemque, si nuberent, masculis autem alimenta pariter, et annalem pecuniæ præstationem reliquit, quoad viverent; ea addita Lege, ut hæc in annos singulos præstatio vices legitimæ suppleret, nec quidquam aliud assequi de paterna substantia valerent, notissima alioquin adhibita Cauthela *Soccini*. Obiit Joannes Baptista anno 1807, ac illius hæreditatem statim secundum tabulas occupavit Carolus, qui cæteros præcellebat ætate. Acquieverunt Patris elogio fæminæ, de congrua dote plerumque sollicitæ: at masculi, Caroli germani, turbas movere cæperunt, acriter contendentes, nequivisse Testatorem, Primogenituram constituere de bonis iis familiæ, subjectis avitis Fideicommissis, ad quæ sese vocatos dicebant.

Vix tamen ortæ hæ turbæ fuerunt, interpositis Juris consultorum virorum officiis, controversias omnes illico diremit amica Transactio inita die 16 Novembris anni 1807, cujus hæc summa fuit. Cessis a Carolo prædiis nonnullis, quæ extant in Oppido Civitellæ, abdicarunt fratres = *tutti i diritti e ragioni, che ad essi competono*, o *in qualunque modo spettar potessero in tutte le sudette Eredità*, *non esclusa quella del detto loro Padre* =, ac identidem retinuit Carolus cætera bona omnia, quorum haud parva erat æstimatio. Lata dein in vulgus ad diem 6 Julii anni 1816. Pontificia lege Motus proprii, nil impensius curavit Carolus, quam Primogeniale vinculum, ut Lex ipsa ferebat, in publicum recensere tabularium = *a profitto de' futuri chiamati* =, eaque oecasione Primogenituræ valorem constituit in nummis Argenteis *viginti quinque millibus*, et ultra. Sed postea, uxore defuncta, con-

volavit statim ipse ad secundas nuptias; Atque, ut rem gratam faceret posterioris thalami filiis, emissam retractavit declarationem, inscriptumque Primogenituræ nexum in dubium revocavit. Adiit deinde Summum Pontificem, ut potestatem impetraret disputandi, *tamquam in prima* apud S. Ordinem Nostrum, num servanda, vel delenda potius esset vinculi Primogenialis inscriptio: veniaque facile obtenta, dum Caussa erat agenda, lethali morbo correptus, supremum diem obivit.

Carolo filius erat primogenitus, nomine Franciscus: hic autem, elato Patre, ex Decreto Praesidis Aulæ Frusinatensis, possessionem nactus est, jure vocationis, bonorum omnium, quæ ad Primogenituram spectabant. At, notitia possessionis accepta a Francisci fratribus natu minoribus, ii statim venerunt in aciem, ab R. P. D. Auditore Sanctissimi petentes, ut captam circumduceret possessionem. Verum, cum jam ablegata fuisset ad S. Ordinem Nostrum princeps *de inscriptione* controversia, a qua quodammodo pendere videbatur quæstio circumscriptionis; ita bujusce quoque litis definitio S. Ordini Nostro commissa fuit. Licet autem in Comitiis diei 13 Aprilis nuper elapsi sciscitati a Me Patres sub Dubii formula, quæ respicit inscriptionem Vinculi Primogenialis = *An sit delenda inscriptio Primogeniturae, seu potius sit servanda in casu etc.* = responderint = *Dilata, et ad D. Ponentem pro deputatione Periti Curialis, qui referat habito respectu ad Fideicommissa, et ad Transactionem anni* 1807, *de valore Primogeniturae Joannis Baptistae Junioris* =; hodie tamen, cum ab eis quaesiverim petitæ Circumscriptionis judicium, atque exhibuerim definiendum Dubium = *An sit locus circumscriptioni possessionis in casu etc.* =. Responsum accepi = *Negative* =.

1 Demandata enim a Patribus dilatio principis controversiæ, quæ de validitate agit inscripti vinculi Primogenialis, nullo impedimento erat, quominus judicium interea redderetur de objecta captæ possessionis nullitate. Donec sane judicialis Peritus non referat, perpensis præexistentibus Mobiliæ Familiæ Fideicommissis, ac transactione anni 1808 superius recensita, de æstimatione Primogenituræ ab Joanne Baptista Juniore conditæ, surget semper præsumptio, quod eadem Primogenitura valorem attingat argenteorum nummorum *quindecim millium*, quot nimirum exigit nuperrima Pontificia Sanctio, ut viribus stent suis Fideicommissa, et Primogenituræ. Urget pariter præsumptio jure meritoque secundum tabulas possessionem nactum fuisse Franciscum, eaque Primogenitura in implicito, ut inquiunt, validatis statu manente, jugiter deneganda erat petita possessionis circumductio ad inanes evitandos circuitus, ne abrogandus hodie sit actus, mox iterum instituendus, ceu ex laudabili S. Nostri Ordinis praxi pluries decisum fuisse, notissimum est; testantibus, præter cæteras *Decis.* 41 *num.* 9 *coram Olivatio, et Romana Circumscriptionis* 17 *Aprilis* 1804 §. 4. *coram Rmo. P. D. meo Serlupio Decano, in Fulginaten. Circumscriptionis* 29 *Januarii* 1815 §. 4 *coram R. P. D. Bussio et in Confirmatoria* 3 *Februarii* 1817 §. 3 *cor. Eodem, Romana Circumscriptionis* 22 *Junii* 1818 §. 3. *cor. R. P. D. meo Spada, et Spoletana Immissionis, et Transactionum super Circumscriptione* 28 *unii Junii* 1820 §. 3 *coram Eodem* =. Quod si, post exaratam a Perito relationem, patebit non tanti æstimari Primogenituram, quanti Lex Pontificia requirit, tunc rectius instabunt Fratres Mobilii natu minores prætensæ circumscriptioni. In præsens vero non licet exturbare Franciscum a capta possessione, dum justo titulo, et bona fide eam cepisse constat.

Prætermissa tamen præsumpta boni juris indagine, ne in forma quidem peccare demonstrabant Mobilii captam a Francisco possessionem. Nullum siquidem aderat ex iis tribus vitiis, *citationis* nempe, *jurisdictionis et Mandati*, quæ tam veterrimæ Summorum Pontificum Pii IV ac Pauli V Constitutiones quam recens præfati Motus proprii 2

anni 1816 dispositio *Art.* 51 in pretio tantum haberi voluerunt, ut de actorum circumscriptione judicium feratur. Non defuit primo *jurisdictio*, quia cum in judiciario Codice *art.* 1555 constitutum sit = *che facendosi luogo alla successione, e volendosi da chi pretende avervi diritto ottenere il Mandato per la immissione ol possesso de'beni posseduti dal defonto*, *potrà forsene domanda stragiudiziale al Presidente del Tribunole del luogo, ove esistono* =; ideo rite a Francisco actio capiendæ possessionis instructa fuit coram Præside Tribunalis Frusinonis, ubi punctim extant bona, in quorum dominium, et possessionem petebat immitti. Non defuit pariter mandatum, quia Præses ipse Aulæ Frusinatensis, ad quem confugit Franciscus, potestatem fecit Curiæ Ministris, ut eum mitterent in veram, realemque bonorum omnium Primogenialium possessionem; atque Franciscus Bonaventaræ Gargatio, concivi, mandavit, ut eam suo nomine possessionem ab apparitore reciperet.

3 Nec defuit demum citatio. Ex ipsa namque judiciarii Codicis sanctione sat erat = *una domanda stragiudiziale* =, quae suapte indole citationis necessitatem excludit. Practerea citatio non erat certe profutura, dum uni tantum ex Caroli filiis, nempe primonato, Primogeniturae compendium obvenire debebat; caeterique omnes, etsi centies citati, ac centies coram eo Praeside vocati, nihil plane ex bonis illis sibi asserere poterant, donec Primogenitura, ejusque inscriptio non fuisset per Remjudicatam resoluta; qua non de filiis in genere, aut descendentibus, sed de primogenitis tantum tabulae loquebantur. Deficientibus itaque hisce nullitatum vitiis, ac omnino exulantibus, piaculum quasi fuisset, attentatam, ac spoliativam renunciare captam possessionem, ut passim monuit S. Nostrum Tribunal, praesertim *in Senogallien. Circumscriptionis* 30 *Aprilis* 1804 §. 2 *cor. R. P. D. meo Bussio*, *in Romana Circumscriptionis* 12 *Martii ejusdem anni* §. 3 *cor. bo. me. Resta*, *et in Verulana Circumscriptionis super VII. Dubio* 16 *Februarii* 1818 §. 4 *cor. Eodem R. P. D. meo Bussio* =. Eo vero magis amplecti hanc sententiam oportebat, quia attentatorum, et circumscriptionis materia, cum odiosissima in Jure sit, ideo plenas desiderat probationes, in quarum ambiguitate semper ea sumi debet interpretatio; quae faveat validitati actus, ac circumscriptionem eliminet *Gloss. in Cap. Non solum de appellat. Lancellot. de attentatis in præfat. num.* 121 *Rot. cor. Beniacasa decis.* 590 *num.* 4. *in Albanen. deliberationis* 6 *Februarii* 1801 §. 4 *corom Resta et in cit. Senogallien. Circumscriptionis* 30 *Aprilis* 1804 §. 2 *cor. R. P. D. meo Bussio*.

Futillimum vero erat excipere, bonorum possessionem haud vacuam fuisse, vel *quia* Carolus Testamento suo omnes filios æquis partibus hæredes sibi nominaverat, vel *quia* Carulus ipse donec in humanis versatus est, numquam curavit primogeniti personam eligere, cui Primogenialia bona, post Patris obitum, deferrentur. Ad *primum* enim, quod attinet, poterat sane Carolus quamcumque legem de rebus liberis dicere: At ea, quæ libera non erant, quæque Primogenituræ vinculo obnoxia possidebat, sarta tecta servare tenebatur futuris vocatis in Testamento Joannis Baptistæ Junioris, cum nequeat hæres gravatus novum vinculum bonis inducere, et spem vocatorum decipere, veluti disertissimis verbis cavit Imperator Justinianus *in leg. duobus* §. *Sed quia Cod. Commem. de Legat.* quam sequuntur *Peregrin. de Fideicom. Art.* 4 *num.* 1. *Fusar. de substit. quæst.* 532 *num.* 24 *Costantin. Vot.* 82. *Num.* 53 *et S. Noster Ordo cor. Crispo decis.* 57 *num.* 15 *cor. Falconer. tit. de Dote decis.* 19 *num.* 2., *cor. Olivatio decis.* 20 *num.* 8, *et decis.* 431 *num.* 14 *cor. Eod.* Quo vero ad *alterum* spectat, si neglexit Carolus, quamdiu vixit, primogeniti electionem explere, non ideo sequitur, jus successionis ad omnes fuisse delatum, quemadmodum in Fideicommissis dividuis usuvenit. 4

In Legatis quidem, et Fideicommissis ex famigerata lege, *Unum ex Fa-* 5

milia ff. de legatis 2., si hæres gravatus omiserit electionem, successio omnibus competit, omnesque legatum petunt, aut Fideicommissum, veluti etiam constituitur in alia *leg. Labeo § Pacuvius ff. de statu lib.*, uti *Pacuvius Clemens ajebat = si ita sit Fideicommissum relictum: cui voles eorum, restituas rogo: si nullum elegisset, cui restitueret, omnibus deberi, Imperatorem Antoninum constituisse =*. Hæc tamen doctrina juris, quæ in Legatis obtinet, et Fideicommissis dividuis, male, ac perperam ad Primogenituræ institutionem traducitur. Cum enim ea sit Majoratuum, ac Primogeniturarum indoles, ut unus tantum succedere debeat, si iis, cui onus erat eligendi, neglexit electionem, Primogenitura ipsa uni tantum, eique primo nito proximiori, non autem pluribus defertur, quia res ipsa vetat, ne hæreditas dividatur, ac nominationis defectum juris supplet ministerium. Distinctionem, Iurisprudentibus non ignotam, late exornant *Torre de Primogenit. part.* 2 *quæst.* 43 *num.* 28 *Fusar. de substit. quaest.* 5 *num.* 3., *Molin de Primogenit. Hispan. lib.* 2 *cap.* 4 *num.* 41, *et* 42. *Cyriac. controv. jur.* 56 *n.* 6. *Rot. post. Torr. de pact. fut. success. decis.* 150 *num.* 6 *cor. Coccino decis.* 2297 *num.* 4 *cor. Pentinger. decis.* 326 *num.* 8 *et* 9 *cor. Ansaldo decis,* 627 *num.* 2 *et in Perusina Immissionis quoad Primogenituram Ceciliae Fioravanti* 24. *Aprilis* 1795. §. 16. *cor. Priolo.*

6 Et perperam iterum contendebant Fratres Mobilii natu minores, vacuam non fuisse possessionem, ideoque adversus obtenti mandati leges eam cæpisse Franciscum, semel ac Caroli Vidua in familiari bonorum possessione versabatur. Numquam profecto auditum est, jure familiaritatis ab extraneo possideri bona primogenialia, quæ ex institutoris voluntate ad designatos successores pertinent. Erant vero ab hac thesi constituenda alienissimæ S. Nostri Auditorii decisiones, quibus hanc in rem abutebantur ipsi Mobilii, eaque præcipue, quæ numero est 285 *cor. Priolo*. Casus siquidem decisionis illius de manutentione agit ab eo petita, qui bona fideicommissaria possidebat jure familiaritatis una cum fratre, quo defuncto merito statuit ipsa Decisio, formali enim non indigere possessione bonorum, quam jamdiu retinebat jure familiaritatis. Non sunt autem in exemplum offerendæ S. Nostri Ordinis Decisiones, eæque nullam habent auctoritatem, si propositam haud dirimunt quæstionem, vel ei imo adversantur, ut centies traditum est *in Rec. decis.* 17 *num.* 9 *part.* 19., *et decis.* 498 *num.* 20 *cor. Molines.* Cæterum nec suo, nec filiorum nomine Caroli Vidua jure possidendi pollebat. Non quidem suo, quia, si dotis creditum experitur, præsto ei est actio *hypothecaria*, *vel personalis* adversus hæredes, quæ nullum cæteroquin tribuit possessionis jus. Non filiorum pariter, quia filii natu minores nullam vocationem habent ad Primogenituram, quæ uni dumtaxat primogenito ex tabulis competit.

At vero, si vacua erat possessio, et 7
legittime ideo capta ea fuit a Francisco, deterius obiicitur, præter bona in inscriptione recensita, cætera olia occupasse Franciscum, quæ proprio ære Carolus acquisiverat, quæque nomine proprio possidebat. Non solum quippe singula harum acquisitionum monumenta a Mobiliis desiderantur, sed ipse præterea Franciscus, dum in possessionem ivit bonorum Primogenialium ex avito Testamento, enixe declaravit = *che nel sudetto Atto di possesso vi fosse compreso, e descritto qualche fondo, o fondi di altra qualsivoglia specie, o natura, che non dovesse esservi compreso, e descritto, intende solo, di essersi messo al possesso di quei beni spettanti al Fidecommisso, e Primogenitura, e non altrimenti* =. Si igitur, post Periti relationem, constabat aliquid fuisse a Francisco occupatum, quod extraneum sit ab avita primogeniali hæreditate, tunc melius Mobilii de restitutione in suo congruo judicio certabunt. Ubi autem non deficit ordinarium auxilium, frustra quis confugeret ad *extraordinarium* remedium, quale certe est actio circumscriptionis = *Si enim communi au-*

xilio, et mero jure munitus sit, non debet tribui extraordinarium auxilium = ut his verbis *eleganter inquit Ulpianus in leg. In Caus.* 17 *ff. de min.* Nec refert bona nonnulla, quorum possessionem nactus est primonatus, in inscriptionis actu non fuisse a Carolo recensita; quia ei non licebat lubitu suo Primogenialia bona ita describere, ut multa addiceret Primogeniturae, et multa sibi retineret, uti libera, et sua. Quin imo non ab inscriptione pendet existentia Fideicommissi, vel Primogeniturae, sed a voluntate Testatoris, quae religiose semper servanda, est, licet inscriptio deficiat.

8 Levius erat, quod ultimo loco dicebatur, mobilia, et pecus occupasse Franciscum. Nec enim in possessionis instrumento descripta reperiuntur mobilia, et animalia, sed bonorum tantum immobilium eum cepisse dominium publicus narrat Apparitor. Accedit praeterea, in hypothecaria lege *Art.* 4. scriptum esse = *Che i mobili, ed i semoventi inerenti agli edificj, ovvero destinati a formare la Dote, e l'istromento dei fondi rustici sono compresi nell'ipoteca, da imporsi su i fondi* =. Primogeniale ergo vinculum super aedibus, praediisque a Carolo inscriptum, mobilia etiam, et animalia complectitur, quae Urbanis, rusticisque fundis inhaerent, eorumque per consequens possessionem poterat rite capere Franciscus. Nec interest declaratoria Eminentissimi a Secretis Status significatum fuisse = *che il bestiame non debba calcolarsi, per conoscere, se il valore de' beni Primogeniali ascenda alla somma di scudi quindicimila per la sussistenza del vincolo* =. Quidquid enim sit de hac declaratione, non ex eo quippe, quod animalium pretium in calculo haberi non posset ad valorem Primogeniturae, vel Fideicommissi constituendum, consequeretur Animalia ipsa ad Primogenitum non pertinere, si aliunde Primogenitura consistit procul etiam a grege, et fundorum instrumentis, unamque rem ab alia longe differre, statuit sapientissime S. Nostrum Tribunal *in Ferrarien. Exequutionis Contractus* 23 *Februarii* 1821 § 5 *cor. R. P. D. meo Bussio.*

Inutiliter tamen de his rebus ii querebantur, qui aliunde ex auctoritate R. P. D. Auditoris Sanctissimi descriptionem praediorum confecerant una cum fratre primogenito, ac volentes prudentes mobilia, et pecudes Francisco relinquere non dubitarunt, accepta ab eo cautione Argenteorum *trium millium*. Quoad fruges pariter, quas illegitime Franciscum occupasse, Mobilii clamabant, satis erat eorum indemnitati consultum per menstruam praestationem Argenteorum *quinquaginta* ab eodem R. P. D. Sanctissimi Auditore demandatam, quam a Decembri superioris Anni eis rependere cogitur Franciscus. Haec autem in singulos menses injuncta praestatio, certe non exigua, adeo excedit frugum aestimationem, ut quamquam edita Periti relatione, constet, male eas, et perperam occupasse Franciscum, nihil poterunt eo nomine fratres ab ipso repetere, cum jam illarum pretium fuerint assequuti. Caeterum hac etiam de re in suo congruo judicio agendum esset; nunc vero stet, oportet, possessio cum titulo, in statu implicitae saltem validitatis manente, capta, quaeve nullo vitio laborat. 9

Et ita etc. Utraque etc.

VERULANA EXEMPTIONIS

Veneris 5 *Julii* 1822.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur « DECISIO LXIV. »

SUMMARIUM

1. *Tributorum onera fundis incumbentia, ii omnes ferre debent, qui aliquid super iis fundis jus habent, aut aliquam utilitatem percipiunt.*
2. *Motus proprius diei 19 Martii 1801, quo invectum fuit* = *il sistema daziale* = *omnes indiscriminatim fundos huic oneri subjecit, exemptionibus, ac privilegiis antea obtinentibus, prorsus abrogatis.*

3. *Qui de agro ad libitum, vel per contractus, vel per ultimam voluntatem disponere potest, dici non potest Colonus.*
4. *A Tributis eximuntur Coloni partiarii, sive agricolae, qui fructuum partem dominis fundorum praestant, non vero Coloni perpetui.*
5. *Utraque pars in sua possessione manutenda est, quia tantum censetur praescriptum, quantum possessum.*
6. *Immemorabilis exemptio a vectigalibus, probari debet non vagis, et pendente lite expiscatis testibus, sed publicis codicibus.*
7. *Juri jamdiu existenti correspectiva esse haud potuit assumptio onerum, quae longe postea fuerunt indicta.*
8. *Cum de re gravi agatur, incredibile prorsus est, quod sine solemni actu inita sit, et quod haud extet publicum monumentum.*
9. *Ex actibus facultativis, nulla consuetudo, et praescriptio oriri potest.*
10. *Post invectum datiale sistema res prorsus immutatae fuerunt, cum novum omnino fuerit onus dativae realis.*

Cum solutio per errorem expleta sit, nullum praejudicium inferre potest - ibidem. -

DECISIO CXVIII.

Geminis jam S. N. Ordinis Decisionibus, altera die 7 Maji, altera die 10 Decembris superioris anni 1821 per me editis, constitutum est tributum = *Dativa reale* = super fundis, in Territorio *Castri diruti*, sive *Silvæ Mollis*, quod vulgo nuncupatur = *Selva dei Muli* = jacentibus, rependendum esse ad formam Sententiæ Juridici A. C. Conventus, quæ aliam præcendentem S. Congregationis Boni Regiminis subsequuta fuit, eique adhæsit, tam a Venerabili Monasterio Chartusianorum Trisulti, quam ab coeteris fundorum possessoribus, pro rata jorium vel ad illud, vel ad hos Spectantium, cum maxima eorum fundorum pars a particularibus possideatur, et prædictum Monasterium nil in iis habeat, præter jus pascendi, et spicandi anno 1832 una cum reliquo illius Territorii minoris partis dominio, per ipsum a Bernardina Conti acquisitum, et Sententia A. C. Guglielmi anni 1740, atque transactione anni 1742 confirmatum. Ex S. Ordinis indulgentia iterum prædictis Possessoribus Novæ Audientiæ beneficio tributo, tertio hoc mane de re, jam toties definita disputatio inita fuit. At Dubio, quod de more proposui = *An sit standum vel recedendum a Decisis in casu etc.*, ulla absque hæsitatione Patres responderunt = *In decisis juxta modum in Decisione exprimendum* = delegato mihi, nempe uti Caussæ Ponenti, tributi = *repartimento cum facultate eligendi peritum agronomum.*

1 Dominium territorii Sylvæ Mollis, quod in totum rubris constat 672. 3. 3, ita esse divisum, ut quoad rubra 471. 1. 3 valoris, juxta censuales tabulas anni 1778 scutorum 32564 42 ½ spectet ad particulares possessores, tam Laicos, quam Ecclesiasticos, quo vero ad rubra 200. 5. 2, in iisdem tabulis scutis æstimata 11826. 87 ½ ad Venerabile pertineat Monasterium Chartasianorum S. Bartholomæi Trisulti, et quod super illis agris a particularibus possessis habeat hoc Monasterium = *la servitù attiva di gius pascendi, et spicandi* =, cui valor tributus fuit scutorum 15, in controversiam adduci nequit, cum hujusce rei ineluctabile exhibeant testimonium adnotationes in eisdem Censualibus tabulis a prædictis respectivis Possessoribus relatæ. Cum itaque justitia, et æquitas exigat, quod tributorum onera fundis incumbentia ii omnes ferant, qui aliquod super iis fundis jus habent, atque exinde aliquam utilitatem percipiunt, quia = *omnium rerum, ac personarum quæ privatam degunt vitam, in publicis functionibus æqua debet esse inspectio*: *Vectigalium enim non parva functio est, quæ debet ab omnibus æqua ratione dependi* = uti rescripserunt Imperatores Valens, et Valentinianus in *L.* 6 *Cod. de vectig. et commissis* et consonant *Leg.* 7 *ff. de usufructu Leg.* 2 *ff. de usu, et usufructu legato*: *Leg. fin. cod. sine censo vel relig. Bald.* in *dicta leg.* 7 *Brunemann. in dicta Leg. fin. num.* 2, cæterique in *prima* mea Decisione § 6, et *secunda* § 3 adducti, hinc fieri nequit, ut prædictorum Agrorum Sylvæ Mollis particulares possessores ad rubra usque 471. 1. 3, qui ex iis omnes industriales capiunt fructus, et de iis ad libitum disponere possunt, a solutione intributi = *Dativa Reale* = immunes fiant, atque hoc

integrum in Chartasianos reiiciant, qui longe minori, quam ipsi, super iis fundis jure sunt præditi, una nempe tantum = *Servitù attiva del jus pascendi, et spicandi* = Eoque magis id tenendum est, quia, tam Motu proprio SSmi Principis diei 19 Martii 1801, quo invectum fuit = *il Sistema Daziale* =, quam posterioribus Legibus Declaratoriis S. Congregationis Æconomicæ, constitutum fuit, quod intribntioni = *Dativa Reale* = subjecti indiscriminatim essent, omnibus exemptionibus, ac privilegiis, vel personalibus, vel realibus, antea obtinentibus, prorsus abrogatis, ad mensuram utilitatis e prædiis obvenientis, horum domini, *vel* absoluti, *vel* directi, *vel* utiles uti etiam Creditores ex Censibus super iis fundis impositis, et fructuum compensativorum, qui ex eorum pretio nondum soluto sint debiti, uti ponderant præcedentes Decisiones *prior* § 7. 8. 9. altera §. 3.

2 Ad hanc Legum Censuram declinandam, et ne prædicti oneris = *Dativa Reale* = participes fiant, plura de more proponunt ii Agrornm Possessores, quæ tamen omnia in hodiernæ etiam Caussæ discussione Patres spernenda prorsus esse putarunt. Asserunt ipsi primum sese, non dominos illorum Agrorum, sed in iis Colonos esse partiarios, ex quo intributionum solutio, non ipsis, sed Monachis dominis incumbat. At facto assertio hæc directe opponitur. Ipsi enim, qui de agris ad libitum, vel per contractus, vel per ultimam voluntatem disponere possunt, ulla absque Charthasianorum scientia, ac consensu; qui nihil hisce, vel canonis, vel cujuscumque præstationis nomine rependunt; qui nullam industrialium fructuum ad ipsos spectantinm partem hisce umquam tribuerunt, qui demum in illorum Agrorum possessione, uti absoluti domini, versantnr, injuria sese illos Coloniæ partiariæ nomine retinere contendunt, illorumque dominos dicunt Charlhasianos, qui nil aliud juris super iis habent quam pascendi, et spicandi servitutem activam, et damni dati actionem contra hujusce servitutis violatores.

3 Eoquo magis, cum factum jure fulciatur. Sententia enim A. C. Guglielmi, dum Monachorum prædictam activam servitutem confirmavit, possessionem etiam particularium, quoad agros huic servituti obnoxios constituit: nam declaravit *omnes herbas etiam illorum terrenorum, et agrorum qui possidentur a particularibus possessoribus spectasse, ac spectare ad prædictum Venerabile Monasterium S. Bartholomei Trisulti* =. Illi sententiæ transactio adstipulatur a prædictis Possessoribus cnm Chartasianis inita anno 1742, qua ipsi, uti = *Signori che possiedono terreni nella detta Tenuta di Selva de' Muli*, = agnoverunt Monachorum Jus anno 1532 a Bernardina Conti hisce ex emptionis contractu delatum ad herbas = *nascenti in detta tenuta, ancorchè li terreni spettassero a chi si sieno particolari* =. His vero culmen imponit ipsorum particularium apertissima confessio, dum ipsi in Censuales Codices anni 1778 eorum dominium referri curarunt quoad rubra 471. 1. 3. Agrorum in Territorio Silvæ Molis existentium, relicta tantum super iis Monasterio prædicta servitute activa pascendi, et spicandi, quam unam Monasterium ipsum quoad eos agros assignare potuit, et reapse assignavit. Accedit quod, quavis etiam in falsissima hypothesi, eis particularibus possessoribus tribui summum posset qualitas Colonorum *perpetuorum*, nunqnam vero colonorum *partiariorum*, si responsionis vice habendum esset prædictnm pascendi, et spicandi jus Monachis relictum: quo in themate ab onere solvendi tributum = *Dativa Reale* = immunes eos esse haud posse, pluribus etiam adductis auctoritatibus demonstrat *prima Decisio* § 11, *et posterior* § 6. Fieri quippe potest ut a tributis eximantur *Coloni partiarii*, sive agricolæ, qui fundos exercent, et fructuum partem dominis fundorum præstant, reliqna sibi pro cultionis laboribus retenta, atque ideo uti conductores habentur; non vero *Coloni perpetui*, qui fundorum domini reapse sunt, et de iis ex arbitrio disponunt, ut pariter advertit *secunda Decisio* § 6.

Verum huic asserto Coloniæ titulo 4
nil sese fidere posse agnoscunt et ipsi

particulares possessores, atque ideo ad immemorabilem confugiunt observantiam. Ab Ævo ipsi dicunt, cujus initii memoria non extat, omnia super agris Territorii Silvæ Mollis, vectigalia Charthasiani solverunt, et nil umquam hoc nomine ab ipsis possessoribus fuit repensum: ergo *vel* id evenit, quia agrorum possessores Monasterio cesserunt jus spicandi, et pascendi super iis agris, et in correspectivitatem hujusce cessionis ipsum vectigalium onus in se assumpsit, uti, post tributa Cameralia invecta inter particulares agrorum dominos, et jus pascendi habentes, atque Barones fieri consuevisse contendunt: *vel* præsumendum quemcumque alium adfuisse titulum, aut aliquam intercessisse conventionem, ex quibus vectigalium solutio in correspectivitatem illius juris Monachis incumbere semper deberet; demum vero, cum Chartasianorum jus pascendi, et spicandi ex immemorabili oriatur, et ab ea etiam proveniat possessorum a tributis solvendis exemptio, utraque pars in sua possessione manutenenda est, quia tantum *præscriptum, quantum possessum*. Singula verum Patres mature perpenderunt, et singula rejecerunt.

5 Et merito sane. Quæ enim asseritur immemorabilis particularium possessorum exemptio a vectigalibus pensitandis horumque per Monachos solutio, probari nequit testibus vagis, et pendente lite expiscatis, dum, si reapse subsisteret, publicis evinceretur codicibus, in quos tributorum exactores horum receptas solutiones de more semper retulerunt, sicuti arguit superior *Decisio* § 8. Præterea possessorum exemptio a tributorum præstatione adscribenda esset agrorum existentiæ in Territorio silvæ Mollis, Chartasianorum jurisdictioni subjecto, horumque immunitati ab uneribus publicis, cum inter XI. Monasticas Congregationes, pluribus, atque hoc præsertim, privilegiis donatas, recenseantur. Quod si aliquid Monasterium solvit; hoc fuit, vel pro tributo R. C. A. in singulos annos præstando – *duarum librarum ceræ albæ elaborate, et solidorum quinque, in recognizione di alto dominio* –, vel ex peculiaribus Caussis, aut religionis, bonum; aut publicam necessitatem, uti transitus, et commeatus exterorum agminum, respicentium, quibus in casibus omnia cessant privilegia. Atque, si tum etiam particulares prædicti possessores nil reapse solvissent, nil exinde pro eis deduci posset, quia haud parva Territorii Silvæ Mollis pars ad Monachos pleno jure spectat, et quia forsan ii pro alia parte ad prædictos possessores spectante, excepto pascendi, et spicandi jure, nil ab hisce, ex indulgentiæ spiritu repetere curarunt, ex eo etiam quod forsan de re parvi momenti agebatur, quæ diribitionis solutæ intributionis curam haud merebatur. Quin obsit Monasterium coram S. B. Regiminis Congregatione professum fuisse sese pro silvæ Mollis Territorio solvisse semper – *Tutti i dazi* –, et id in Sententia Triumvirorum A. C. fuisse confirmatum. Hæc enim spectant ad illud » *Ceræ albæ elaboratæ et solidorum quinque* » Tributum, in recognitionem Alti dominii Rev. Cam. Ap., atque ad eas extraordinarias intributiones religionis, vel publicæ necessitatis caussa indictas.

Ea itaque immemorabilis probatione, quæ afferenda esset, deficiente, corruunt omnia, quæ inde deducere particulares possessores conantur. In specie vero animadvertendum est quod in falsissima hypotesi existentiæ assertæ immemorabilis, numquam ex ea argui posset exemptionis ab oneribus publicis Cameralibus pro Agrorum possessoribus titulus, proveniens a cessione juris pascendi, ac spicandi erga Monachos in correspectivitatem assumptionis illorum onerum anno quippe 1532. Bernardina Conti illo potiebatur jure, cujus origo forsan et tum vetustissima erat, illudque Monasterio, una cum Castro diruto sive *silva Molli*, ejusque Territorio vendidit; onera vero Cameralia post plurium annorum lapsum invecta fuerunt, nempe anno 1543 a S. M. Pontifice Paulo III., et longe postea a Pontefice Xysto V confirmata, ipsis fatentibus agrorum pos- 6

sessoribus. Juri itaque jamdiu existenti correspectiva esse haud potuit assumptio onerum, quæ longe postea fuerunt indicta.

7 Neque aliam quamcumque conventionem de prædictorum onerum assumptione Monasterium inter, et agrorum possessores intercedere umquam potuisse Patres putarunt; quia cum de re gravi, perpetuum successivum tempus præseferente ageretur, incredibile prosus eis visum fuit quod sine solemni actu iniri potuerit, et quod de ea haud extent, ac produci possint monumenta. Eo vera magis quia de asserto integro vectigalium onere a Monachis ferendo, et particularium possessorum ab iis exemptione, ne verbum quidem excidit in Tenimento jurisque pascendi ac spicandi erga ipsos a Bernardina Conti venditione perfecta et quia in transactione anni 1742 ii particulares possessores, qui vel inviti, cum Monasterio convenire debuerunt de respectivis super iis Agri juribus, eorumque in posterum exercitio, ni quoad prædictam ipsorum exemptionem declarari curarunt, quod procul omni dubio, haud neglexissent, is de ea aliquod extitisset pactum. vel etiam incontroversa observantia, ex qua hoc induci potuisset, uti ponderat *prior Decisio* § 12 *et subsequens* § 7 8.

8 Quod demum Particulares Possessores contendum, ex immemorabili nempe tantum Monasterium jus desumere pascendi, et spicandi super Agris ab ipsis possessis, et ex eadem immemorabili ipsos deducere a solvendis vectigalibus exemptionem, ex quo ad tramites respectivæ possessionis utrique parti manutentio sit danda facto adversetur, et juri Facto, quia possessionis Monasterii titulum exhibent, Instrumentum emptionis silvæ Mollis a Bernardina Conti, Sententia A. C. Guglielmi anni 1740 et transactio anni 1742 uti pluries superius dictum fuit, quin ad immemorabilem sit recurrendum; et quia possessorum a solutione publicorum onerum per immemorabile ævum exemptio asseritur, potiusquam probetur, ut superius vidimus: Ac, si quæ fuit, tribuenda est Monasterio, cujus Jurisdictioni illud Territorium subest, privilegiis, vel aliis Caussis superius expositis. Juri etiam repugnat prædicta particularim possessorum postulatio, quia in faculate erat Monasterii ipsos cogendi ad participandum cum eo intributionum solutionem, si quæ forte ab eo repensæ fuerunt, et si de hoc sollicitum haud fuit ex huiusce facultativis actibus cum non probetur ejus requisitio adversus possessores, et horum contradictio, nulla consuetudo, et præscriptio oriri potuit, quæ legitimam possessionem in exemptione prædictorum particularium a vectigalium solutione constitueret, ei manutentioni pro ipsis Causam dare posset, *uti docet. Decis. Cons.* 175 *num.* 6 *vers. propterea licet Roland. Cons.* 53 *num.* 38 *Surd. Cons.* 127 *num.* 8 *Gratian. disc.* 298 *num.* 10 *Rot. in Dec.* 536. *num.* 4 *part.* 2 *in Recen. Decis.* 162. *num.* 10 *coram Gregor. XI Decis.* 336 *num.* 10 *coram Cerro Decis.* 12 *num.* 3 *coram Ansold. Decis.* 619 *num.* 7 *coram Molines, et in Camerinen. juris Molendini super remissoria* 10 *Junii* 1757 § 5 *coram Paracciano.*

Alia prætera ex caussa petitæ a particularibus manutentioni in asserta exemptione resistit jus: ex eo nempe quod, post invectum Datiale Sistema res prorsus immutatæ fuerunt, cum novum omnino, et antea, nequidem cogitatum onus = *Datico Reale* = inductum fuerit; quare quod prius obtinuit rebus postea mutatis, haud amplius obtinero potuit. Quamvis vero nova hæc intributio aliquibus antea existentibus oneribus subrogata diceretur, id nihil obesset, quia hæc in quantitate quam maxime excedit ea omnia onera, simul sumpta; prorsus autem diversa est in qualitate quia nullum, antea vigens, privilegium ab ea eximere valet, uti ab illis abrogatis oneribus eximebat; nec Monasterium a vectigalium solutione amplius immune esse potest, uti antea erat. Et quam maxime profecto iniquum esset, si particulares possessores agrorum, quorum industriales fructus majori nunc pretio 9

ac anteacto tempore venduntur, ob novi etiam tributi onus fundis impositum, commodum omne ex hoc augmento pretii sentirent, incommodum vero hujus tributi in Monachos, jam satis gravatos, integrum reijcerent, dum hi nullam ex iis industrialibus fructibus, ac eorum aucto pretio, et ex agrorum dominio utilitatem percipiunt.

10 Cum itaque ex maxima parte agrorum in Territorio Silvæ Mollis extantium, qui rubra coflant 471. 1. 3. et in censualibus Codicibus estimati sunt scutis 32564: 42: ½ utilitatem longe majorem sentiant particulares illorum possessores, quam Monachi, cum onus tributi = *Dativa Reale* = dividendum sit ad mensuram commodi, quod quisque ex gravatis assequitur fundis; cum denique nulla afferri possit ratio, ex qua Monachi tributi partem a possessoribus solvendam rependere debeant, ad æquam bujusce oneris diribitionem deveniendum pernecesse est. Quin obsit prædictam intributionem, postquam anno 1801 fuit indicta, in totum fuisse a Monachis pensitatam. Hoc enim vel eorum bonæ fidei, vel errori tribuendum est et, cum, errore detecto, statim per ipsos reclamatum fuerit apud S. B. Regiminis Congregationem, nullum ex iis solutionibus præjudicium ipsi oriri potuit, et jus diribitionis tributi, adversus prædictos possessores obtinendæ integrum ipsis mansit: uti advertunt binæ præcædentes, Decisiones *utraq.* § *final.* Merito igitur Album hisce Decisionibus calculum Patres adjecerunt quoad prædicti tributi inter Monasterium, et particulares Agrorum Silvæ Mollis divisionem *in genere.* Summa vero cum prudentia easdem Decisiones reformandas dixerunt quoad hanc divisionem *in specie* constituentes quod Datii distributio, a Sententia Tribunalis Collegialis A. C. quam eæ Decisiones probarunt Reverendissimo Vicario Generali Episcopi Verularum demandata, mihi, uti Causæ Ponenti delegetur cum facultate assumendi Peritum Agronomum ut facilius in Urbe perficiatur. Quem modum ipsarum præcedentium Decisionum confirmationi adjectum voluerunt, ad eas in reliquis sese referentes.

Et ita etc. Utraque etc.

VERULANA EXEMPTIONIS

SUPER CIRCUMSCRIPTIONE

Veneris 5 *Julii* 1822.

ARGUMENTUM

Habes in superiori quae confirmatur - DECISIO LXV. -

SUMMARIUM

1. *Circumscriptionis instantia, semper fere resolvitur juxta principalis causae exitum.*
2. *Cum ageretur de partitione vectigalis, ac de vadimonio indicendo Communitati, quaestio deferri pernecesse debebat ad Congregationem boni Regiminis.*

Publico Magistratui, non privatis incumbebat, disceptare de vectigalium partitionibus - ibidem. -

DECISIO CXIX.

Actio pro circumscriptione Sententiæ S. Boni Regiminis Congregationis, latæ die 23. Septembris Anni 1818. et demandantis Communitati Phrusinonis novam diribitionem tributi » *Dativa Reale* » super Territorio Silvæ Mollis a particularibus possessoribus Agrorum in eo Territorio existentium promota, quam primum rejecit Signaturæ Tribunal, dein. Tribunal Collegiale A. C., ac demum binæ S. N. Ordinis Decisiones, a me vulgatæ sub diebus 7. Maii, et 10. Decembris superioris Anni, tertia vice hodie Patrum subiit judicium, una cum Caussa super Exemptione, de qua agit contemporanea Decisio: et, cum prædicti particulares possessores in ea, princeps meritum respiciente, succubuerint, adversum in hac etiam super circumscriptione dubio a me proposito » *An sit standum, vel recedendum a Decisis* » audivere responsum, scilicet = *In Decisis* =.

Circumscriptionis instantias ex S. N. 1

Tribunalis stylo, ad inanes vitandos circuitus, semper fere resolvi secundum Principalis Caussæ exitum notissimum est. Cum itaque Patres prædictis Agrorum possessoribus exemptionem denegaverint a solutione tributi » *Dativa reale* » super iis Agris, ad mensuram utilitatis, quam ex iis percipiunt, fieri non potuit quin eorum etiam petitionem pro obtinenda circumscriptione excluderent. Eoque magis hoc protulerunt judicium, quia perspicuum est injuria prorsus nullitatis argui prædictam S. Congregationis Boni Regiminis Sententiam. Non defuit siquidem Sacræ illi Congregationi jurisdictio, nec obfuit omissa citationis ipsorum particularium possessorum, uti ipsi suadere conantur. Etenim, cum ageretur de partitione vectigalis » *Dativa reale* » quam Chartusiani corrigi petebant, res, nec ad Tribunal A. C. nec ad aliud Tribunal deferri poterat, sed pernecesse definienda erat a S. prædicta Congregatione, quia ad hanc tantum permiserat SSmus Princeps in Motu Proprio Anni., 1801., quo Datiale sistema fuit invectum » *di ricorrere per la correzione dei gravami, che fossero mai stati inferiti* = Præterea Monachi pro Correctione partitionis tributi egerunt adversus Communitatem Phrusinonis, cui Vadimonium indicere haud licebat, nisi coram eadem Sac. Congregatione. Hujus igitur Jurisdictio in re controversa manifestissima est, tam ad controversiæ *subjectum* quam ad *personam* rei conventi respectu habito, siculi *utraque præcedens Decisio advertit* §. 3.

2 Nec Circumscriptioni locus esse posset ex defectu citationis particularium possessorum. Caussa namque a Monasterio, non contra ipsos, sed contra Phrusinonis Communitatem fuit proposita, ut Monasterium correctionem partitionis tributi assequeretur. Hæc igitur tantum Communitas vadari debuit, quia ipsi partitio fuerat demandata: ipsa publicos retinebat Codices; ipsa de re a se gesta rationem reddere debebat: ipsa demum opus a se perfectum corrigere debebat, si in eo erratum fuisse, S. Congregatio definivisset. Particulares vero Possessores vadari nec debebant, nec poterant dum de illa tantum correctione disceptandum erat, quæ muneris erat publici, et Magistratui, non privatis incumbebat. Si, correctione expleta de hac querelam movissent ii particulares possessores, vel, ad bujus tramites, Monasterium ab iis repetiissent tributi partem, indebite pro iis solutam, tum tantum judicium eos inter, et Monasterium locum babere potuisset, et tum certe partis citatio fuisset præmittenda, numquam vero hæc requiri potuit ante correctionem expletam. Reservatio vero jurium in ea Sententia pro Chartusianis contra prædictos particulares possessores » *ad repetitionem summæ indebite solutæ prout, et quatenus de jure* = nec ullum hisce præjudicium attulit, nec Sententiæ nullitatem ex Citationis defectu gignere potuit, sicuti ponderant sub §. *final.* præcedentes *Decisiones* quæ confirmantur.

Et ita etc. utraque etc.

URBEVETANA

RESCISSIONIS CONTRACTUS

Veneris 8 Februarii 1822.

ARGUMENTUM

Nisi expresse conditio resolutiva apposita fuerit, venditor non potest agere ad contractus rescissionem, sed agere debet ad implementum. Ac id eo fortius in casu, quo emptor non ignorabat onus super re impositum, quia tunc rem cum suo onere emisse censetur.

SUMMARIUM

1. *Venditor non potest semper agere ad rescissionem contractus, nisi conditio contractui apposita resolutiva deprehendatur.*
2. *Si Hypotheca evanuerit, atque e publicis Codicibus fuerit deleta, nullo in pretio haberi debet.*
3. *Si Venditor non ignorabat onus, quod super praedio impositum fuit, tantum juris ipsum emisse tenendum est, quantum ad ipsum venditorem super re vendita pertinebat.*

4. *Motu Proprio 6 Julii 1816 sancitum fuit, quod bona in tertii possessorie potestatem, durante gallorum imperio, transiveat, libera a quovis fideicommissi, vel substitutionis vinculo.*
5. *Ob passam in aliqua parte evictionem, contractus rescindi non potest, nisi probetur, quod emptio facta non fuisset, si pars postea evicta defuisset.*
6. *Quandoquidem unicum. ac per modum unius constitutum pretium, unicus emptionis venditionis actus haud evincit.*
7. *Inscriptio expleta, post emptionem venditionem, et quae emptori haud erat ignota, excludit mala fidee in venditore.*
8. *Si Emptor tempore habili hypothecam inscribere neglexerit, damnum quod inde est obventurum, sibi imputet oportet.*
9. *Ubi venditor hypothecam a die contractae emptionis venditionis inscripserit, illa in quoscumque tertios possessores una cum fundo migrat.*
10. *Ex articulo 1644 Gallici Codicis, venditor non tenetur* – per i vizi appaenti, che il compratore avrebbe potuto da se stesso conoscere. –

DECSIO CXX.

Bona *Castri Georgei*, quæ ex divisione paternæ substantiæ inita cum Fratre Ferdinando Saracinelli acceperat Comes Vincentius Saracinelli die 25. Aprilis Anni 1814., quo tempore Gallicæ adhuc vigebant Leges, vendidit Equiti Marco Bucciosanti. Sic autem constitutus contractus fuit, ut emptor illico summam scut. *mille* rependeret, reliqua vero *octomillia* infra sexennium eidem numeraret Venditori ea tamen lege; – *che il sudetto residual prezzo di scudi ottomila dovrassi nell' atto del pagamento da eseguirsi come sopra versare, ed erogare nell' estinzione del Prezzo della Tenuta di Pian di Castello da detto Signor Saracinelli acquistata con atto dei* 23. *di questo mese* » Quod Latifundium hypothecæ nexui subjecit Venditor pro omnimoda Emptoris in quolibet evictionis eventu indemnitate. Hæc, quæ in privata Apocha prædisposita fuerant, publicis dein tabulis tradita fuere die 3. Januarii 1816., antea vero prædictam summam scutorum *mille* Bucciosantius numeraverat, eaque fuerant a Saracinellio « *erogati in pagamento del prezzo della Tenuta di Pian di Castello* – At sexennio elapso solutionem detrectare cæpit Bucciosanctius reliqui pretii *Castri Georgii* in scutis 8000., objiciens sibi vendita bona oneri primum subjici reintegrandi Fideicommissum quoddam Saracinelliae Gentis per annum depositum, ac multiplicum scutorum *quadraginta* juxta Chirographum Summi Pontificis diei 6. Junii 1802. perficiendum: hypotheca dein gravari pro securitate dotis Irenis Sarazzani defunctæ Uxoris Comitis Saracinelli. Tertio prædiolum nuncupatum » *Montiolo* » quod inter cætera venditum Bucciosantio fuerat, a Gente Gualteria possideri.

Pretio itaque in Aede Sacra deposito, Viterbiense Primæ Actionis Tribunal adivit, ibique petiit primum, ut certi temporis prefinitione adigeretur Saracinellius divendita bona ab obligationibus quibuslibet libera efficere. Morem eidem gessit Tribunal, ac interlocutorio, ut ajunt, Decreto, nonnisi unius mensis inducias Saracinellio concessit. Delevit tunc Venditor ex hypothecariis Codicibus supradictam dotalem hypothecam, nonnullas alias obtulit cautiones, ac pretium fundi *Montiolo* exhibuit. Nihilominus Actor petitionem suam iteravit, quin imo eam ad Contractus omnimodam rescissionem ampliavit, contendens nedum *Castri Georgei* bona alia quoque teneri hypotheca ad cautionem Census in capite scutorum 633. favore Joannis Baptistæ Lalli impositi, sed insuper Latifundium » *Pian di Castello* » in quo ejus indemnitas collocata fuerat, simili obnoxium esse oneri pro Dote Mariæ Eroli secundæ Comitis Saracinelli Uxoris. Petitam emptionis venditionis rescissionem decernere Judices illi non dubitarunt, si intra *decem dies* hypotecas omnes Saracinellius haud delevisset, ceu pandit Sententia ab iis edita die 7. Februarii elapsi anni 1821. a qua cum ipse provocaverit, Causæ cognitio S. Nostro Ordini commissa fuit, idcoque Patres hoc mane interrogavi » *An sit locus præfixioni termini*, *eoque*

elapso rescissioni Contractus, *ita ut sit relaxandum mandatum de consignando*, *et respective executivum in casu etc.* et Responsum accepi » *Negative in omnibus* ».

1 Etsi enim pacta præcipue quoad prædiorum libertatem in emptionis venditionis Contractu conventa haud omnimode implevisset Venditor Saracinellius, non idcirco statim sequeretur posse emptorem ad Contractus rescissionem agere, quam non ita facile jus nostrum decernit, ac nonnisi in themate, quo, *resolutivam* quam vocant, conditio Contractui apposita deprehendatur. Secus tantummodo actionem ad *implementum* concedi posse statuit *Text. in leg.* 17. §. *ultim. Leg.* 12. *ff. de præscript. verb. leg. Si pactum ff. de probat. leg. Quamvis Cod. de Transact. Bortol. in leg. final. num.* 5. *et* 13. *ff. de Con. caus. data. Rota decis.* 640. n. 3. *coram Buratto dec.* 165. *num.* 17. *coram Rezzonico dec.* 158. *num.* 17. *cor. Herz. dec.* 72. *num.* 3. *coram Roverella . dec.* 581. *num.* 15. *coram Olivatio.* Atqui nullius pacti inadimplementum Actor ostendere valuit, quia, dum bonorum libertatem Saracinellius promisit, ad evictionem tantum præstandam sese obstrinxit, quæ cæterum eo usque evenerat sane nunquam. Non erat igitur cur terminus ullus Saracinellio præfiniretur, quo frustra elapso, Contractus rescissio pronunciari posset, quia, et nulla aderat resolutiva conditio, et pacta omnia Saracinellius religiose impleverat.

2 Reque vera inania prorsus Patribus visa sunt ea omnia, quæ Bucciosantius ad Contractus rescissionem obtinendam tum in prima judicii sede, tum etiam in præsenti summa animi contentione proponebat. Posuit siquidem primum sibi vendita Bona Castri Georgei hypotheca esse devincta erga Irenem Sarazzani ad hujus dotis tutelam, ac indemnitatem. Posuit rursus alia etiam hypotheca gravari ob Censum a Joanne Baptista Lalli impositum. At perperam utrumque. Quia ejusmodi hypothecaria jura prorsus evanuisse, atque e publicis Codicibus deleta jamdiu fuisse Comes Saracinellius demonstravit, Quapropter nullius præsidii Actori esse valuerunt ea omnia, quæ facto nullimode existenti innitebantur.

Querebatur tertio Bucciosantius alterum ex sibi venditis prædiis nuncupatum » *Lo scalitto* » oneri subesse annuæ præstationis scutorum *quadraginta*, ex quibus multiplicum fieri imperaverat jam usque ab Anno 1802. Pontificium Chirographum ad vetus Fideicommissum Saracinelliæ Gentis reintegrandum. Attamen, data etiam illius oneris actuali existentia, nullo pollebat jure Bucciosantius eo sub prætextu rescissionem Contractus petendi, utpote qui multo ante Contractum ipsum, de quo res est, optime noverat Fideicommissi vinculum, quo universa ea Bona detinebantur; emerat quippe in antecessum ab eodem Saracinellio prædium aliud, cujus integrum pretium solvere recusaverat, antequam prædictum Chirographum a Venditore obtineretur. Cum itaque ignorare omnino haud posset onus, quod, ipso petente atque urgente super prædio » *Lo Scalitto* » a Summo Pontifice impositum fuerat, tantum juris ipsum emisse tenendum est, quantum ad ipsum Venditorem super re vendita pertinebat, quin ulla ad absolutum Contractum rescindendum actio eidem possit adscribi *ad Text. in leg. Si fundum sciens. Cod. de evict. et leg. si Familiæ Cod. Familiae herciscundæ Peregrin. de fideicommiss. art.* 52. *num.* 58. *Mangil. de evict. quæst.* 151. *num.* 18. *Card. de Luca de Feudis discurs.* 44. *num.* 12., *et* 13. *Rot. coram Millin. decis.* 3. *num.* 1. *et dec.* 176. *num.* 7. *par.* 9. *Recent. in Bononien. rescissionis Contractus* 16. *Junii* 1819. §. 15. *coram R. P. D. Meo Spada*, *et in Confirmatoria* 21. *Aprilis* 1820. §. 12. *coram Eodem.* 3

Cæterum hanc quoque Emptoris querelam quolibet veritatis fundamento destitui Patribus perspectum fuit. Cum enim de tempore initi inter ipsum, et Saracinellium emptionis venditionis Contractus, mense Aprilis anni 1814. Gallicæ obtinerent Leges, quibus fideicommissaria quæcumque vincula e me- 4

dio prorsus sublata fuerant, evanuisse tunc quoque onus fideicommissi reintegrandi nomine super eo prædio impositum exploratum est. Neque iis abrogatis Legibus, onus illud jamdiu extinctum reviviscere potuit, quia Summi Pontificis Motu Proprio die 6. Julii 1816. sancitum prostat, bona, quæ in tertii possessoris potestatem, Gallorum durante imperio, transierunt » *preso il nome di alienazione nel suo largo significato* » libera prorsus a quovis, sive fideicommissi, sive substitutionis vinculo omnino evasisse. Accedit, ejusdem Motus Proprii Articulo 134. cautum fuisse, onera fideicommissaria, in tertios præcipue possessores, nullam exercere vim posse, nisi duorum infra mensium spatium inter-præsentes, quatuor inter absentes publicis in Codicibus fuerint inscripta. Atqui hujusmodi inscriptio quoad vinculum, de quo res est, in tabulario haud invenitur, neque de ea testimonio attulit Bucciosantius; Exulat igitur quævis fideicommissarii vinculi Latifundium *Castri Georgii*, sive prædictum prædium *Lo Scalitto* prægravantis suspicio.

5 Deletis hypothecariis inscriptionibus nulloque superextante Fideicommissi vinculo, sive quia de tempore contractus Lege vigebant hujusmodi vinculis infestæ, neque reviviscere onus illud etiam ex Pontificia lege ultimode potuit, sive quia ad hujus tramites publicis in Codicibus nulla sæpedicti oneris extat memoria; postrema superest per Emptorem quoad Bona *Castri Georgii* proposita rescissionis causa, evictio scilicet prædioli cujusdam nuncupati « *Montiolo* » quod compræhensum fuisse in venditione Bucciosantii favore facta, neque Saracinellius inficiatur, quodque hodie a Gente Gualteria possidetur. Authomat scilicet Bucciosantius, propter hoc evictum Terræ frustulum, quod alioquin pretium *scutor*. 28, non excedere periti hominis attestatione firmatur, venditionis Contractum, quo prædia valoris scutorum 9000 distracta fuerunt, in totum esse rescindendum. At perperam. Nunquam enim in Jure nostro caotum legimus, ob passam in aliqua prædiorum parte evictionem, Contractum rescindi posse, nisi evidentissime probetur, quod ea prædia nunquam empta fuissent, si pars postea evicta venditionis tempore defuisset, veluti ad rem *Text. in leg.* 38 § 12 *de Aedilit. Edict. leg.* 37 *ff. de contr. emption. leg.* 72 *ff. de evict. Gratian. discept. forens. cap.* 787 *num.* 8. *Molin. Tom.* 2. *disput.* 333. *num.* 30. *Gomez Variar. Resolut. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 49 *in Bononien. rescissionis Contractus* 1 *Junii* 1821 § 10 *coram R. P. D. Meo Marco*. Cui juris sanctioni Codicis Gallici tunc temporis vigentis consonat dispositio in ejusdem Articulo 1636., ex quo nefas erat emptori, qui rei emptæ partem evictionis causa amisisset, Contractus rescissionem urgere, nisi pars eadem esset = *di tal' entità relativamente al tutto, che l'acquirente non l' averebbe comprata, senza la parte evitta* =

Atqui Bucciosantium Latifundium Castri Georgii empturum tunc fore, etsi prædium « *Montiolio* » ad Gentem Gualteriam pertinens in Contractum non venisset, planum est, primum ex ipsa prædioli positione, otpote, quod jacens quodammodo intra Bona Fratruum Gualteriorum = *confina a Levante coi Beni del Signor Bucciosanti*, *ed a Ponente*, *Tramontana*, *e Mezzo Giorno confina con quelli delli Sig. Gualterio* « ideoque » *fa maggior corpo ai Signori Gualtieri di quello*, *che al Signor Bucciosanti* = veluti ex Periti accurata demonstratione patet; deinde ex ejusdem Terræ frustuli tenuitate, cujus valor, eodem Teste Perito, summam scutatorum *viginti octo* haud excedit. Quapropter neque illius defectus Bucciosantium a Contractu ineundo distinuisset, neque ullum certe detrimentum is capere exinde poterit, si, detento sibi prædioli pretio, Latifundio *Castri Georgii* absque illo Terræ frustulo quiete, libenterque fruatur. Quin rem mutet bona indiscriminatim Bucciosantium emisse statuto pretio scutorum 9000., adeo ut, parte evicta, universum ruere Contractum dici possit. Quandoquidem unicum, ac per modum unius constitutum pretium, unicus emptionis venditionis actus haud 6

evincunt Bucciosantium bona illa minime empturum fuisse, si quæ forte perexiqua eorum pars ab universo Latifundio detraheretur; quemadmodum nihil officit, quominus, deficiente etiam quadam rei venditæ parte in cæteris integer, validusque Contractus servetur, ut tradunt *Guzmon de eviet. quæst.* 45 *num.* 7., *et seq. Barz. Decis. Bon. decis.* 62 *numer.* 30., *et sequen.* Sed huic exceptioni nuncium misisse Bucciosantium apparet, cum detecta etiam prædioli « *Montiolo* » evictione ad istrumenti tamen stipulationem ipse devenit. Hæc quoad proposita ab Emptore rescissionis causas ob asserta onera hypothecaria, ac defectus in ipso vendito Latifundio *Castri Georgii*.

7 Non desunt quidem argumenta, quibus cætera quoque per Bucciosantium ad Contractum rescindendum objecta quoad Fundum *Pian di Castello* ad ejus indemnitatem destinatum omnino evertuntur. Ait enim ipse devinctum esse Latifundium illud ad Dotis Mariæ Eroli secundæ Comitis Uxoris cautionem, qua firma hypoteca manento, timet, ne in casu evictionis alterius Latifundii *Castri Georgii* suæ consulere indemnitati nequeat. Verum ne hanc quidem inscriptam hypothecam ullum ferre detrimentum posse Bucciosantio statim novit Sacer Ordo. Emptio enim venditio Latifundii Castri Georgii diem præsefert 25 Aprilis 1814.; atque in eodem Contractu conventum fuit = *la Tenuta di Pian di Castello, di lei Beni ec. restano dati dal Signor Vincenzo Saracinelli per garanzia, e sicurezza del presente acquisto, ed in conseguenza specialmente affetti, ed ipoteeati a vantaggio di detto Signor Bueciosanti per sieurezza dell'intiero prezzo* =. Inscriptio vero, de qua tantopere Emptor quærebatur, triennio post expleta fuit, die nempe 26 Februarii 1817. Nulla itaque ratione Saracinellius de fracta fide redargui poterat.

8 Aut enim a die venditionis initæ, scilicet 25 Aprilis 1814 suam inscripsit Bucciosantius hypothecam, in quam Saracinellius ipse nuper relato pacto consenserat, et tum nil ei est pertimescendum, cum prior hypotheca a posteriori minime vinci possit; aut hypothecam inscribere neglexit, et hoc in themate sibi damnum exinde forte obventurum imputet, quin suam propter negligentiam, atque socordiam damnum ipsum actione rescissoria in venditorem valeat convertere *Rot. in Bononicn. rescissionis Contractus* 21 *Aprilis* 1820. *Dec.* 13 *coram R. P. D. Meo Spada, et in Confirmatoria* 1 *Junii* § *final. coram R. P. D. meo Mareo.* Quod attamen damnum facili negotio declinabit Bucciosantius. Cautum siquidem fuit in emptionis venditionis tabulis = *che il sudetto residual prezzo di scudi otto mila dovrassi nell'atto del pagamento versare, ed erogare nell'estinzione del prezzo della Tenuta di Pian di Castello da detto Signor Saraeinelli acquistata con atto dei ventitre di questo mese* =. Vix ergo pretium solverit Bucciosantius, in jura venditoris Latifundii = *Pian di Castello* = succedet, itaque omnes vincet hypothecas, tum quia omnes in tempore superabit, tum quia legis privilegio gaudebit, qua sancitum est, venditoris hypothecam super re vendita propter pretium cæteris omnibus quibusque hypothecis præstare, veluti ex *Artie.* 2103. Gallici Codicis Civilis = *I Creditori privilegiati sugl'immobili sono il Venditore sull'immobile venduto per il pagamento del prezzo* = itemque *Art.* 2108 = *il Sovrentore, ehe avrà somministrato il Denaro pagato sarà surrogato ai dritti del Venditore eollo stesso Contratto.* =

Neque majoris ponderis Patribus visa fuit altera, quam Emptor objecit, hypothecaria inscriptio super Fundo = *Pian di Castello* = ad tutelam dotis *Theresiae Saracinelli.* Comes enim Ferdinandus Saracinellius, qui Latifundium illud Fratri Comiti Vincentio venddiderat, Creditor pretii nomine superfuerat scutatorum *septem millia.* Dum vero de anno 1814 idem Ferdinandus Filiam Theresiam in matrimonium collocavit, in partem constitutæ Dotis prædictum creditum, quo in Fratrem pollebat scutatorum *septem mille* Filiæ delegavit, et ea hypothecæ illius dotalis 9

originem super Latifundio = *Pian di Castello* = inscriptam. Pretium itaque Latifundii *Castri Georgii*, quod ex conventione in rependendo pretio alterius Latifundii = *di Pian di Castello* = debet erogari, in causam cedet crediti Theresiæ Saracinelli, atque ita hæc quoque hypotheca finem ad nutum ipsius Emptoris erit habitura; quin imo Bucciasantius in jura Theresiæ Saracinelli subingredi poterit, atque ita cæteras etiam omnes hypothecas iterum superabit. At objicere ipse haud cessat, Saracinellium nonnulla distraxisse prædia, Latifundium = *Pian di Castello* = constituentia. Nullum tamen pariter damnum sentire exiude posse Bucciosantium PP. visum est, tum quia, si hypothecam a die contractæ emptionis venditionis inscripserit, illa in quoscumque etiam tertios possessores una cum Fundo ex legis Sanctione migravit, tum etiam quia, etsi nullam inscripserit ipse hypothecam, tamen cum in prædicti Venditoris ejusdem Latifundii = *Pian di Castello* = jura, postquam pretium solverit empti Latifundii *Castri Georgii*, succedere debeat, sequitur inde, eodem semper potiri jure, quamvis bona ipsa in tertium possessorem gradum fecerint.

10 Ultimo demum loco nonnulli afferuntur a Bucciosantio Gallici Codicis articuli, qui tamen aut ad quæstionem non pertinent, aut in eumdem emptorem retorquentur. Cautum siquidem est Artic. 1644. = *Il Venditore non è tenuto per i vizi apparenti, che il Compratore avrebbe potuto da se stesso conoscere* = At vitia, quibus affici ipse objiciebat Latifundia, tum *di Castel Giorgio*, tum *di Pian di Castello*, cum vincula sint hypotecaria, is certe = *avrebbe potuto da sestesso conoscere*=; Ergo nullam omnino actionem tribuere eidem poterant ad Contractus rescissionem provocandam. Verum nulla aderant venditionis tempore vinculo hypothecaria, quæ, si forte in posterum super iis Fundis imposita fuere, aut ex transcriptione, hypothecaria inscriptione a Bucciosantio in publicos Codices relata, aut ex subingressu in jura Venditoris *Pian di Castello* inania prorsus fuissent, nullumque Bucciosantio præjudicium afferre potuissent. Quod si incuriosus ipse dominii transcriptionem, et hypothecarias inscriptiones neglexit, damnum a sua negligentia obventum sentiat oportet. Manifestum est itaque ex his omnibus nil jure Saracinellio obiici posse, et Contractus undique absoluti rescissionem inutiliter a Bucciosantio fuisse petitam.

Et ita etc. Utraque etc.

IN RE COMMERCIALI

BONONIEN LITERAE CAMBIALIS

Lunae 7 Aprilis 1823.

ARGUMENTUM

Literae Cambialis solutio, nequit retardari quoad tertium gyratarium, ob quamlibet conventionem intercessam inter *trahentem*, et tractarium. Collybisticam qualitatem inhaeret literae cambialis, tam si munita sit clausola - *Valuta avuta* - vel altera - *All' Ordine S. P.* -

SUMMARIUM

1. *Circumscribi debet sententia, quae apertissimas sprevit praxeos leges.*
2. *Citatio legi non potest in audientia, nisi intra triduum ab ejus reproductione.*
3. *Extra ordinem legi non potest citatio, nisi ex aliqua urgentiae causa, et nisi expressim sit obsignata facultas a Praeside - ibidem.* -
4. *Absurdum est, partem citantem curare debere, ut citatio reproducatur a parte citata.*
5. *Appellationis judicio pendente, pars respondere, nec debet, nec potest positionibus.*
6. *Prorsus rejiciendae sunt positiones, quae vel ad rem non pertinent, vel irrilevantes dignoscuntur.*
7. *Judicium solutionis literae cambialis celerem exigit expeditionem, praesertim si agat tertius gyratarius.*
8. *Tertius acquirens sollicitus haud esse debet de iis, quae inter trahentem, et tractarium, sive acceptantem intercesserint.*
9. *Littera Cambialis scripta* - per valuta in me medesimo - *pecuniae numerationem pro ejus cambialis valore excludit.*

10. *Cambialis haud destituitur collybistica qualitate, si loco* - valuta avuta - *clausula muniatur* - all' Ordine S. P. -

11. *Conditiones in Cambiali litera non expressae, inscium gyratarium gravare non possunt - ibidem.* -

12. *Gyrataria triplex competit actio, constitutae pecuniae, depositi, et fidejussionis.*

13. *Ex Articulo 181 novissimae legis commercialis, constitutum est, quod* - Tutte le disposizioni relative alle lettere di Cambio, sono applicabili ai biglietti, o pagherò all' Ordine. -

DECISIO CXXI.

Collybisticam sebedam, hisce conceptam verbis, die 1 Februarii anni 1821 Bononiæ scripsit Lazarus Maria Gherardi = *Alla fine del prossimo Aprile pagate per questa prima di cambio all'ordine mio S. P. la somma di scudi* 169 34 *da paoli dieci per valuta in me medesimo, e ponete come intesi* = *Al Signor Girolamo Romagnoli di Bologna* = eaque eadem die banc Cambialem literam pure, ullaque absque ei conditione, sese soluturam promisit illa Bononiensis Romagnolia Ratio = *A di detto accetto per li sudetti scudi* 169 34 *Romani* = *Girolamo Bomagnoli* = Die 1 Maii ejusdem anni hanc collybi tesseram Rationi Romagnoliæ pro solutione assequenda exhibuit Ratio Bettini, quæ eam possidebat ex hujuscemodi gyratis = *E per me all' Ordine S. P. dei Signori Antonio, e Giovanni Fratelli Buratti per valuta avuta in contanti dalli medesimi a Bologna*: *die ut retro*: = *Lazzaro Maria Gherardi* = *E per me all'Ordine S. P. del Signor Domenico Bettini per valuta avuta in contanti dal medesimo* = *Bologna* 16 *Febbraro* 1821 = *Antonio, e Giovanni Fratelli Buratti* = Renuit Ratio Romagnolia, innitens præsertim protestationi ab ipsa emissæ die 16 Februarii illius anni ac suspicioni antidatæ in gyrata Gherardii jam violenta morte sublati, ac proponens sanctionem *Art.* 139 lib. 1 Codicis Commercialis; quare per Bettiniam Rationem prædicta die 1 Maii protextus fuit elevatus, atque etiam die 8 ejusdem mensis judicialiter actum coram Tribunali Commerciali Bononiæ ad obtinendum mandatum exequutivum reale, ac personale pro summa in ea Cambiali contenta, accessionibus, et expensis, quod, Romagnolia Ratione contumace, fuit relaxatum.

Tum hæc debitrix ratio apud Bononiæ Criminale Tribunal egit, gyratæ falsitatem, ac antidatam prætexens, sed hoc judicium intermissum fuit ex Decreto, quo, ob pendentiam judicii civilis, declaratum fuit = *non farsi luogo per ora al giudizio Criminale, e dovere aver libero corso il giudizio Civile* = Institit etiam Ratio Romagnolia apud prædictum Tribunal Commercii, postulans ut Petrus Groggia, qui rationem Bettiniam repræsentabat, adigeretur ad respondendum positionibus eo spectantibus, ut evinceretur hanc Rationem haud acquisivisse titulo oneroso controversam Cambialem literam, et quamvis hæc Bettinia Ratio opponeret positionum irrelevantiam, tamen die 13 Augusti ejusdem anni 1821 Tribunal illud, nedum eas admisit positiones, eisquo responderi mandavit, sed alias etiam pariter irrelevantes ex officio adjecit, scilicet an Bettinia Ratio jura sibi adversus Rationem Burattiam gyrantem servaverit, et an aliquas cum hac ratione, et hac de re, conventiones iniisset; quæ Sententia confirmata fuit subsequutiva diei 8 Novembris illius anni, qua terminus constitutus fuit Groggia ad respondendum, indicta mulcta scut. 5 in singulos dies. Provocavit ab hisce Sententiis Ratio Bettinia, atque deinceps die 21 ejusdem mensis citationem transmisit ad Romagnoliam Rationem coram Tribunali Appellationis Bononiæ pro prosequutione Appellationis, revocatione Sententiarum, quæ positiones admiserant, et relaxatione mandati quoad solutionem literæ Cambialis, et accessionum, eamque citationem a Præside illius Tribunalis subscribi curavit. Hæc citatio, quæ terminum trium dierum citatæ ad comparendum constituebat, haud legi debebat in Audientia, sed produci in actis infra tres dies,

juxta *Articulos* 62, 964, et 965 novissimi Codicis Praxeos, ac infra tres dies Ratio citata accedere ad acta debebat, et suum constituere Procuratorem, ita præscribentibus *Articulis* 69, 70 965, et 972 ejusdem Codicis Praxeos. Quod sui muneris erat implevit Bettinia Ratio, nam die 23 prædicti Novembris citationem in actis reprudu-xit, non ita vero Ratio Romagnolia, quæ, neglecta constitutione Procuratoris in actis, accessit ad Tribunal Appellationis die 27 illius mensis Novembris, et, producta copia illius citationis, Bettinia Ratione absente, ac prorsus insciente, petiit ac obtinuit hujusce Rationis instantiam circumductam declarari. Dein die 29 ejusdem Novembris rediit Romagnolia Ratio ad Tribunal Commercii petens positiones superius memoratas haberi pro confessis, quia Ratio Bettinia eis respondere renuerat, quod facile obtinere potuit.

Horum, quæ Romagnolia Ratio gesserat, ignara Ratio Bettinia, cum nullum a Romagnolia Procuratorem constitutum vidisset post superius relatam citationem diei 21 Novembris, citationem aliam adversus eam explevit per affixionem juxta *Art.* 723 prædicti Codicis Praxeos, pro constituendo ei termino ad effectum purgandi contumaciam, et die 11 Decembris ejusdem anni 1821 a Tribunali Appellationis consonum retulit Decretum cum præfixione octo dierum ad effectum prædictum. Intimato Rationi Romagnoliæ hoc Decreto die 24 illius mensis, venit hæc iterum ad idem Appellationis Tribunal, ac die 8 Januarii 1822 assequi potuit illius revocationem, indicto etiam Rationi Bettiniæ, quod = *proceda regolarmente citando anche a riprodurre la prima citazione* = Tum itaque ad omnes præcidendas tricas, ea Bettinia Ratio, una cum alia Ratione Burattis, quæ ei Cambialem a Gherardio acquisitam gyraverat, ad Nostrum Sacrum Ordinem provocavit postulans, ut, infirmatis superius relatis Sententiis Tribunalis Commercii, et Tribunalis Appellationis Boniæ, causa definiatur super merito juxta *Art.* 25 novissimæ Legis Commercialis, et Ratio Romagnolia damnetur ad solutionem literæ Cambialis, una cum usuris, ac expensis, votique compos fuit facta, quia hodie requisiti a me Patres de sententia super hac Bettiniæ, ac Burattiæ Rationis postulatione, rescripserunt = *Esse locum solutioni scutor.* 169 34, *usurarum semissium*, *et expensarum in summa liquidanda* = et quia viderunt rem esse = *di non assoluta urgenza* = ejusque = *importanza* = id exigere, inhærentes *Art.* 32 prædictæ Commercialis Legis, mihi mandarunt, ut = *extendatur Decisio* = *all' effetto di provocare quella delle parti, contro cui si emana, a confutarne i motivi* =.

Et primo sane: In comperto fuit nec Tribunalis Commercii, nec Tribunalis Appellationis Decreta ullius obicis esse posse admissioni justissimæ petitionis Bettiniæ, Burattiæque Rationis quoad solutionem a Romagnolia Ratione assequendam Cambialis literæ, una cum usuris, et expensis, quia ea Decreta infirmanda sunt, cum *extrinsecus*, atque *intrinsecus* peccent, ut jam satis, superque patet ex exposita actorum judicialium, rerumque gestarum serie. Sit initium a Decreto, sive Sententia Tribunalis Appellationis, quæ influit in extrinsecam labem postremæ Sententiæ Tribunalis Commercii, quæ pro confessis haberi constituit positiones Petro Groggia a Ratione Romagnolia exhibitas. Pessumdatas a Tribunali Appellationis fuisse Praxeos Leges, ac Judiciorum Ordinem, dum ipsum die 27 Novembris anni 1821 circumductam declaravit citationem introductivam judicii Appellationis a Ratione Bettinia transmissam ad Rationem Romagnoliam die 21 Novembris prædicti, qua petebatur revocatio primæ Sententiæ Tribunalis Commercii, quæ positiones, de quibus superius dictum est, admiserat, et petebatur etiam mandatum exequutivum pro solutione literæ Cambialis, de qua agitur, ejusque usurarum, apertissimum est. 1

Hæc siquidem citatio legi non po- 2

terat in Audientia, cum expressim præscribat *Art.* 62 Codicis Praxeos, quod = *la citazione introduttiva del giudizio non dovrà leggersi in Udienza, ma dovra prodursi presso il Cancelliere entro il termine prefisso a comparire* =, idemque jubeant Articuli 964 965 ejusdem Codicis, quoad Citationes introductivas Judicii Appellationis. Muneris vero erat Rationis Romagnoliæ post banc receptam citationem, intra triduum ab ejus reproductione, quæ die 23 illius Mensis Novembris a Ratione Bettinia fuit expleta, ad acta accedere, et Procuratorem constituere juxta Art. 972 prædicti Codicis Praxeos. Constituto autem Procuratore, alia huic citatio transmittenda erat ad effectum provocandi Caussæ discussionem coram Judicibus. Nil horum gestum fuit, sed Romognolia Ratio exemplar illius introductivæ citationis exhibuit Judicibus prædicta die 27 Novembris, eamque legi curavit, absente, et prorsus inscia Bettinia Ratione, ac petiit, obtinuitque eam citationem circumductam declarari Sententia ea die edita; hæc itaque Sententia infirmanda est, uti contra Praxeos Leges, et Judiciorum ordinem peccans. Nec aliter sentiendum ex eo quod citatio fuerit a Præside Tribunalis subscripta. Legi enim non poterat, nisi in ea signata a Præside fuisset facultas eam legendi extra ordinem, ex aliqua urgentiæ caussa, ac fuisset destinata Audientia, in qua legi debebat, uti sancitum est in *Artic.* 666 667 ejusdem Codicis Praxeos. Quæ omnia cum deficiant, firmum semper, immotumque stat, nec legi eam potuisse, nec potuisse Sententiam super ea edi.

3 Hoc posito, jure deinceps Ratio Bettinia, quæ neglectam viderat a Ratione Romagnolia Procuratoris constitutionem, et nesciebat, vel spernere debebat prædictos actus irregulariter gestos, alia citatione per affixionem Romagnoliam Rationem citavit pro præfixione termini ad purgandam contumaciam et merito consonum obtinuit Decretum die 11 Decembris anni 1821. Ex quo sequitur, quod violatæ fuerint a Tribunali Appellationis Praxeos leges, dum ipsum die 8 Januarii 1822 illud Decretum diei 11 Decembris revocavit, ac jussit quod = *la Parte Bettini proceda regolarmente citando anche a riprodurre la detta citazione* =. Quae postrema Sententia *intrinsecus* etiam quam maxime peccavit; nam mandavit reproduci citationem, nempe illam a Ratione Bettinia ad Romagnoliam transmissam die 21 Novembris; eum ab ea Bettinia Ratione fuisset jam sub die 23 illius mensis reproducta; ac praeterea jussit, Partem citantem curare debere, ut ea citatio reproduceretur a parte citata, quod ingens, inauditumque absurdum fuit,

Stare itaque haud possunt Tribunalis Appellationis Sententiae, quae circumduxerunt Rationis Bettiniae citationem pro prosequutione judicii super appellatione ab ea interposita contra Sententiam Tribunalis Commercii diei 13 Augusti 1821, quae admisit saepius memoratas positiones a Ratione Romagnolia exhibitas, eisque a Ratione Bettinia responderi mandavit; hinc appellationis illud judicium firmum mansit, ac ideo a Tribunali Commercii, eo pendente judicio, nil aliud decerni poterat quoad eas positiones. At nihilo tamen minus hoc Tribunal die 29 Novembris Sententiam edidit, qua jussit positiones haberi pro confessis, quin Ratio Bettinia, eis haud responderat, nil in pretio habens, quod haec Ratio, pendente illo Appellationis judicio, eis respondere nec debebat, nec poterat; ergo haec Sententia ex *extrinseca* labe corruere debet. Infirmanda praeterea est, quia *intrinseco* vitio laborat, cum admiserit, et pro confessis habuerit positiones prorsus rejicendas, utpote ad rem non pertinentes, et haud relevantes. 4

Porro ad rem non pertinebat inquirere, an Petrus Groggia addictus fuerit servitio, tam Bettiniae quam Burattiae Rationis; veritas enim gyratarum in litera Cambiali erat supponenda = *per valuta avuta in contanti* = cum id ea cambialis litera praeseferret, et criminale judicium super gyra- 5

tarum falsitate, et antidata silere debuerit. Extranea etiam erat investigatio de conventionibus, quae intercedere potuerunt super Cambiali ea litara inter duas praedictas Rationes, cum sat esset, eam a Ratione Bettinia possideri, ut Ratio Romagnolia acceptans ei satisfacere deberet. Irrelevantes vero sunt interrogationes quoad veritatam solutionis valoris illius cambialis, dum eam a gyrante Rationa Burattia gyrataria Ratio Bettinia acquisivit. Primum enim gyratæ tenor hanc solutionem evincit, dein vero *acceptans* Romagnolia Ratio ab extinctione Cambialis clausula » *all' Ordine S. P.* » munitae sese eximere haud potuisset, etiamsi eam onerroso titulo haud acquisivisset *præsentans* Ratio Bettinia, *Casa reg. De Commercio Disc.* 58 *num.* 7 *Ansald. de Commercio Disc.* 2 *numer.* 39, *Rota in Senogallien. Literarum Cambii* 5 *Februarii* 1787 §. 3 *coram Rovarella*; in *Romana Literarum Cambii* 18 *Februarii* 1791 §. 3 4 *coram Malvasia*; *et in Romana Literarum Cambii* 6 *Martii* 1801 *coram Gardoqui*.

6 Cum itaque constet praedictas positiones, nec ralevantes, nec ad rem pertinentes fuisse, admitti nunquam poterant, contra monitum *Glossæ in cap.* 2 *verb. absque rationabili vers. cum enim de Confessis in* 6 *Mascard. de Probationibus Conclus.* 1177 *num.* 38. *Scaccia de Judiciis par.* 2 *cap.* 7 *num.* 205 *Michalor. De Positionib. cap.* 56 *num.* 5 8. *Ridolphin. in Praxi Part.* 1 *Cap.* 10 *num.* 59, *Rota in Nuperrimis Decis.* 219 *num.* 8 *et seq. cor. Molines, Decis.* 313 *num.* 1 *et* 5 *et in Hildesinen. Præpositurae super Positionibus* 27 *Junii* 1753 §. 5 *coram Amadeo* », Quod eo magis tenendum est, cum res sit de privilegiato judicio solutionis literae Cambialis, quod celerem exigit expeditionem, et cum agat ad ejus solutionem, tertius gyratarius, qui eam loco pecuniae numeratae possidet, et contra quem nulla exceptio a debitore proponi potest ad illius extinctionem retardandam » *Ansald. de Commercio Disc.* 2 *num.* 40, *et Disc.* 79 *num.* 17 *Casareg. eodem Tract. Disc.* 48 *num.* 4 *Dupuy Lett. di Cambio Cap.* 3 *num.* 22 *De Comitibus Disc.* 112 *num.* 15, *et Rota passim*, *præsertim Decis.* 504 *num.* 5 *coram Crescentio*; *in Romana Schedulae* 6 *Maii* 1778 §. 9 *cor. Caprara, in Perusina, seu Liburnen. Literarum Cambii* 17 *Aprilis* 1801 §. 8 *coram De Alteriis, et in Confirmatoria* 22 *Junii ejusdem anni* §. 9. *cor. eodem, et in Firmana Cambii* 5 *Julii* 1802 §. 7 *coram Bussio* ».

Ex hisce omnibus nullo in pretio 7
habendas esse, tam ex *extrinsecis*, quam ex *intrinsecis* vitiis censuerunt Patres praedictas Tribunalis Commercii, ac Tribunalis Appellationis Bononiae Sententias, iisque infirmatis, ad definitionem Causae super merito, quovis rejecto inani circuitu, devenientes innixi *Art.* 25 novissimae Legis Commercialis, et *Art.* 994 Codicis Praxeos, perspicuum viderunt jus Rationis Bettiniae ad assequendam a Ratione Romagnolia solutionem literae Cambialis; quapropter hanc Rationem ad scuta 169. 34 illi solvenda damnarunt. Et merito quidem, huic enim Romagnoliae rationi onus incumbit eam Rationi Bettiniae rependendi summam *tam* inspecto tenore, quo Cambialis litera a Gherardio fuit scripta; *tam* prae oculis habita illius acceptatione per Rationem Romagnoliam; *tam* perpensis gyratis, quarum ope ea collybistica scheda in dominium, primum Burattiae dein Bettiniae Rationis migravit. Scripsit eam quippe Gherardius » *per valuta in me medesimo all'ordine S. P.* » ad praedictam Rationem Romagnoliam, et haec eam sese soluturam per acceptationem spopondit; Haec igitur Cambialis, in illius clausulae vim » *all'ordine S. Procura* », in quemlibet transferri poterat ad instar numeratae pecuniae, quin hic tertius acquirens sollicitus esse deberet de illius origine, et de iis, quae illius respectu inter trahentem, et tractarium; sive acceptantem intercedere potuerint; *Rota in Romana Literarum Cambii, quoad summam Scutor.* 5538 21 *Junii* 1801 §. 7 8 *et in Confirmatoria* 22 *Aprilis* 1803 §. 9 *utraque coram Strasoldo*; in *Ro-*

mana Pecuniaria quoad Cambialem Scutor. 485 §. 5 *coram Resta uti Prælato, et in Anconitana, seu Maceraten. Literarum Cambii quoad summas scutor.* 4440, *et* 4500 27 *Junii* 1806 §. 4. *coram R. P. D. Bussio* ». Rite itaque in Rationem Burattiam, et dein in Bettiniam pervenit, et ejus solutionem Romagnolia Ratio acceptans denegare non poterat.

8 Acceptatio vero illius Cambialis, ea clausula « *all'Ordine S. P.* » munitae, quam his verbis scripsit Romagnolia Ratio » accetto per li sudetti scudi 169 34 » adeo pura, simplex absolutaque fuit, ut ex ea huic Rationi omnis facultas fuerit adempta remorandi litterae solutionem per quaslibet exceptiones, quae ei forsan competere possent adversus *trahentem* Gherardium, ad firmata per *Bald. Cons.* 394 *lib.* 5 *Gratian. Discept. Forens. Cap.* 599 *num.* 23 *Franch Instit. Juris Cambialis lib.* 2 *ration.* 7 *tit.* 3 § 3. 7. 8, *Tur de Cambiis Disput.* 2 *quæst.* 16 *num.* 46, *Baldasseroni in Opere Leggi, e costumi del Cambio part.* 2 *Art.* 12 *num.* 1, *Rota in Romana literarum Cambii* 10 *Martii* 1786 §. 2 *coram Origo in Romana Literarum Cambii* 6 *Martii* 1801 §. 2 *coram Gardoqui, in Perusina, seu Liburnen. Literarum Cambii* 17 *Aprilis* 1801 §. 3 *coram Gardoqui; in Romana Cambialis* 14 *Junii* 1802 §. 3 *coram Emo Serlupi: in Romana Pecuniaria quoad Cambiales scutorum* 485 26 *Junii* §. 2 *coram Resta, et alia sub eod titulo et ead. die* §. 6 *coram Eodem*. Hinc itaque futilis omnino est exceptio ab ipsa Ratione Romagnolia proposita quod Littera Cambialis scripta a Gherardio fuerit » *per valuta in me medesimo* », quae pecuniae numerationem pro ejus cambialis valore excludit.

9 Etsi enim ita concepta fuerit litera, haud tamen collybistica qualitate destituitur, et quoad tertios acquirentes, in vim praedictæ clausulæ = *all' Ordine S. P.* = habetur tamquam scripta = *per valuta avuta* = Ita enim literæ cambiales scribuntur, cum *trahens* creditor est *tractarii*, et antequam de hoc suo credito disponat, sibi consulere vult ope acceptationis literæ per suum debitorem, ac privilegii literarum Cambialium, uti, allato exemplo cambialis scriptæ iisdem verbis ac ea, de qua agitur, *tradit Dupuy De Cambii literis Cap.* 4. *num.* 22. Et reapse ita sese res habuisse Gherardium, et Romagnoliam Rationem patet ex protestatione ab hac emissa die 16 Februarii anni 1821. qua declaravit sese illam Cambialem literam una cum duabus aliis acceptasse, quia a Gherardio antea acquisiverat tres alias Cambiales Augustæ Vindelicorum solvendas, ac earum pretii erga ipsum debitor erat. Quod si metuebat hasce Cambiales Augustæ Vindelicorum insolutas remanere posse, sibi cavere debebat in acceptatione literarum, quas ei Gherardius traxerat, earumque solutionem promittere debebat sub conditione quod illæ aliæ Augustæ Vindelicorum solverentur. Id igitur cum omiserit, frustra renuit, Cambialem, de qua agitur, erga Bettiniam Rationem dimittere, cum iniquum sit ac Commercio exitiale conditionibus, et reservationibus in Cambiali litera non expressis inscium, innocuumque gyratarium gravare per *Casaregium de Commerc. Disc.* 46. *n.* 28. *Rota in Romana Schedae* 6. *Maii* 1748. §. 2. *cor. Caprara, in Romana Literarum Cambii* 22. *Junii* 1791. §. 2. *et seq. coram Malvasia; in Romana Literarum Cambii* 2. *Martii* 1801. §. 3. 4. *coram Gardoqui; et in Romana Literarum Cambii* 3. *Julii* 1810. §. 7. *coram De Alteriis* = Eoque magis id in themate teneatur oportet, quia nulla a Ratione Romagnolia probatio affertur, quod revera illæ Cambiales Literæ Augustæ insolutæ remanserint; quamquam rem nil mutaret hæc, si proferri posset serotina, et suspecta probatio, quæ cæteroquin nunquam usque ad hanc diem exhibita fuit.

Literam, quæ transferri in quoslibet poterat, quia scripta fuit = *all' Ordine S. P.* = quamvo pure, et absolute sese in exitu mensis Aprilis anni 1821. extincturam promisit Ratio Romagnolia, cum fuerit a Gherardio trahente = *all' Ordine mio S. P.* = gyrata Actioni 10

Burattiæ = *per valuta avuta in contanti* = die 1 Februarii illius anni, et ab hac Ratione per gyratam pariter = *valuta avuta in contanti* = die 16. ejusdem Mensis cessa fuerit Rationi Bettiniæ, hæc oneroso titulo eam possidens literam, ejus solutionem, proeul ab omni exeptionis cujusvis metu assequi a Ratione acceptante debuit præstituta die, et ad hanc explendam solutionem hæc debitrix ratio damnanda est, dum {triplex adversus eam competit gyratariæ Rationi actio, nempe *constitutæ pecuniæ*, quia acceptatio præsefert confessionem debiti pro summa in Cambiali aeceptata designata; *depositi*, quia aceeptans declarat quodammodo sese eam summam retinere loco depositi, donec veniat indictus solutioni terminus; *fidejussoria* tandem, quia in gratiam publici Commercii acceptatio secumfert aceeptanti fidejussionem pro indemnitate possessoris Literæ Cambialis, sicuti optime advertit, post *Ansald. de Commer. et Merc. disc.* 3. *num.* 4. *Rocc. de Cambiis Cap.* 92. *num.* 1. *Costantin. Vot. Decis.* 402. *num.* 15. *Rota in Romana Literarum Cambii* 5. *Julii* 1784. §. 2. *coram Riminaldo, et in Romana Literarum Cambii* 10. *Martii* 1786 §. 2. *coram Origo*; *et in Romana Literarum Cambii* 24. *Aprilis* 1818. §. 2. *caram Emo Odescalchi*; *et in Anconitana, seu Ariminen. Literarum Cambii* 21. *Februarii* 1823. §. 3. *coram Me* = Harum vero actionum effectum nulla posse exceptione retardari eertissimum est, ut tradunt *Torr. de Cambiis Disp.* 2. *qu.* 1. *num.* 47. *Card. de Luca de Cambiis disc.* 33. *num.* 3. *et firmat Rota in Decis.* 536. *num.* 3. *coram Melin. Dec.* 558. *num.* 3. *coram eod. in Pisauren. Literarum Cambii* 22. *Junii* 1787. §. 10; *coram Malvasia, et in Romana Literae Cambialis super restitutione in integrum* 3. *Martii* 1817. §. 8. *coram R. P. D. Bussio, et alibi passim.*

11 Accedit prætereа, ad effieaciam actionis Rationis Bettiniæ fovendam, quod audiri non meretur debitrix Romagnolia Ratio, dum, quovis monumento destituta, falsitatis, ut antidatæ ineusat gyratas, ex quibus Cambialis litera pervenit usque ad Rationem Bettiniam. Etenim, eum hac de re eriminaliter egerit, et Tribunal Criminale silentium ei imposuerit sententia, quæ deelaravit = *non farsi luogo per ora al proseguimento del giudizio Criminale, e dover avere libero corso il giudizio Civile* = gyratarum veritas qualibet in parte supponenda est, deficientibus probationibus, quæ eam exeludant. Inani etiam studio CambialisLiteræ vim imminuire conatur, proponens Cambialem Literam, uti Bononiæ seriptam a Gherardio, et Bononiæ pariter ab ipsa aeceptatam, pecuniæ trajectionem haud praeseferre, ac habendam esse pro simplici scheda = *Pagherò* = Primum enim quaelibet sit seheda, quae scripta sit = *all'Ordine S. P.* = efficit hæc clausula, ut illius solutionem acceptans denegare nequeat gyratariis, sicuti statuit *S. N. Ordo in Romana Literarum Cambii* 18. *Februarii* 1791. §. 7. *coram Malvasia* = Omne dein dubium removet apertissima sanctio Codieis Commercialis, qui vigebat Bononiae die 1.Februarii 1821. in Art. 187. lib. 1. ad verba relata, ae eonfirmata in Art. 181 novissimæ Legis Commercialis; ea namque constitutum videtur, quod = *tutte le disposizioni relative alle lettere di Cambio concernenti la scadenza, girata, solidarietà, pagamento, ricambio, o interessi sono applicabili ai biglietti o Pagherò all' Ordine* = Perspieuum est itaque Cambialis sehedae solutionem Romagnoliam Rationem vitare nunquam posse. Rependat etiam Bettiniae Rationi oportet mercantiles *semisses* usuras debitae summae, cemmercii favore id exigente, atque etiam expensas per *Rot. in Romana Literarum Cambii* 6. *Martii* 1801 §. 8. *coram Guardoqui, in Romana Literarum Cambii super Cambiis, damnis etc.* 3. *Junii* 1801. *coram De Alteriis*; *in Anconitana Literarum Cambii* 16. *Februarii* 1802. §. 14. 15. *coram Resta*; *in Ramana Literarum Cambii, et refectionis damnorum, et expensarum* 30. *Aprilis* 1802. §. *fin. coram eod. et in Ramana Literarum Cambii quoad summam scut.* 5200. 11. *Junii*

1802. §. 3. *coram Strasaldo* = Merito itaque ad eas etiam praestandas Patres ipsam damnarunt.

Et ita etc. meo etiam accedente suffragio etc. Utraque etc.

IMOLEN IMMISSIONIS

QUOAD BONA EMPHYTEUTICA

Lunae 9 *Junii* 1823.

ARGUMENTUM

Tunc dicitur Emphyteusis ex pacto, et providentia, quum nulla sit facta mentio haeredum, sed successores tantum vocati sint. In emphyteusi laicali primus acquirens, si est onerosa, potest de re disponere. In emphyteusi ecclesiastica, licet onerosa, primus acquirens non potest distrahere in extraneos, sed tantum inter comprehensos in investitura.

SUMMARIUM

1. *Nonnisi semel intentari potest familiae erciscundae judicium.*
2. *Actio communi dividundo, pluries instituí valet - ibidem. -*
3. *Communis habitatio et convictus, participatio omnium lucrorum, et rationes nunquam dispunctae, universalem communionem evincunt - ibidem. -*
4. *In Emphiteusi ecclesiastica, licet bona ab una fuerint ex sociis acquisita, tamen cum altero socio non communicantur nisi fructus.*
5. *Ad dignoscendam naturam emphyteusis, valde confert concedentium conditio, ac verba concessionis - ibidem. -*
6. *Emphyteusis ex pacto, et providentia dicitur, quoties nulla fit haeredum mentio - ibidem. -*
7. *In Emphyteusi ex pacto, et providentia, nulla alienatio patrari potest in fraudem vocatorum - ibidem. -*
8. *Ubi filii non tamquam haeredes, sed jure proprio in emphyteusim succedunt, ipsis non nocet paternum arbitrium.*
9. *In imphiteusi onerosa, primo investito licet de re disponere in vocatorum detrimentum - ibidem. -*
10. *In casu antecedenti, necessarium tamen semper est, ut primus acquirens id nominatim agat.*
11. *In emphiteusi ecclesiastica, substantiam nec primus acquirens, transferre potest in extraneos, sed ejus arbitrium inter comprehensos tantum coercetur.*
12. *Communio super contractibus successivum tractum temporis habentibus, morte unius socii non dissolvitur.*
13. *Retineri semper debet inter extraneum, et ad emphyteusim vocatum, distinctio.*
14. *Qualitas contractus, si aliqua adsit inter nomen, et pacta repugnantia, non a nomine, sed a pactionibus eruitur.*
15. *Canon licet immodicus, quamvis locationi, conductioni conveniat, tamen non repugnat emphiteusi - ibidem. -*

DECISIO CXXII.

A patria potestate, emancipationis ope, soluti Carolus, et Alexander germani fratres Dal Pozzo Imolenses, quorum primus deinde duxit uxorem, alter vero Sacerdotium, optimam partem elegit, universalem, et perfectam iniverunt bonorum, et fortunarum omnium communionem. Dum ita in societate manebant, Carolus, perpetuæ Emphiteusis jure, ab Æquestri S. Stephani Ordine quædam acquisivit rustica prædia, quæ ab eo possidebantur in Imolensi Territorio, ut solemnes ostendunt Emphiteutici Instrumenti tabulæ, ad annum 1782 exaratæ. Adeo fæcundum autem cum uxore sua expertus fuit Carolus ipse conjugium, ut quatuor ab ea susceperit filios masculos, *Andream* nimirum, *Aloysium, Matthæum, ac Vincentium*, totidemque foeminas, *Antoniam* nempe *Luciam, Mariam*, atque *Annam*, quæ omnes ante patris obitum, persoluta dote, nuptui collocatæ fuerunt. Ex masculis Deo se vovit Andreas: legitimam vero paternæ hæreditatis portionem retulit Matthæus, qui ideo juribus omnibus sibi in posterum obventuris nuncium erga patrem misit. Vincentius pariter, licet partem suam consequutus a patre non fuisset, a paterna tamen domo secessit, ut negociationi operam daret.

Unus itaque Aloysius insimul cum patre vivebat, cum anno 1809 mortem obiit Carolus communis parens, qui in elogio suo jussit, ut portionem de qua juxta Gallicas Leges, quibus tunc temporis regebatur Æmilia, perentibus legare liberum erat, præcipuam haberet

Aloysius: in reliquis tamen bonis, tam Aloysium ipsum, quam filium alterum Vincentium hæredes æquis partibus instituit. Implorato legis, et Inventarii beneficio paternam hæreditatem adivit Aloysius in eaque miscere se nolle visus est Vincentius. Post nonnullos annos in fata concessit Alexander patruus, qui et ipse ad universæ hæreditatis suæ compendium nepotem Aloysium vocavit. Sic unam alteramque hæreditatem hic retinebat, quin unquam de paterna substantia cum germano fratre Vincentio communicanda cogitaret. Ansam hæc Aloysii agendi ratio præbuit diuturnæ controversiæ, quæ coram Ravennate Primarum Actionum Tribunali ferbuit, a Vincentio excitata, qui virilem paternæ hæreditatis portionem urgere coepit. Et revera jam ii Judices, post demandatam bonorum æstimationem, et redditionem rationum contrectatæ patris hæreditatis, dividenda esse bona inter fratres decreverant; cum crescentibus in dies fraternis discordis, quæstiones omnes ex Summi Pontificis jussu ad S. N. Ordinem delatæ sunt, Aulæ universæ judicio dirimendæ.

Cum actum propterea primo loco esset de familia herciscunda, ex Sacri Nostri Tribunalis Sententia definitum est, communia Caroli, et Alexandri patris et patrui bona ita hercisci inter Aloysium, et Vincentium oportere, ut ille dimidium bonorum, tamquam Alexandri patrui hæres, et quadrantem alterius dimidii sibi a Carolo patre relictum præciperet: reliquum vero cum Vincentio fratre divideret ex æquo, ac in divisione ineunda ratio de ære alieno haberetur, quo paterna implicita erat hæreditas, quodque ex parte Aloysius ipse dissolverat, prout patet ex Decisione, cui titulus *Imolen*, , *seu Ravennaten Divisionis* 12 *Junii* 1820 *coram Rmo P. D. meo Isoard Decano*. Posteriori deinde Sacri pariter Nostri Ordinis Decreto munus perito viro delatum est ad trutinam revocandi rationes, quas de gesta hæreditatis administratione exhibuerat Aloysius. Inter has demum quæstiones præcipua ea fuit, quæ inter eosdem fratres exarsit de divisione bonorum Emphiteuticorum ineunda, de quibus ne mentio quidem habita fuerat in redditione rationum. Proposita idcirco Dubii formula = *An, et pro qua rata sit danda immissio ad bona Emphiteutica, sive livellaria, et sit relaxandum mandatum in casu etc.* = Responsum prodiit, jugiter postea confirmatum = *Affirmative et immissionem dandam esse fratribus Dal Pozzo, prælevata quarta parte favore Aloysii* =, ut binæ demonstrant S. N. Auditorii Decisiones *Imolen. Immissionis quoad bona Emphyteutica*, prima diei 15 Junii anni 1821, altera diei 22 Martii insequentis anni coram Rmo P. D. meo Isoard Decano, quibus deinde successit Sententia Rotalis. Nec Aloysium, qui patrui saltem juribus Emphiteuticorum bonorum dimidium sibi addicere studebat, appellationem juvit interponere. Quærenti enim mihi in hodiernis Comitiis = *An Sententia Rotalis sit confirmanda, vel infirmanda in casu etc.* = Responsum illico Patres Domini dederunt, = *Sententiam Rotalem esse confirmandam* =.

Nonnisi semel intentari posse familiæ *herciscundæ* judicium explorati juris est. 1
At, si quis forte læsus sit, quod de quibusdam bonis rationem dividentes non habuerint, succurrit ei judicium aliud *communi dividundo*, quod pluries institui valet, ut, pluribus adductis auctoritatum exemplis, expendit Sacer Noster Ordo in *Reatina Donationis* 9 *Maii currentis anni* § 5 *cor. me*. Quare, si in divisione bonorum paternorum, inter Aloysium, et Vincentium expleta, comprehensa minime fuerunt prædia Emphiteutica, quæ apud unum manserunt Aloysium; æquitati, et justitiæ consonum est, ut portionem suam sibi a fratre vindicet Vincentius. Et in genere quidem divisioni obnoxia esse Emphiteutica bona, non inficiebatur Aloysius. Hoc tamen acriter propugnabat, præter præceptum Emphiteuticorum bonorum quadrantem ei a patre relictum, addicendum sibi esse dimidium ipsius Emphiteusis, quod ad Alexandrum ope universalis cum germano fratre Carolo communionis pertinebat, cujus hæres extitit. Sed parum sane interest, quod

universalis inter Alexandrum, ac Carolum interfuerit bonorum communio, quæ tunc censetur inducta, cum tria illa, quæ fortasse in themate non desunt, extrema probentur, communis scilicet habitatio, et convictus, participatio omnium lucrorum, rationes numquam dispunctæ. *Vinn. Commen. Inst. tit.* 26 *in princ. Mascard. de probat. conclus.* 1309 *num.* 23 *Ansald. de commerc. disc.* 49 *num.* 10, *Zanc. de Societ. part.* 2 *cap.* 4 *num.* 42, *Rot. cor. Molines decis.* 203 *num.* 2 *tom.* 2, *et in Fundana Dotis, et Fructuum* 29 *Februarii* 1768 § 14 *cor Mannellio.* Ab hac. enim communione non sequitur, ut bonorum insigni Ordinis S. Stephani dimidium, cujus fructus vivens exegerat Alexander, post ejus mortem illico potuerit in ejus hæredes transire.

2 Præ eorum maxima sapientia rectissime animadvertebant Patres, Emphiteusis indolem, et qualitatem, contrahentium voluntatem, verba demum concessionis impedimento esse quominus Emphiteuticorum bonorum dimidium ad hæredes Alexandri libere transiverit. Ad Emphiteutici contractus naturam, quod pertinet, illud primum compertum est, non de profana, sed de Ecclesiastica Emphiteusi hic agi, in qua, licet bona ab uno fuerint ex sociis acquisita, hoc peculiare tamen est, ut non possint cum sociis communicari, nisi in fructibus, nunquam autem in proprietate. Hanc regulam in jure probatissimam optime docent *Joann. Cephal. Cons.* 146 *num.* 22 *Zanch. de Societate part.* 2 *cap.* 4 *num.* 122 *et sequ. Carpen. ad Statutum Mediolan. cap.* 483 *num.* 231 *tom.* 2, et præcedens Decisio *diei* 22 *Martii* 1822 § 3 *cor. Rmo P. D. meo Isoard Decano.* Rem vero esse de Ecclesiastica Emphyteusi dubitore non sinunt *tum* concedentium conditio, *tum* verba concessionis. Sacer enim Ordo S. Stephani Ecclesiastico cuilibet Collegio æquiparatur, ejusque Milites, tamquam Ecclesiasticæ personæ, fori privilegio fruuntur, et a Laicorum Statutis, et oneribus exempti semper fuerunt, ut advertunt *Navarr. cons.* 10 *de regular. lib.* 3 *Caball. tract. Criminal. cas.* 225 *num.* 13 *Barbosa de Episc. allegat.* 12 *num.* 45, *et alii relati per Card. de Luc. de regal. disc.* 84 *num.* 10 *de jurisdict. disc.* 82 *num.* 5, *et seqq. de cred., et debit. disc.* 115 *num.* 5. Verba rursus Emphiteusis id ipsum revincunt, quia non aliter inita ea fuit, quam = *a tenore dell'Ordine Magistrale* = ac pressius juxta Sacrorum Canonum censura =, *come viene prescritto dai Sacri Canoni*, a quibus, nec initio contractus nec eo tractu temporis procedente, recedere unquam contrahentes voluerunt.

3 Verum indoli Ecclesiasticæ Emphiteusis accedit etiam ipsorum contrahentium voluntas, et verba præterea concessionis. Non alia namque fuit contrahentium voluntas, quam Emphiteusim ex *pacto, et providentia* ineundi, quæ toties inita dicitur, quoties emphyteusis vel ad tertiam generationem vel ad plures etiam gradus confertur absque ulla hæredum mentione, sed vocatis tantum successoribus sanguinis, filiis nimirum, et Nepotibus masculis, et masculorum tantummodo defectu filiabus, et Nepotibus fæminis, *Rota in Rec. decis.* 373 *num.* 1 *part.* 17, *et decis.* 590 *num.* 2 *part.* 19 *tom.* 2. Talis autem perlustratis Instrumenti tabulis, apparebat Emphiteusis inter Milites incliti Ordinis S. Stephani, et Carolum Dal Pozzo, semel ac diserta in eo verba leguntur = *per tutta la sua discendenza mascolina di maschio in maschio in infinito escluse sempre le femmine, e i discendenti dalle medesime, benchè maschi, e non in altro modo* =, et nulla excidit hæredum vocatio. Ambigi ergo nequit de qualitate pactionatæ Emphiteusis. Atqui cautum in Emphiteusi ex pacto, et providentia est, ut nequeant investiti ullam alienationem patrare in fraudem, et præjudicium eorum, qui ad Emphiteusim sunt expresse invitati. *Barthol. in leg. Patroni num.* 3 *ff ad Trebell. Bald. in Authen. Si quas ruinas num.* 6 *Cod. de Sacrosanct. Eccles. Fulgin. de jure Emphiteut. tit. de contract. Emphit. quæst.* 24 *num.* 21 *Card. de Luca de Emphit. disc.* 30 *num.* 13 *Rota coram Peutin-*

ger decis. 280 *num.* 8, *et decis.* 1223 *num.* 3 *coram Molines* = Hujusmodi namque stipulatio – *per tutta là sua discendenza mascolina di Maschio in Maschio, e non in altro modo* =, repulsis fere per modum regulæ fæminis, quo longiores continet personarum gradus, et magis perspicuas in iis exigit qualitates, eo firmius arcet arbitrarium jus hæreditarium, quippe quod tot gradus disrumperet, irritas que redderet tot præscriptas conditiones, quæ vi sua speciem exhibent fideicommissi, ut ab uno in alterum legitime descendentem per rectam lineam præfata Emphiteutica bona decurrent, ad extinctionem usque masculorum.

4 Crescit Argumenti vis, si paulisper animadvertatur, Caroli filios non patris, sed domini directi providentia ad Emphiteusis successionem vocari. Non enim Carolus Emphiteusim bonorum accepit pro se suisque filiis, et nepotibus, quo casu filii veniunt tamquam hæredes, et servare paternum factum tenent ur, sed ipse Sacri Ordinis S. Stephani Procurator Emphiteusim Carolo, ejusque filiis, et nepotibus masculis in infinitum concessit. Hoc imo casu filii, non tamquam hæredes veniunt, sed jure proprio in Emphiteusi succedunt, eisque propterea, ut in donationibus punctim usu venit, non nocet paternum arbitrium. *Gloss.*, *et Barthol. in Leg. si unus ex argentariis* § *Pactus ne peteret ff. de pactis*, *Fulgin. de jure Emphit. quæst.* 4 *num.* 7 *Card. de Luca de Feudis. disc.* 9 *sub num.* 4. Nec recte ab Aloysii Defensoribus in triumphum adducebatur discrimen illud; quod inter Emphiteusim lucrativam, et onerosam intercedit. Est utique verum, et in jure satis compertum in Emphiteusi onerosa, quamvis in lucrativa id locum sibi non vindicet, primo investito licere de re Emphiteutica disponere in vocatorum detrimentum, ut firmant *Fulgin. de jur. Emphiteut. quæst.* 24. *num.* 1. *Rot.* in *Rec. decis.* 529. *num.* 23 *coram Buratto decis.* 822 *num.* 6, *et decis.* 674. *num.* 1. *coram Lancetta.* Verum pariter est, hanc regulam obtinere, ubi etiam agitur de Emphiteusi pactitia, et Ecclesiastica, ut docent cit. *Fulgin. de jur Emphit. quæst.* 24 *num.* 16. *Pagnin. Prax. rer. Emphit. quæst.* 2. *num.* 2. *Card. de Luc. de Emphit. par.* 2. *disc.* 70. *numer.* 9. *Rot. in Romana Emphiteus.* 24 *Januarii* 1701. §. 5. *coram Caprara*, *et in Bononien. Immissionis* 12. *Maii* 1760. § 19 *cor. Olivatio.*

Non vero ex eo onerosam Emphiteusim sibi Carolum quæsivisse dici potest, quod in se onus susceperit non tenuem repetendi canonem, vectigalia publica porsolvendis, colonorum Ædes reficiendi, serendique demum non exilom olearum numerum, nisi qualitas, et quantitas bonorum, eorumque æstimatio cognoscatur, quæ omnem excludat concedentis liberalitatem *Card. de Luc. de Emphit. dis.* 10 *num.* 4 *Rota in Nuperr. decis.* 103 *num.* 15 *et* 16. *tom.* 4 *et in Forolivien. Immissionis* 4. *Julii* 1788 §. 8 *coram cl: me: Malvasia.* Cæterum non melior evaderet Aloysii conditio, etiamnsi onerosam, et omnino correspectivam Emphiteusim fuisse constaret. Quamquam enim, ut paulo ante expensum est primus acquirens ex causa onerosa possit libere de bonis Emphiteuticis disponere, ad quæ ideo filii, non aliter jus habent, quam si primus acquirens eorum pater non disposuerit; necessarium tamen est, ut id nominatim agat. Alioquin una servatur Emphiteutici contractus litera, per quam species quædam successorii, et masculini Fideicommissi constituta vedetur, a qua deflectere plane non licet, veluti unum ab altero casu distinguendo probant cit. *Card. de Luc. de Emphit. disc.* 30. *num.* 13. *et disc.* 52. *num.*, 5. *Fulgin. de Jur. Emphit. quæst.* 24 *num.* 16 *Rot.* in *Rec. decis.* 74 *num.* 24 *part.* 6. *decis.* 303, *num.* 23. *part.* 14 *et dec.* 1223. *uum.* 3, *et seq.* in *Cæsenaten. Immissionis* 21. *Junii* 1737 § *Quandoquidem coram Harrac.*, *et Pisauren. seu Fanen. Emphiteusis* 7. *Junii* 1748 §. 9 *Coram de Arostegui, et in Confirmatoria* 7 *Februarii* 1749. §. *cor. Eodem.* 5

Adeo autem alienus fuit Carolus pri- 6

mua acquirens ab ulla vel minima, in fratrem Alexandrum, ex cujus juribus agit Aloysius, Emphiteuticorum bonorum parte transferenda, ut nec id fecerit per quemvis inter vivos actum, nec multo minus idipsum morti proximus in elogio suo cogitaverit, in quo nihil tale certo certius invenitur. Quod si etiam voluisset Carolus partem aliquam Emphiteusis germano fratri cedere, ne id quidem potuisset in eo, quia agitur de Emphiteusis Ecclesiasticæ contractu. Profana sane Emphiteusis ita in bonis nostris est, ut in quemcumque distrahi possit. At in Emphiteusi Ecclesiastica, quæ in bonis nostris plene non est, nec mancipi, nec contrectari nec transferri Emphiteutica substantia valet in extraneos, sed prioris investiti disponendi arbitrium inter comprehensos tantum coercetur, adeo ut uni potius, quam alteri ex vocatis gratificari possit. *Mantic. de tacit. et ambig. lib.* 22. *tit.* 17. *num.* 5. *Menoch. lib.* 3 *præsumpt.* 48. *num.* 10 *et seq. Fulgin. de Jure Emphit. tit. de contr. Emphit. quæst.* 4 *num.* 7 *et tit. de success. in bon. Emphit. quæst.* 3. *num.* 29 *et Rot. in cit. Pisauren.*, *seu Fanen. Emphiteusis* 7. *Februarii* 1749, § 6 *coram de Arostegui.* Semel ac ideo in concessione Emphiteutica uni contemplati fuerunt filii masculi prioris investiti, exturris per consequens ab ea censendus est Alexander, qui licet primi acquirentis frater, ejus tamen familiam minime constituebat. Quamobrem non aliud jus, tamquam Caroli socius vindicare sibi poterat Alexander, quam ad dimidium fructuum ipsius Emphiteusis, usquedum supervixit. Elato autem Alexandro, jus omne fructuum percipiendorum cessavit, nec illud ad hæredem pertransiit, quod unis accrevit Caroli filiis ad Emphiteusim vere vocatis.

7 Ruebant itaque mole sua auctoritates omnes, cæteroquin verissimæ, et doctis, indoctisque notissimæ, ex quibus inquiebant Aloysii defensores, societatem, et communionem super contractibus successivum tractum temporis habentibus, haud quidem morte unius socii dissolvi, sed ad hæredes utriusque pleno jure transire, *Felic. de societat. Cap.* 11 *n*: 35 *Ansald. de Commerc. disc* 81 *n.* 8 *Rot. in Rec. decis.* 87 *n.* 1 *part.* 15 *tom.* 2 *in Faventina Liberationis a molestiis* 21 *Junii* 1773 § 11 *cor. Herzan., et in Maceraten. Contractus super restit. in integ.* 11 *Maii* 1781 § 4, *et* 5 *cor. Origo.* Cum enim de Ecclesiastica Emphiteusi res sit, in qua non licet, nisi de fructibus tantum, societatem, et communionem inire sequitur hinc, quod superius explicata juris regula vires in hoc casu exercere nequeat, et ipsa Emphiteuticorum fructuum communio post Alexandri obitum cessaverit. Infirmior post hæc erat exceptio antinomiæ, quæ reperiri proponebatur inter illud Nostri Ordinis Judicatum quo demandata fuit Emphiteuticorum bonorum divisio, *praelevata quarta parte favore Aloysii* et hodiernam definitionem, quæ dimidium ipsius Emphiteusis Aloysio ex patrui juribus venienti negavit. Ex hoc siquidem perperam infertur in duobus casibus fere similibus admissum, et improbatum prioris investiti arbitrium fuisse disponendi de re Emphiteutica in præjudicium quoque vocatorum.

Isti namque duo casus, qui fere similes traducuntur, longissime, inter se 8
distant. In primo quippe cum ageretur de arbitrio a primo investito, non erga extraneum quemlibet, sed erga unum ex filiis ad Emphiteusim vocatis explicito, rectissime decisum fuit fieri divisionem oportere præcepto ab Aloysio bonorum quadrante. In altero autem casu, de quo hodierna contentio fuerat excitata merito rejecerunt Patres quamcumque aliam expunctionem ab Aloysio, et Alexandri juribus propositam, præter eam quæ ad quadrantem ipsius Emphiteusis ob præcipuam portionem a Carolo filio suo Aloysio relictam pertinet. Neque enim constat de voluntate Caroli ullam portionem Alexandro cedendi neque potuisset, etiamsi maxime vellet, Carolus ipse portionem istam in Alexandrum, tamquam extraneum conferre semel ac agitur de Ecclesiastica Emphytensi, ut supra ani-

madversum est. Retenta igitur inter extraneum et ad Emphiteusim vocatum distinctione, propositum objectum optime diluitur. Quantum hinc justitia summa petiit, et obtinuit Aloysius quadrantem Emphitenticorum bonorum sibi a patre ex portione de qua disponere poterat, relictum, tantum injuria partem aliam quacumque eorumdem bonorum corraderet ex juribus Alexandri.

9 Spernendum denique Patres censuerunt quidquid tanto conatu de qualitate locatitia, non autem Empbiteutica contractus obtrudebatur ex verbusculis nonnullis *locationis* in Instrumenti tabulis huc illuc adjectis. Præter enim quod totidem *Emphiteusis* verba non deficiunt, accedit etiam, quod qualitas, et natura contractuum, si aliqua adsit inter nomen, et pacta repugnantia, non a nomine, quod inscite contrahentes contractui dederunt, sed a pactionibus eruitur. Atqui conventiones omnes in tabulis Instrumenti relatæ, quemadmodum sunt diuturnitas contractus, canonum mentio, meliorandi onus, Landemiorum obligatio, inflicta caducitas, non locationem conductionem, sed veram præseferunt Emphiteusim, ut pluribus adductis auctoritatum exemplis præ cæteris *docet Rot. dec.* 173 626., *et* 687 *per tot. cor. Riminaldo.* Ergo non de locatione conductione, sed de Emphiteusi actum unice est. Et inutile erat opponere immodicum, et fructibus forte respondentem canonem fuisse conventum, quia nulla probatio hac de re afferebatur. Etsi vero huic muneri satisfactum dici posset, adhuc tamen urget responsio, quod canon immodicus, et fructibus rei respondens, licet locationi conductioni conveniat, non repugnat nihilominus Emphiteusi. *Gratian. discept. forens. cap.* 460 *num.* 50. *Valasc. de Jure Emphiteut. quaest.* 11 *n.* 3 *Tondut. resolut. Civil. Cap.* 25 *n.* 9 *part.* 1 *Constantin. Vot. decis.* 267 *n.* 29 *Zanch. de Laesione part.* 2 *Cap.* 8 *n.* 35 *Rot. decis.* 232 *n.* 13 *part.* 9., *et decis.* 138 *n.* 18 *cor. Ratta.*

Et ita, universa Aula suffragante, jus redditum est. Utraque etc.

MELEVITANA CADUCITATIS

Veneris 7 Martii 1823.

ARGUMENTUM

Habes in superiori quae confirmatur « DECISIO XXXVII. »

SUMMARIUM

1. *Quamvis conditionis verbo testator usus sit, attamen dispositio, modalis seu paenalis est intelligenda, si sejuncta oratione, legem oneri testator adiiecerit.*
2. *Quoties dispositionis substantia aperte modum, sive paenam praesefert, haereri non debet verborum cortici.*
3. *Caducitatis paena qualibet interpretatione avertenda est.*
4. *Ad incurrendam caducitatem, requiritur certa, ac specifica scientia de conditione indicta.*
5. *Dies interpellat pro homine in pactis tantum conditionalibus, et resolutivis, minime vero in paenalibus – ibidem.* -
6. *Nedum requiritur aperta fraus ad incurrendam caducitatem, neque vera interpellatio, ac Judicis Sententia.*
7. *Patrimonium sacrum, quisque neque resignare, neque cedere potest, sine Episcopi venia.*
8. *Qui haereditaria bona indivisa communiter administrat, eo ipso uti cohaeres recognoscitur.*

DECISIO CXXIII.

Cum Johannes Maria Cremona Melitensis tres ex fratre suo Joachimo haberet nepotes, *Carolum*, nempe, *Benedictum*, ac *Josephum Galea*, huic, quem præ cæteris dilexit, ad Sacros Ordines promoveri cupienti, per solemnem inter vivos donationem die 6. Martii anni 1781. Patrimonii Sacri titulo concessit usumfructum trium, ut ejus loci fert sermo, *Clausarum* terræ, jacentium in Insula » *del Gozo* », suis nominibus distinctarum, nempe » *tal Cala* =, *tal Blata* =, et = *tal Hajan* =; quo ipse statim potitus fuit. Videns postmodum Johannes supremam sibi adventure diem, ultimum condidit elogium, quo, hæreditatis suæ *semissi* extraneis tributo, in alio *semissi* hæredes nuncupavit præfatos suos nepotes; ac præcipue Clerico Josepho in-

junxit, ut, dimisso favore fratrum, quem eidem in Patrimonium Sacrum constituerat, usufructu prædiorum = *tal Cala* » *tal Blata* » *tal Hajan* », parte in hæreditate eidem assignata contentus esse deberet, caducitatis pæna in casu renuentiæ eidem comminatus per hæc verba » *E quante volte non cederà detto usufrutto ai suddetti suoi fratelelli in tal caso esso Signor Testatore, ordina, e vuole, che tutto quello, che ha lasciato di sopra, tanto in vigore di legati, come anche in vigore d' istituzione universale al sudetto Signor D. Giuseppe nel suo testamento sia, e s' intenda del tutto escluso, e non possa conseguire veruna somma; anzi tutto quello, che si troverà da esso Testatore lasciato, ed assegnato al detto Signor D. Giuseppe debba pervenire ai Signori Carlo, e Benedetto fratelli Galea per egual parte.*

Hac perfecta rerum suarum dispositione obiit Joannes die 11. Junii 1789. Joseph autem ejus Nepos, qui studiis ad Sacerdotium obtinendum necessariis vacare cogitabat, de mense Octobris ejusdem anni, inscius prorsus tenoris prædicti Testamenti, Urbem petiit, eorumque studiorum causa *viginti quinque* annis in eadem absumptis, ad patrios Lares tandem remeavit. Omnia, eo absente, fratres cohæredes gesserant, ejusque hæreditariam portionem ejus nomine tamquam cohæredis administraverant; ne verbo quidem facto de onere eidem a Testatore sub pæna caducitatis imposito. Ut primum vero rescivit ipse defuncti Patrui quoad se voluntatem, illico, eidem parere sollicitus, dimisit favore fratrum prædiotorum honorum usumfructum, idque, ut rite perficeret, quia jus illud in Patrimonium Sacrum sibi constitutum fuerat, Melitensem adivit Episcopum, eoque auctorante pensionem, quamdam Eclesiasticam prædiorum usufructui subrogavit.

Alter ex fratribus Carolus ratam, firmamque habuit ab Josepho emissam cessionem; non ita tamen Benedictus, qui e contra palam illam improbabat, inquiens Josephum in caduci pænam incidisse, quod Patrui præcepto, usumfructum dimittendi, haud statim obtemperasset. Tunc Sacerdos Josephus, ut sese in pacifica possessione hæreditariæ symbolæ tueri valeret, satius duxit Monitorio, quod Pragmaticis audit *jactationis jactationum*, Benedicto vadimonium indicere ad Tribunal Vicarii Generale Melitensis. Nullum ibi meruit plausum proposita a Benedicto caducitatis querela; quin imo apposita Sententia protinus rejecta fuit. Haud aliter judicandum censuit A. C. Collegium, a quo, provocante Benedicto, rei cognitio ad S. Nostrum Ordinem devenit definiendo sub concepta Dubii formula » *An sit locus caducitati in casu etc.* » Hanc primum Patribus dissolvendam proposui in Comitiis diei 30. Martii 1821., atque a judicio absentibus pupillis, et minoribus filiis, hæredibusque Benedicti, pendente lite vita functi, eorumque Matre, et Tutrica Marianna de Jesu Maurin, atque Angelo Antonio Mangiatordi, Domino litis effecto per obitum Benedicti, = Responsum accepi = *Negative*, ut patet ex Decisione a me evulgata *Melevitana Caducitatis* ejusdem diei 30. Martii 1821. Renovato hodie certamine, iterum siluerunt ii omnes, qui a defuncto Benedicto causam habeerent, atque ideo rogati Patres = *An sit standum, vel recedendum a decisis* = persliterunt = *in decisis* =

1 Idem namque ferendum judicium esse eadem facti, ac juris momenta omnino suadebant. Et ad factum, quod attinet, firmum immotumque manebat Johannem Mariam Testatorem prima tabularum cera prælegata nonnulla favore singulorum fratrum Galea, nulla adjecta lege, sive onere, scripsisse; medio dein testamento eosdem fratres hæredes nuncupasse, nullo pariter apposito onere, sive conditione; demum, rebus aliis cunctis dispositis in extrema earumdem tabularum parte nepoti Josepho imperasse, ut usumfructum favore fratrum dimitteret, pænamque caducitatis in renuentem indixisse. Porro, cum in exarando testamento, vel in quacumque alia explicanda volun-

tate primo confertur emolumentum pure, ac simpliciter, mox, seujncta oratione, lex aliqua, sive onus adiicitur sub pæna ei indicta, cui emolumentum quæsitum erat, quamvis conditionis verbo Testator usus sit attamen dispositio non *conditionalis*, sed *modalis*, seu *pœnalis* est intelligenda, ut post *Aretin. in Leg. Titia* 134. *num.* 3. *de verb. obligat.*, aliosque relatos in præcedenti mea *Decisione* §. 8. tradit *Costantin. Vot. decis.* 245. *num.* 183., *et sequ.*, *et Rota in Decis.* 56. *num.* 1., *et* 2. *part.* 11. *Recent.*, *et decis.* 322. *num.* 1. *et* 2. *part.* 17.

2 Quin rem mutet eumdem Testatorem, dum prælegatum Josepho adscripsit, verbis usum fuisse » *sotto l' infrascritte condizioni*, *e non altrimenti etc.* = Quoties enim ipsa dispositionis substantia aperte modum, sive pænam præseferat, non admodum verborum cortici hærendum, quæ licet conditionem sonent, manifestam aliunde disponentis mentem subvertere nequeunt, et potius ad modum, sive pænam in dispositione constitutam referenda sunt, monente ad rem *Rota in Decis.* 320. *Part.* 17. *Recen. num.* 2., *et in Mantiss. ad Card. De Luca lib.* 7. *num.* 6. Neque, ut in primis Causæ disceptationibus regerere assolebat Benedictus, contrarium statuit *Rota in dæcis.* 235. *cor. Benincasa*: quamvis eu m in §. 2. innuere videatur verba conditionalia sufficere ad conditionem potius quam modum præsumendum, non ea tamen fuit sententia S. Tribunalis, sed objectio, qua altera ex partibus sese tuebatur, cui attamen ipsa Decisio aptissime respondit in successivis §§. 4. 5. et 6. quibus objectam difficultatem submovit, et contrarium solide confirmavit.

3 Cum itaque in themate res esset, non de conditionis implementu, quo deficiente, Josepho nullum jus unquam quæsitum fuisse statui valeat; sed de modali interpretanda dispositione, qua jamdiu adeptum jus eidem, ex inflicta caducitatis pæna, auferendum esset, cautius procedendum, Patres censuerunt, odiosam siquidem, et nimis asperam eam caducitatis pænam qualibet interpretatione, et vel tantummodo probabili excusatione avertendam esse advertit præcedens mea *Decisio* §. 4., et, præter ibidem laudatos Doctores, *Rot. in Decis.* 230. §. 7. *cor. Molines*, *et in Nullius*, *seu Farfen. Caducitatis* 15. *Martii* 1822. *coram Me.* Maxime autem cum istiusmodi quæstiones inter personas sanguinis vinculo conjunctas, ac, prout in præsenti, inter fratres oriuntur, temperandum tunc quippe est a qnolibet juris rigore, maximoque in omnibus æquitas spectanda.

Præterea, antequam in caduci pænam aliquem incidisse tuto pronunciari queat, multa exigit ingenita quædam nostris Legibus humanitas. Vult nempe eum, qui illa pæna plectendus sit, apprime nosse, non modo præceptum disponentis, quo ipsi aliquid faciendum imperatum fuit, sed insuper et pænam in casu inadimplementi adjectam, quia ab æquitate justitiaque, vel nimis absonum esset in ignorantem sævire, cumque tamquam legis, et sanctionis contemptorem, qui cum utramque ignoraret, eas per rerum naturam aspernari nunquam potuit. Nec sufficeret quæcumque earum rerum scientia vaga, generica, aut præsumptiva, qualem nempe nullius esse roboris, præsertim in præjudicialibus, satis exploratum est, sed requiritur certa, ac specifica, ut juxta ibi allegatas Doctrinas firmat mea prima *Decisio* §. 5., unoque verbo qualis erui valeat ex rite expleta interpellatione, quam etiam subsequuta sit Judicis sententia in congruo judicio pro caducitate prolata, ad firmata per *Rot. in Decis.* 145. §. 4. *cor. Olivatio*, *et in Cemerinen. Immissionis super reservatis* 3. *Julii* 1807. *coram Rmo P. D. Meo Serlupio Decano.* Quin, ut regerere assolebant Benedicti filii, hæredesque, ejus interpellationis cessare debeat necessitas, quia, cum dixerit Testator » *chs*, *seguita la sua morte esso Signor Don Giuseppe sia tenuto*, *ed obligato*, *di subito cedere ec.* » diem pro homine interpellare tenendum sit, quandoquidem id utique obtinet, ubi res sit 4

de pactis *conditionalibus, et resolutivis*, minime vero de *modalibus*, seu *paenalibus*, in quibus numquam diem pro homine interpellare posse, veramque interpellationem requiri, antequam pæna quælibet irrogetur, tenuit *Rota in decis.* 130. §. 27. *cor. Ansaldo, et præcedens mea Dec.* §. 9.

5 Deinde, per quam benigni Juris nostri disciplina inspecta, nemo unus caducitatis, aut privationis pæna est afficiendus, nisi pateat apertissime ex fraude, malitia, dolove eum contra interdictum, aut præceptum disponentis aliquid fecisse, aut omisisse, quam in judicando lenitatem nunquam reliquit S. Noster Ordo, teste *Decis.* 918. §. 53. *coram Molines, et decis.* 145. *num.* 2., *et* 3. *coram Olivatio.* Non modo autem, malitiam, dolumve, non modo rite expletam interpellationem, ac Sententiam Judicis, quam ad caducitatem incurrendam necessariam esse vidimus, in Josepho Galea defuisse omnino indubium est, sed insuper merito credendum est eumdem Patrui Testatoris quoad se voluntatem, usque ad reditum in Patriam ignorasse. Reque vera, modico interjecto tempore a confectione testamenti, Patruique obitu, in juvenili ætate a negociorum curis prorsus alienus, Patriam ipse deseruit ab ea abfuit per integros fere annos viginti *quinque*, quo tempore Romæ moratus fuit, studiis tantummodo ad Sacerdotium assequendum accomodatis intentus. Per adeo longum temporis intervallum omnia ejus fratres pro eorum lubitu moderati fuere, et constat Benedictum ipsum, tamquam procuratorem generalem rerum hæreditariarum, et bona locasse, et pecuniam solvisse vicissim; atque accepisse; ex quibus inferri posset ejusdem Benedicti opera, et procuratione Josephum percepisse usumfructum earumdem *clausurarum* terræ, quas ex præcepto Testatoris favore fratrum dimittere tenebatur. Vix autem in Patriam rediit, ac disposita Patrui quoad se agnovit, illico voluntati illius parare non detrectavit, et vel statim ususfructus cessionem favore fratrum emisit: ex quo patet eum, etiam ante illud tempus sibi injuncto muneri fuisse satisfacturum, nisi ejusmodi Patrui sui dispositiones penitus ignorasset, ut arguit sæpius allegata mea *Decisio* §. 6. Nulla itaque pæna plecti is posset, cujus malus non parendi animus minime appareat, uti responsum fuit, *in Nullius, seu Sublacen. purgationis morae* 26. *Martii* 1819. §. 6. *cor. R. P. D. Meo Tiberio.*

6 Neque silentio prætereundum erat Josephum, quatenus etiam Testatoris præceptum » *sia tenuto ed obbligato di subito cedere* » illico resolvisset, illud prout jacet implere statim haud potuisse. Memorandum siquidem, usumfructum illum trium clausurarum terræ Josepho concessum a Patruo fuisse » *ad effetto, di conseguire la prima tonsura, e gli ordini Sagri* », uti in ipso Johannis testamento exponitur, ideoque Patrimonium Sacrum jus illud constituere, quod profecto neque resignare, neque cedere cuiquam poterat Josephus, nisi de Episcopi venia, atque auctoritate, quam assequi tunc poterat tantummodo, cum sese aliqua provisum præbenda, aut beneficio, sive alio sufficienti patrimonio suffultum, probationibus allatis, ostenderet. Ita namque sanxerunt Patres S. Concilii Tridentini *in Sess.* 21. *Cap.* 12. *de reformat.*, quod exornat *Card. De Luca de alienat., et contract. prohib. disc.* 38. *num.* 3., ac sequitur *Rot. in dec.* 294. §. 1. *coram Celso, et in Decis.* 169. §. 6. *part.* 15. *Recent.* Si ergo Joseph, quominus Testatoris statim obtemperaret per legem detinebatur, nulla dignus pæna existimari poterat ad firmata per *Rot. in decis.* 119. *num.* 5. *part.* 15. *recent. et decis.* 1081. §. 32. *coram Molines.*

7 Inutili demum conatu solus Benedictus, sive quod idem est, ejusdem filii hæredesque, Josephum a Patrui hæreditate extorrem fieri ulterius propugnarent postquam tum ipse Benedictus, tum alter ex fratribus Carolus, qui ab hac movenda querela saniori consilio sese abstinuit, illum semper tamquam cohæredem antea habuerunt.

Prostat namque in actis authenticis Carolum locasse cuidam Michaeli Muscat » *due chiuse di terra disgiunte, site, e poste nell' Isola del Gozo, ed in contrada la Madur denominate una Xarata Tamburlia, e l' altra la Gabel Hamar* =, quæ in Joannis hæreditate fuerunt » *si a nome proprio, che de' suoi fratelli* » Fratres autem illi erant tantummodo Benedictus, et Joseph. Rursus constat eumdem Benedictum locasse aliam, quam ibidem vocant terræ clausuram » *Vier Bingemma* », nomine fratris Joseph, qui eam pariter ex communis Patrui testamento acceperat. Constat tandem, ceu superius dictum est, omnia a fratribus, Josepho absente, hæreditaria bona communi nomine administrata fuisse. Ex quibus omnibus mirum in modum exurgit eumdem Josephum, tamquam cohæredem a fratribus agnitum, habitumque fuisse, ita arguente *Paulo in Leg.* 23. *ff. de inoffic. testamento*, ac præterita mea Decisione §. *fin.* Palam hinc est propositam adversus Josephum caducitatis actionem nunquam posse probari.

Et ita etc. altera tantum etc.

MONTIS ALTI SEU FIRMANA DOTIS

SUPER FRUCTIBUS

Lunae 10 *Martii* 1823.

ARGUMENTUM

Habes in superiori quae confirmatur - DECISIO LXVVII. -

SUMMARIUM

1. *Soluto per obitum uxoris matrimonio, dos quantitativa efficitur creditum sterile.*
2. *Liberi ab uno patre sunt alendi - ibidem.* -
3. *Nemo contra jus pacisci praesumitur.*
4. *Compensativi dicuntur dotis fructus, ratione onerum matrimonialium, quae sine Uxore consistere nequeunt - ibidem.* -
5. *Cum dos sine matrimonio existere nequeat, ita ubi conventae fuerunt usurae - fino allo sborso della dote - intelligi debet contrahentes respexisse ad tempus tantum constantiae Matrimonii.*
6. *Privatis conventionibus publico juri derogari no potest.*
7. *Ex dote qualitativa argumentum analogiae trahi non potest ad dotem quantitativam.*
8. *Si matrimonium solutum fuerit per obitum viri, vidua ex eredito dotali fructus vendicare potest, sine legali interpellatione Requisitorum Castrensium.*
9. *Factum debitoris nequit immutare naturam, ac indolem actus - ibidem.* -
10. *Administratori onus incumbit frugiferam reddere pecuniam pupillarem.*
11. *Lex patri in bonis filiorum adventitiis tribuit ususfructus - ibidem.* -
12. *Cum faeminarum exclusio non sit famulativa doti, haec in locum legitimae minime succedit.*
13. *Dos censetur legitimae subrogata, si faeminae fuerint exclusae propter dotem, et non propter Masculos.*
14. *Faeminae dicuntur exclusae propter dotem, quando dos fuit causa finalis exclusionis - ibidem* -
15. *Statutum, quod mulieres excludit a successione, et jubet ne aliquid quovis titulo petere possint, eas excludit propter Masculos.*
16. *Observantia, et Tribunalium Sententiae, plurimi faciunt in Statutariis interpretandis legibus.*

DECISIO CXXIV.

Plures inter contentiones, quibus causam praebuit Dos, quam anno 1798. Sanctes Tentonius Parens, nec non Josephus, et Vincentius fratres constituerant in summa scutorum *septingentorum* Franciscae Puellae Paschali Giovanninio nubenti, peculiari, et altiori indagini obnoxia deprehensa est disceptatio, num usurae, quas sese praestituros promiserant in nuptialibus tabulis, donec integrum ejusdem dotis caput pensitassent, deberentur etiam posteaquam matimonium solutum evasit, ob immaturum uxoris obitum, quae tribus relictis filiis, decessit anno 1805. Varias idcirco in judiciali alea subiit vicissitudines hujusmodi quaestio. Nam cum ex ligitigantium compromisso ad S. Ordinem Nostrum, una cum aliis omnibus controversiis, Tentonios inter, et Giovanninium exortis, delata fuerit = *Videntibus omnibus praeviis duabus, et appellatione remota*, primo a nunc Emi-

nentissimo Odescalchio Universae Aulae judicio proposita die 28 Februarii 1820 sub Dubii formula = *An sit locus solutioni fructuum dotis, post obitum Franciscae, seu potius fructus persoluti sint in sortem imputandi in casu etc.* = dirempta est per responsum = *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam* = prout ostendit illius dici Decisio. Ab hac autem Causae definitione re maturius perpensa recessit S. Tribunal, ceu perhibet mea Decisio, quam die 29. Januarii 1821. publici juris feci. Et si vero in Comitiis diei 21. Januarii elapsi anni ad antiquatam Sententiam redierint Patres, teste altera a me edita Decisione, hodie tamen, factorum circumstantis undique perspectis, atque cribratis, rursus eam abiiciendam, et hinc assertas ex causa dotis usuras improbandas omnino dijudicavit S. Nostrum Auditorium. Sciscitanti enim mihi, concinnata Dubii formula *An sit standum in primo, et tertio, seu potius in secundo loco decisis* = responsum datum est = *In secundo loco decisis.*

1 Et summam quidem jurisprudentiam presefert hujusmodi controversiæ diremptio. Quidquid enim sit de unius, alteriusve Doctoris opinione, receptior in Foro sententia est, ut, soluto per obitum uxori matrimonio, quantitativa dos, quæ adhuc a constituente debeatur, simplex, ac sterile creditum pecuniarium fiat, quod idcirco usuras gignere non possit, nisi rite interpositis Castrensibus requisitis. *Gratian. Discept Forens. Cap.* 427. *num.* 1. *Boss. de dot. Cap.* 20. *num.* 77. *Card. de Luca de dote Disc.* 161. *num.* 59. *Const. ad Scut. Urbis adnot.* 34. *art.* 2. *num.* 176. *Posthius resolut.* 77. *num.* 1. Saniorem hanc Sententiam tenuit constantissime S. Noster Ordo, ceu testantur præ cæteris *Decis.* 291. *num.* 1. *cor. Cavaler. Decis.* 572. *num.* 11. *cor. Coccino, Decis.* 457. *num.* 1. *cor. Cerro, et in Cœsenaten. Dotis super restitutione in integrum* 27. *Februarii* 1758. §. 4. *cor Ratta; Anconitana, seu Senogallien. Fructuum Dotis* 12. *Junii* 1797. *cor. Acciajuoli, et in confirmatoria diei* 7, *Maii* 1802. *per tot coram nunc Eminentissimo Cesarei*, et mea tandem Decisio, quæ hodie confirmatur §. 5. Causa namque fructuum *productiva* defuit omnino una cum oneribus Matrimonialibus, quæ, post funus mulieris amplius consistere nequibant, etsi ex dissociato connubio superessent liberi, qui non onera, sed reliquiæ matrimonii proprie dicuntur, et ab uno Patre alendi sunt. *Castill. de alimen. cap.* 51. *num.* 1. *Urceol consult. Forens. Cap.* 15. *num.* 1. *Posthius Resolut.* 77. *num.* 1. *Rot. decis.* 1572. *num.* 12. *cor. Coccino; decis.* 310. *num.* 5. *cor. Cerro; decis.* 453. *n.* 20. *cor. Merlin, et in præfata Anconitana, seu Senogallien. Dotis* 12. *Junii* 1707. §. 4. *coram Acciajuoli et cit. mea prima decis.* §. 6. *nec non postrema etiam mea Decisio* 21. *Januarii anni praeteriti* §. 6.

Hanc exploratissimi juris censuram 2
nunquam in genere inficiatæ sunt, etsi inter se difformes Causæ Decisiones. Eam vero speciei de qua agitur minime congruere statuendum censuit postrema Decisio, duabus innixa rationibus, *pacto* scilicet *in* nuptialibus tabulis cenvento, *et Statutariae* Montis Georgii *dispositioni*. At utrumque fundamentum corruere omnino hodie compertum est. Siquidem pactum conventarum usurarum quod spectat, probe animadvertebant Patres illud minime iniisse contrahentes quoad tempus matrimonii dissociationem subsequens; prætereaque, etsi revera conventum fuerit nullo tamen in pretio habendum fuisse. Nil prorsus explicite conventum depræhenditur in nuptiali contractu de usuris, etiam soluto matrimonio, prestandis; quin imo eam fuisse hac super re contrahentium mentem, ut tempus tantum constantis matrimonii respicerent, satis superque colligitur ex ipsis initi pacti verbis. Preterquamquod enim nemo contra jus pacisci præsumitur, Tentonii, qui constitutæ dotis summam sese soluturos spopondebant intra quadriennium, polliciti sunt = *di pagare allo sposo i frutti compensativi ec. e non sborsando la nominata somma entro il prefisso termine*

si obligano pagare detti frutti fino al total sborso di essa dote = Compensativi dicuntur dotis fructus ratione onerum matrimonalium, quæ veluti compensant. Onera autem hujusmodi in Uxoris tantum alimonia decentique exhibitione consistere nemo non scit, et advertit Decisio, quæ confirmatur §. 6. Quapropter, mortua uxore, solutoque idcirco matrimonio, onera illa evanescunt omnino. Absurdum igitur fuisset, usuras promittere in compensationem onerum, quæ existere nequibant. Coercenda igitur stipulatio ad tempus constandi matrimonii onerumque existentium. Nec tam immaturum nubentis Puellæ fatum excogitasso contrahentes censendum videtur.

3 At obiicit Giovanninius; Tentonii de usuris pensitandis convenerunt = *Sino al total sborso della dote*. Non inde tamen trahi potest obligatio ad tempus dissociati connubii, etsi promissa, dotis nomine, summa non dum persoluta fuerit. Expresse namque conventæ fuerunt usuræ = *della dote* = Quapropter, cum dos sine matrimonio existere nequeat, plane sequitur contrahentes tempus tantum constantis matrimonii respexisse. Soluto igitur per mortem uxoris conjugio, nec dos amplius extitit, neque idcirco conventæ usuræ consistere potuerunt, cum *non entis nullæ sint qualitates*, ut perpendit *cit Decis.* §, 6, et principali corruente, accessorium quoque illico pereat *Cap. Accessorium de reg. jur. in* 6. *L. Principalis ff. eod. Rot. Dec.* 395. *num.* 1. *cor. Coccino Decis.* 175. *num.* 13. *tom.* 3. *cor. Olivatio* = Nec rem mutat, contrahentes paciscendo peculiarem quoque enunciasse, veluti correspectivitatis, rationem = *della sopravenienza della prole* = Causa enim hujusmodi, quæ alioquin adsuetæ Notarii loquacitati facile tribui posso videtur, ceu animadvertit eadem decisio, quæ confirmatur §. 7. ita insuper in nuptialibus tabulis expressa deprehenditur, ut determinet quidem, ac informet dotis constitutionem, sive promissionem sortis, minime vero præstandorum fructuum obligationem, quæ in distincta, et diversa oratione continetur.

Verum, etsi usurarum præstationem etiam quoad tempus soluti matrimonii promissent Tentonii haud tamen diversum judicium hodie ferendum fuisset. Pactum namque hujusmodi, utpote contra jus initum, labeque usuraria infectum, improbandum fuisset omnino. Quandoquidem privatis civium conventionibus publico juri derogari non potest, neque contrahentium voluntate licitum fieri valet, quod bonorum morum sanctitas, atque Divina et humana jura illicitum effecerunt, ut docent communiter Doctores, et statuit S. Noster *Ordo in Caesenaten. Dotis super restitutione in integrum* 27 *Februarii* 1758 § 7 *cor. Ratta, in Anconitana, seu Senogallien. fructuum dotis* 12 *Junii* 1797 § 8 *coram Acciajuoli, et in confirmatoria die* 7 *Maii* 1802 § 7 *cor. nunc Emo Cesarei, tandem in praeterita Decisione, quae hodie confirmatur* § 8. 4

Perperam autem ad *Statutum Urbis*, nec non *ad Cap. salubriter de usur.s* confugisse visi sunt Giovanninii defensores, ut pacti fœditatem quoquo modo obtegerent. Peculiares enim hasce jurium dispositiones de frugifero dotali pignore agere compertum est, quapropter ne ullo quidem analogiæ argumento trahi possunt ad speciem debiti ex dote in quantitate constituta dimanantis, quo in casu initam usurarum conventionem quoad tempus dissoluti per ob tum uxoris conjugii, legibus quam maxime adversari liquet. Qua de re facile deprehenditur in Giovanninium ipsum retorqueri distinctionem inter pacta, quæ ad jus, et ea, quæ ad voluntatem pertinent, de quo disserit postrema mea Decisio § 7. 5

Ut juste igitur effici valuissent conventæ usuræ, notissima Requisita Castrensia rite interponenda erant. Atqui ea defuisse omnino satis superque constat. Quidquid enim sit de asserta investiendæ pecuniæ occasione, quidquid sit, de epistolis hinc inde hac super re scriptis, cum tamen juxta legum sanctionem haud facta deprehendatur interpellatio, nil dubium hæc omnia nullo prorsus in pretio haben- 6

da esse. Etsi enim in casu, quo matrimonium solutum fuerit per predecessum viri, quæcumque sufficiat a superstite vidua, adhuc dotis creditrice, peracta, etiam extrajudicialis postulatio, ut ex suo credito fructus vindicare valeat, quia stant loco alimentorum; attamen in casu præmortuæ uxoris, ut usuræ debeantur, concurrant oportet requisita omnia, quæ indigitat *Paulus de Castro in Leg.* 3 *ff de eo, quod certo loco*, prout ea recensendo, unumque ab altero casu distinguendo statuit, post *Decis.* 244 *num.* 8 *coram Molines, et Decis.* 224 *num.* 21 *coram Riminaldo sæpe citata mea Decis.* Pari inanitate laborare visa sunt ea, quæ ex debitorum facto obiiciebat Giovanninius, ipsos nempe, nedum initam usurarum obligationem per earumdem solutiones, post Franciscæ funus expletas, comprobasse, sed obligationem insuper illam rursus, adaucta quoque usurarum mensura, in se suscepisse anno 1807. Nam, si in principio damnanda fæneratitia labe coinquinatam fuisse conventionem; si nunquam postea rite superaccessisse interposita Castrensia requisita constat evidentissima; ambigendum non est, præfata debitorum facta, nequa actus naturam, et indolem immutare, neque validum, et justum facere potuisse, quod Leges tam solemniter improbabant, ut pluries statuit Sac. Ordo et nuper in mea decisione quæ confirmatur § 13.

7 Juris præterea principiis abutebatur Giovanninius, dum pupillarem filiorum ætatem invocabat, ut conventas tueretur usuras. Onus quidem incumbit pupillaris patrimonii administratori frugiferam reddero pecuniam pupilli *Leg.* 7 § 3 *ff de Admin. et jur. tutor. et tot. tit. cod. de usur. pupill.*, et onus hinc Giovanninio incumbebat in casu interponendi Castrensia requisita; quod si facere neglexerit, obventum pupillis damnum sarcire debebit, ceu perpendit *ead. Decis.* § 11. Non inde tamen inferri potast pupillare nomen illico, et veluti ministerio legis frugiferum evenisse in manibus debitoris. Præterea, rem nostram quod spectat, animadvertisse sufficiat, non in pupillorum beneficium, sed unius Parentis utilitatem cedere debuisse assertas usuras, cum eas sibi vindicasset Paschalis jure ususfructus, quem ei tribuit in Bonis filiorum adventitiis patria potestas ad *Sext. in Leg.* 6 *Cod. de bonis quæ liber.* Quapropter evanescit omnino pupillari liberorum qualitati innixa ratiocinatio. Quidquid denique, ad quamdam inducendam usurarum correspectivitatem, et asserta Sponsæ invenustate, ex constitutæ dotis exiguitate, et nimia indulta debitoribus dilatione, ex promisso mulieri usufructu in casu, quo viro superstes futura fuisset, late disserit postrema mea Decisio § 8: hodie Patres, aut in facto minime constitisse deprehenderunt, aut tanti non fuisse ponderis arbitrati sunt, ut defectum legitimæ requisitorum castrensium interpellationis supplere valerent ad nude, et simpliciter conventas usuras licitas, invita lege, efficiendas. Siquidem haud injucundum fuisse Franciscæ aspectum plures asseruerunt Testes. Præterea, absonum prorsus visum est correspectivitatis causam in deformitate uxoris quærere, dum agimus de usuris post ejusdem uxoris obitum pensitandis; eo scilicet tempore, quo certo certius Muliaris invenustas amplius incommoda nequit esse viro. Nec tenuis visa est in Oppido Montis Georgii constituta dos *septingentorum* scutorum, nec longa quatuor annorum dilatio; nec nimia largitas in promisso Uxori Bonorum premorientis viri usufructu, qui alioquin correspectivum quid habebat in lucro, quod sibi stipulabatur Sponsus. Nulla igitur aderat justa ratio, cur ex sterili credito conventæ usuræ improbari non debuissent.

Municipali Oppidi Montis Georgii dispositioni innitebatur secundo loco mea postrema Decisio, ponendo § 8 constitutam nubenti Franciscæ dotem in locum *legitimæ* ex illius Legis præscripto successisse, frugiferamque idcirco evasisse, prout *Legitimæ* naturam ferre exploratissimum in jure est. Ve- 8

rum hodie in sua integritate perspecta, perpensaque Statuti particula, in oppositam abire sententiam consultissime Patres censuerunt. Siquidem utraque in Foro receptissima hac super re Theorica a Paulo de Castro in *Leg. Titia centum § Titio ff de condit.*, *et demonstrat.*, et a Saliceto *in Leg. Sancimus Cod. de secund. nupt.* respective invecta, apertissime evincit Mulierum dotem ex Statuto Montis Georgii loco Legitimæ minime succedere. Et re quidem vera, cum Statutum hoc prius simpliciter, et absolute fæminas ab intestato successione excludat, et dein separata, et distincta oratione procedat ad earum dotationem decernendam, plane sequitur dotem in locum Legitimæ non subingredi ex Castrensi Theorica, ceu, et ipsa advertit postrema decisio § 21. Rursus, cum eadem Statutaria fæminarum exclusio, quin sit famulativa doti, dotationisque conditioni, mulieres etiam *non dotatas* a successione repellat, ambigendum non est dotem legitimæ subrogatam minime dici posse, ex Theorica Saliceti, et ex communi Doctorum, ac Tribunalium consensu, ceu tradunt *Card. de Luca de Dot. disc.* 13 *num.* 1 *Constantin. ad Stat. Urbis Annot.* 39 *num.* 3 *et Sacer Noster Ordo decis.* 317 *num.* 4 *coram Millino.*

9 Rem denique totam plane conficere deprehenderunt Patres tutissimam, et a gravioris nominis Doctoribus invectam, nec non a Sacro Nostro Ordine jamdudum probatam jurisprudentiam, ut scilicet, despecto quoque orationis ordine, verborumque cortice, in Statutarii Sanctionibus dos censeatur legitimæ subrogata, si fæminæ exclusæ fuerint, *propter dotem*, minime vero si fuerint exclusæ *propter masculos*. Excludi autem *propter dotem* dicuntur fæminæ, quando Dos fuit causa finalis exclusionis; *propter masculos* vero quando, nulla requisita dotationis qualitate, vel conditione, eas simpliciter dotare mandavit statutum, si dotatæ non fuerint, uno inspecto masculorum favore, qui fuit causa finalis exclusionis, prout communiter tenent Doctores, et præ cæteris *Menoch. Cons.* 8 *num.* 4 *Hondedei Cons.* 46 *lib.* 1 *Constantin. ad Stat. Urbis Annot.* 35 *art.* 3 *num.* 80 *Rota decis.* 46 *num.* 8 *post Bonden. Collect. legal. tom.* 1. Atqui Statutum Montis Georgii fæminas ab intestata successione excludere propter masculos ambigi prorsus nequit. Siquidem *Rubrica* 36, quæ agit *de Successionibus ab intestato, et legitima filiorum* perspicuis incipit hisce verbis = *Pro agnatione conservanda ordinamus* =, quod succedant masculi agnati = *exclusis, et remotis omnino ipsius defuncti filiabus, nepotibus, sororibus, et aliis omnibus fæminis sexus sub quovis nomine ex eis descendentibus masculis vel fæminis dotatis, vel non dotatis.* Scatet hinc evidentissime Statuentes unam præ oculis habuisse finalem causam excludendi fæminas, agnationis conservationem, et nihili dotem fecisse, cum indotatas quoque mulieres successione orbaverint.

Luculentius hæc confirmantur ex 10
verbis, quæ distincta oratione subsequuntur = *Volentes, quod dotatæ, vel quibus dotes promissæ, relictæ, vel quovis alio modo costitutæ sint, dictis dotibus contentae in tantum, quod amplius nunquam jure successionis, neque jure legitimae vel supplementi legitimae, vel jure incongruae dotis sibi datae de bonis dotantis, vel non dotantis quovis alio modo, vel causa aliquid petere possint si vero non fuerint dotatae dotentur condecenter arbitrio nostrorum Priorum, et duorum proximiorum agnatorum, vel cognatorum in defectu attenta facultate, et personarum qualitate, et donec dotentur vel nuptui tradantur, alantur a dotare debente* =. Tralatitium reapse in Foro est Statutum, quod fæminas præcedenter exclusas dotibus suis contentas esse jubeat, easque prohibeat, ne aliquid quovis titulo petere possint; quod præterea indotatas mulieres dotati mandet, et interim donec nubant, ab his ali præcipiat, qui dotare tenentur; quod denique eas ab hæreditate quoque non dotantium repellat, Statutum hoc, inquam, fæminas excludere propter *masculos*, et dotem idcirco loco legitimæ

non succedere, ceu tradit *Constantin. ad Stat. Urbis Annot.* 35 *art.* 2 *num.* 82 *Annot.* 39 *Art.* 3 *num.* 218 *et statuit Noster Sacer Ordo in citata Decis.* 46 *num.* 11 *post Bonden. Colluct. legal. tom.* 1.

11 Hisce omnibus itaque concurrentibus circumstantiis, legitimisque argumentis, spernendam prorsus censuit hodie Sac. Auditorium aliquam conjecturam, quæ germanæ huic interpretationi haud favere videatur. Et spernenda quidem præcipue visa est futilis illa argumentatio, quam Giovanninii Defensores deducere conabantur ex *Legitimae* vocabulo a Statuto in præfata Rubrica pluries repetito; siquidem negative tantum quodam modo verbum illud usurpasse in particula do qua agitur, statuentes apprime deprehendebatur. Quidquid vero sit de hac voculæ disquisitione, eo libentius hodie Sacer Ordo amplexus est superius expositam Municipalis Legis interpretationem, quo certius compertum habuit eam Tribunalium auctoritati inniti, et jugi observantia confirmari. Constat enim Rotam Maceratensem definiisse, ceu perhibet *Thomat. decis.* 132 *num.* 1 *et sequen.* Statutum Montis Georgii fœminas ab intestata successione excludere *propter masculos.* Qua de re perperam objicebatur Decisionem illam quæstionem, de qua agitur, haud nominatim definisse. Præterquamquod enim expresse dixerit *Silviam exclusam per Statutum a successione propter masculos*, decrevit insuper *feminam facere partem, si id placet Masculis*; Stutuit hinc implicite dotem non succedere loco legitimæ; partem enim nunquam faciunt fœminæ, quando dos legitimam repræsentat, ceu docet *Rota in decis.* 1285 *coram Coccino num.* 7 *et in Tyburtina legitimae* 7 *Decembris* 1821 § 5 *coram Eminentissimo Serlupi.* Accedit observantia, qua Montis Georgii Oppidani fœminarum dotem legitimæ subrogatam vi Statuti fuisse nunquam tenuerunt, prout testantur ejusdem Oppidi Causidici ac Tabelliones. Depositiones vero hasce, quæ observantiam, et si extrajudicialem ostendunt, plurimi faciendas esse in Statutariis interpretandis legibus, venerando Majorum exemplo docemur in *Decis.* 58 *num.* 8 *de Miscellaneis coram Falconer.*, *et in Nullius Civitellae successionis super haereditate Francisci Mariae Malatesta* 19 *Januarii* 1753 § 11 *coram Amadeo.* Cum igitur, neque vi pacti conventi, neque juris Municipalis præscripto nomen quod Giovanninius ejusve filii, ex causa dotis prædefunctæ Franciscæ, fovent adversus Tontonius, justas gignere usuras possit. necesse sequitur injuria eas hodie reposci, et quidquid, ratione earum usurarum, post Franciscæ obitum persolutum fuerit, in diminutionem sortis cedere debere ad *Text. in Leg. Si non sortem* 26 *in princ. ff de condit. indebiti ibique Bartol. num.* 4 *Rota Decis.* 379 *num.* 22 *part.* 14 *Decis.* 419 *num.* 7 8 *part.* 16 *Decis.* 51 *num.* 4 *et* 6 *part.* 18 *tom.* 1 *Recent.*

Et ita in acerrimo Partium conflictu, Universa mecum suffragante Aula jus redditum est.

NUCERINA SEU SAXIFERRATI

REDDITIONIS RATIONIS

Veneris 2 *Maii* 1823.

ARGUMENTUM

Argumento non indiget.

SUMMARIUM

1. *Quisque ad reddendam rationem de illa haereditatis tantum parte tenetur, quam administravit.*
2. *Qui rationes legitime semel reddidit, cogi non debet ad eas iterum exponendas.*
3. *Qui rationes editas, ac judicialiter probatas subvertere vult, luculentissime evincere debet in eas irrepsisse errores gravissimos.*

DECISIO CXXV.

Gratas adeo Nicolaus Sabatucci habuit Nuptias, quas, summo adhibito studio conciliare potuit Joachimo filio cum no-

bili lectissimaque puella Mathilde Frisciotti Stendardi, quæ ipsi conspicuam attulit Dotem scutorum octomillium, ut » *per il gradimento, che ha di tal certo, e determinato matrimonio, in contemplazione del medesimo, e dei figli da nascere da ambedue detti Signori sposi, adesso per quanda sarà seguita la sua morte a titolo di donazione irrevocabile fra i vivi* » assignaverit » *Al detto Signor Gioacchino, e suoi, oltre la sua eguale porzione con altro fratello Signor Antonio per ragione di antiparte la somma di scudi diecimila ramani* » veluti patet ex solemnibus Nuptialibus Tabulis die 22 Aprilis 1808 conscriptis. Post initum Conjiugium cum, Gallis Ecclesiasticam Ditionem occupantibus, invectum fuerit hypothecarium regimen, jura ex ea donatiane praficiscentia in hypothecarios Codices referre haud neglexit Jaachimus; ac post Patris obitum, qui evenit die 2 Junii anni 1817 ea adversus paternam hæreditatem expertus fuit, postquam hanc legitime abdicaverat. Obsistente vero ejus Fratre Antonio, ac præter cetera, proponente illius hæreditatis Administrationem, per aliquad temporis spatium ab illo gestam, nulla de ea ratiane reddita, opus illi fuit judicio agere coram Juridico A. C. Conventu, qui donationem probavit, eamque effectum sortiri jussit » *Dopo un legale rendiconta da farsi da Gioacchino Sabatucci* ». Quod Judicium S. Noster Orda confirmavit in Comitiis diei 8. Maii 1820.; sicuti constat ex decisiane ad eam diem per me evulgata, quam subsequuta fuit Sententia diei 16 Junii ejusdem anni a me signata.

Demandata postea altera ex iis Triumviris R. P. D. Colapietro examine prædictæ redditionis rationum ab Joachimo expositæ, editaque ab eodem Præsule relatione, quoad eam ratianum redditionem, prodiit sub die 13. Novembris anni 1801 a Collegiali illa Tribunali Sententia quæ declaravit = *Il Signor Gioacchino Sabatucci debitore per causa del rendiconto sudetto in sc.* 675: 10 *in tutto, e per tutto a forma di detta relazione, approvando in tutto il resto il rendiconto medesimo, e dichiarando avere il medesimo reso bene, ed esatta conto dell' Amministrazione, come sopra tenuta dell' Eredità del comun padre Nicola Sabatucci dopa la di lui morte, fino al tempo della rinuncia suddetta* » Cum vero ab hac Sententia Antonius ad S. Nastrum Ordinem provocaverit, Patribus hodie resolvendum proposui Dubium » *An constet de legitima redditione rationis, in casu etc.* » Sed, nil forsan adversus hanc Sententiam proferre utiliter valens, idem Antonius vadimonium deseruit, ac sat fuit Joachimo judicio sistere, ut illico obtineret responsum » *Pro informante* » nempe » *Affirmative juxta modum*, scilicet » *ad formam Sententiæ A. C.*

Nec aliud profecto fuisset S. Tribunalis Judicium, si Antonius rationes Administrationis Paternæ hæreditatis ab Joachimo fratre expositas oppugnasset. 1
Constat quidem utrumque Fratrem defuncti parentis Nicolai hæreditatem die 2 Junii 1817 adivisse cum beneficio Legis, et Inventarii, atque eam Joachimum, quoad portionem ad se spectantem, administrasse ad diem usque 12 Junii 1829, qua rite hæreditariam qualitatem respuit, nec ulterius sese ei Administrationi ingessit, eamque ideo universam hæreditatem Antonius tantum ab ea die retinuit, et de illa ad libitum disposuit, ex quo consequitur adstrictum ipsum Joachimum fuisse ad rationem reddendam de illa hæreditatis parte, quam per biennium possedit, et administravit. At constat etiam eum coram Collegiali A. C. Tribunali institisse pro iis exhibendis rationibus, et post editam super iis relationem a Præsule Colapietro, altero ex Triumviris illius Collegii, in id deputato, eas Judices animadvertisse » *Che dalla sudetta relazione risulta essersi il rendiconta esibito per parte dell' Attore appoggiato a legali Documenti, ed opportune giustificaziani* » et » *Che dall' esame delle medesime è risultata il debito di detto Signor Gioacchino Sabatucci in scudi* 675: 10 » : atque ideo » *intesi i difensori delle parti* » Sententia diei 13 Novembris anni 1820 eum constituis-

se debitorem erga fratrem in prædicta summa, et declarasse » *avere il medesimo reso bene, ed esatto conto dell' amministrazione come sopra tenuta dell' Eredità del comun Padre Nicola dopo la di lui morte fino al tempo della rinuncia sudetta* ».

2 Hisce itaque in facto positis, cum exploratissimum sit juris præsumptionem militare pro justitia, et validitate Sententiæ Judicialis, uti passim advertit Rota, et præsertim in *Romana, seu Bononien. Pecuniaria* 16 *Maii* 1803 § 2 *coram Resta*, *et in Romana Restitutionis in integrum* 3. *Julii* 1815. §. 5. *coram nunc Eminentissimo Serlupi*; legitima idcirco, ac numeris omnibus absoluta renuncianda est rationum redditio, de qua agitur, ab Joachimo exposita, et a Sententia Juridici A. C. Conventus probata, nec cogi ipse unquam potest ad eas rationes iterum exponendas, vetante *Leg. semel Cod. de Apochis publicis*, juxta cujus censuram a novis rationibus edendis administratorem, qui eas jam legitime reddidit constanter absolvit Sacer Noster Ordo sicuti patet ex *decis.* 585 *num.* 14 *coram Olivatio*. *in Romana Redditionis Rationis* 22 *Januarii* 1747 § 3 *coram Millino*, *in Confirmatoria* 30. *Januarii* 1750 § 2 *coram de Vaiis*, *in Romana Redditionis Rationis* 2 *Decembris* 1754 § 6 *coram Elephontutio*, *in Centumcellarum Pecuniaria quoad partitom scut.* 824 7 *Maii* 1784 *coram Acciajoli*, *in Romana Pecuniaria* 23 *Januarii* 1807 § 3, *et in Confirmatoria* 11 *Maii* 1807 §. 1 *coram Eminentissimo Bardaxi*, *et in Romana Pecuniaria* 16 *Februarii* 1816 § 5, *et in Confirmatoria* 13. *Maii ejusdem anni* § 3 *coram R. P. D. Bussio*.

3 Quod si Antonius editas a Fratre, ac judicialiter probatas rationes subvertere vellet, luculentissime evincere deberet gravissimos in eas irrepsisse errores ad tradita per *Paris cons.* 89 *num.* 27 *lib.* 1 *Soccin. Cons.* 190 *num.* 8, *et Rot. dec.* 71 *num.* 3 4 *part.* 4 *in rec. tom.* 1. *et dec.* 223 *num.* 11. 12 *coram Tanar. dec.* 22. *num.* 9 *tit. de solut. coram Falconer.*, *in Romana, seu Trojana redditionis rationis* 8. *Februarii* 1765 §. 8 *coram Cornelio*, *et in Assisien. Societatis* 3 *Julii* 1815. §. 6. *coram Gardoqui*. Id vero cum ipse non præstet, ac vadimoninm etiam deseruerit merito putandum est ipsum nil prorsus obiicere illi rationum redditioni posse, ejusque contumacia proprii mali juris agnitioni referenda est *per Gloss. in Canon Honoratus verbo conscius distinct.*, 4 *et Rota in Urbevetana juris Patronotus* 26 *Januarii* 1759 § 2 *coram Beauforti de Canilliac*. Quapropter nulli exceptioni obnoxia dicenda est exposita per Joachim ratio de administratione Paternæ hæreditatis, et confirmandum est Judicium ab A. C. Triumviris ea super probatum.

Et ita etc. Altera tantum etc.

PERUSINA NULLITATIS CONTRACTUS

Veneris 21 *Februarii* 1823.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur « DECISIO.

SUMMARIUM

1. *Ad validitatem alienationis rerum Ecclesiae, requiritur ut contractus in illius evidentem utilitatem cedat.*
2. *Contractus ipso jure rescinditur, si Ecclesia in sextante tantum valorie, damnum fuerit passa - ibidem. -*
3. *Ubi Peritus praediorum valarem aestimavit ex annuis redditibus, quamvis non explicaverit monetae qualitatem, intelligi debet de argentea.*
4. *Periti subsequens declaratia, quam maximum pondus addit rationibus jam expositis.*
5. *Maxima est auctoritas quae deferri debet Peritis, dum referunt de consuetudine quoad propriam artem.*
6. *Perito judiciali, ac de partium consensu electo, omnimoda fides habenda est.*
7. *Practium solutum in moneta papyracea, vel aenea, calculari debet cum discrimine quod provenit ex cambio.*
8. *Monasterii Moderatores nulliter consensum praebent, si pretium recipiunt in nummariis fere prorsus diffamatis.*
9. *Error consensum ab venditione removet - ib.-*

10. *Actus necessarius, seu ille in quo Ecclesia non indiget solemniis, dicitur actus cui Ecclesia assentiri debet pernecesse ex jure.*
11. *Ubi cedulae sunt notorie diffamatae, quilibet praevidere potest proximam earum abrogationem.*
12. *Leges nunquam efficere poterint, ut eadem sit in commercia aestimatio monetae argenteae, ac illius aeneae, et papyraciae.*
13. *Rusticorum bonorum naturae consentaneum est, ut eorum pretium, quamvis constitutum in imaginaria moneta, solvatur cum pecunia aurea et argentea.*
14. *S. Ordo saepissime rescindit contractus emptionis bonorum, ob pretii solutiones in vilescenti moneta expletas.*
15. *Bonorum Ecclesiae alienatio, etiamsi concurrat justa causa, et utilitas, stare nequit sine Beneplacito Apostolico.*
16. *Rescriptum Antistitis supplere nequit defectum Beneplaciti.*
17. *Ex Pauliana Constitutione, etiam ubi Antistites pollent facultate alienandi bona ecclesiastica, debent semper praemittere investigationem super utilitate alienationis.*
18. *Contractus nullitate constituta, fructus debentur a detentoribus usque ab initio.*

DECISIO CXXVI.

Anno 1798., quo tempore prima evenit Ecclesiasticæ ditionis per Gallos semper lugenda occupatio, ut eorum aviditati, quantum fieri posset satisfacerent, qui pro eis, sub Democratici Regiminis specie, res publicas moderabantur, miseros cives, ac præsertim Loca Pia immodicis cogebantur intributionibus gravare. Indicta itaque fuerat Venerabili Monasterio Monachorum Cassinensium S. Petri Perusiæ solutio scutorum duo *de viginti millium*, et quamvis alterii publicarum rerum moderatores clamarent fidem habendam esse Imperantibus, et secundum eorum Edicta nullum esse posse discrimen inter diversas monetæ species, papyraceam nempe, cupream, atque auream sive argenteam, ita ut omnes indistincte uti probati valoris essent in commercio recipiendæ, tamen, cum papyraceæ monetæ foret fere in totum æstimatio collapsa, illiusque etiam cupreæ quam maxime vilesceret, ea a prædicto Monasterio repræsentanda pecuniæ vis, partim in moneta aurea, vel argentea, partim in papyracea, uti quoad alias illius modi contributiones fiebat, erat persolvenda. Injunctum onus pro maxima parte impleverunt Monachi, et scuta tantum *tria millia noningenta*, fere omnia in *papyracea moneta* ab ipsis erat rependenda, ut præscriptæ intributioni integre foret satisfactum.

Id igitur ut perficerent, bina prædia, prope Civitatem Perusiæ, in ejus suburbiis jacentia, alterum nuncupatum = *Monterone* =, alterum = *Prepo* = vendere constituerunt, eorumque æstimationem demandarunt Perito Agronomo Lucacchini, qui, post ea sedulo inspecta, valorem tribuit prædio *Montarone* scutorum 2354 et obul. 55 atque alteri *Prepo* scutorum 1257 et obul. 75., nulla quidem monetæ qualitate expressa, sed habito respectu ad auream, vel argenteam, ut postea declaravit, atque ut patet ex methodo, quam in ea perficienda æstimatione servavit; perpendendo nempe illorum fundorum = *quantità, qualità, situazione e fruttato, sì dell'anno fertile, mediocre, che sterile* = atque inherendo = *alle regole dell'arte* = quas juxta pretium scutorum *centum* fundis extantibus, in suburbiis Perusii tribuitur in singula scuta *tria* = *del fruttato che sono capaci* di *rendere* = et illis, qui a Civitate prædicta distant = *più di dieci miglia* =, idem datur valor scutorum *centum* in singula scuta *quatuor* ejusdem reditus; ad hujusce vero reditus quantitatem in pecunia constituendam, æstimatur = *il grano alla ragione di scudi quattro e bajocchi* 80 *per ogni rubbio Perugino, che tornerebbe alla ragione di scudi cinque per ogni rubbio Romano; il mosto paoli tre per ogni barile* di *boccali venti, l'Olio a bajocchi* 50 *il quarto* di *libbre quindici*, *e così delle altre derrate* =: ex quo dubitari nequit = *che le stime* dei *Periti corrispondino al valore intrinseco dei fondi considerato a moneta fissa* di oro, e di *argento effettivo* =; sicuti quisque statim suo percipit sensu, ac sicuti Agrariæ Artis plures Perusini Periti testantur. Palam itaque ex prædictis binis prædiis pretium scutorum 3612 30 argen-

teæ integri valoris monetæ fuissa a Lucacchinio datum.

Nihilo tamen minus die 30 Maii ejusdem anni 1798 per publicnm Instrumentum duo illi fundi a Monachis, ulla absque previa programmatum affixione ad licitatores inveniendos, quæ in rerum Ecclesiasticarum alienationibus, ut probari possint, præteriri nequit, venditi fuerunt, quoad prædium = *Montarone* =, Aloysio Garofani pro scutis 2550 monetæ currentis in genere, sive, quod idem est, monetæ papyraceæ, et quoad prædium = *Prepo* = Francisco Germini pro scutis 1460., ejusdem monetæ atque hanc vilissimam monetæ speciem, exceptis scutis *tercentis* monetæ æreæ, quæ etiam haud parum erat diffamata, emptores reapsa repræsentarunt; nam solutionis loco in actu stipulationis, declaratum in Instrumento fuit, quod = *quanto a scudi* 3900 =, iis nempe in nummariis tesseris fere in totum a Monachis in solidationem integræ superius relatæ in tributionis rependendis, = *giustificano d' aver già pagati e sborsati alla detta Amministrazione Dipartimentale e suo Cassiere, come dalle ricevute ec.*; cui declarationi cohærent eæ quæstionis enunciatæ acceptilationes: quo vero ad = *residuali scudi cento per compimento di scudi quattromila saldo del prezzo dei beni, ora alla presenza di me Notaro essi PP. Monaci dichiarano aver avuto dal Garofani, e di averli dimessi nell' Erario del Monastero.* =

Hæc vero etiam scuta *centum* in cedulis fuisse soluta demonstrat defectus designationis speciei monetæ, atque legalis præsumptio, quod scilicet credi nequeat quod Garofanus, qui fere totam pretii partem in monata infimi valoris una cum Germinio exsolverat, sponte et ex liberalitate voluerit aa scuta *centum* in proba moneta repræsentare, cum ex contractus tabulis facultas ei fuisset vilissima moneta suam implere obligationem. Manifestum hinc est, respectivi diversarum specierum monetæ valoris collatione facta, et admisso quod emptores scuta *tercenta* in ærea moneta persolverint, quod argentea tantum scuta 1166 55 receperunt Monachi pro fundorum pretio, qui in ea moneta scutis æstimati fucrant 3612 30., atque ideo perspicuum est quam inconsultum fuerit ipsorum factum, et quantum apertum fuerit in eo contractu ingens Monasterii damnum quæ nullitatem actus pernecesse secum tulerunt, quin hic sanari potuerit auctoritate tributa, pridie quam contractus iniretur, prædictis Monachis a Perusino Antistite ad illum deveniendi, cum præsertim haud probetur ipsum scivisse qua moneta bonorum pretium esset solvendum; ac præterea nulla necessitas eximere bonorum alienationes posset a præscriptis servandis formis, et legitimam eam reddere e conspectu ingentis illius Monasterii damni.

Quantum ex eo inconsulto facto præjudicium ipsis obvenisse senserunt Monachi; verum, antequam sua jura experiri possent, cunctandum eis fuit usque ad publicarum rerum restitutionem, et lagitimi Sanctissimi Principis ad urbem adventum. Tum Rescripto feliciter Dominantis Pontificis, quem Deus ad multos annos pro Ecclesiæ, civiumque bono sospitem servet, dato die 4 Julii anni 1802. Caussa contra prædictorum bonorum possessores instituenda, remissa fuit ad Rotæ Perusinæ Tribnnal, quo coram per quinquennium indecisa permansit, donec ad S. N. Ordinem fuit avocata. Proposita itaque primum a R. P. D. de Gardoqni in Comitiis 15 Maii anni 1807 sub formula Dubii = *An et quomodo constet de nullitate, et laesione contractus ita ut competat manutentio seu redintegratio, et sint restituendi fructus, et in qua summa in casu ec.* = conveniens Patribus visum fuit judicium differre, ac Peritum Agrimensorem deputare « *ad effectum aestimandi praedia, de quibus agitur, habita ratione valoris tempore contractus* ».

Electus de consensu Partinm in Peritum fuit Vincentius Gennari Perusinus, qui, fundis perlustratis, eorumque conditione mature perpensa, valorem eis tribuit argenteorum nummo-

rum 3570 71. , in scutis tantum 41 et ob. 59 minorem illo eis constituto in superius relata Peritia Lucacchini. Hinc itaque iterum requisiti de sententia Patres ab Eodem Ponente die 8 Junii 1808 fundorum possessoribus vadimonium dcserentibus, responderunt « *Pro informante* » nempe « *Affirmative in omnibus, et competere manutentionem, et restituendos esse fructus in summa liquidanda juxta modum in Decisione exprimendum* » scilicet *quantitate* liquidanda *fructuum*, ab emptoribus usque ab initio nullo jure perceptorum, ac ideo restituendorum , *compensata* correspective ad *verum pretium* numeratum, uti legitur in Decisione ad eam diem edita. Tertio dein S. Ordinis judicium hæc Caussa subiit die 16 Januarii 1809. , atque utraque Parte sua jura deducente, Eidem Ponenti responsum datum fuit « *Recedendum a decisis*. Hodie tamen, cum ob rerum superventas vicissitudines diu controversia siluerit , rursus ea a S. Ordine definienda fuit, ac querenti mihi « *An sit standum in primo, vel in secundo loco Decisis in casu ec.*, in utriusque Partis certamine; Responsum a Patribus datum fuit = *In primo loco Decisis*.

1 Nec aliter profecto, salva Civilis, et Ecclesiastici Juris Censura, poterat quæstio definiri. Quod enim primum inter cætera requiritur ad validitatem alienationis rerum Ecclesiæ illud est , ut in illius *evidentem utilitatem cedat*, sicut in notis ima Constitutione, quæ incipit *cum in omnibus*, præscriptum fuit a Summo Pontifice Paulo II., et religiose semper tenuit Sacer N, Ordo , uti inter alias plurimas testatur *Decisio in Firmana Nullitatis Emphyteusis*, 29 *Martii* 1805 § 4 *coram Gardoqni, et in Confirmatoria* 13 *Decembris ejusdem anni* § 3 *coram Eodem*. Quamobrem, cum apertissimum sit ingens damnum attulisse Ven. Monasterio Cassinensium divi Petri Perusiæ venditionem fundorum *Montarone* , *et Prepo*, initam die 30 Maii anni 1798 erga Garofanum , et Germinium, receptis pretii nomine scutis 4000 in pene prorsus diffamata papyracea ac pro pusilla parte ærea moneta, quæ vix scutis 1166 et ob. 55 probæ auræ, vel argenteæ monetæ responderunt, nullus usque ab initio renunciandus est inconsultus ille contractus , ex quo ne *tertiam* quidem veri fundorum valoris partem Monasterium assequutum fuit; dum certissimum est in Ecclesiasticorum bonorum alienationibus contractum ipso jure rescindi, et distracta bona ab Ecclesia vindicari posse, etiamsi in *sextante* tantum veri illorum valoris damnum ipsa fuerit passa ad *Text. in Cap.* 1 *de restitutione in integrum*, *Covarruv, var. resolut. lib.* 1 *Cap.* 3 *num.* 12., *Zanch. De Laesione part.* 1 *Cap.* 7 *num.* 144, *et seq.* uti optime advertit prior in hac Causa *Decisio*, quæ confirmatur § 5.

Scuta porro 4000 Garofanum , et Germinium Monachis pro illorum fundorum pretio solvisse in nummariis schedis, excepta perexigua quantitate repensa in moneta cuprea, et eam summam, habito respectu ad scuta 3700 repræsentata in cedulis, ac scuta 300 numerata in moneta ærea, respondere ad adamussim argenteis nummi 1166 55 in controversiam haud adducitur; videndum itaque dumtaxat est quantus fuerit eorumdem prædiorum valor in proba moneta. Eruitur primum bic valor ex Peritia Josephi Lucacchini, qui die 25 Maii anni 1798., paulo nempe ante prædiorum venditionem expletam, ea æstimavit scutis 3612 30., et, quamvis non explicaverit monetæ qualitatem, tamen ex methodo ab ipso in æstimatione perficienda servata, desumendo nempe bonorum pretium ex eorum = *annuo fruttato si dell' anno fertile, mediocre, che sterile* =, patet rationem ab eo habitam fuisse de argentea moneta, quia in hac tantum moneta , constitui poterat quantitas annui redditus illorum bonorum , dum non ad unum tantum annum , sed ad plures Peritus respexit, et præ oculis habuit messium diversitatem juxta diversas temporum conditiones. 2

Qua de re ulla oriri dubietas possit, accedit ejusdem Periti subsequens declaratio , sub juris jurandi religione emissa, = *di aver regolato le dette stime* 3

secondo l'antica, e sempre vigente tariffa legale, e catastrale, la quale corrisponde a moneta avente un fisso ed intrinseco valore, e come sarebbe la moneta di oro, e di argento = Cui declarationi quam maximum pondus addunt plurium Peritorum testimonia de consuetudine, semper in Civitate, ac Territorio Perusiæ servata, æstimandi fundos = *a moneta fissa di oro, ed argento effettivo* =, tributo eis pretio scutorum *centum* super singulis *tribus* scutis eorum redditus, si bona sita sint = *nei sobborghi della Città* = uti jacent ea de quibus agitur, et desumpta illius redditus quantitate ex tenuissimo frugum valore, qui antiquitus obtinebat, ita ut « *dove la qualità della moneta non si trova espressa, ma si è detto semplicemente scudi di moneta Romana, si deve intendere che la Perizia sia fatta secondo le solite antiche, e permanenti regole sudette* ».

4 Accedit judicium trium Peritorum e Civitate Perusiæ, qui juxta prædictam consuetudinem ea bona prædia in totum æstimarunt argonteis nummis 4559 74., quibus, quamvis extrajudicialibus, credendum est; quia fundorum valorem deduxerunt ex eorum redditu; eoque magis quia, inspecto pretio medio, desumpto e Mercurialibus illius Civitatis, quod Cerealia, aliæque Annonariæ res habuerunt ab anno 1795 ad annum 1794., dum, in summa rerum publicarum tranquillitate, nullum inter monetarum species erat discrimen, et frugum valor intra justi limites continebatur, nec aduc præter eos fuerat evictus, uti postea even t ob monopolia, militares incursus, ordinisque semper lugendam perturbationem, rite illa prædia æstimari potuissent plus quam argenteis *quinque millibus septingentis*.

5 Rem denique conficit, omneque removet dubium Peritia judicialis Vincentii Gennari, S. N. Ordinis jussu anno 1808 deputati = *ad effectum aestimandi praedia, habita ratione valoris tempore contractus* =, qui, post omnia mature perpensa, suam ita relationem conclusit = *il prezzo, e valore del surriferito predio, e possessioni consisteva nell'anno 1798 a moneta ora corrente di paoli dieci per scudo nella somma, e quantità di scudi* 3570 *baj.* 71 $\frac{1}{4}$ =, cui perito, utpote judiciali, omnimoda fides habenda est per *Text. in Leg. si unus § fin. ubi Gloss. in verbo auctoritati ff. de receptis arbitris*; *Cyriac. contrav.* 269 *num.* 2., *Constant. Vot. dec.* 476 *num.* 53, *Rota dec.* 441 *numer.* 6 *coram Priolo*; *dec.* 557 *num.* 10 *coram Ansaldo dec.* 557 *num.* 2. 3 *coram Molines*; *dec.* 26 *num* 6 *coram Falconer. De usuris*; *dec.* 66 *num.* 1. 2 *coram Herrera*; *in Romana Redditionis Rationis* 23 *Junii* 1734 §. *Sicut enim coram Crescentio*; *in Alatrina Redditionis Rationis* 14 *Aprilis* 1755 § 3 *coram Bussio*, *et in Romana Primogeniturae De Mutis super fructibus* 3 *Julii* 1807 § 2 *coram Eminentissimo Cesarei de Leonibus*. Quod eo fortius procedat oportet cum in themate Peritus prædictus fuerit de Partium consensu electus, *per Barthol in Leg.* 2 *num.* 10 *Cod. de Jure Fisci*; *Paris. Cons.* 96 *num.* 32., *Constant. Vot. Dec.* 47 *num.* 10, *Rota dec.* 189 *num.* 9 *coram Celso*; *Dec.* 103 *num.* 4 *coram Molines*; *Dec.* 449 *num.* 40 *coram Ansald.*, *Dec.* 3 *num.* 2 *coram Falconer. de legitima*; *Dec.* 306 *num.* 11 12 *coram Olivatio, et in Romana, seu Portuen. Pecuniaria* 20 *Januarii* 1806 § 3 *coram R. P. D. meo Isoard.*

6 Cum itaque, una tantum judiciali Peritia Vincentii Gennari inspecta, aliisque sepositis, pateat inter verum prædiorum valorem in moneta argentea, scutorum nempe 3570 71 1 $\frac{1}{4}$, et eorum pretium reapse in hac moneta a Garofano, et Germinio solutum, scutorum scilicet 1166 55., quibus respondent scut. 3700 monetæ papyraceæ, et scut 300 monetæ æneæ ab ipsis repræsentata, discrimen adesse in argenteis 2404 16 1 $\frac{1}{4}$, in aperto est ne tertiam illius veri valoris partem Monasterium fuisse assequutum, et ideo excedens fuisse damnum ei ex prædicta bonorum venditione obventum, ex quo illa usque ab initio nulla sit renuncianda, cum agatur de re spectante ad Ecclesiam, quæ ne in sextante quidem pretii fundorum, quos distra–

hat, jacturam sentire potest; secus enim contractus corruit ut superius fuit demonstratum.

7 Nec refert Monachoruum præbuisse assensum in bonorum venditionem pro scutis 4000 monetæ fere in totum papyraceæ, eamque summam, exceptis scutis centum, quæ ipsi in cedulis receperunt, sivisse ab emptoribus rependi in ca monetæ specie in satisfactionem intributionis, in longe majori quantitate Monasterio ab imperantibus sub Gallorum nomine indictæ, quæque pro ea summa, ac monetæ specie adhuc insoluta manebat. Etenim, cum pro illorum bonorum pretio jure peti posset ea etiam scutorum 4000 quantitas in moneta argentea, vel saltem scuta circiter 3600 in bac monetæ specie, uti in comperto est ex superius deductis, non poterant ii Monachi, quibus verus prædiorum valor ex Peritia Lucacchini ignotus baud esse debebat, in evidens Monasterii damnum assentiri ut illud pretium in nummariis fere prorsus diffamatis tesseris constitueretur, ac rependeretur, dum res erat de contractu voluntario; atque ideo inanis omnino fuit eorum in prædictum contractum assensus, sicuti ad rem statuit Sacrum Nostrum Tribunal in *Montis Falisci Census* 21 *Aprilis* 1777 § 7 *coram Litta, in Romana Census* 20 *Martii* 1801 § 7 *coram Gardoqui; in Amerina Extinctionis Censuum* 5 *Julii* 1802 § 5 *coram Eminentissimo Rusconi*; *in Romana Census* 7 *Februarii* 1803 *coram Resta* § 3 *in Romana Census* 18 *Martii* 1805 § 5 *coram Gardoqui*; *et in Romana Census* 2 *Aprilis* 1805 § 3 4 *coram R. P. D. meo Bussio*. Idemque statuendum esset, immo majori adstipulante ratione, si admitterctur in prædictis Monachis ignorantia veri fundorum valoris; hoc cnim in thcmate eorum error consensum ab ea venditione removisset, quæ idcirco irrita dicenda esset, cum nulla Lex firmos manere sinat contractus ex errore gestos, et suppleat consensus defectum; uti, post *Text. in Leg.* 8 *ff. de Juris, et Facti ignorantia*, optime in terminis consitutit Rota *in. Assisien. Nullitatis Contractus* 27 *Junii* 1803 § *final. coram Rmo P. D. meo Serlupio Decano*.

8 Inutili vero studio suadere conabantur prædiorum possessores Monachos, non voluntarie, sed necessitate coactos in illorum prædiorum venditionem consensisse pro ea scutorum 4000 summa in vilescenti moneta, quia ulla absque mora implenda a Monasterio erat solutio intributionis, quæ adhuc insoluta manebat pro scutis 3900., et ob temporum conditionem, et copiam bonorum, a Loca Pia præsertim spectantium, quæ venalia prostabant, nedum vilissimo tantum pretio distrahi fundi poterant, sed difficile etiam erat emptores invenire, ex quo ipsorum Monachorum consensus, non voluntarie, sed necessario præstitus sat fuerit ad prædictæ venditionis validitatem. Primum enim animadvertendum est, actum necessarium, ad quem validandum sat sit consensus Administratorum bonorum Ecclesiæ, ullis absque solemniis, illum tantum dici, cui assentiri per necesse debet Ecclesia ex jure, quod aliquis habet ad eum actum exigendum, prout esset si ageretur de extinctione Census favore Loci Pii impositi, post lapsum bimestris a Bulla Piana pro disdicta præscripti, vel de fructuum ejusdem Census reductione, Pontificis Lege eam imperante, uti statuit Sacer Noster Ordo in *Romana Nullitatis Reductionis Fructuum Censuum* 15 *Junii* 1821 § 6, *et in Confirmatoria* 22 *Junii* 1822 § 5, *utraque coram me*, atque ideo inter actus hujusmodi recenseri haud posse sæpius memoratam venditionem, ad quam cogere nec Garofanus, nec Germinius, nec quilibet alius Monasterium poterat, in hypothesi etiam quod ipsum baud posset sese ab angustiis extricare, nisi illa peracta venditione, ac pro eo pretio, in nummariis schedis collapsæ æstimationis convento. Quapropter extranea a re est disputatio de validitate illius actus a necessitate deducta.

Dein vero haud subsistit in facto asserta in Monasterio necessitas illum ineundi contractum. Etenim, cum ipsum, cui onus impositum fuerat sol- 8

vendi Dominantibus scuta *duo de viginti millia* a mense Aprilis anni 1798 partim in argentea, partim in ænea, partim in papyracea moneta, illi jam fere in toto satisfecisset, scuta namque tantum 3900., omnia in nummariis schedis, *tercentis* tantum exceptis monetæ æreæ, solvenda manebant, facile poterat eam summam invenire sub usuris, dum illius monetæ speciei quam maxima qnantitas in commercio versabatur, et omnes opportunitatem quærebant eam collocandi, nec bona ipsi Monasterio deerant, quibus subventorum indemnitati consuli posset. Fieri itaque nequibat ut die 30 Maii illius anni, dum cedulæ adeo erant diffamatæ, ut quilibet prævidere posset proximam earum abrogationem, quæ reapse evenit post mensis lapsum, occasio eidem Monasterio deesset eam summam ab aliquo obtinendi, inito de ea vel cambio vel censu. Præterea, cum jam summa diligentia ac cura impositum onus ferme in toto subiisset, non ei difficile erat breves inducias a quæstoribus assequi, nt nllo absque negocio Romæ subventorem reperiret. Demum vero, cum solutio reliqui tributi in vilissima moneta perficienda ab eo esset, possetque eam explere in moneta aurea vel argentea, supputata ad rationem perexigui in commercio valoris cedularum, opus ei haud erat bina distrahere prædia, cum ex eorum tantum altero, quamvis hastæ subjecto, tot argenteos nummos ullo absque dubio assequi posset, quot satis, superque essent ad suam implendam obligationem.

10 Re huc perducta futilis omnino detegitur subtilis illa distinctio a prædiorum possessoribus proposita, et a postrema Decisione probata, inter damnum proveniens ex imminuta quantitate pretii bonorum, et illud derivans ex inferiori qualitate monetæ pro eo pretio solutæ, ex qua deducere vellent quod, cum venditis bonis statutus fuerit valor scutorum 3600 circiter, et emptores scuta solverint 4000, quodlibet abesse dicendum sit Monasterii damnum, quamvis solutio fuerit expleta moneta papyracea, partimque cuprea, quio ex Legibus de tempore contractus vigentibus nullum esse poterat Inter diversas monetæ species æstimationis discrimen. Stat siquidem bonis valorem in ea summa fnisse tributum; sed stare insimul debet illum constitutum fuisse in moneta integræ æstimationis, sicuti superius fuit demonstratum. Quare, cum constet Leges prædictas nunquam efficere potuisse ut eadem esset in commercio æstimatio monetæ argenteæ, ac illius æneæ, et papyraciæ, et eum etiam hujusce æstimationis discrimen agnoverint, et servaverint ipsi Dominantes, qui in contribntionibus indicendis partem earum in argentea, partem in ærea, partem in papyracea moneta solvi jubebant, non integra veri prædictorum bonorum valoris *quantitas* in argentea moneta, sed minima tantum ejus pars soluta fuit. Dum, ob *qualitatem* monetæ ab emptoribus repræsentatæ, scuta 3700 in nummariis schedis, et scuta 300 in nummis æreis, etsi specietenus conflarent summam scutorum 4000, vix reapse conficere potuerunt scuta 1166 55 illius monetæ, in qua bonorum valor statutus fuit. Stetit itaque procul dubio Monasterii damnum in *quantitate* pretii.

Nec ullius præsidii fundorum posses 11 soribus esse possunt S. N. Ordinis Decisiones, quibus definitum fuit pretia bonorum, in imaginaria moneta constituta, solvi potuisse etiam in nummariis vilescentibus schedis, et Leges, quæ jusserunt firmas esse renunciandas solutiones in hac monetæ specie expletas. Ad Decisiones siquidem quod spectat; constat eas editas fuisse in casibus, in quibus nulla afferebatur probatio, ex qua pernecesse concludendum esset bonorum æstimationes expletas fuisse habito respectu ad monetam auream, et argenteam, et in quibus haud evincebatur quantus esset verus bonorum valor in hac monetæ specie, quæ duo nostro in themate, ut superius fuit demonstratum, plane concurrunt. Eis vero Decisionibus innumeræ opponuntur, quæ firmant rusticorum bonorum naturæ consentaneum esse, ut eo-

rum pretium, quamvis constitutum in imaginaria moneta, absque ulla speciei designatione, intelligendum semper sit in moneta aurea, et argentea respondente intrinseco eorum valori, nisi pateat respectum habitum fuisse ad monetam viliorem, et illud pretium fuisse auctum ad rationem collapsæ illius monetæ æstimationis; Sat sit præ cæteris quasdam ex iis Decisionibus indigitare, nempe *in Romana Reductionis* 19 *Januarii* 1801 § 3. 7 *coram Resta*; *in Tyburtina Reductionis* 3 *Julii* 1801 §. 3. 4 *coram de Bajane*; *in Viterbien. Reductionis* 9 *Decembris* 1803 § 3 *coram Tassoni*, *et in Confirmatoria* 9 *Februarii* 1804 § 3 *coram eodem*; *et in Macera-ten. Reductionis* 17 *Aprilis* 1804 § 5 *coram Eodem*; *in Interamnen. Reductionis* 12 *Junii* 104 § 2 *coram De Alteriis*; *in Romana Reductionis* 18 *Junii* 1804 § 3 *coram Gardoqui* : *in Romana Reductionis* 22 *Junii* 1804 § 2 *coram de Alteriis*; *in Reatina Reductionis* 28 *Januarii* 1805 § 5 *coram R. P. D. meo Bussio*; *in Anconitana Reductionis* 17 *Junii* 1805 § 2 *coram Emo Cesareo*; *in Romana Pretii Vineæ* 20 *Januarii* 1806 § 2 *coram Rmo P. D. meo Decano Serlupio*; *in Perusina Reductionis* 20 *Junii* 1806 § 3 *coram Emo Bardaxi*, *et in Æsina nullitatis Contractus* 7 *Februarii* 1817 § 15 *coram Piccolomineo*.

12 Quapropter S. N. Ordo sæpissime rescidit contractus emptionis bonorum ob pretii solutiones in vilescenti moneta expletas, testibus præsertim Decisionibus *in Assisien. Nullitatis Contractus* 27 *Junii* 1803 *coram Rmo P. D. meo Serlupi Decano*; *in Romana Læsionis* 5 *Junii* 1805 § 2, 3 *coram Tassoni*, *et in Confirmatoria* 6 *Junii* 1806 § 3 *coram Gardoqui*, *et in Assisien, Nullitatis Depositi* 21 *Junii* 1805 § 5, *et seq. cor. Strasoldo*. Quo vero ad Leges, quæ firmas jubent esse solutiones in moneta vilescenti expletas, hæ, ne dum haud favent bonorum possessoribus, sed immo adversus eos retorquentur, quia ab hisce Legibus excipiuntur solutiones, quæ = *abbino altronde marca di ingiustizia* =; nil enim nostro in themate injustius esse poterat, quam pretium bonorum, valoris scutorum saltem 3600 in moneta argentea, exsolvere in moneta fere omnino diffamata, ac in summa, quæ ne *trientem* quidem illius pretii conficere poterat, et præsertim in perniciem Ecclesiæ, et in vim contractus nulliter cum Monachis initi.

Perspicua igitur undique est nullitas 13
venditionis bonorum inconsulto expletæ a Monachis, ob ingens apertissimumque damnum ex ea Monasterio obventum. Non tamen satis; accedit namque ad hanc nullitatem confirmandam defectus Beneplaciti Apostolici, quo deficiente, bonorum Ecclesiæ alienatio stare nequit, in hypothesi etiam quod justa concurrat alienandi causa, et alienationis utilitas, quæ tamen in themate haud existere ex superius deductis patet; *Redoar. de Alienatione rerum Eccles. quæst.* 51 *num.* 17 *Covarruv. Var. Resolut. lib.* 2 *cap.* 17 *num.* 2, *Rota decis.* 200 *num.* 1 *part.* 2 *Dec.* 367 *num.* 1 *part.* 5 *Recen.*, *Dec.* 995 *n.* 1 *cor. Molines*; *in Ferrarien. Contractus* 27 *junii* 1778 § 6, *coram Herzan*, *in Montis Alti Reintegrationis* 11 *Mart.* 1805 § 10 *cor. Rmo P. D. meo Serlupi Decano*; *in Firmana Nullitatis Emphyteusis* 29 *Mart.* 1805 § 3 *cor. Gardoqui*; *in Romana, seu Anconitana Nullitatis Reductionis Fructuum Census* 26 *jun.* 1816 § 7 *coram Tassoni*. Quin hic defectus suppletus dici possit Rescripto Antistitis Perusini. Non enim evincitur ipsum preditum fuisse Apostolica facultate per Pontificem Pium VI, quem Galli scelesta manu solio dejectum ab Urbe rapuerant, et in Gallias traxerant; immo Romæ aderat Isauriensis Episcopus Vicaria Pontificia jurisdictione donatus, ad quem facile recursus haberi poterat, ut alienandi veniam Monasterium obtineret, cum tempus haud deesset, nam a die 18 Aprilis, et 9 Maii 1798, quibus Monasterio contributio fuit indicta, ad diem 30 Maii illius anni, quo venditio fuit expleta, sat temporis effluxit pro adeundo eo Pontificio Vicario, ac etiam pro affigendis programmatibus ad emptores allicendos. 14

Verum, sit etiam quod Perusinus Antistes asserta potestate polleret. Non

idcirco tamen dici posset bonorum venditio Apostolica venia vallata, cum idem sit aliquid non existere, ac nullum esse. Nulla autem fuisset procul dubio alienandi venia ab eo Antistite concessa, in hypothesi etiam quod eam concedere posset, quia omissa ab eo fuit diligens investigatio super utilitate alienationis, qua tantum cognita Rescriptum pro alienatione emittere poterat. Præscribit siquidem Pauliana Constitutio *Cum omnibus*, ut Delegati ad impertiendam facultatem alienandi bona Ecclesiæ, hanc tantum permittant, = *si in evidentem utilitatem cedat* = atque ut = *caute et diligenter attendant causas per supplicationes expressas, illasque sollicite examinent, atque discutiant, testes, et probationes super narratorum veritate recipiant* =. Hæc si attendisset Episcopus, probe novisset bonorum pretium adscendisse ad scuta minimum 3600 in moneta argentea, quare permittendum haud fuisse ut venderentur in moneta diffamata pro summa vix respondente argenteis 1166 55, atque ideo ne *trienti* quidem illius pretii. Novisset etiam Monasterium obligationi solutionis intributionis facile satis facere potuisse inventa sub usuris pecunia; Novisset demum partem tantum illorum bonorum, etiam sub basta venditam, satis super qua esse potuisse ad conficiendam pecuniæ vim, quæ ad solidationem implendam illius intributionis, quæ reliqua erat in scutis 3900 diffamatæ monetæ requirebatur.

15 Quamvis igitur Antistitis Rescriptum pro Beneplacito Apostolico habendum esset, inane prorsus fuisset ob substantialium omissionem, uti post *Redoan. de Rebus Eccles. non alienandis quæst.* 58 *num.* 38 *Ciarlin. Controv. Foren. n.* 25 *Boss. de Alienatione Rer. Ecclesiæ tit.* 18 *n.* 340, *Sperell. Dec.* 154 *num.* 28, *Rot. in Recen. dec.* 202 *num.* 6 *par.* 8. statuit superius citata Decisio *in Firmana Nullitatis Emphyteusis* 29 *Mart.* 1805 § *fin. cor. Gardoqui*, et prior in hac Causa Decisio, quæ confirmatur § *fin.* Verum hæc præter necessitatem dicta fuere, cum satis sit ad nullitatem venditionis bonorum firmiter constituendam ingens damnum, quod ex ea Monasterio obvenisse superius fuit probatum; si namque corruunt bonorum Ecclesiæ alienationes, Apostolica etiam venia intercedente peractæ, si ei utiles haud dignoscantur, eo magis irritæ sunt declarandæ, cum illi damnosæ demonstrantur. Contractus itaque nullitate constituta, consequitur exinde fructus usque ab initio a bonorum detentoribus nullo jure perceptos Monasteros esse restituendos, sive compensandos cum vera pretii quantitate ab emptoribus illorum bonorum soluta, sicuti constituit Decisio, quæ confirmatur sub § *final.*

Et ita etc. Utraque etc.

PERUSINA NULLITATIS CONTRACTUS

Veneris 4 *Julii* 1823.

ARGUMENTUM

Habes in superiori quae confirmatur « DECISIO CXXVI. »

SUMMARIUM

1. *In laesionis quaerela, probationes referri debent ad tempus initi contractus, nec spectari debet quidquid postea evenerit.*
2. *Ubi agitur de Ecclesiae contractu, ad nullitatem inducendam, sufficit probare laesionem in sextante - ibidem. -*
3. *Peritus in praediis aestimandis, rationem habere debet ad valorem temporis contractus.*
4. *Venditor, qui integrum pretium ab emptore non accepit, non potest uti remedio legis 2 Cod. de rescind. vendit., sed ex vendito agere debet.*
5. *Leges gallicae, disertis verbis jusserant* - che le Cedole al valore nominale, sieno date, e ricevute in tutti i pagamenti - *ibidem.*
6. *Solutiones factae cum papyracea moneta, sarctas tectasque leges servarunt.*
7. *Edictalis lex Naselli, non improbavit solutiones praedictas, nisi* - abbiano marca d'ingiustizia - *ibidem.*
8. *Lex Naselliana, solutiones nondum factae, et negocia nondum finita, dumtaxat respicit.*
9. *Ubi contrahentes non convenerunt de pecuniae specie, recte solutio facta fuit cum moneta papyracea - ibidem. -*

10. *Scutum romanum* - di paoli dieci a scuda - *moneta generica, et imaginaria est.*
11. *Nunquam intelligitur pretiosor moneta in contractum deducta, nisi per speciem fuerit designata - ibidem.* -
12. *Non populorum opinio, et commercii usus, sed lex tantum nummorum valorem constituit.*
13. *Donec aliqua monetae species non sit expresse abrogata, impune in contractibus adhibetur - ibidem.* -
14. *Posita diversa monetarum qualitate, necessarium est in stipulatione contractuum, monetae speciem indicare.*
15. *Supputatio fructuum promercalium, incerta semper est, neque eandem mensuram semper servat.*
16. *Ubi Antistes, non qua Ordinarius, sed qua Delegatus, contrarium auctoraverit, supplet defectum Beneplaciti Apostolici.*
17. *Si extrema urget necessitas, simplex episcopalis venia, vices gerit Apostolici Beneplaciti.*
18. *Paulus II in Constitutione, quae incipit* - Cum in omnibus - *normas praescripsit, quoad bonorum Ecclesiae venditiones.*

DECISIO CXXVII.

Plures passa est vicissitudines, ac judiciorum discrimina ea controversia, quam Monachi Cassinenses S. Petri Perusiae multis ab hinc annis excitarunt super nullitate, ac læsione contractus emptionis venditionis duorum prædiorum in Perusiæ Suburbio jacentium, quæ Monachi ipsi vendere coacti fuerunt Aloysio Garofani, et Francisco Germini Perusinis, ut intributioni satisfacerent, quam Galli, Democraticæ pertubationis tempore, tum privatis civibus, tum Locis Piis potissimum indixerant: Postquam enim per quinquennium indecisa quæstio permanserat apud Perisinæ Rotæ Tribunal, cum ex Pontificia venia delata ea deinde fuisset ad Sacrum Nostrum Ordinem sub formula Dubii = *An, et quomodo constet de nullitate, ac læsione contractus, ita ut competat manutentio, seu reintegratio, et sint restituendi fructus, et in qua summa in casu etc.* necessariam primum reputarunt Patres in Comitiis diei 15. Maii anni 1807. Periti Agrimensoris operam, ut prædia æstimaret, *habita ratione valoris tempore contractus.* In lucem hinc edita periti hominis judiciali relatione, instauratum fuit certamen, ac, vadimonio deserto a Comite Baldellio, qui Administrationem gerebat Patrimonii Baldini Triccia, in quod ex Gafano, et Germinio primis emptoribus eadem prædia devenerant, nullum ex omissione Apostolici Beneplaciti, ac inquinatum læsionis labe contractum ipsum renunciavit Sacri Nostri Tribunalis Decisio, quam ad diem 8 Junii anni 1808 publicis juris fecit cl: me: Præsul De Guardoqui ad Sacram Purpuram dein evectus.

Obloquendi tamen facultate Administratori Patrimonii facta, ac ad trutinam revocata quæstione, adeo infirma Patribus visa fuerunt Decisionis illius fundamenta, ut sub assueto Dubio rogati = *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.* » utraque parte jura sua deducente, incunctanter, a Decisis recedendum esse censuerint. Ob novam Gallorum invasionem diu siluit post hæc controversia, donec tandem, restituto legitimi Principis Imperio, ac Mihi commissa Causa, definiendam Sacro Ordini proposui alteram Dubii formulam = *An sit standum in primo, vel secundo loco decisis in casu etc. et Responsum retuli = In primo loco Decisis* = quemadmodum ostendit mea Decisio *Perusina nullitatis contractus* 21 *Februarii proxime elapsi*, quæ factorum historiam fusius enarrat. Sed non ultimum hoc fuit controversiæ periculum. Nam, obtento a prædiorum possessoribus novæ Audientiæ beneficio, cum disputatum hodie fuerit Dubium = *An sit standum in primo, et tertio, seu in secundo loco Decisis in casu etc.*, non ex animi incostantia, sed ex meliori factorum interpretatione, quæ plerumque prudentissimos quoque fallit, ut scribit *Neratius in leg. In omni parte 2. ff. de jur., et fact. ignoran.*, a præterita Sententia discesserunt Patres, ac Dubio, quod in superius recitata formula proponebatur, absque ulla hæsitatione responderunt = *In secundo loco Decisis* =.

Non ex eo enim, quod Monachos 1
fortasse pœnituerit, prædia vendidisse ideo eis licebat, aut læsionis actionem

proponere, aut contractus nullitatem exeipere ex Apostolici Beneplaciti defectu, nisi utraque res plene probaretur. Ut de læsione primum loqnar, quæ dolum cæteroquin, ac delictum sapit, adeo claras, et manifestas probationes hæc actio requirit, ut in quolibet dubio pro justitia, ac validitate contractus judicium ferendum sit, ac odiosa læsionis, præsertim enormissimae, qualem Monachi proponebsnt, actio repellenda. *Mans. consult. forens.* 616 *num.* 5 *tom.* 7 *Card. de Luc. de empt. vendit. disc.* 24. *num.* 2.; *Constantin. ad Statut. Urb. Annot.* 46 *num.* 126 *Zanch. de læsion. part.* 3 *cap* 1. *num.* 11. *ad* 16, *Rot. coram Ansaldo decis.* 222. num. 23., *coram Herrera decis.* 48. *num.* 1, *cor. Tanara decis.* 251 *num.* 15, *in Romana Rescissionis Apochæ* 13 *Martii* 1758. §. 3 *coram Canilliac. et in Interamnen. Liberationis a molestiis* 4 *Martii* 1760 § 4 *coram Burull.* In læsionis imo materia hoc maxime cautum est, ut probationes ipsæ ad tempus initi contractus referri debeant, nec sit ullo modo spectandum qnidquid postea incertus tulerit eventus *Leg, Si voluntate* 8. *Cod. de rescind. vendit. Maschard. de probat. Conclus.* 960 *vol.* 2 *Cyriac. controv. forens.* 453 num. 62, *Kohl Exercit. Legal.* 10 *num.* 13, *et seq., Rot. cor. Ratto dec.* 173 *num.* 9 *et decis.* 68 *num.* 5 et 16 *cor. Riminaldo.* Quamvis autem in themate non oporteret evincere ultra *bessem* deceptos Monachos fuisse, prout ad demonstrandam enormissimsm laesionem ex jure communi requiritur *ex legit.* 1., et 2. *Cod. de rescind. vend.*, *Pacion. de locato cap.* 18. *num.* 25., *Zanch. de læsione part.* 1 *cap.* 2 *Rot. cor. Riminaldo decis.* 687 *num.* 2, et *in Spoletana Læsionis* 19 *Junii* 1733 § 2 *coram Peralta*, quia agitur de Ecclesiæ contractu, cui sufficit, ad distractorum bonorum possessionem vindicandam læsionem etiam in *sextante* probare, ut mea expendit anteacta *decis.* § 7, quæ hodie revocatur; rebus tamen bene perpensis, exploratum erat quamlibet læsionis umbram, et speciem a contractu, de quo disputatio est, penitus exulare, semelac plus ab emptoribus solutum fuisse constat, quam ferret Census publicus, ant extrajudiciales Periti, et Peritus judicialis quoque prædia ipsa vendita æstimaverint.

Inspectis revera Censualibus Perusiæ tabulis, non alium apparuit ea prædia valorem habuisse, quam in *scutis bismillibus sexaginta uno*, et obulis *octodecim.* Cum autem ad solvendas Gallicas intributiones, Monachi postea statuissent eadem prædia venum exponere, Peritum Agronomum elegerunt Josephum Lucacchinium, qui fundos æstimaret. Attamen Agrimensor ille, licet a Monachis Delegatus, et Monachorum Amicus, procul ab emptorum, vel præsentia, vel scientia, non alium prædiis valorem attribuit, quam in scutis *tribus millibus sexcentis duodecim*, et obulis *triginta.* Inito demum contractu, atque ab Emptoribus soluto pretio in scutis *quatuor millia* cum Monachi adversus emptores acerbissimam instruxissent læsionis actionem, Sacer Noster Ordo rectissime putavit, eligendum esse Peritum Agronomum, qui de vero venditorum prædiorum valore referret. At Peritus judicialis legem optime sequutus, quam ei dederant Patres prædia nimirum æstimandi, *habita ratione valoris tempore contractus*, postquam prædia ipsa perlustravit, paulo minorem eorum valorem, in scutis nempe *tribus millibus quingentum septuaginta*, et obulis *septuaginta uno* constituit. Si itaque pretium ab emptoribus solutum cum extrajudiciali, vel judiciali prædiorum æstimatione conferatur, quamlibet objectæ læsionis maculam ex quantitate pretii extraneam esse a contractu, de quo agitur, nemo negabit. Quin imo, si supra extrsjudicialem, atque judicialem æstimationem alia scuta circiter *quatuor centum* persolverunt emptores, jsm patet, læsionis ex qusntitate pretii deductæ exceptionem calumniæ proximam esse. 2

At vero, qui a Monachorum partibus erant, contractus læsionem non a quantitate solutæ pecuniæ, sed a monetæ qualitate deducebant, quia scilicet emptores in pretium scutorum *qua-* 3

tuor millium tot dederint nummarias chartulas, quæ vix valorem exhibebant argenteorum nummorum *mille centum sexaginta sex*, et abnlorum *quinquagintaquinque*. Cæterum, dum hac argumentatione utuntur Cænobitæ ad contractus læsionem ostendendam, idem ferme est, ac si dicerent, non integrum pretium, sed illius tantum partem numeratam ab emptoribus fuisse. Atqui venditor, qui integrum pretium ab emptore non accepit, non uti sane potest remedio *Leg.* 2 *Cod. de rescinden. vendit.* ut rescissionem contractus obtineat, sed ex vendito tantum agere debet ad integrum pretium consequendum, veluti monet *Ulpianus leg.* 11. § 2 *ff. de action. empt. et vend'l.* Quapropter huc rei summa perducta demum est, ut petere tantum Monachi valerent, læsionis querela deserta, pretii supplementum. Sed etiamsi ratio aliqua haberi in hoc judicio posset de pretii supplemento, quod cæteroquin aliud, et omnino diversum judicium expostulat, compertum nihilominus est, ne hanc quidem actionem Monachis ullo modo competere. Leges enim Democraticæ, quæ tempore contractus vigebant, disertis verbis jusserant = *che i debiti per prezzo di stabili dovranno pagarsi in moneta, o cedole al valore nominale corrente in tempo del pagamento* = Alia rursus Gallorum Lex, quæ publici juris facta fuit ad diem 4 Maii anni 1799, dum enixius inculcavit liberum papyraceæ monetæ usum in commercio, voluit etiam » *che esse siano date, e ricevute in tutti i pagamenti* ».

4 Sublata sane providis Legibus ab hominum commercio postmodum fuit papyracea moneta. Sed sartas, tectasque contextim Leges ipsæ servarunt, pro civium bono, solutiones illas, quæ ad illud usque tempus expletæ cum papyracea moneta fuerant. Eamdem methodum jugiter servavit Dux Nasellius posterioribus Legibus, quas annis 1799, et 1800 in vulgus edidit, ut præstitutæ reductioni subjiceret ea nomina, quæ, licet contracta fuissent, dum adhuc in commercio cedulæ versabantur adeo tamen illæ ab hominum opinione ceciderant, ut a plurimis contemnerentur, et eas omnino deinde oportuerit abrogare. In iis quippe Legibus expressim vetuit » *di ridurre i pagamenti già fatti, i quali devono restar fermi per la pubblica quiete* » Quod si postrema ejusdem Naselli Edictalis Lex haud probavit eas solutiones jam factas, quæ » *abbiano d' altronde marca d' ingiustizia* » hujusce tamen injustitiæ nota, non ex vilitate, atque abjectione cedularum desumenda est, sed ex aliis causis, quæ aliude oriantur, quam a deteriori monetæ qualitate veluti advertit *Rot. in Perusina Pecuniaria* 13 *Martii* 1807 §. 9 *cor. cl. me. Card. Guardoqui, et in superiori Causæ Decisione diei* 16 *Januarii* 1809 *cor. Eodem*. Cum igitur ea papyracea moneta, cædulæque omnes publicam auctoritatem obtinerent, hac propterea ratione Sacrum Nostrum Tribunal firmas, integrasque voluit solutiones universas, quas debitores explevissent, aut pro antiquis nominibus dimittendis, aut pro venditorum bonorum pretio præstando, aut pro quibuscumque aliis obligationibus liberandis, prout inter alias exemplo sunt Decisiones *in Romana Reductionis* 13 *Januarii* 1806 *cor. Resta, in Montis Altis Liberationis a molestiis* 26 *Junii* 1807 *cor. bo: me: Tassoni, in Romana Nullitatis Contractus ejusdem diei, et anni cor. Emo Serlupi, et in Romana læsionis* 28 *Aprilis* 1817 *cor. Eodem* ».

Decisum quin imo fuit Nasellianam reductionis Legem, superius memoratam, solutiones nondum factas, et negocia nondum finita dumtaxat respicere, nec ad solutiones jam expletas, absolutosque contractus traduci posse. Hinc contractus emptionis venditionis prædiorum, quamvis initi fuissent cum vilescentibus, et proxime reprobandis Cedulis, servandos nihilominus esse, et nullam solutionis reductione, aut pretii supplementum venditores petere posse idem definivit Sacer N. Ordo *in Viterbien. contractus* 7 *Martii* 1803 §. 2 *cor. Emo Bardaxi, in dicta Romana Nullitatis Contractus* 26 *Junii* 1807 § 3 *cor. Emo Serlupi, in Romana, seu* 5

Nepesina Læsionis quoad contractum anni 1798 2 *Maii* 1823 § 9 *cor. R. P. D. meo Bofondi.* Secus enim nulla fere ejus temporis solutio firma mansisset, rescissisque temere negociis jamdiu transactis, et compositis, Civitates omnes novis, perpetuisque dissidiis abundassent, cum publicæ privitæque tranquillitatis jactura. Nec erant efferendæ S. Tribunalis resolutiones, quas late recenset *præterita mea Decisio* § 17, *et* 18 ut probet, plurimos contractus, ob pretii solutiones in vilescenti moneta factas, irritos, ac nullos declaratos omnino fuisse. Non alia siquidem de causa id contigit, nisi quia, vel ex ipsis contractibus, vel ex invictis aliis monumentis constabat in stipulationem contrahentes deduxisse unam, atque unicam auream, argenteamque pecuniam, et a papyracea moneta prorsus abhorruisse, ut Eadem explicat mea *Decisio loco citato.* Contra vero neque auream argenteamque monetam prae oculis babuere Periti, dum prædia æstimarunt, neque de eadem pecuniæ specie contrahentes inter se convenerunt, qui ad genericam solum monetam, nempe papyraceam, quæ tunc publice in commercio versabatur, in tabularum celebratione spectarunt.

6 Peritus namque extrajudicialis Joseph Lucacchinius, quem Monachi ante stipulationem adhibuerunt, nullam mentionem habuit de aurea, argenteaque moneta. Peritus judicialis, prædia æstimavit scutis *tribus millibus quingentum septuaginta uno « di moneta Romana corrente da paoli dieci per scudo »*, quamvis unice juxta Legem Sacri Tribunalis ad valorem respexerit, quem eadem prædia tempore contractus obtinebant. Ipsi etiam Monachi Venditores, quod magis est, dum preces obtulerunt Antistiti Perusino necessariam implorantes veniam *« per legittimamente eseguire la vendita a favore di Garofani, e Germini, i quali si esibirono per l'acquisto di detti beni per il prezzo di scudi quattromila »*, imaginariam, et genericam monetam commemorarunt, nec verbum ullum in precibus excidit de auro, vel argento. Publicæ demum emptionis venditionis tabulæ initæ a contrahentibus fuerunt *« per il prezzo in tutto di sc. quattromila moneta romana da paoli dieci per scudo »* At vero romanum scutum, quod Periti Agronomi, supplex Monachorum libellus, et tabulæ emptionis venditionis contemplatæ sunt, moneta *generica*, et *imaginaria* est, quæ repræsentari potest quacumque monetæ specie, cui Leges *nominalem* imaginarii scuti valorem imposuerit. Tantum imo abest, quod sola commemoratio, ac promissio quantitatis monetæ imaginariæ, dum plures præsertim monetarum species in commercio reperiuntur, ad pretiosiorem qualitatem monetæ aureæ, vel argenteæ referatur, ut hæc ipsa e converso generica nuncupatio ad inferiorem monetam, quæ in commercio extat, ex contrahentium voluntate cohibeatur, nec unquam intelligatur melior, ac pretiosior moneta in contractum deducta, nisi hæc per proprium nomen, ac speciem fuerit designata. *Rot. in Romana Laesionis* 28 *Aprilis* 1817 § 6 *cor. Emo Serlupi, et in Romana, seu Nepesina Laesionis quoad contractuum anni* 1798 2 *Maii* 1823 § 10 *cor. R. P. D. Meo Bofondi.*

Si itaque prædiorum æstimatio imaginariam, atque genericam omnino moneta continebat, eaque una in contractum deducta fuit; jure optimo potuerunt emptores absque ullo læsionis vitio conventam pretii quantitatem in ea moneta rependere, quæ tum temporis in hominum commercio erat, nimirum in Cedulis, quæ ad diem initi contractus monetarum adhuc valorem ex publica auctoritate servabant. Non enim populorum opinio, et commercii usus, sed lex tantum nummorum valorem constituit. Hinc non absque ingenio scripsit *Calvinus Lexicon Juridic. Verb. Nummus*, vocabulum *Nummus* a Græca voce *Nomos* oriri; quæ apud Latinos audit Lex, quia scilicet monetæ valor, non a materia, qua constat, sed a Lege imponitur. Donec igitur aliqua monetæ species a Principe Lege expressa, non abrogetur, ea quidem, etsi in maximo populi contemptu sit, licite, ac impune potest in contractibus mutuisque ne- 7

gociis adhiberi, ac a nemine recusari valet; ut ad rem perpendit *Rota in Montis Alti Liberationis a molestis* 26 *Junii* 1807 § 7 *cor. bo. me. Tassoni*, *et in cit. Romana Læsionis* 28 *Aprilis* 1817 § 16 *cor. Emo Serlupi*. Neque reponendum erat, prædia intrinsecum, realemque valorem habere. Non ideo namque concludendum est eorum pretium cum aurea argenteaque moneta persolvi necessario debuisse, quoties ipsæ monetariæ Leges nullum fecerant discrimen inter contractus rerum mobilium, earumque rerum, quæ soli sunt, sed in omnibus prorsus, et cujuscumque rei contractibus papyraceam monetam recipiendam esse jusserint = *I debiti per prezzo di stabili dovranno pagarsi in moneta, o cedole al valore nominale corrente in tempo del pagamento.* = Quamquam autem prædia intrinsecum habeant valorem, ut optime inter cæteros observat *Barbeyrac ad Puffendorff. de Jur. Nat., et Gent. lib.* 6 *cap.* 5 § 15 nihil tamen magis incertum, ac instabile est, quam eorum pretium, quod a temporum conditione, et ab usurarum modo præcipue pendet, veluti celebriores animadvertunt Æconomiæ publicæ Scriptores, quos inter *Smithius lib.* 2. *cap.* 4, et monet etiam sæpius laudata decisio *Romana*, *seu Nepesina quoad contractum anni* 1798 2 *Maii* 1823 § *ult. cor. R.P.D. Meo Bofondi*.

8 Nec omine meliori Monachorum Defensores, ut evincerent Lucacchinii relationem, extra judicii ritum quæsitam, in constituendo prædiorum valore ad auream argenteamque monetam unice rospexisse, ejusdem declarationem, triennio post æstimationem e r issam; in medium proferebant, qua ipse profitebatur = *di aver regolato le stime se, condo l'antica tassa, ossia tariffa legale e catastrale, la quale corrisponde in conseguenza a moneta reale avente un fisso, ed intrinseco valore, come sarebbe in questi tempi la moneta di oro, e d'argento considerata a giulj dieci per scudo* = Initio siquidem animadvertendum occurrebat, quod hujusmodi serotinæ Peritorum declarationes prudenti consilio despici solent, utpote quia ad opportunitatem ferventis judicii comparatæ præsumuntur. Veritati dein, rationi ac experientiæ repugnat, Peritos Agronomos tempore etiam monetarii discriminis veterem retinuisse consuetudinem prædia æstimandi in pretiosiori moneta, adeout ipsorum prædiorum pretia, etiamsi nihil expressis verbis cautum fuerit, in nummis aureis, argenteisque constituerint. Posita quippe diversa monetarum qualitate, diversaque repræsentandi vi, non tam utile, quam necessarium omnino erat in stipulatione contractuum, tam rerum mobilium, quam immobilium, monetæ speciem indicare, ne alioquin deterior quæ in commercio aderat, in contractum deducta intelligeretur, et ne ampla secus pateret cavillandi materies, quam plerumque quærunt obstinati debitores, ut sedulo expendit *Rota in dicta Romana Læsionis* 28 *Aprilis* 1817 § 9 *cor. Emo Serlupi, et secunda Causae Decisio diei* 16 *Januarii* 1809 § 6 *coram cl. me. Card. Guardoqui*.

Nihil hinc refert eumdem Lucacchinium in prædiis æstimandis respexisse = *alla quantità, qualità e situazione ed all'annuo fruttato, sì del l'anno fertile mediocre, che sterile.* = Licet enim eamdem methodum servaverit Peritus judicialis, qui ad tramites Rescripti S. Tribunalis prædiorum æstimationem iniit = *habita ratione valoris tempore contractus*, ad tempus nimirum, quo papyracea moneta in contractibus publice recipiebatur, minorem nihilominus valorem iis adtribuit, quam tribuerit ipse Lucacchinius. Verum quantitatis, qualitatis, et ubicationis prædiorum, una cum anno fertili, ac sterili, ratio haberi potest, tam si æstimatio fiat in argentea, aureaque pecunia, quam si eam inire placeat in cedulis, et papyracea moneta, dummodo ejusdem papyraceæ monetæ quantitas augeatur juxta proportionem, et valorem aureæ, argenteæque monetæ, Nec denique profuit Monachos venditores æstimationem efferre promercalium fructuum utriusque prædii, prout ab Anno 1783 ad Annum 1794. Perusiæ viguit, ut inde concluderent eadem præ- 9

dia valorem circiter attingere argenteorum nummorum *quatuor millia quingentum*. Nam supputatio fructuum promercalium incerta semper est, neque eamdem, ut sciunt omnes, mensuram servat, quæ pro temporum circumstantiis, nedum ab uno ad alterum Annum, sed eodem Anno pluries mutari augeri, imminuique solet, veluti optime arguit secunda Causæ *Decisio diei* 16 *Januarii* 1809 §. 7 *cor. cl. me Guardoqui*. Quapropter manibus ferme ipsis contrectatur, objectam læsionis querelam in contractu, de quo agitur, tam quoad pretii quantitatem, quam quoad monetæ qualitatem omnino corruere.

10 Expendendum ergo supererat, an ipse contractus emptionis venditionis nullitate aliqua peccaret. Hac in re satis explorata erat Sacrorum Canonum disciplina, quæ jubet, ut in omnibus Ecclesiæ Contractibus, et in ipsis etiam bonorum locationibus, quæ trienni tempus excedant, Apostolici Beneplaciti solemnia adhibeantur, veluti post *Text. in Extravagant. Ambitiosæ de reb. Eccl. non alienan.* monuit etiam Sacrum Nostrum Tribunal in *Recen. decis.* 367 *num.* 1 *part.* 5 *coram Molines decis.* 995 *num.* 1 *in Ferrarien. Contractus* 27 *Junii* 1778 §. 6 *coram Herzan in Montis Alti Reintegrationis* 11 *Martii* 1805 *n.* 10 *coram Emo Serlupi, in Firmana Nullitatis Emphiteusis* 29 *Martii* 1805 §. 3 *cor. cl. me. Guardoqui, et in Romana, seu Anconitana Reductionis fructuum Census* 26 *Junii* 1816 §. 7 *cor. bo. me Tassoni*. Sed optime animadvertebant Patres, Apostolici Beneplaciti defectum in themate proponi a Monachis non posse, postquam Monachi ipsi, ante stipulationem, a Sede sua temerario ausu avulsum, et ab Urbe exulem Summum Pontificem videntes, Perusinum Episcopum exoraverant. = *affinchè in virtù delle facoltà trasfusevi dal S. Padre Papa Pio VI.* = emptionis venditionis contractum auctoritate sua probaret, et idem Perusinus Episcopus *attentis expositis, et concurrentibus circumstantiis, auctoritate Summi Pontificis* = petitam veniam indulsit. Cum enim Perusinus Antistes, non qua *Ordinarius*, sed qua *Delegatus* contractum auctoraverit, manifestum proinde est, haud rem hic agi de facultatibus, quas Episcopi juxta sanctionem *Can. Ter. caus.* 12 *quaest.* 2. in levioribus negociis exercent, sed de amplioribus facultatibus quas ipse Summus Pontifex infelici eo Ecclesiæ tempore Episcopis concessit, ut pro rerum circumstantiis Ecclesiarum necessitatibus opportune prospicerent, ut pariter advertit secunda hujus Causæ *Decisio diei* 16 *Januarii* 1809 §. 8 *cor. cl. me. Card. Guardoqui*.

Nec recte subdebant Monachorum defensores, petere contrahentes debuisse contractus approbationem ab Isauriensi Episcopo, qui Romæ aderat Pontificia jurisdictione donatus. Nam si eadem facultate contractum auctorandi pollebant tam Isauriensis, quam Perusinus Episcopus, absque ullo profecto discrimine vel ab uno, vel ab altero poterat ea venia postulari. In majus vero Monachorum compendium redibat veniam implorare ab Episcopo Perusino, qui melius de contractus conditionibus instrui poterat. Sed etiamsi maxime oportuisset veniam ipsam petere ab Isauriensi Episcopo, in re tamen trepida, in qua persolvi intribntio debebat = *nel perentorio termine di tre giorni* = indicta secus pœna = *della multa del doppio, che sarà esatta militarmente* =, non tantum decebat, quam etiam necessarium erat, prædia distrahendi veniam ab Antistite Perusino obtinere, ne majora in Monachos damna venirent. Non est hinc vitio vertendum, quod servata non fuerint cætera solemnia, quæ ad majorem contractus utilitatem comparandam, et ad alliciendos meliores oblatores adhiberi in hisce casibus solent. Nullam quippe moram patiebantur tam *tridui* spatium ad solvendum concessum, quam mulctæ periculum, quod imminebat, nisi intra triduum intributio solveretur. Episcopalis autem venia, quæ vices gessit Apostolici Beneplaciti, horum solemnium omissionem supplevit, quemadmodum earumdem solemnitatum defectum supplet Apostolicum Benepla- 11

citum *Turricell. de reb. Eccl. non alienan. cap.* 9 *num.* 11 *Redoan. eod. tract. quaest.* 22 *num.* 5 *Rot. in Rec. decis.* 244 *num.* 20 *part.* 16 *cor. Cavalerio decis.* 445 *num.* 2, *et* 3, *et decis.* 317 *num.* 18 *cor. Ansaldo.*

12 Deterius demum erat obiicere non satis discussam ab Antistite Perusino fuisse contractus utilitatem, tum si monetæ qualitatem, tum si quantitatem pretii respicias. Quod pertinet ad monetæ qualitatem, licet in praediorum pretium papyraceam monetam persolverint emptores, semelac tamen ea monetae species ex Legum imperio in commercio versabatur, et vicissim recipiebatur ab omnibus, non poterat omnino ab Episcopo recusari. Ad quantitatem vero quod spectat, non levis momenti est quod superius animadversum fuit, pretium ab emptoribus solutum extrajudicialem, ac judicialem quoque aestimationem superasse. Quod si supra eas aestimationes alia scuta circiter *quatuorcentum* addiderunt emptores, et pretii quantitatem in scutis *quatuormillia* persolverunt, jam tuto in loco posita videtur evidens illa utilitas, quam in venditione bonorumEcclesiae spectandam esse jussit invictus ille Ecclesiasticae Immunitatis propugnator, Summus Pontifex Paulus II., in celebri Constitutione relata *per Maynard. in Bullar. tom.* 3. *pag.* 3, quae incipit - *Cum in omnibu* - et late exornatur per *Ricc. Prax. Ecclesiae decis.* 49 *Barbos. de offic., et potest. Episcopi allegat.* 95 *numt* 71, *Card. Petra ad Constit. Paulii II n.* 53 *Constantin. Vot. decis.* 312 *num.* 3, *et Rot. in Firmana Nullitatie Emphiteusis* 29 *Martii* 1805 §. 4 *cor. cl. me. Card Guardoqui.* His vero in jure, et facto animadversis, quo magis compertum erat nullitatis exceptionem, querelamqoe laesionis a contractu penitus exulare, ex quo non exile pro temporum circumstantiis compendium Monachi retulerunt, eo firmius in legitima, et bona fide quaesita bonorum possessione conservandi sunt emptores, et qui ab eis causam habuerunt

Et ita etc. Utraque etc.

Coram De Cursiis Tom. I.

PERUSINA REPETITIONIS INDEBITI

Lunae 23 *Junii* 1823.

ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. *Si quis indebitum ignorans solvit, per hanc actionem condicere potest.*
2. *Legibus 30 Maii 1814, et 9 Junii 1816 statutum fuit* Le vendite de' beni Nazionali, dovranno da ogni Sovrano essere rispettate.
3. *Tractatu Viennae, quoad Statum ecclesiasticum cautum fuit* - Gli acquisti fatti dai particolari con un titolo riconosciuto legale dalle leggi esistenti sono mantenuti - ibidem -
4. *Summus Pontifex,* - Edicto diei 29 Martii 1817, - *Creditoribus, ob neglectam receptionem, vel erogationem schaedarum, nullum regressum indulsit adversus Pia Loca.*
5. *Non est deneganda indebiti repetitio, ubi quis ad duplicatam debiti solutionem adigeretur.*
6. *Pecunia inconsulto soluta a Caenobii Moderatoribus, nullum praejudicium affert ipsi Caenobio.*

DECISIO CXXVIII.

Super prædio, nuncupato = *Sansonetto* = quod in Territorio Perusino possidebat, Ven. Cænobium S. Augustini ejusdem Civitatis, de anno 1801, Censum imposuerat in capite scutatorum 337, quæ quantitas ex monetariis vicibus reducta postea fuit ad scutata 240 71 $\frac{1}{2}$, semissibus constitutis fructibus. Ita impositum vendiderat Dominico Panicuccio, cui hæres fuit Joannes filios, a quo hic Census in Pompejum Centamori, hinc in quemdam Fioravanti Fiori, hinc tandem in Vincentium Cherubinium, totidem successivis venditionibus, migraverat. Occupata deinde a Gallis Pontificia ditione, die 28 Maii 1810. Lex illa prodiit, qua Religioni omnes, ac Monastici Ordines; Oppressi fuere, eorum bonis Fisco addictis, quem ii = *Demanio* = appellabant, cautumque, quoad Æs alienum = *tutti i debiti legittimamente contratti dalle Corporazioni Religiose, e che saranno legalmente giustifi-*

cati verranno estinti dal Tesoro Pubblico = I Creditori delle dette Corporazioni dovranno nel termine di tre mesi produrre innanzi i respettivi loro Prefetti i titoli de'crediti, e le loro giustificazioni.

Et quia, per explicitam hanc accollationem, Ordinum Oppressorum æs alienum Fiscus in se susceperat, hinc Decreto diei 5 Augusti 1810. Consilium quod dictum fuit = *di Liquidazione* = a Gallico Regimine fuit institutum, = *ad effetto di liquidare i Crediti ipotecarj esiggibili a carico dell'antico Governo Pontificio, e delle soppresse Corporazioni Religiose* = certaque fuit proposita methodus, qua creditores solutionem assequerentur, eis nempe fuit indictum decreto eodem diei 5 Augusti 1810, *in art.* 1 *et seq.* = *Ogni Creditore dei già Stati Romani, il di cui credito sia riconosciuto dal Consiglio di Liquidazione stabilito in Roma, dovrà, dopo un mese dell'avviso officiale della seguita sua liquidazione recarsi presso il Presidente del detto Consiglio per ottenere il suo Ordine di rimborso = Tutti i portatori di Ordini di pagamento dovranno presentarsi dentro quindici giorni, dopo il rilascio degli Ordini sudetti al Pagatore all'effetto di ricevere il loro rimborso in rescrizioni del Tesoro Pubblico = dentro i sei mesi, che succederanno all'effettuato pagamento, come sopra = I Possessori delle Rescrizioni dovranno impiegarle nell'acquisto de'beni destinati all'estinzione del Debito Pubblico = I Creditori, che non si saranno uniformati ai termini, e disposizioni sopra espresse perderanno ogni diritto al riparto degl' Interessi, e non potranno essere compresi nel Ruolo, che a tal effetto si formerà tra creditori* =.

Paruit initio bisce legibus Cherubinius Cœnobii Creditor, atque ab eo Consilio liquidationem sui Crediti obtinuit, tum pro Capite censualis nominis, tum pro illius fructibus secundi semestris anni 1810. Attamen eas Schædas, quas super memoratæ Leges nuncupabant = *Rescrizioni del Tesoro Pubblico* = quæ intra quindecim dierum spatium recipiendæ omnino erant, atque intra sex menses erogandæ = *nell'acquisto de'Beni destinati all'estinzione del debito Pubblico* =, in manibus eorum Ministrorum, vel nimis oscitanter reliquit, hinc ex censura alius Gallici Decreti diei 11 Januarii 1813 eos cum cæteris omnibus solemniter abolevit prædictum Liquidationis Consilium, totidem deliberationibus mensium Augusti, Septembris, Octobris ejusdem anni, atque ita Schedæ Cherubinio assignatæ una cum cæteris aboletis, atque extinctis publice combustæ fuere, uti earumdem legum præscripta ferebant.

At, cessante Gallica invasione, cum legitimo Pontificio Imperio fere omnes restituti fuere Regularium Ordines, quibus Clementissimus Princeps pro modo distractorum bonorum compensationem de Publico Erario tribuendam decrevit, supputatis attamen Locorum Piorum debitis, si quæ, durante invasione, dimissa fuerant. Ex indulgentia etiam erga eos Creditores, qui ob neglectam receptionem, sive erogationem Schedarum vulgo = *Rescrizioni* = in caducitatem offenderant, indemnes pariter eos fecit = *per due quinte parti del valor nominale delle rescrizioni suddette* = Edictali lege diei 29 Martii 1817. Hæc omnia dissimulans Cherubinius, S. Augustini Patres, quorum etiam Ordo, et Monasterium Perusiæ fuerat restitutum, ita circumvenit, ut perinde ac si census adhuc subsisteret, ab iis obtinuerit tum fructuum solutionem, tum Capitis etiam restitutionem: sed, ut primum resciverе Patres sequutam de tempore ininvasionis extinctionem, eaque omnia quæ postmodum evenerant, apud Tribunal Primæ Actionis Perusinum indebite solutorum restitutionem reclamarunt. Rejectam ibi eorum petitionem Sententia diei 28 Septembris 1821, exceperunt postea Judices A. C. in gradu Appellationis, eadem Sententia revocata. Re tandem devoluta ad S. Nostrum Ordinem Patres hoc mane interogavi = *An sit locus restitutioni summæ indebite solutae, ita ut sit locus exequutioni mandati ab A. C. relaxati in casu* =, ac Ipsi, a Judicio

absente Cherubinio, responderunt: = *affirmative in omnibus* =.

1 Nec, secundum ea; quæ proponebantur, res aliter definiri poterat, etiamsi Cherubinius Judicio adfuisset. Ait enim Ulpianus *in L.* 1 *ff de condit. indeb.* = *Si quis indebitum ignorans solvit, per hanc actionem condicere poterit* =. Indebitum autem persolvisse Patres S. Augustini, cum Cherubinio census caput, et fructus reddiderunt; nudum factum solutionis cum iis, quæ illum præiverunt, collatum demonstrat. Etenim ipsa Lex Gallica, quæ omnium Regularium Ordines uno ictu evertit, eorumque bona Fisco addixit, eodem tempore statuit = *tutti i debiti delle Corporazioni Religiose saranno estinti dal Tesoro Pubblico* = Tunc Cherubinius in suum debitorem agnovit. = *Il Tesoro Pubblico* =. Eidem obtulit censuales tabulas, queis creditum suum, tum pro capite, tum pro fructibus innitebatur; liquidationem postulavit, obtinuitque. Si igitur postea eidem placuit schædarum vulgo = *Rescrizioni* = receptionem negligere, atque ita credito suo, ex Legibus ejus temporis, valedicere, nullum hac sua resupina oscitantia inferre potuit præjudicium Patribus S. Augustini, qui omnibus suis bonis tunc spoliati fuere, quibus utique potuisset Cherubinii nomen dimitti, quive, etiam post restitutum legitimum Imperium, eam tantum bonorum partem recuperarunt, quæ forte ab Invasoribus vendita non fuerat.

2 In augusto Cœtu Fortissimorum Europæ Principum, Vindobonæ habito, cui adfuerunt etiam S. Sedis Apostolicæ Plenipotenziarii, ac præcipue in Conventionibus dierum 30 Maii 1814, et 9 Junii 1816 statutum fuit = *Le vendite de' beni Nazionali fatte sotto i diversi Governi; che hanno cessato di esistere dorranno da agni Sovrano essere rispettate* = rursus in eodem Tractatu Viennæ quoad Statum Ecclesiasticum cautum fuit = *Tutti gli acquisti fatti dai Particolari col mezzo di un titolo riconosciuto legale dalle leggi esistenti sono mantenuti* = Cum itaque hujusmodi venditiones, quæ Locorum Piorum damno cesserant ideo ratæ, firmæque habitæ fuerint, quia æquum visum fuit de Contractibus judicare juxta Leges vigentes de tempore, quo ii initi fuere; paritas rationis, omnisque æquitas postulat caducitates quoque a Creditoribus Monasteriorum forte incursas, quæ in illorum exonerationem redeunt, ideo firmas haberi, quia adamussim ab eorumdem temporum legibus minime servatis manarunt. Qua posita caducitate, cum nullum amplius jus esset Cherubinio censuale nomen jamdiu extinctum a Cœnobio exigendi; planum est exactum ab eo restituendum omnino esse, tamquam indebite solutum.

Accedit Summum ipsum Pontificem 3
eam Gallicæ Legis partem, qua æs alienum tunc suppressorum Monasteriorum in Fiscum rejectum fuit, minime improbasse: etsi enim impium esset facinus in ea ipsa Lege præscripta Religiosorum, ac Monialium dispersio, eorumque bonorum publicatio, posita tamen dispersione, bonorumque confiscatione, nil æquius decerni poterat ea accollatione debitorum omnium, quibus eadem ipsa bona gravabantur, a Fisco inita; quæ fuit quodammodo ipsi occupationi, ac publicationi correspectiva. Atqui superius relatæ Summorum Principum Conventiones statuerunt confiscationem servandam esse quoad ea bona, quæ Invasores distraxerant: igitur servari Eos voluisse tenendum est etiam id, quod fuit publicationi correspectivum, uempe debitorum accollationem. Cæterum id etiam expresse firmavit Summus Pontifex, dum, suæ Apostolicæ Sedi restitutus, Edicto diei 29 Martii 1817. Creditores qui, ob neglectam receptionem, vel erogationem schædarum = *Rescrizioni* =, crediti jacturam fecerant, nullo modo adversus ipsa Pia Loca restituendas esse duxit, sed sola indulgentia motus, eisdem assignavit = *due quinti del loro avere nominale in rescrizioni* = haud quidem a restitutis Monasteriis, sed a Publico Ærario præstandos.

4 Idipsum alias interrogatus censuit S. N. Ordo, ac præsertim in *Romana Pecuniaria diei* 29 *Martii* 1819, *coram R. P. D. Bussio*. Idipsum tandem de hac re præcipue consultus firmavit *R.* P. D. Thesaurarius; cui Patres S. Augustini rem omnem aperuerunt, nec præsentis controversiæ statum reticuarunt, percuntantes an Cherubinii creditum inter extincta durante Gallorum dominatu, adnumerandum esset, sive, quatenus adbuc subsisteret, Cænobium gravaret, seu potius esset a Publico Ærario dissolvendum modo, et forma constituta in sæpedicta Ædictali Lege 29 *Martii* 1817, quibus interrogationibus illico responsum fuit – *A forma della massima stabilita il Censo, di cui si tratta deve essere detratto dal Compenso, perchè estinto dal cessato Governo Francese. Il Creditore Cherubini poi dovrà rivolgersi alla direzione del Debito Pubblico per essere liquidato, come Possessore di rescrizioni non impiegate*, e *a forma di quanto viene prescritto dall'Editto della Segreteria di Stato del* 29 *Marzo* 1817 –. Qua in re sedulo perpendendum est Patres S. Augustini, ubi hæc indebiti repetitio denegetur, ad duplicatam veluti ejusdem debiti solutionem adigi, siquidem, post solutionem pecuniæ illius, quam hodie tamquam indebite numeratam repetunt, aliam subirent jacturam, diminutionem scilicet compensationis ob divendita bona sibi a Principe tributæ, a qua Creditum Cherubini detrahendum omnino est, – *perchè estinto dal cessato Governo Francese* – ad tramites nuper mamorati Rescripti; quod absurdum esset omnino intollerandum.

Cum itaqne ex hucusque recensitis rationum momentis pateat Patres S. Augustini, dum Census controversi caput, et fructus Cherubinio perstitare, indebitnm omnino persolvisse; cum rursus per quam naturale sit eosdem Patres, extinctionis census de tempore Gallicæ invasionis sequutæ omnino ignaros eam pecuniam repræsentasse; publice namque constat eos, ut Regnlares cæteris, e Cænobio pulsos, ac per varia loca dispersos, nil ulterius de Cænobii ipsius negotiis curare potuisse; jam sponte sequitur, omnibus concurrantibus requisitis superius allegatæ *Legis* 1 *ff de Cond. indeb.*, pecuniæ indebite solutæ restitutionem eorum favore esse decernendam. Eo fortius vero bæc tenenda opinio est, quia res est de pecunia repetenda, a moderatoribus, atque Administratoribus Cænobii indebite, ac inconsulto soluta quos nil prorsus agere valide posse in Monasterii præjudicium, explorati juris est. *Ad text. in Extravagan. Ambitiosae de reb. Eccl. non alien. in Cap. Ex parte de Feudis, et Rot. in decis. Rec.* 107 *num.* 12 *part.* 14. 5

Atque ita etc. Altera tantum etc.

FINIS TOMI PRIMI.